m:m

Scan. 31

INVENTARIO N. 14801

GIORGIO
BIBLIOTECA
DEL VECCHIO
46
L
22
UNIVERSITÀ DI ROMA
ISTITUTO DI FILOSOFIA DEL DIRITTO

Digitized by Google

Digitized by Google



ex Officina Joh. Friderici Zeidleri.

Digitized by Google

ULRICI HUBERI
DE
JURE CIVITATIS,
LIBRI TRES.
NOVAM JURIS PUBLICI UNIVERSALIS DISCIPLINAM
continentes.
Inſertis aliquot, de jure ſacrorum & Eccleſiæ, capitibus.

EDITIO QVARTA,
priore multo locupletior.
CUM NOVIS ADNOTATIONIBUS
ET NOVO INDICE.
in uſum
AUDITORII THOMASIANI.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Apud JOH. FRIDERICUM ZEITLERUM
Anno MDCCVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO

PRINCIPI.

HENRICO CASIMIRO.

DEI GRATIA. NASSAVIÆ PRINCIPI. CATTIMELIBOCI, VIANDÆ, DIETZÆ, SPIEGELBERGÆ COMITI. LIESFVELDIÆ BARONI. DOMINO BIELSTEINII. REIPUBLICÆ FRISIORUM DOMI MILITIÆQVE PRÆFECTO HEREDITARIO. GRONINGÆ, OMLANDIÆ, DRENTIÆQVE GUBERNATORI ET CAPITANEO GENERALI. ACADEMIÆ FRANEQUERANÆ CURATORI, HONORARIO, MAGNIFICENTISSIMO. HEROI INCLYTO. PIO. FELICI. ETC. ETC.

HOS LIBROS ARGUMENTI PRINCIPE DIGNISSIMI

SACROS FACIT

ULRICUS HUBER.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

ANte duos & viginti annos uſu venit, ut Studioſis rudimentum Juris Publici Univerſalis, cujus ſalivam illis moveram, rogantibus, in Academia diſputando proponerem: quod ante hac cum Politicâ mixtum, Grotius, ab illâ quidem ſeparandum eſſe docuit, eâ ratione, quam in præfatione magni operis, de *jure Belli & Pacis*, expoſuit. Sed ut viam huic diviſioni monſtravit, ita, quominus ipſe eam inſtitueret, ſecit uſus & materia ſcriptionis, quam præ manibus habebat. Commentatus enim eſt de jure, quod inter diverſas Civitates, nec invicem, nec uni ſubjectas imperio intercedit, ſive, *ut ipſe loquitur*, quos nulla juris civilis tenet communio. Hæc autem diſciplina proprie ad eos pertinet, quos idem Summæ Poteſtatis vinculum comprehendit, ut inde à primo hujus operis initio enixè demonſtravimus. Denique, ſicut Politicam meram nemo recentiorum, præter Lipſium, tradidiſſe videtur, ita, ſeorſim hanc de jure Civitatis, ſive Juris publici univerſalis oppoſitam Politicæ artem integram, quod meminerim, nemo tractandam ſuſcepit. Nihil tamen â novitate gratiæ huic ſcripto quæremus: illam varietas & utilitas, quam utramque ut in conſpectu habuimus, ita, an adſecuti ſimus, aliorum erit judicium, præſtet oportet. Nec præfatioue Lectoris præjudicium occupemus. Hoc non diſſimulabo, rem ipſam & experimentum hujus alio-

Digitized by Google

aliorumque laborum, parum abeſſe, quin pridem me adduxerit in eandem animi ſententiam, quæ viris doctis & egregiè cordatis jam pridem laudata, exercita fuit; modum ſcribendi ſyſtematicum, præ ſparſo & ſoluto, eſſe procul habendum iis, qui gloriæ non minus, aut aliquantò magis, & otio ſuo, quam Lectoris utilitati ſervire cupiunt. Erit adeò meum quidem hoc ſupremum in illo genere ſpecimen, ſicut præſumptio ejuſdem opinionis fecit, ut hoc quam proxime ad inſtitutum VARIORUM accommodaverim. Unde nec temperavi, quin bis in locum digreſſus ſim mei captus, Theologicum: quam ſi quis gravetur mixturam, oculo fugitivo tranſvehi poteſt *Caput ſecundum & ſequentia ſectionis quartæ, & totam ſectionem ſextam libri primi.* De ipſis argumentis, jam olim publicatis, ſed perſonalibus ἈΜΒΟΛΙΕΡΓΊΑΙΣ involutis non habeo, quod in loco, dictis addam. Prima horum librorum Editio fuit rudis & genuinum mei moris in ſcribendo ſpecimen: Quem ſæpe ſum profeſſus ejusmodi eſſe, ut primas, ſicut in properum ſtylum fluxerant, cogitationes, publico auſus ſim committere, judicia hominum & cenſuras experiri, deinde presſius elaboratas repetere editiones. Hoc ita in præfatione hujus operis omnium primâ cum expoſuiſſem, adjeci hæc verba; *Quod ſi Patriam Deus Academiamque ſalvam præſtiterit, eam videmur detexiſſe materiam dicendorum, quæ repetitam prælectionem, atque tractationem, cui aliqua inſit reverentia poſteritatis, ſuo merito requirant.* Damnavit me voti Deus Clementisſimus, Patriâ & Academiâ liberatis à ruinâ belli Gallici, tum incumbentis. Ideoque primam Repetitionem dedimus, hinc ante decennium, auctiorem tertia parte, ut habet inſcriptio; donec ultima, præſens, non triente, ſed dodrante major elaborata eſt. Speraveram, ampliorem fuiſſe futuram ſcholiis Viri Excellentisſimi, primariæ in Germaniâ Academiæ Anteceſſoris: quæ parata eſſe cognoveram. Jam pridem enim profeſſus; exemplo palam extante, me honori potius, quàm contumeliæ, ſi more ſtudioſis hominibus digno fiat, tales imputare cenſuras, id etiam literis ad eum datis, ut maturaret, rogaveram. Non tulit ita conſiliorum viri Cl. ratio poſterior. An autem hæc editio,

voti

voti mei quondam emiſſi finem adſecutura ſit, non tam ſcio, quam ſentio, ingraveſcere inſtitutum meum, publicandi rudia inſtitutionis initia, & promerendi veniam Lectoris, juxta cenſuras & animadverſiones; quæ ſcilicet, ratio mea fuit, exercendi vel eludendi *Horatianum illud, de premendis nonum uſque in annum lucubrationibus.* Adhuc quidem non offenderat hæc methodus; ante editionem primam hiſtoriæ, quam nuncupavi, civilis, & primitias Eunomiæ Romanæ, quæ ſub manibus eſt. Utrumque eodem animo & ſpe, quo priora mea conceptum, quam merito ſuperiori anno vexatum laceratumque ſit, aliquando, ſi Deus vitam largietur, editio repetita loquetur: ſi, quod ad præjudicium ſatis ſit, nondum extare videatur. Interea, quæ ſecundum antiquam prodeundi methodum inchoata ſunt, ea, ſi Deus volet, hoc labore defuncto perſequi certum & neceſſarium eſt: Donec mei Cenſores, aliquid in hoc genere dent melius, hiſtoriam ævi noſtri ad exemplum Artis compoſitam. Si malunt, quod erit facilius, in cenſura pergere, non habeo cauſam recuſandi in his quæ publice periclitantur. Idem in votis eſt pro Eunomiâ Romanâ: quæ aliquanto magis ad animum meum pertinet. In quâ his novem menſibus, viginti ſex egregii Juvenes triginta publicas exercitationes edidere, meoſque primos conatus in uſum cenſuræ publicæ ad librum pandectarum vigeſimum uſque provexerunt. Amici plures domi foriſque mallent, me quod reliquum ætatis eſt, jurisprudentiæ forenſi impendere. Sed ego ita exiſtimo, quodque genus ſuo loco reſervandum, practica foro, Theoretica ſcholis. Ita ſcribere, ita docere, poſtquam me denuo Academiæ conſecravi: Sane, quamdiu ſcribere, docere libet ac licet; Cujus rei, parum abeſt, quin ratio reddenda jam ſit apud alios, quam quibuſcum vixi, quod difficile factu eſſe Cato dixiſſe fertur; & difficillimum eſt iis, qui tantopere mutatas & inverſas docendi rationes inveniunt. Etſi hoc malum, an bonum, minus in jurisprudentiam valide penetravit. Sed ἄλις προοιμίου. Rem ipſam cerne ſis, *Benevole Lector.*

DE JURE



DE

JURE CIVITATIS,

LIBER I.

Qui eſt de Imperio.

SECTIO I.

Continens Præcognita Artis.

CAP. I.

DE JURE.

Jus pro regula actuum moralium. An origo ab injuſto dependeat. n. 1. Cauſa Juris, ſuperior poteſtas, etiam Par; n. 2. quod probatur. n. 3. 4. 5. Jus etiam ſumi pro facultate agendi vel habendi. n. 6. Juris in priore ſenſu diviſio in Naturale & Voluntarium. n. 7. Hoc rurſus in Divinum & Humanum &c. n. 8. 9. De Jure Gentium publico. n. 10. De Jure civili publico. n. 11. Hoc opus eſſe de priori, & ratio totius inſtituti. n. 12. 13. Differentia Juris publici univerſalis à Politica. n. 14. 15. Poſſitne Juſtitia in Republ. exacte ſervari. n. 16-19. Inventio & definitio hujus Artis. n. 20. 21. 22. E quibus præceptis colligatur. n. 23.

JURIS vox cum multifariam accipitur, tum imprimis nota eſt ſignificatio, quâ dicitur, *Regula* boni & æqui; quo ſenſu latisſimo, Lex etiam uſurpatur. *a*) Aliter, regula juſti & injuſti, ut Jurisperiti amant loqui; Injuſtum addunt, explicandi causâ, quod Grotius exequitur in *lib. 1. de jur. b. c. 1. n. 3.* quo pertinet illud Horatii;

Jura inventa metu injuſti fateare neceſſe eſt,
Tempora ſi faſtosque velis evolvere mundi.

Quo ſic velle videtur, nullum eſſe juſtum, niſi poſt experimentum injuſti; quod tamen

ANNOTATA AD HUBERUM DE JURE CIVITATIS.

a) uſurpatur) *Benè dicit, lex in ſenſu latiſſimo. Uti enim regula vox eſt valdè lata & homonyma, ita & legis. Commentarii loco hic eſſe poterunt dicta in* Obſ. Hall. Tom. 6. obſ. 27.

ita penitus ſe non habere demonſtravimus *b*) in *part. 2. Digreſſ. l. 1. c. 5. n. 3.* Denique, non abhorret à priori dicto Grotiana Juris definitio; quod Jus ſit regula actuum moralium obligans ad id quod rectum eſt *d. cap. 1. §. 9.*

2. Obligationis cauſa maximè eſt Superior Poteſtas; etſi quo minus à *pari*, cauſa obligationis eſſe queat, nihil obſtat; ſiquidem conſenſus, unde ſine dubio naſcitur obligatio, *c*) eſt inter Pares. Quin etiam prima lex & ſimpliciſſima, per quam è ſtatu naturali receditur in Civitatem, & qua placuit, ut majoris partis voluntas ſit omnium voluntas, nihil eſt aliud quam conſenſus inter pares, & eſt fons omnis obligationis ac juris. *d*) Denique, lex omnis in Imperio populari, nihil eſt quam *ſponſio civium*, *ut Demoſthenes* & *Papinianus* dixerunt in *l. 1. & 2. ff. de Leg.*

3. Quando lex eſt perlata, major equidem pars ſe habet ut ſuperiorem. Sed obligatio, qua ſinguli jam prius ſingulis tenentur, *ut ſtent eo, quod major pars voluerit*, jam eſt jus *e*) & inter pares manifeſtò. Pares, inquam, jure; *de facto & viribus ſintne pares, an ſecus, ad hanc rem non pertinet*, niſi jus in manu & prævalente potentiâ ſtatuas, quod *Hobbeſium* & magis *Spinoſam* velle, videbimus infra.

4. Sed nec ſit ſuperior *eo, quod parem & conſenſus reum cogere poteſt ad obſervantiam juris conſtituti:* nec ſi vires ad cogendum deſint, ideo deſinit eſſe jus, quod pares inter ſe ſpoponderunt obſervandum; nec is qui fretus viribus fidem datam non ſervat, minus facit injuriam, eo quod viribus eſt ſuperior, *quia hæc res juris cauſam mutare non poteſt.*

5. Denique, non eſt tantum injuſtus ideo, quod non paret ſuperiori pacta ſervare jubenti, ſed etiam eo, *quod jus in alterum claris verbis translatum, ſine cauſa illi aufert;* quod eſſe injuſtum patet inde, quia lædit humanam ſocietatem; ideoque non ceſſaret injuſtum eſſe, *tametſi nullus ſuperior, ab univerſo mundo diſtinctus*, ut quidam impiè volunt, *daretur.*

6. Hujus obſervationis uſus *infrà* patebit. Sed eſt alia Juris ſignificatio non minus celebris, orta à priori, quâ *Jus* denotat *facultatem aliquid habendi vel agendi;* quomodo *jus* imperantium, *jus* ſubjectorum, *jus* Magiſtratuum, aliæque per omnem hanc Artem diſfuſæ facultates JURA vocantur.

7. Sed *Jus* in priore ſignificatione, in duo ſumma genera *f*) deducitur; Eſt enim *Naturale* vel *voluntarium*, quod in ſcholis *poſitivum*

b) demonſtravimus) *Diſputat ibi contrà opinionem Gerhardi van der Myelen, quaſi in ſtatu integro lex naturæ non fuiſſet. Adde* Inſtit. Jurispr. Div. l. 1. c. 2. §. 61. lit. q. *quæ ſuppeditabunt modum conciliandi Autorem cum G. v. M. Præterea illa quæſtio magis ſubtilis, quam utilis eſt, cum Jus naturæ poſſit commodiſſimè explicari citra notitiam ſtatus integri.*

c) obligatio) *Diſſenſi jam olim in* Inſtit. Jurispr. Div. l. 1. c. 1. §. 29. & ibi lit. f. *ſed jam iſte diſſenſus tolli poteſt ex noviore doctrinâ* in dict. obſ. 27. junct. c. 4. & 5. Fundam. jur. nat. & Gent. *ita tamen ut pactum non ſit cauſa ultima obligationis, per tradita* d. c. 4. Fundament. n. ult.

d) ac juris) *ſcil. inter concives, non omnis juris in genere, ut Hobbeſius, à quo diſſentit Autor. Et ſi non diſſentiret, neceſſaria tamen eſſet reſtrictio, ob jus libertatis, jus defendendi corpus, quod antevertit pacta omnia. Conf. Autorem mox* cap. 3. n. 11 12. 13.

e) jam eſt jus) *Ita intelligo: obligatio, ut minor pars ſtet eo, quod major voluerit, non fluit ex viribus majoris, ſed vel ex pacto primævo conſtitutæ civitatis, vel ex dictamine rectæ rationis, etiam citra pactum, quia alias omnis conſultatio eſſet fruſtranea, & quia aliud medium non adeſt unionem collegiorum intelligendi. &c.*

f) in duo ſummo genera) *Communem hanc doctrinam, quam & ipſi olim* in Inſtit. Jurispr. Div. *ſecuti fuimus, quod Lex dividatur in divinam & humanam tanquam conſpecies univocas, vel certè analogas, occaſionem dediſſe multis erroribus, non aliter evitandis, quam ſi oſten-*

vum vocatur, Græcè Τὸ ἐν φύσει, τὸ ἐν θέσει. Naturale, *quod hominibus eſt innatum*, Voluntarium, quod *arbitramento medio, repertum & excogitatum eſt. Grot. d. cap. 1. § 9. & ſequ.*

8. Jus voluntarium rurſus aut divinum aut humanum eſt. Et hoc, vel Gentium *g*) vel civile. Utrumque publicum vel privatum. Jus Gentium publicum eſt, *quod docet, quid in regimine Civitatum ex voluntate populorum fas & rectum ſit.* Privatum, *quod de rebus ſingulorum cum ratione introductum eſt.*

9. Quæri poteſt, ſub utro comprehendatur, *quod inter diverſas civitates nec invicem, nec uni ſubjectas imperio intercedit?* Ad utrumque referri poteſt; Nam civitates earumque Rectores juris publici participes ſunt; & verum eſt, quod deinde videbimus, diverſas civitates earumque Rectores hominesque nihilo ſecus omnes ſe habere, quam ſinguli in ſtatu naturali ſe habent: Et de hac juris publici privative ſpecie cepit inſtitutum Grotius, ut explicat in *pr. cap.* 1. operis magni.

10. Sed ad Jus Gentium publicum ſine dubio pertinet id, *quod docet, quid in quaque civitate juris inter ordines unius ejusdemque Reipubl. generaliter obtineat*, quid imperantibus, quid ſubjectis, mediisve Magiſtratibus inter ſe tribuendum, quid pace belloque ſit obſervandum.

11. Jus civile publicum eſt, *quod ad ſtatum cujusque civitatis in ſpecie pertinet*, conſiſtens in omnibus quæ ad regimen unius populi juxta ſuam conſtitutionem peculiarem referuntur. Privatum, *quod ad ſingulorum in eadem civitate utilitatem ſpectat;* conſiſtens in ſingularibus civium unius imperii controverſiis à regimine publico diſtinctis *l. 1. § 2. ff. de Juſt. & Jur.*

12. Nobis conſilium eſt, exponere publicum Jus Gentium cujuslibet civitatis, at unius Reipubl. terminis comprehenſæ; ſine quo neque Romanum, neque Germanorum, aut ullius populi proprium Jus publicum, ſolide collocari vel comprehendi poteſt.

13. Ita vero hoc agemus, ut non modo viam ad ſpecialia ſternere, ſed & continuo ſingulis ſuo modo civitatibus applicari queat: Proinde ex *Hiſtoria, quam merito animam hujus diſciplinæ* dixeris, pleraque exemplis, adpoſitione vel vivæ vocis miniſterio illuſtrabimus; ut neminem ratio in ullius Reipubl. cujus noverit ſitum, judicio fugere poſſit.

14. Eſt autem hoc Jus publicum ejusmodi, ut pari fere paſſu ambulet cum Politica diſciplina. Unde à plerisque cum eâ confundi ſolet. Ut vix reperias ex recentioribus; nam veteres politicam ſeorſim docent; præter unum Lipſium: niſi placet addere *Bœclerum Præceptorem & Hoſpitem olim noſtrum Argentorati*, qui meram politicam tradiderit, neque ad noſtram mentem, qui Jus publicum Univerſale ſeorſim dederit, qua re dix. *in Auſpic. orat. 3.* huic libro præfixâ.

15. Differunt tamen hæc Ars & Politica, ſicut alioqui Jus & Prudentia: *h*) Nam Politices eſt, actiones publicas dirigere cautè, ad felicitatem civilem, adeoque docere quæ ex uſu ſunt. Juris publici noſtri, ut facultas ejus, quod ſingulis in Republ. ordinibus competit, rectè tribuatur, & juſtitia in omni regimine civitatis cuſtodiatur, *ut latius in dict. orat.*

16. Sed an hoc habet facultatem? Plato ſane in *Epiſt.* ad amicos Dionis, non ſine gravi cauſa pronuntiat, omnes ſui temporis Civitates κακῶς πολιτεύεσθαι *malè adminiſtrari,* & juſtis-

datur jus naturale & divinum eſſe planè toto genere diverſum à jure humano & poſitivo, latius oſtenſum d. obſerv. 27.

g) vel gentium) *Pariter non omittenda multiplex homonymia juris Gentium.* vid. Fundam. J. N. & Gent. l. 1. c. 5.

h) & Prudentia) *Sed tamen & Jus ad Prudentiam pertinet, unde Jurisprudentia nomen habet. Clarius fortè ut juſtum & utile, aut ut doctrina de finibus & mediis.* Vide noſtr. Prudent. conſultat. c. 1. & 2.

Digitized by Google

& juſtisſimus Græcorum Ariſtides Rempublicam *συχνῆς ἀδικίας δεομένην*, multâ egere injuſtitia declarat apud *Plutarch. in Vit.* nec hodiè melius agi in regimentis populorum docet uſus temporum.

17. In Politica equidem exercenda difficillimum eſt, non quidem fraudes apertas, quales ille ab *Hetruriâ*, ſed conſilia leviter ab honeſto devia, quæ & Belga noſter admittit, ubique vitare. *Machiav. in Principe. Lipſ. 4. polit. c. 14. in pr.*

18. Sed Juris Diſciplina ab omni iniquitate ſuâ ſponte aliena eſt, *i*) etſi nuper extitit, qui parum abeſt, quin flagitia ſeculi & ſcelera dominationum ex fonte juris & natura civitatis, ſpecie Philoſophiæ derivare inſtituit. *Thom. Hobb. tract. de Cive & Leviath.*

19. Denique, ne de politicâ quidem Practicâ omnino hac parte deſperandum eſſe, quin teſſera bonæ mentis etiam in eâ ſervari posſit, exempla *k*) Davidis, Salomonis, Marci Antonini, Alphonſi Sapientis & Ludovici Sancti aliorumque ſpem faciunt.

20. Cæterum, primus hanc Artem Juris publici à Politicâ ſeparandam eſſe docuit, opinor, Grotius in *præfat. op. de jure bell. & pac.* Exemplum hujus inſtituti non dedit, occupatus diverſo ſcribendi propoſito, quod jam deſignavimus, *ex operis ejus principio.*

21. Sed quid eſt Jus publicum ita ſumptum, ut diximus? Memores enim in omni hac Arte erimus Ariſtotelici præcepti, *ὅπως ὁρισθῶσι πάντα καλῶς, ὅτι μεγάλην πρὸς τὰ ἑπόμενα ῥοπὴν ἔχουσι*; *ut omnia rectè definiantur, quæ res ingens ad ſequentia facit momentum 1. ad Nicom. 7.*

22. Dicamus ita; Eſt *Ars, quæ ſuum cuique, in ordine civitatis, tribuere docet.* Regi, quæ Rectoris ſunt; populo, quod eſt populi, & magiſtratibus, quod horum officia requirunt. Verbis, *in ordine Civitatis*, differentia à jure privato continetur, quæ ſuum cuique ſine reſpectu ad Rempubl. quæ eſt ordo civitatis, tribuit.

23. Conſtat hæc Ars præceptis Naturalibus, Gentium & Divinis, *l*) etiam verò civilibus populorum inſtitutis; quia, licet univerſalis hæc Ars ſit, unius tamen ordines Reipubl. ſupponit. *m*) Omnesque populi tam in publicis quam in privatis, partim communi omnium hominum, partim jure proprio utuntur, eaque ita inter ſe comparata ſunt, ut mutuo ſeſe explicent ac illuſtrent.

CAP

---

i] aliena eſt) *Nollem ita Politicam & Jus Gentium publicum ſecernere, ne augeatur calumnia Politices, quàm à Clero Romano patitur, ac ſi Politica doceat injuſta, etſi autor hanc ſententiam temperet* in §. anteced. *Quin potius ea, quæ autor dicit leviter ab honeſto deviare, potcrunt commode ex regulis æquitatis ſeu interpretationis reſtrictivæ deduci. Ut enim ſecundum vulgatum, ſummum jus eſt ſumma injuria, ita etiam ſumma verborum captatio in dictamine rectæ rationis, ſine admisſione limitationis in caſu necesſitatis, eſt ſumma injuria. Adde quæ diſſeruimus de necesſitate exlege* in Inſtit. Jurispr. Div. l. 2. c. 2. §. 123. ſeq.

k] exempla) *Scilicet à potiori deſumta. Ut enim David & Salomon intuitu præceptorum juſti & honeſti aliquando ex imbecillitate humana aberraverunt, ſic nulla cauſa eſt, cur negemus, idem etiam aliquando factum eſſe intuitu rectitudinis Politicæ. Ut forte exinde excuſationem aliquo modo mereatur diſcurſus liberior Baelii in diction. critico. de Davide. Sed & valde inæqualia eſſe exempla ab autore hic adducta notandum, & quorum quædam ulteriori disquiſitioni ſubjicienda ſint, ut Alphonſi ſapientis, & Ludovici ſancti, de quibus pluribus in diſcurſu.*

l] & Divinis) *Intellige hæc ſynonymicè, non tanquam diverſas ſpecies ob dicta ab Autore* n. 12.

m] ſupponit) *Hæc paululum obſcuriora videntur, nec tollunt dubium grave ex dicto n. 12. Unde fortè & brevius & clarius ſic dici poteſt:* Conſtat hæc ars præceptis non voluntariis, ſed dictamine juris naturalis omnibus gentium communi & divinæ autoritatis; civilibus tamen populorum inſtitutis, tanquam exemplis illuſtratur.

Digitized by Google

CAP. II.
DE JURE NATURALI.

Originalis hominum integritas ex ſententiâ Gentilium, Grotii & aliorum, qui nonniſi in affectibus & uſu habituque illam conſtituunt. n. 1. 2. 3. Qualis è ſacris literis intelligenda ſit. n. 4. Imago DEI qualis. n. 5. Futurum fuiſſe jus aliquod naturæ in ſtatu primævo, n. 6. etſi longe diverſum ab eo, quod nunc eſt. n. 7. Corruptionem hominis ſubitam fuiſſe, non ex uſu & habitu. n. 8. Lumen rationis haud omnino extinctum. n. 9. Id eſſe Jus naturæ, n. 10. quod definitur. n. 11. Exegeſis definitionis. n. 12. 13. Quatenus diſcretio turpis & honeſti ſit inſita menti & homini congenita. n. 14. 15. 16. Unde naſcatur obligatio Juris Naturæ, qua de re diverſæ ſententiæ exponuntur. n. 17. 18. 19. Refellitur Hobbeſiana. n. 20. D. Puſendorffii. n. 21. Tertia ſpecioſior [illegible]pretatio, contra quam diſputatur, Theologorum expenditur. n. 22. Quarta de dominio Dei in hominem probatur & à conſenſione Socinianorum purgatur. n. 23. Immutabilitas Juris Naturalis quomodo accipienda. n. 24. Diſtinctio Juris Naturæ in neceſſarium præcipiens, permittens, ſuadens. n. 25. 26. 27. Diverſi gradus inhoneſti. n. 28.

1. Fuiſſe tempus, quo genus humanum ſine malâ libidine, ſine probro & ſcelere vixerit, etiam gentiles credidere, n) doctrina è ſacris ad illas propagatâ ſed non ſyncera; magis enim putarunt, in primis hominibus ignorationem fuiſſe vitiorum quam notitiam virtutum; adeoque nihil quam mali neſciam & adhuc aſtutiæ inexpertem ſimplicitatem, quomodo *Juſtinus lib. 2. à pr. Macrob. 2. in ſomn. Scip.*

2. Neque plus originali integritati, à ſacris literis proditæ, adſcribere videtur validiſſimus Philoſophiæ civilis doctor ὁ μέγας, Grot. *in lib. 2. c. 2. §. 2.* ut ſtatus integritatis nihil fuerit quam ἁπλότης ac ejusmodi ἀφθαρσία, *qualem* ait, in *quibusdam populis Americanis hodieque videmus*, & quæ opponitur, ita pergit Grotius, à Paulo Apoſtolo τῇ πανουργίᾳ, quæ eſt calliditas & verſutia multo tempore & uſu acquiſita, quam vult homines primævos ſenſim, habitu multarum actionum contraxiſſe.

3. Prorſus eodem modo, quo ab aliis, diverſæ profeſſionis, doceri cœpit aliquandudum, Originalem corruptionem non conſiſtere in ipſis facultatibus mentis, Intellectu & Voluntate, verum in affectibus & uſu habituque inde contracto, qua de re diximus in *libr. de Ratione & Scripturâ, ſect. 3. c. 9. p. 198. Adde part. 2. Digreſſ. l. 1. c. 5. n. 5.*

4. Sed è ſacris literis conſtat, o) integritatem hominum primævam non tantum conſti-

tiſſe

n) credidere) *Rectè crediderunt, non ſciverunt, nec ſcire potuerunt. Eſt enim doctrina de ſtatu integritatis tota articulus fidei, etſi reperti fuerint qui id negaverint.* vide Inſtit. Jurispr. Div. l. 1. c. 2. §. 12. lit. h.

o) conſtat) *Etſi JCtus non poſſit vitio verti, ſi in doctrinâ juris naturalis de ſtatu integritatis tractent, poſtquam ex Theologis inventi ſunt, qui lumen naturæ & articulos fidei miſcentes fundamentalem propoſitionem juris naturæ quæſiverunt in convenientiâ cum ſtatu integritatis;* vid. Inſt. J. D. d. l. §. 17. 18. 19. *melius tamen faciet, ſi eâ de re abſtrahat, partim quia in doctrinâ de ſtatu integro infiniti ſunt diſſenſus Theologorum, ex parte inde orti, quod*

tiſſe in validâ ſanctictate juſtitiâque efficace *ad Ephes. 4. v. 24.* ubi conditum eſſe hominem tradit Apoſtolus ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας, *in juſtitiâ & ſanctitate verâ*, ſed etiam εἰς ἐπίγνωσιν κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν; *ad cognitionem ſecundum imaginem creatoris ſui ad Coloſſ. 3, 10.* Cujus intelligentiæ non poteſt eſſe majus & excellentius ſpecimen, quam fuit denominatio omnium rerum ab Adamo facta recens creatarum, à Moſe relata: quæ nonniſi divina virtute virilique perſpicaciâ & promptitudine committi potuit.

5. In hac juſtitiâ, ſanctitate, ingenio & judicio, juxta dominium in cætera terrena, imago Creatoris reluce[illegible] *dictis locis & Geneſ. 1. 27. II. Corinth. 3. [illegible].* intelligi poteſt. Quam imaginem ſi primi homines in mutuâ & eximiâ charitate cuſtodiviſſent, imperio civitatis vix opus fuiſſet, per ea quæ canit Ovid. *fab. 3. Metamorph. 1.* niſi, quatenus ad communicandas utilitates & confuſionem vitandam ordo aliquis non fuiſſet non neceſſarius. p)

6. Nec ideo probanda videtur eorum ſententia, qui ante lapſum & corruptionem humani generis, nullum Juri Naturæ locum fuiſſe diſputant. q) Tametſi enim nulla tunc eſſet vitiorum experientia, Dei tamen & proximi amor officia conſentanea dictabat & contraria excludebat, quâ de re dix. in *præd. cap. 5. Digreſſ. n. 3.*

7. Enim vero ſatis magnum futurum fuiſſe diſcrimen inter jus Naturæ, quod in ſtatu integritatis fuiſſet, & quod nunc obtinet in ſocietate humana, facile conſtitui poteſt, quod explicat D. Puſendorffius in *præfat. de off. hom. & civ.*

8. Ex illa perfectione judicii & voluntatis, quæ fuit in hominibus primævis, non ſenſim homo adſuetudine facinorum, ut Grotium aliosque periculoſe ſentire diximus, ſed incontinenti à Creatore ſuo eſt alienatus *arg. v. 1. 2. c. 5. ad Rom.* idque breviſſimo tempore poſt creationem accidiſſe, ratio & ſcriptura credere jubent *arg c. 1. Gen. v. 28, & 31. C. 2. in fin. & c. 3. in pr. quod explicitum in d. cap. 5. Digreſſ. n. 4. in fin.*

9. Imminuta tamen, non extincta fuit imago numinis, ſive lux infuſa mentibus, quâ turpia & honeſta diſcernerentur, *ad Rom. c. 1. v. 18. & ſeq.* Quæ propagato genere humano, auctisque uſu promiſcuo judicii illius objectis magis magisque ſemet exeruit, docente experientiâ; ne de renovatione hominis per ſpiritum Dei in Chriſto loquamur, *d. cap. 4. ad Epheſ. & 3. ad Coloſſ.*

10. Ad lumen illud pertinet Jus naturale, quod eâ ratione totum imaginis divinæ rectè dicitur, ut Cicero *lib. 1. de Legib.* de hoc agens; *Eſt igitur homini cum Deo ſimilitudo*, ait, quatenus eſt conſcientia & ſculptura voluntatis divinæ *2. ad Rom. v. 14. & 15.*

11. Definitur hoc jus à Marco Tullio, quod ſit ratio ſumma, inſita à naturâ, quæ jubet ea quæ facienda ſunt, prohibetque contraria *d. l. 1. de LL* ubi legem ita quidem definit, ſed legem, id eſt, jus naturæ.

12. Rationem cum dicimus, dictamen rationis intelligimus, inter quæ non facimus diſcrimen, ut vult commentator in Grotium qui r) in ſuâ definitione habet *dictamen.* Atqui dictatum rationis quid aliud eſt quam ratio dictans, jubens, ſive quæ *jubet*, ut Cicero loqui-

ſcriptura ſacra ſanè paucisſima de eo revelaverit; partim quia jus naturæ commodisſimè tradi poteſt, & absq; tantis difficultatibus, ſi ex ſolo lumine naturæ tradatur, abſtrahendo ab omnibus fidei articulis. Adde cap. procem. de Fund. J.N. & G. §.17. ſeq.

p) non neceſſarius) *Ita videlicet docuerat Autorem præceptor ejus Bœclerus* ad Grot. I. 3. p. 200. *Hic vero doctrinam hauſerat à communi Scholaſticorum ſententiâ, qui hâc falſâ doctrinâ utebantur inter alia ad ſtabiliendam ſuam Hierarchiam Eccleſiaſticam. Sed falſam eſſe hanc hypotheſin oſtenſum* in inſtit. Jurispr. div. d. c. 2. §. 37. & 38.

q) diſputant) *Vide ſupra annotata* lit. b.

r) qui) *Scilicet Grotius, non ejus commentator. Reſpicit vero Autor ad tradita Oſiandri*, ad Grotium l. 1. c. 1. th. 10. Obſ. 1. p. 175. *Adde Bœcl.* ad Grotium ibid. p. 153.

Digitized by Google

loquitur. Non opus igitur eſt, ut dicamus Jus Naturæ eſſe ipſam rationem, ut hæc certe latius patet: ſed ut ratio, quæ jubet facienda prohibetque contraria, non differat à dictato juſſuque rationis, facile non nimis arguti cenſores Ciceroni concedent.

13. *Summa* Ratio dicitur, id eſt, prima, perpetua & ſupra omnia, omnesque regens actiones humanas. *Inſita à Natura*, conſequenter ab auctore Naturæ Deo, quod ut Theologi malunt exprimi in ipſa definitione, ita nihil refragamur; nec Cicero id recuſet. Vocat enim hoc Jus *cœleſtem deſcriptionem mentemque divinam*, imo *præpotentem Deum & lib. 2. Ratio eſt recta ſummi Jovis.* plane uti Plato Τὸν Λόγον, rationem vocat τὸν Θεὸν ἐνοικὸν, *Deum in nobis habitantem, l. 8. de Legib.*

14. Diſcretio igitur turpis atque honeſti αὐτοδίδακτος eſt, ut Chryſoſt. *homil. 14. ad Antioch.* loquitur, & ſtat naturâ magiſtrâ. Euripides Τὸ νόμιμον φύσει πεφυκὸς; *Jus natura natum* Paul. *2. ad. Rom. 15. Grotius lib. 1. c. 2. n 10.* Etſi diſſentit D. Pufendorffius *lib. 2. de Jur. Nat. & Gent. c. 3. n. 13.* qui vult hoc judicium nonniſi ab informatione & exemplis oriri, quod nos hactenus quidem reſellimus in *d part. 2. Digreſſ. l. 1. c. 5. n. 5 6. 7.*

15. Quid igitur? an dicendum, *animis hominum eſſe ingenitas propoſitiones actuales, quæ præcepta ſaltem generalia, ſtatim atque uſus ſermonis acceſſerit, ſine ulteriori meditatione ſuppeditent?* Id equidem Virum Cl. negantem facile ferendum putamus, ſufficiente eo, quod ipſe dein ſubjungit, intellectui *humano talem eſſe facultatem, quâ ex conditione generis humani liquido perſpicere poſſit, quid faciendum, quid fugiendum.* Quam facultatem rationis, ſi à Deo mentibus humanis inditam, ut facit, agnoſcat, veritati & dictis Apoſtoli περὶ τοῦ γραπτοῦ ἐν ταῖς καρδίαις, de lege cordibus inſcripta ſatisfactum videtur.

16. Etſi inde non erat inferendum, illam Notitiam non cadere in hominem, niſi prævia informatione vel adſuetudine vivendi & audiendi laudes atque pœnas, ut docet *in d. §. 13.* Latius hac de re, minusque Pufendorffii rationibus adverſa collocavimus in *Eunom. Rom. lib. 1. ad §. 11. Inſt. de jur. Nat. G. & C. s)*

17. Ultima definitionis verba ſunt, *jubet facienda prohibetque contraria.* Id eſt, dictat ex ipſa

s) de J. N. G. & C.) *Nota eſt inepta doctrina Scholaſticorum de principiis connatis, quæ etiam hactenus regnavit in Academiis Proteſtantium. Ut adeò prima laus oſtenſi hujus erroris debeatur Puffendorffio, cui & propterea ſtatim controverſia fuit mota, acſi adverſus articulos fidei impegiſſet, quia videlicet negligentibus JCtis doctrinam juris naturalis, tradita Scholaſticorum etiam ineptiſſima facta fuerant articuli fidei. Sed ſtrenuè ſe defendit Pufendorffius* in Apolog. §. 24. & in ſpecimine controverſ. c. 4. §. 23. *Summam rei dedimus* in Inſt. J. D. l. 2. §. 67. ſeq. *Noviſſimè illuſtris Anglus Lockius doctrinam hanc Pufendorffii contra notitias innatas ſolidiſſimè ſtabilivit* lib. 1. de intellectu. *Jam Autoris ſententiam quod attinet, ſi ſolum ea, quæ hic dicit, conſideres, videri poſſet, ac ſi larvas ſibi effinxerit, quas oppugnet, cum Pufendorffius nusquam dixerit, quod autor ei attribuit,* judicium hoc *nonniſi* ab informatione & exemplis oriri, *ut eſt in* n. 14. *aut, ut hic refertur* n. 16. *Neque enim Pufendorffius in verſic.* ſic quod etiam in pueris *&c. proponit theſin ſuam, ſed reſpondet ad objectionem. Idem in verſic.* Cæterum quanquam non cujusvis ſit &c. *diſertè opponit excellentia ingenia, mediocribus & vulgo. Quodſi vero evolvas ea quæ autor in digreſſionibus & Eunomiâ Romanâ diſſeruit apparebit, eum priori loco nimis inclinaſſe adhuc ad communem ſententiam, in poſteriore jam propius inclinaſſe ad ſententiam Pufendorffii. Hic vero, ne ipſe ſibi contradicere videretur, maluiſſe culpam conjicere in doctrinam Pufendorffii.* Nam *quæ hic n. 15. Pufendorffio concedit, diſertè negaverat in* digreſſ. d. l. §. ult. in fine *ſtatuens præcepta generalia æqui & honeſti naturâ innata eſſe, quæ poſteà uſu rationis augeſcente ad ſimilia producantur.*

Digitized by Google

ipſa naturali ratione, cuivis actui ineſſe t) neceſſitatem aut turpitudinem moralem, ideoque eundem eſſe vetitum vel præceptum, ut Grotius loquitur in *l. 1. c. 1. n. 10.* eaque dictamina quatenus reſpectum hominum inter ſe mutuum continent, etiam ſingulis parendi neceſſitatem quæ ab aliis exigi poſſit, injungunt; Alioqui deſinerent eſſe quod ſunt, *Leges & regulæ.*

18. Vis quidem obligandi in his quæ Conventionem, ex qua proximè naſcitur obligatio præcedunt, non niſi à ſuperiore, qui Deus heic eſt, unicè poteſt oriri. u) Sed non convenit, quo reſpectu, vel qua virtute Dei nitatur obligatio juris naturæ in animos hominum; Sunt enim qui potentiam inreſiſtibilem habent pro cauſâ unicâ; ſunt qui beneficia Dei in hominem. Alii τὴν ὑπεροχὴν & eminentiam Numinis; Alii denique dominium Dei & poteſtatem herilem pro cauſa hujus obligationis habent adæquata.

19. Prima eſt Hobbeſii ſententia *c. 15. de Cive n. 5.* Secunda Puſendorffii *l. 1. c. 6. n. 12. de J. N. & G.* Tertia plurium Theologorum eamque diſerte adſtruit exactiſſimi Vir judicii Hermannus VVitſius *l. 1. de Oecon. fœd. c. 1. n. 14. Cap. 3. n. 8. & C. 5. n. 35.* Quarta ſententia Socinianis adſcribitur, interque eos Volkelio & Crellio, contra quos reverendus VVitſius diſputat in locis citatis.

20. Quod ad priorem attinet ſententiam, obligatio Juris obſtringens animos *ἀναγκαστικὴν δύναμιν, vim coactivam* habere quidem debet, at non ſolam; hæc fluere debet ex alia ratione convincens ſubjectum imperio, quod etiam parere debeat; cujusmodi nihil eſt in potentiâ inreſiſtibili: tametſi Hobbes teneat, jus imperandi ab ipſâ potentia derivari; verum ſicut unicuique jus eſt dominandi quatenus poteſt, ſi fiat, ut poſſit, vel ſe poſſe putet: Cujusmodi mutua facultas ſaltem potentialis, cum obligatione jubendi parendíque inter Deum & homines nullo modo conſiſtere poteſt.

21. Potentiæ igitur inreſiſtibili aliud oportet accedat, quod recte animadvertit D. Puſendorffius *l. 1. c. 6. n. 16.* ubi; *ſed accedere inſuper oportet, ut aut ab iſto,* cui pareamus, *inſignia quædam bona ſint in me profecta, aut ut ipſe ultro in ejus directionem conceſſerim.* Poſterius heic uſu non venit, quia legem naturæ conſideramus ſine reſpectu ad ſubmisſionem voluntariam. Magnitudo autem beneficiorum acceptorum non poteſt eſſe cauſa neceſſaria ſubjectionis x) quam quærimus; ſed eſt invitamentum ad voluntariam ratione gratitudinis, etſi ne hæc quidem univerſæ obedientiæ legem abſolute flagitet; Alioqui & inter homines idem ſuo modo ſtatuendum foret.

22. Ne quidem hæ duæ res junctæ adæquatam obligationis cauſam efficere videntur; nec idem facit ὑπεροχὴ ſive eminentia Dei ſuper omnia

---

t] ineſſe) *Nota controverſia Puſendorffio mota, cum negaret communem doctrinam Scholaſticorum, quod objectum juris naturæ ſint actiones in ſe & per ſe ac antecedenter ad voluntatem divinam honeſtæ vel turpes. Succinctè eam cum defenſione ſententiæ Puſendorffianæ recenſuimus* in Inſtit. Jurispr Div. l. 1. c. 2. §. 74. ſeq. *Sed noviſſimè monſtravimus modum conciliandi hanc pugnam* in Fundam. J. N. & G. l. 1. c. 5. n. 51. 52.

u] oriri) *Ita eſt, ſi definitionem juridicam obligationis aut ſimilem retineamus, quod & ipſi fecimus* in Inſt. J. D. l. 1. c. 1. §. 134. 135. 136. *ſed re curatius inſpecta & definitione obligationis emendatâ ſecundum doctrinam* obſerv. 17. Tom. 6. Obſerv. ſel. Hallenſ. *poterit fundamentum obligationis omnis deſumi ex naturâ ipſius voluntatis, abſtrahendo à relatione hominis ad Deum, ſcilicet in naturali inclinatione voluntatis ad appetendum bonum, & fugiendum malum.* Adde Fundam. J. N. & G. c. 4. *Et ſic poſſunt evitari quæſtiones quas hic auctor tractat in ſequentibus, ſubtiliores magis quàm utiles.*

x) ſubjectionis) *Vereor, ne ſic mutetur ſtatus controverſiæ. Nam obligatio ad parendum benefico eſſe poteſt ſine ſubjectione, fluens ex naturâ gratitudinis & legibus amicitiæ inæqualis. Et videtur adeò miſcere autor obligationem in genere vel in ſpecie etiam obligationem reverentiæ & obſequii, cum obligatione ſubjectionis & obedientiæ.*

omnia creata. Nam hæc quidem valde probabilis, ſed non explettix imperii & ſubjectionis inter Deum & homines cauſa videtur eſſe, vi magis ſvadendi profundam venerationem, quam obediendi neceſſitatem imprimens. *Eminentia Dei eſt eſſentiale ejus attributum Deoque ineſt licet creaturæ nullæ extarent*; ait ipſe Vir Rev. ideoque per ſe non infert creaturæ rationalis ſubjectionem. Esſet eadem eminentia, ſi Deus, ut Epicurei volunt, res humanas non curaret; quâ tamen hypotheſi, impia ſcilicet, eminentia ſine tenore ſubjectionis eſſet. Denique, nec angelis, nec hominibus utcunque eminentiſſimis, nec homini in beſtias ob eminentiam, ſed propter dominum jus imperii eſſe manifeſtum eſt.

23. Non poſſum adeò pedem figere in adſignanda ratione perfecta obligationis, qua homo teneatur ad parendum dictatis Dei, quam in *Dominio*, quod eſt libera de re noſtra diſponendi poteſtas, adeoque in dominio herili y) nec enim aliud dominium proprie dictum datur. Qui juſta ex cauſa domino ſubjectus eſt, ſine dubio tenetur ad obſequium ejus imperiis præſtandum, animique voluntatem conſcientia cauſæ ad ſubjectionem habet obligatam. Deum autem inde à creatione factum eſſe dominum, nec unquam eſſe deſiiſſe, nōn eſt quod adverſus eos, qui Deum eſſe fatentur, probemus *ad Rom. 9. v. 20. & 21.* Si hæc eſt Socinianorum z) hypotheſis, ac inde neſcio quas illi conſequentias nectant, eas ut minime neceſſarias aut inde dependentes repudiamus, easdemque removimus in *Part. 2. Digreſſ. lib. 1. c. 6. in fin. Ubi* per omne caput illud, hanc ſententiam adſtruximus.

24. Neceſſitas obligationis ex jure naturæ eſt immutabilis, ut inter omnes conſtat; ſed an immutabilitas illa reſpectu hominis duntaxat, an vero etiam reſpectu Dei accipienda ſit, ut nec ille de juris naturæ præceptis *diſpenſare* queat, hæc eſt ulterioris indaginis quæſtio, de quâ nonnihil inferius a) collocabitur.

25. Sed hoc loco non eſt omittenda diſtinctio juris naturæ, quâ dicitur aliud eſſe *præcipiens*, aliud *permittens*, aliud *ſuadens*. Præcipiens eſt id, quod proprie definitioni juris naturæ convenit, circa ea, quibus ineſt aut neceſſitas aut turpitudo moralis; & hoc eſt immutabile; quippe à ſculpturâ divinâ hominum animis impreſſum.

26. Jus permittens continet ejusmodi facultates, è quibus naturaliter aliquid habere vel agere licet, ut nec ab aliis impediri poſſit: verum ita, ut ad exercitium illarum nemo te-

y) Herili) *Contrarium ut puto oſtendi in* d. obſerv. 27. & in c. 5. fundam. J. N. & G. *Scilicet jus naturæ eſſe legem divinam, quatenus Deus conſideratur ut pater, non ut herus. Imo eſſe hanc hypotheſin Autoris parum aptam ad conciliationem cum doctrinâ de naturali & intrinſecâ turpitudine actuum contrà jus naturæ, dictum* eod. c. 5. n. 51. 52.

z) Socinianorum) *Tutius ergo tota controverſia omittitur, ut non opus habeamus litigio inutili & ad diſciplinam juris N. & G. parum pertinente. Neque enim tales ſunt, qui cum Socinianis de hâc controverſiâ diſputant, ut eorum Zelus facile placetur cautelis, quas Autor hic memorat.*

a) inferius) *Ubi? Nam quæ de diſpenſatione infrà annotavit* l. 1. Sect. 4. c. 6. §. 81. *tam pauca ſunt, ut vix eò reſpexerit. Ergo vide quæ ea de re diſſerui* in inſt. Jurispr. div. l. 1. c. 2. §. 98. 99. 100. *& noviſſimè in* Fundam. J. N. & G. l. 1. c. 5. n. 45. 46. 47. 48. 63. 64. 68. 69. 70. *Quæ ultima parum aberunt à doctrina Autoris infrà* cap. 4. n. 18. *quorſum adeò hic reſpexit.*

neatur, ſed iis pro lubitu quilibet abſtinere poſſit; Cujusmodi eſt tutela corporis ſui, *plerumque ſane* b) procreatio ſobolis, c) occupatio rerum, quæ nullius ſunt, aliæque naturales facultates.

27. Ad jus ſvadens referuntur ea, quæ ratio ſvadet, ut meliora, non jubet præciſè: ut quod hæreditates proximis ſanguine potius quam extraneis relinquendæ ſunt; aut quæ ratio deteriora licet, non abſciſſe prohibita, judicat; ut nuptias conſobrinorum & adfinium in tertio vel etiam forte ſecundo adfinitatis gradu; de quibus rebus actum à nobis in *lib. 2. c. 20. & ſeqq. Digreſſ. p. 1.*

28. Huc etiam pertinet conſideratio, quod prohibitiones naturales habent varios gradus inhoneſti, in quibus omnibus vertitur quidem naturale jus & pudor, ut Paulus ait in *l. 14. §. 2. ff. de Rit. nupt.* ſed hoc in quibusdam adeo validum eſt, ut quæ adverſus hoc committuntur, *ἀνόσια nefaria* ſint, veluti parentum ſororumque conjugia; quædam inhoneſta, ſic, ut tamen aliquando aliter ſe habere poſſint, qualia cum fratrum viduabus conjugia & divortia. Quædam indecora ſunt tantum nec plane prohibita, ut eſt viro alere comam; ut eſt, prodiga donatio. Ex quibus liquet, non eſſe remotam à ratione diſtinctionem, inter honeſtatem & neceſſitatem moralem, quæ ab aliis improbatur, d) *ut demonſtratum eſt, in part. 2. Digreſſ. l. 1. c. 7.*

CAP. III.

QUO JUS NATURÆ HOBBESIANUM EXAMINATUR.

Summa Juris naturalis Hobbeſiani. Originem civitatum eſſe à metu & æmulatione mutua. n. 1. Quemque in ſtatu naturæ habere jus faciendi quod velit. n. 2. Ab hoc ſtatu recedendum per pactionem. n. 3. Et per conſenſum majorem, qui eſt imperium Civitatis. n. 4. Statum naturæ nunc eſſe inter diverſos populos. n. 5. Conceditur poſitio, ſtatum naturalem eſſe ſtatum belli. n. 6. Illuſtratur exemplo Friſiæ ſuperiorum temporum. n. 7. Cauſam civitatum eſſe etiam, deſiderium ſocietatis naturale. n. 8. Probatur hoc & refel-

b) plerumque ſane) *i. e. quamvis ad tutelam corporis ſui homo ſuo modo, obligetur, iſta tamen obligatio ſuam latitudinem habet, ut magis pro jure, quam pro obligatione haberi debeat, contra abuſus doctrina ſcholaſticorum, quos notavi* in inſt. jur. div. lib. 2. c. 2. §. 67. & multis ſequentibus additis emendat. in fundam. J. N. & G. l. 2. c. 2. n. 9. ſeq.

c) procreatio ſobolis) *Etſi ſcholaſtici communiter referant ad jus præcipiens. Contra quod diſputatum* cap. 2. & 3. lib. 3. inſt. juriſpr. div.

d) ab aliis improbatur) *Diſtinctio inter honeſtatem & neceſſitatem moralem non ſenſibilius intelligitur quam ex doctrina noſtra de differentiis principiorum honeſti juſti, decori tradi-tis* de Fund. J. N. & G. l. 1. c. 6. *unde & oritur differentia inter obligationem internam & externam de quâ* obſ. 27. Tom. VI. obſ. Hallenſ. & de Fund. J. N. & G. l. 1. c. 4. n. 61. ſeq. *Cæterum de exemplis quæ Autor de jure ſuadente hic dedit* n. 27. & 28. *commodior erit dicendi locus infrà* ad lib. 2. ſect. 1. c. 3. n. 41. ſeq. item ad ſect. 6. ejusd. l. 2. c. 7. n. 5.

Digitized by Google

& refelluntur exceptiones Hobbeſianæ. n. 9. 10. Hinc ſequi, poſitiones huic ſocietati repugnantes non eſſe juris naturæ. n. 11. 12. Ac inde collabi regulas juris naturalis Hobbeſiani. n. 13. 14. Etſi verum ſit, illas facto uſuque inter homines frequenter obtinere. n. 15. Refellitur argumentum ejus à divinâ potentia. n. 16. *Repetitio ex editione priore.*

THomas Hobbes Anglus aliam juris naturalis indagandi viam multis impenſe laudatam ingreſſus eſt, *in libro de cive*, cujus hæc fere ſumma eſt; Originem civitatum non tam eſſe à naturali deſiderio ſocietatis, quam à mutuo metu, propter Hominum æqualitatem & earundem rerum appetitum; unde naſcitur ingeniorum æmulatio & mutua lædendi voluntas, adeoque *bellum omnium contra omnes*, in ſtatu naturali *c. 1. n. 1. 6.*

2. Contra hæc, ſibi quiſque cavere ſtudet & ſe ſuaque tueri, talibus mediis quæ judicat eſſe neceſſaria, quod arbitrium cuique pro ſe debetur. Nec enim alius in ſtatu æquali, ſicut eſt per naturam, alterius judex eſſe poteſt; unde quiſque jus habet faciendi quod libet, & quod poteſt, per vires; nec quiſquam cuiquam facit injuriam, etſi cogat eum ad quidvis patiendum, *& omnes jus in omnia habent*, quod dum abit in infinitum, ſtatus belli omnium in omnes eſt inevitabilis *n. 7. 8. 9. 10. & ſeqq.*

3. Ab hoc ſtatu naturali recedere jubet ratio, quæ ſummam hanc legem naturæ dictat, *non eſſe ſubſiſtendum in jure omnium ad omnia.* Recedi autem ab illo jure per pacta, utrimque, vel ab alterâ parte impleta; quippe nuda pacta invalida eſſe in ſtatu naturæ *cap. 2.* Hinc aliam & præcipuam naturæ legem oriri, pacta eſſe ſervanda, quorum violatio ſit injuria, cum ante pacta nihil injuriæ committatur *c. 3. ubi in fin. n. 4. Injuria niſi poſt juris in alium translationem exiſtere non poteſt*, inquit.

4. Pactio non potuit receſſum à jure omnium in omnia, id eſt, à ſtatu belli præſtare, niſi magna multitudo rationem iniret, quâ omnium voluntas una fieret, quod eſt fundamentum civitatis & Imperii; A quo leges civiles, tanquam pactiones civitatis proficiſcuntur. Atque ita cum ante receſſum à ſtatu naturæ nulla facultas injuriæ cuiquam faciendæ fuerit, *ex lege civili ſola colligendum eſſe, quid fas, quid nefas, bonum aut ſceleſtum ſit. Quid*, ait iterum, *furtum, homicidium, adulterium & injuria ſit, id ex legibus civilibus cognoſcendum eſt, nec aliter ſunt talia, quam ſi per has talia declarentur, in cap. 6. n. 16.*

5. Ne quis autem ea, quæ de ſtatu naturali docet Auctor, uſu carere putet hiſce temporibus, ſciendum, omnes civitates, omnesque populos non uni ſubjectos Imperio, in ſtatu naturali verſari, ut docet Hobbes, cum alibi tum *cap. 13. n. 7. Status civitatum inter ſe*, inquit, *naturalis, id eſt, hoſtilis eſt, neque ſi pugnare ceſſent, idcirco pax dicenda eſt, ſed reſpiratio in quâ hoſtis alter alterius motum motumque obſervat, & ſecuritatem ſuam non ex pactis, ſed ex viribus & conſiliis æſtimat.* Ac ita diverſæ gentes hominesque diverſarum gentium ex jure naturæ ſibi nullam mutuo faciunt injuriam; ſed jus habent potentiores, cogendi imbecilliores ad dandum & faciendum quicquid libet. Quæ plura de naturæ legibus habet ad pacem colendam, poſt receſſum à ſtatu naturæ, heic loci à nobis excerpi non poſſunt.

6. Videamus, quid ex his rebus concedi poſſit, quid negandum ſit Hobbeſio. Enimvero naturam hominum eſſe tam corruptam, ut alter alterum oderit, alius alium ſubigere, ſpoliare, occidere velit, ſi detur facultas, in univerſum negari non poſſet, experientia literisque ſacris id abunde probantibus. Ideo, ſi ſtatus naturalis ſine imperio civitatis alicubi durabilis exiſteret, non eſt dubium, quin ibi dominaretur bellum omnium adverſus omnes

ut exemplo non modo gentium barbaricarum, ſed noſtræ quoque Friſiæ recenti documento probari poteſt. e)

7. Nam celebris illa gentis noſtræ libertas, quæ poſt tempora Caroli Magni, nullum principem domeſticum aut alienigenam paſſa erat, tandem in reſolutam omnium ordinum licentiam, ſine ulla poteſtate coactivâ vel unius, vel plurium, degeneravit. Quâ conditione per integrum fere ſeculum vixere majores noſtri in veriſſimo ſtatu belli omnium contra omnes, ſciſsâ gente totâ in duas quidem factiones ſummas; verum ita, ut ſine ſedibus certis per omnem provinciam gladii micarent: Sibi quisque nobilis & paterfamilias viribus ſuis fidens, clientibus amicisque in auxilium adſcitis, auctor & dux pugnæ arcibus contra turres in eâdem viciniâ ubique erectis atque munitis: plerumque bellum ſine legibus belli; nec modo cædes & ſanguis in rabie præliorum; ſed etiam in captos ſævitia carceres inhumani, deformia ſupplicia & quicquid furor civilis odiumque efferatum audet, ſine fine modoque exercitum. Nec alius è tantis malis exitus quam per unius Imperium adductius & validius, quod primum à Saxonibus, dein ab Auſtriacis ſupervenit, inveniri potuit.

8. Non recuſamus igitur f) primam poſitionem Hobbeſii ſummam, quod *ſtatus naturalis ſit bellum omnium contra omnes.* Nec alteram inde oriundam, *mutuum metum in cauſa fuiſſe, ut homines de ordinatis ſocietatibus, quâ ſe adverſus injurias invicem & ab aliis inferendas tuerentur*, cogitarent. Sed hæ duæ theſes conceſſæ non averſantur alias duas, quæ ſimiliter conceſſæ vel approbatæ, plerasque malas conſecutiones ab illo poſtulatas occupant & ſubruunt. Prima ſit, *nativum ſocietatis amorem hominibus juxta metum, pariter fuiſſe cauſam ineundæ civitatis.* g) Altera; Libidinem violandi, ſubigendi, *ſpoliandi alios in ſtatu naturali, non poſſe jus vocari, ſed etiam tum fuiſſe veras injurias.* Poſterior è probatione prioris reſultabit.

9. Quod ad primam poſitionem à nobis additam ſpectat, Hobbes ipſe concedit, *homini ſtatim atque natus eſt, ſolitudinem perpetuam eſſe moleſtam*, nec adeo negat, *alios aliorum congreſſum, naturâ cogente*, appetere, in *not. ad d. cap. 1.* Sed exceptio pro acumine viri admodum inexpectata eſt; Ait enim, fœdus, quo civitates contrahuntur, non capi ab infantibus, cujusmodi cum omnes ſint homines editi à naturâ, manifeſtum eſſe, *cunctos homines ad ſocietatem civilem ineptos eſſe natos, in dd. not ad cap. 1.*

10. Quid enim hoc? *Cum homines ad juſtitiam eſſe natos* dicimus cum Cicerone 1. *de Legibus*, hoccene aliter quisquam exaudiet, quam ad uſum exercitiumque juſtitiæ requiri, ſcilicet, ingenii judiciique maturitatem infantiæ involucris explicatam? Nec hoc quidem obſtat, quod dein movet in *eodem loco* per-

e) poteſt) *Hic ante omnia tollenda ambiguitas in voce omnis. Hobbeſius eam ſic videtur ſuppoſuiſſe, ut denotet ſecundum ſtilum ſcholæ ſingulos generum, quod patet ex ejus jure omnium in omnia, ubi haud dubiè ſingulos intelligit. Sed Huberus videtur intellexiſſe genera ſingulorum. Utique ſi exempla ab eo data reſpicias. Neque enim usquam apud gentes barbaricas aut in ſpecie in Friſia ſinguli pugnarunt cum omnibus, ſed ut ipſe loquitur §. 7. fuere factiones. Adde etiam exemplum Germaniæ tempore interregni illius tàm diuturni & poſteà ad noſtra usque tempora.*

f) igitur) *Nos vero recuſamus, & Autor quoque recuſare debuiſſet, quia ejus ſententia per modo dicta à doctrinâ Hobbeſii planè eſt diverſa. Falſam eſſe ſententiam Hobbeſii oſtendimus* de Fund. J. N. & G. c. 3. n. 55. 56.

g) civitatis) *Latius hanc doctrinam Autoris contra commune dogma ſcholaſticorum defendi* in inſt. J. D. l. 3. c. 6. §. 7-19.

permultos homines vel animi morbo vel defectu diſciplinæ, per omnem vitam ineptos ad ſocietatem manere. Ne hoc quidem Cicero *in loco prædicto* ignoravit, ubi cum *juſtitiam naturâ conſtitutam eſſe* dixiſſet, *imbecilles tamen animos*, monet, *à depravatis conſuetudinibus opinionumque vanitate torqueri & quocunque cœperint flecti, inclinare.* Nec enim ea vis eſt rationis, ut affectibus corrumpi agique in tranſverſum nequeat; nec quod in multis hominibus id ita uſu venit, ideo quod verum & rectum eſt, deſinit eſſe rationis dictamen.

11. Quod ſi verum eſt, ut per inaniſſimas Hobbeſii exceptiones non deſinit eſſe manifeſtum, homines in ipſo naturali ſtatu cupere ſocietatem & conjunctionem cum aliis, non poteſt fieri, quin neceſſario rationis dictamine, cognoverint, vim non eſſe faciendam immerentibus, non eſſe vexandos, ſpoliandos, qui vim nullam feciſſent nihilque in te peccaſſent; ſic enim non poſſe coaleſcere ſocietatem, quâ carere nec poterant, intelligebant. Dominia rerum ſtatim inter homines, antequam civitates conderentur, incepiſſe, longiuſque ſenſim provecta fuiſſe neceſſum dictu eſt. *Quod enim quilque dum nullius eſt occupat, id naturali ratione, quæ cum ipſo humano genere prodita eſt, fieri occupantis,* nec id ei eripere fas eſſe, res loquitur, non minus quam Juſtinianus *in §. 11. & 12. Inſt. de Rer. diviſ. & A. R. D.*

12. Idem de reliquis naturæ rationalis dictatis; ut quod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris; honeſte vivendum, alterum nullo modo lædendum eſſe, quæque ſimilia tuendæ ſocietati neceſſaria ex immediato rationis inſtinctu profluunt, tenendum: eaque dictata leges ſunt, propter conſcientiam voluntatis divinæ, de qua *præcedenti capite* dictum. Ejuſmodi concluſiones Apoſtolus in animis gentilium vocat δικαιώματα Θεοῦ, *jura Dei*, quæ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε, Deus ipſis manifeſtavit, per quæ ἑαυτοῖς εἰσὶ νόμος, ſibi ipſis lex ſunt 1. *ad Rom. 19.* συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, *conſcientiâ illorum conteſtante.* Unde colligitur hæc definitio; quod concluſiones juris naturæ ſunt, *jura Dei hominibus à Deo manifeſtata, per quæ ſibi ipſis Lex ſunt & in conſcientia* h) *ſe devinctos ſentiunt.* Cumque ſint officia pleraque aliis erga alios, qui omnis eidem rectori Deo ſubjecti ſunt, injuncta, & mutuo præſtari ſolita; per leges illas alii aliis obligati ſunt, etiam ſine præviis pactis & ſine reſpectu ad ordinem civitatis.

13. Unde ſubrutæ corruunt hæ poſitiones; *Ante pacta nihil injuria poſſe committi; In ſtatu naturæ unicuique licere facere quæcunque & in quoſcunque libeat; Quid fas & nefas, honeſtum an inhoneſtum ſit unicè pendere à lege civili;* quod multo rectius & divinis oraculis rectæque rationi convenientius *Ariſtot. l. 1. Rhetor. c. 13.* Ἔστι γὰρ τι φύσει δίκαιον καὶ ἄδικον, κἂν μηδεμία κοινωνία πρὸς ἀλλήλους ᾖ, μηδὲ συνθήκη; *Eſt enim* ait, *commune aliquod per naturam, juſtum ac injuſtum, etſi nulla ſocietas, inter homines & conventio exſiſtat.* Sed Ariſtotelem fruſtra adverſus Hobbeſium adducimus. Rationes à nobis adductas puto eſſe evidentes & verbo Dei firmatas; ſcilicet, leges eſſe à Deo inſculptas animis, quibus homines inter ſe à ſuperiore communi, etiam ſine conventionibus obligantur. Quod autem contra leges fit, hoc eſſe nefarium ipſe fatetur & ponit in *cap. 4. & paſſim.*

14. Verum quidem eſt, quod jus cuique ſit, vitam membraque ſua tueri mediiſque ad hoc efficiendum idoneis uti; ſed non eſt verum, *quemque pro ſe judicem eſſe, quæ media ad eum finem adhibenda ſint, idque adeò in infinitum, ut unicuique facere liceat quod libet, idque jus naturale ſit.* Judicem agere ſui ipſius de mediis ad ſalutem neceſſariis utilibuſque, non

b) in conſcientiâ) *Bene, modo non cujuſque conſcientia fiat norma juris naturalis, quod fieri commodè non poſſe, oſtendi* in fundam. J. N. & G. lib. 1. c. 4. n. 15. ſeq. Adde inſt. J. D. l. 1. 56. ſeq.

non eſt ita animum inducere, ut aliquis pro libidine fingat, hoc aut illud ſibi expedire, ſed ut vere rectâque duce ratione judicet, hoc aut illud, ſine læſione ſocietatis humanæ ſe facere poſſe, tuendi augendique ſui gratiâ. Verum ut menſura juris ſit utilitas & potentia, quod Hobbes urget, in ſtatu naturali, melius convenit immani *Brenno* id ipſum adfirmanti apud *Plutarchum in Camillo*, *πρεσβύτατον τῶν νόμων ἐκ φύσεως*; primam naturæ legem eſſe, *πλέον ἔχειν τὸν κρείττονα τῶν ὑποδεεστέρων*, *ut validior plus quam imbecillior habeat.* Vel ut idem apud Livium *lib.* 5. *Omnia eſſe Virorum fortium*; melius huic, quam Philoſopho inquam.

15. Conſuetudinem hanc eſſe hominum, *οὗ ἂν κρατῇ ἄρχειν.* *Ut potentior imperet iis quibus poſſit*, ut Athenienſes ad Melios *Thucyd. l.* 5. & bellum omnium contra omnes dari perpetuum in ſtatu naturali, hoc eſt, extra unius imperium civitatis, antea conceſſimus & res loquitur, alium non fuiſſe nec eſſe verum hujus mundi ſtatum inde ab initiis humani generis. Platonis dictum eſt ſub perſona Cliniæ Cretenſis in *lib.* 1. *de Legib. à pr.* *Πάσαις πρὸς πάσας τὰς πόλεις ἀεὶ πόλεμον ἀκήρυκτον κατὰ φύσιν εἶναι.* *Cunctis Civitatibus perpetuum contra ſe mutuo bellum naturaliter eſſe non indictum.* Sed hanc corruptionem humanæ naturæ, jus, quod à ratione dividi nequit, appellare, quod omnes ſine inſtitutione norunt eſſe nefarium, nemo ante Hobbeſium, dixit, opinor. Plato ſane longe aliter in *d. l.* philoſophatur, docetque id agendum eſſe per naturam, *πολεμίους εἶναι πάντας αὐτοὺς σφίσιν αὐτοῖς*, ut quisque bellum adverſus ſuas libidines gerat.

16. Denique, non juvat Hobbeſium, quod à divina potentia ad ſtatum humani juris argumentatur. Nec enim à potentiâ ſola jus Dei in cuncta creata deducitur: Sed ex eo, quod Deus cuncta proprietate dominii complectatur; quod homini in hominem ſine cauſa præcedente nullo modo tribui poteſt. Præter quod ab infinita Dei bonitate, ſapientiâ, juſtitia, omnipotentiæ junctis, ad humanam imperfectionem nulla ratio conſequentiæ valet. Adde part. 2. Digreſſ. l. 1. c. 8. nec minus editionem primam librorum de *Jure Civit. cap.* 3. cujus *dicta* jam ſequuntur, in quibus ſi quid recurrat, non erit otioſum, ſpero. Sic ibi fuit;

1. PRoinde, ſi juris naturæ illud eſt demum, quod ratio neceſſaria præcipit aut prohibet, ſequitur, non recte ſtatui fundamentum juris naturæ illud eſſe ſolum, quod periculoſæ Auctor philoſophiæ docet, *ut quisque vitam & membra ſua, quantum poteſt, tueatur.* Hobb. de cive. *tit.* 2. *c.* 1. *§.* 7. *inf.* Hoc enim neque præcepti neceſſitatem ſemper, neque omnino ratiocinationem, quatenus primum eſt, quod utrumque in juris principiis requiritur, deſiderat.

2. Etenim eſt hoc primum juxta eam naturam, quam communem habemus cum brutis animalibus, quibus æque illud inſitum eſt, adeoque eſt *ἐκ τῶν πρώτων κατὰ φύσιν*, quæ ut differant à jure naturæ *dix. in Digreſſ. l.* 1. *c.* 11. Tamen, ſi vis ita, dici quoque poteſt fundamentum juris naturæ illud ipſum; at ſenſu diverſo. Nam præter quod jus ſignificat regulam actuum moralium, quâ obligamur ad id quod rectum eſt, ut initio, *ca.* 1. dictum, magni quoque & crebri uſus eſt altera ſignificatio, quam & ibi collocavimus, quâ dicitur, *facultas aliquid habendi aut agendi*, ut eſt jus dominii, jus herilis, jus patriæ poteſtatis. *Grot. l.* 1. *c.* 1. *§.* 4. Ejusque juris ſi tu primum quæras principium, nullum prius reperies, quam id quod vitam & membra quemque ſua tueri docet. Cui ſane convenit, *ut quisque jus habeat omnibus utendi mediis & agendi quidlibet, ſine quo ſe conſervare non poteſt*, ut differit Hobb. *c.* 1. *§.* 8. *Ejusque rei quisque etiam naturaliter judex eſſe videtur*, ut ille poſtulat. *§.* 9.

3. Inde tamen non ſequitur, *jure naturæ unicuique jus in omnia competere*, ut idem vult Philoſophus *§.* 10. Primum enim aliter conce-

cedi

Digitized by Google

cedi non poteſt, niſi quatenus vita aliter conſervari nequit.

4. Nec alterum, niſi quatenus alii iniqua conditio non infertur. Nam quod idem excipit, *c. 1. §. 14. in not. & c. 3. §. 4.* ea quæ quis fecerit in ſtatu merè naturali, injuria in hominem videri neminem, id extra illas exceptiones verum non eſt, ut demonſtravit *Grot. d. præfat.*

5. Quicquid enim ille cavilletur, inſita eſt homini, ut primum ratione valet, cupiditas ſocietatis, odium ſolitudinis, ut ipſe nec ſerio negare audet *in not. ad cap. 1.* At illam ſocietatem haberi non poſſe cum licentiâ ſe invicem lædendi aliosque vexandi eadem ratio dictat. Ideo rectè dictum eſt, naturam ante omnia pacta cognationem quandam ſtatuiſſe inter homines. *l. 3. ff. d. J. & J.* Quin & regulam cœleſtis oris, *quod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris,* quâ nihil ſimplicius, in ſimpliciſſimo ſtatu naturali obtinere oportet; Quod igitur contra hæc dictamina fit, id injuriam eſſe manifeſtum eſt.

6. Minime verò deſinunt illa, quæ modo diximus, eſſe juris naturæ dictata, ex eo quod pravitas humani ingenii ad contraria auſa plerosque impellit. Nam quicquid *Hobbes* de infeſto hominis in ſtatu naturæ ingenio memorat, id eſſe veriſimum concedimus, ut corruptio humanæ naturæ *ad odium Dei hominumque* facta ſatis demonſtrat; Ut ne quidem negemus; *ſi magna hominum multitudo ſine imperio civitatis agat, eorum ſtatum nihil aliud fore quam bellum omnium adverſus omnes: civiliter,* i) *ut de longè majori generis humani parte intelligatur.* Sed inde nullo modo ſequitur, illud bellum & illas injurias jure fieri.

7. Hobbes colligit, conſociationis cauſam inter homines, mutuum eſſe metum, item ſtudium utilitatis honorisque præ aliis uſurpandi, unde liqueat, nullum ſocietatis appetitum eſſe homini naturalem. *d. cap. 1. §. 2.* Quanquam enim de *metu* negandum non eſt, eum ad conciliandas firmandasque ſocietates plurimum facere, ambitio tamen & avaritia ſerius animos hominum occupaſſe videntur, quam civitates coaluerunt, ideoque ſtudium lucri & honoris ad hanc rem non multum contulit.

8. At verò quicquid de his rationibus fuerit, certum ac evidens eſt; etiamſi nulla malorum experientia, homines alii non timerent alios, tamen ſocietatem appetituros, ſolitudinem exoſuros eſſe. Æque certum eſt, etiam eos homines, quibus necdum inradicata eſt ambitio & πλεονεξία, fuiſſe tamen & fore propenſos ad ſocietatem rei publicæ ineundam.

9. Cum igitur iſta cupiditas immediatè hominibus inſita ſit, conſequitur, & illa, ſine quibus ſocietas ſtare nequit, immediatè animis hominum obverſari. Atqui talia ſunt, *alterum non lædere, nec facere quod ſibi quis fieri nollet;* hæc enim eſſe neceſſaria ad ſocietatem colendam primo rationis dictamine & originario jure naturæ cognoſcimus, per ea quæ *præcedenti capite* de jure naturæ dicta ſunt *vid. cap. 1. ad Rom. v. 19. & cap. 2. v. 14. 15.*

10. Quin talia dictata non modo vim legum habent ex imperio Dei, *ſed exinde jus quoque naſcitur inter homines invicem,* ſicut inter cives cujusque Reipnbl. jus contra ſe invicem ex legibus oritur, ut probatum *cap. 2. n. 17. & ſeqq.*

11. Hinc falſa eſſe, quæ ab *Hobbeſio* ut hypotheſes poſtulantur, cuilibet apparet. Scilicet, jure naturæ licere uni alium invadere. *c. 1. §. 12.* Eodem jure, fortiorem poſſe debiliorem cogere, ad præſtandam cautionem futuræ obedientiæ. *§. 14.* Neque enim potentia aut excellentia, juris perfecti in alium cauſa

i) civiliter) *Hac non puto eſſe verba Hobbeſii ſed Autoris. Quodſi tamen forent, inde pateret, ipſum Hobbeſium mutaſſe ſtatum controverſiæ per dicta* modo lit. e.

Digitized by Google

cauſa eſſe poteſt. Sed ratio tantum *probabilis* juris acquirendi, poſitis terminis habilibus, ſecus ac ille vult *d. §. 14. in fin.*

12. Vult ille porrò, jure naturæ *pacem* eſſe quærendam, eò tantum, quod bellum homines ſibi incommodum experti ſint. *cap. 1. §. 17.* Sed *concordiam* vel ſine experientia bellorum eſſe *naturalem*, patet inde, quia ad ſubſiſtentiam primævæ ſocietatis, quam & ſine bello appeteremus, eſt neceſſaria.

13. Falſa quoque hypotheſis eſt, jus naturæ dictare, quod *recedendum ſit à jure omnium in omnia*, quia paci hoc noceat. *lib. 1. § 2.* Nullum enim ejuſmodi jus exiſtere dictum & probatum eſt, *niſi vita ſervandæ causâ, verâ* non ſimulata; At eâtenus natura non dictat, ab eo recedendum eſſe, pacis cauſa. Verum quidem eſt, quod ante actum voluntatis humanæ omnia inter homines communia fuerint, ut & nos probavimus *Digr. l. 4. cap. 11. & 12.* Et quod à communione recedendum eſſe ratio per experientiam edocta monſtraverit, per ea quæ *dd.* locis tradita ſunt.

14. At non ideo ſequitur, *in ſtatu naturali omnia fuiſſe & eſſe ſemper omnium*, quod Hobbes ubique urget, ac inde concludit, *quemque ſibi poſſe vindicare quidlibet.* Id ille colligit hoc modo; Status naturalis eſt, quatenus civitatem præcedit; Ita, ut conſequenter ante civitatem non poſſet intelligi *meum* & *tuum*, ut docet. *c. 6. §. 15.*

15. Contrarium ita colligimus; Ab initio generis humani cum paucitas nec confuſionem nec periculum mutuum crearet, non eſt ſtatim conſtituta civitas, ſed aliquamdiu viguit poteſtas Patrumfamiliarum, quæ per ſe naturalis fuit, non ex conſenſu neque bello; ſecus ac *Hobb. c. 10. §. 10. inf. not. c. 6. §. 15. not.* Etſi familiæ latè diffuſæ & in plures cohabitationes ſparſæ, uni tamen capiti ſubjectæ, Imperia magis quam familiæ fuerint: Quoniam familia eſt ſocietas uſus quotidiani causâ, civitas autem ſocietas domuum. *Ariſtot. L. 1. Polit. c. 1.*

16. Jam vero *meum* & *tuum* cum prima hominum multitudine proditum eſt, & ſic ante civitatem. Quod enim quisque ad victum, amictum, ad quietem aliosque *uſus incommunicabiles* occupaverat, id ratio & regulæ ſuprà collocatæ confeſtim dictabant, eſſe nefas eripi. Quo ſenſu veriſſimè dixit Juſtinianus; *quod quisque, dum nullius eſt, occupavit, id naturali ratione, quæ cum ipſo genere humano prodita eſt, fieri occupantis* §. 11. & 12. *Inſtitut. de A. R. D.*

17. Ergo manifeſtum eſt, ante civitates, notitiam uſumque *mei* & *tui* fuiſſe jam atque cœpiſſe inter homines frequentari: Et quidem duplex, *originarium & derivativum*. Originarium eſt id, cujus exempla dedimus in his quæ homines ante civitates ad neceſſarios uſus immediate ſibi ſumſerunt. *Derivativum*, quando quisque de his quæ occupaverat, volens aliquid in alium tranſtulerat; hoc enim eo modo translatum jure, nec ab eodem nec ab alio auferri poterat. Neque tantum traditione jus alteri in rem meam dare poſſum, ſed & ſignificatione quavis clarâ voluntatis. *Dix. in Digreſſ. l. 4. c. 8.* Quam ſi alter acceptaverit, nihil excogitari poteſt, quare non jus quod ego habebam, in alterum illum tranſiiſſe dicatur. Et hæ acquiſitiones atque traditiones aliquo ſaltem tempore civitates præceſſerunt, *quamdiu* videlicet *confuſio rerum vel metus homines non redegit ad Reipubl. ineundæ neceſſitatem.*

18. Præterea ſicut translatio rei corporalis dominium in alium transferebat, ita ut revocari non poſſet; eodem modo quod alius alii promiſerat, inde jus ſimile ſtipulanti acquirebatur. Quod alteri, inquam, promiſiſti, quia hoc tuo facto, jus rei promiſſæ penes illum alterum eſt, ſalvâ ratione fieri nequit, ut tu hoc alteri iſti rurſus eripias, id eſt, implere neges. Unde liquet, falſum eſſe quod Hobbes iterum tradit, aliquem poſſe jure naturæ promiſſa ab altero acceptata retractare, propter metum probabilem. *Hobb. d. C. §. 11.* Neque enim mea formido cauſa eſſe poteſt, quâ mihi liceat rem aut jus alienum uſur-

Digitized by Google

uſurpare vel ipſi detrahere. Sed eum qui juſtam metus cauſam alii præbet, poſſe prohiberi, vel cogi ad cautionem indemnitatis præſtandam non abhorret à jure naturæ.

19. Ex his jam ſequitur, ante civitates conditas etiam fuiſſe nefas, ut *alteri quis ſuum eriperet* fidemque promiſſi violaret. Conſequenter idem eſſe nefas jure naturæ inter eos, *qui hodieque nullo Reipubl. vinculo* colligantur, ut ſunt populi principesque nec mutuo ſibi, nec eidem ſupremæ poteſtati ſubjecti.

20. Quicquid enim diſputat *Hobbes* de ſtatu naturæ ante civitates, id hodieque de ſeparatis civitatibus inter ſe mutuo intelligendum eſſe docet, cum alibi, tum in *cap. 13. §. 7.*

21. Unde quam late poſitionum, quas Hobbes inculcat, uſus pateat, & quantam humano generi peſtem inferri queant, intelligi poteſt.

22. Quin ſi maxime in ſtatu naturali ante civitates nullum fuiſſet *meum & tuum*, tamen perperam juri naturæ talis retractio adſcriberetur.

23. Quia certum eſt, jus naturale non minus pertinere ad ea *quæ actus humanæ voluntatis conſequuntur*, quam ad ea, quæ omnes hominum conventiones præcedunt.

24. Quippe dictamen rectæ rationis omni mortalium ſtatui ac ætati adæquatum eſt.

25. Ideoque omnes humanæ actiones reguntur jure naturæ, quam diu ſocietas humana, etiam utique in civitate, durat *Grot. lib 1. cap. 1. n. 10.*

26. Denique jam facile apparet, eſſe falſum, quod idem docet; *quid fas, aut nefas bonum aut ſceleſtum ſit, hoc ex lege civili dijudicandum. c. 6. §. 16.*

27. Nam quia meum & tuum violari quoque poteſt ante legem civilem, palam eſt, injurias quoque per legem naturæ, citra pactiones, poſſe dijudicari.

28. Præterquam quod ea, quæ neceſſitati morali adverſantur, certum eſt, nunquam turpia eſſe deſinere, quicquid legibus ſit cautum vel non cautum, *Euripid. Quod turpe in ſeſe eſt, id nunquam fit honeſtum.* Τὸ μὴ καλὸν οὔποτ᾽ ἔφυ καλόν.

29. Enimvero quæ ad jus naturæ ita referuntur, ut ei ſaltem *non adverſentur*, aut quæ tantum *ſuadentur*, ea recipiunt mutationem.

30. Ex quibus omnibus patet, eſſe falſum illud παράδοξον, quod idem ſcriptor tradit, *quid ſit illicitum, quid furtum, homicidium, adulterium & injuria, id ex legibus civilibus cognoſci, nec aliter eſſe talia, quam ſi per has declarentur. Loco cit.*

31. Præterea ex his omnibus judicatur, an rectè ab eodem ſit dictum, *leges naturæ nullas eſſe in ſtatu naturali. c. 5. §. 2.*

31. Nam regulas, quibus in primo ſtatu actiones hominum morales reguntur, *ſuprà aliquot oſtendimus.*

33. Easque leges eſſe, quales in illo ſtatu dari queunt, nempe *regulas obligantes*, manifeſtum eſt.

34. Scil. Obligationis voce non ex arte Romanâ, quæ nullam ſine facto novit, ſed populariter acceptâ.

35. Quatenus quicquid neceſſitate faciendi aliquem obſtringit, obligare dicitur.

36. Talia, inquam, eſſe dictata cordibus hominum inſculpta ex Apoſtolo *epiſt. ad Roman. locis modo citatis* irrefragabile eſt.

37. Etſi quo pacto illa ſculptura ſit intelligenda, non omnibus æque expeditum eſt, de quo aliquid occupatum eſt in *cap. 2.* & dicetur inferius.

38. Quod autem contra legem ſit, id eſſe nefarium Hobbes ipſe *toto cap. 4. & paſſim* docet; Atqui lædere eos, qui nihil de te mali ſint meriti, eſſe contra dictamen rationis, & *hoc eſſe legem*, antea demonſtratum eſt, ſi demonſtrationis eget.

Digitized by Google

39. Idque vi, inquam dictaminis illius; quod cum jus commune ſit *à communi domino cunctis impreſſum*, jus etiam ſingulis contra ſingulos tribuit; perinde ac ejusdem Reipubl. cives ex legibus publicis ſibi invicem ſunt obligati quod jam dicere occupavimus.

40. Et ſic falſum eſt, quod Hobbes ut poſtulatum neceſſarium inculcat; Ante citraque pactiones mutuas *nihil injuriæ* poſſe committi, *cap. 3. n. 1. 2. 3. 4. & paſſim.*

41. Cæterum, ſanctiones, id eſt, leges expreſſas, *quæ cogant vel actu puniant*, non cadere in ſtatum naturæ ante civitates, res ipſa loquitur.

42. Noli tamen putare, jus in illo ſtatu fuiſſe tam inefficax, ut omni coactionis puniendique effectu deſtitutum fuerit.

43. Nam quicquid juris cuique competebat, id, ſi aliter non poſſet, manu ac vi ſibi rectè adſerebat. Quin puniendi facultatem jure naturali competere cuilibet in ſocietatis humanæ violatores, *extra civitatem*, dictu neceſſarium eſt, ut probat Grot. *de J. b. & p. lib. 2. cap. de Pæn.*

44. Hactenus quoque potentiam ad hujus juris cauſam pertinere, quod qui jus puniendi violatores humanæ ſocietatis exerceret, eum prævalere viribus oporrere; fatendum eſt.

45. Non quod potentia ſuperiorem eum conſtituebat, ſed quia omnium intererat, nihil à quoquam fieri; quominus homines conſiſtere poſſent.

46. Quod autem cujusque intererat, id erat, jus ejus, quod & exequi poterat, quatenus vires non deeſſent.

47. Quem uſum hæc Hobbeſiana adſtructa vel refutata habeant, ſi quis roget, is ad animum revocet, quod jam diximus, diverſas civitates hodieque inter ſe verſari *in ſtatu naturali*, ut Hobbes tradit *cap. 13. §. 7. & paſſim*, quibus ſi illa poſtulata applicentur, videbimus faciem mirificam rerum humanarum.

48. Non eſt equidem negandum, homines in ſtatu naturali conſtitutos ita vitam inſtituere ſolitos eſſe, nec aliter inter ſe Principes & populos agere hodiernos, nullo imperii vinculo conjunctos, ut potentior imbecilliorem opprimat & ſubigat.

49. Parum abeſt etiam, quin veteres arbitrati ſint, belli ſtatum inter populos nullo inter ſe fœdere conjunctos eſſe naturalem juris & non tantum facti.

50. Quo pertinet, quod Thucydides in *lib. 1.* refert, navigantes diverſarum nationum ſe mutuo olim ſine convitio percunctatos fuiſſe; *nunquid eſſent prædones?*

51. Imo in ipſum jus Romanum ejusmodi quid influxit: *Nam ſi cum gente aliqua neque amicitiam neque hoſpitium neque fœdus amicitiæ cauſâ factum habeamus; ſi quid ex noſtro ad eos pervenerit, illorum fit, & liber homo noſter, ab eis captus, fit ſervus eorum. Idemque eſt, ſi ab illis ad nos aliquid pervenerit. Ita* Pomponius in *l. Poſtliminii jus 5. §. 2. ff. de Captiv. & Poſtlim.* Hæc ſane juris ſunt, ſed juris injuſti & barbarici efferoque conſenſu introducti; cujus hoc veſtigium in *Jure Romano* eſſe retentum mirari licet. *k*) Quid enim rationis, ut liber homo ſine delicto, ſine cauſâ, fiat ſervus aliorum; & res noſtræ in exterorum manus delatæ fiant illorum & ſine facto noſtro à nobis amittantur; & vice

k) mirari licet) *Nos non miramur, quia plura in collectione Juſtinianea non ſolum retenta, ſed & de novo effabricata ſunt, quæ rationem rectam parum ferunt. Cur ergo de hoc miremur, cum latrocinium gentis in gentem fuerit olim communis ferè omnibus gentibus mos ac conſuetudo.* vide patris Differt. de latrocinio gentis in gentem relatam obſerv. 6. & 7. Tom. VII. obſ. Hallenſ.

vice verſa res exterorum ad nos delatæ ſine dominorum facto à nobis occupentur?

52. Cæterum, poſſet aliquis Hobbeſium ita excuſare, quod quidem neget, ex legibus naturæ ante civitates oriri jus hominum erga ſe invicem, ſed quod tamen ſtatuat, *conſcientias hominum ex illis fuiſſe obligatas:* Siquidem ait *cap. 3. n. 27. legem naturæ ſemper & ubique obligare in foro interno ſive conſcientia.*

53. Verum id evaneſcit, quando haſce leges conſcientiam obligantes ait, omnes pendere à translatione juris in alium facta; prius nullum eſſe jus nullamque juris violationem; nec videas, illum ante pactionem inter homines initam quicquam agnoſcere, quod naturaliter conſcientias obliget. *Vid. cap. 3. n. 3. & 4.*

54. Audio, qui *Grotium* optaſſe ferunt, viſa ut ſibi fuiſſet Hobbeſiana doctrina, antequam ſuum *jus belli & pacis* edidiſſet.

55. Credo, ut præmunire ſuum lectorem adverſus peſtifera, vel ut molliſſime dicam, periculoſa dogmata potuiſſet.

56. Neque enim fas eſt credi, pœnitentia pulcherrimi operis facturum fuiſſe, quod in negotio ὀρθοδοξίας admiſerat miſerrimè, dejectus infra *Crellium. Loquatur epiſt. τῶ πάνυ ſubjecta libro Crellii de ſatisfactione.*

C A P. IV.

DE JURE NATURÆ A SPINOSA EXPOSITO, CUM ALIORUM DICTIS MELIORIBUS.

Sententia Spinoſæ de jure Naturæ, qua parte cum Hobbeſio conveniat & quatenus ab eo diſcrepet, & Carneadis ſententia; n. 1-11. Refelluntur obiter. n. 12-15. Quomodo dictamen rationis ad jus naturæ inducatur. Non videri congenitum homini ad inſtar actualium propoſitionum. n. 16. 17. Nec videri omnibus ineſſe τὸ πρωτότυπον Dei. n. 18. Puſendorffii interpretatio hac parte laudatur & improbatur. n. 19. 20. 21. Ejusdem poſitiones jus naturæ inducentes, cum Grotio & Auctore de *princip. juſt. & decor.* comparantur. n. 22-26.

1. AB Hobbeſii ratione non multum abludit, Benedictus Spinoſa, in *tract. Polit. c. 2. ubi §. 4.* ponit idem quod Hobbes pro fundamento; Naturale jus eò usque ſe extendere, quo cujusque potentiam, ſine diſcrimine rationis & affectuum, quibus homines aguntur.

2. Quippe naturæ legem æque eſſe, regi affectibus quam ratione; cum illis neceſſario ſubjectus ſit, nec magis ſit in poteſtate noſtra, mentem habere ſanam quam corpus ſanum; eamque neceſſitatem eſſe æternum ordinem naturæ, ſecundum quem ſingula individua certo modo determinantur; etſi quo magis ratione ducitur, eò magis eſt liber homo.

3. Neminem in alterum quicquam habere juris, niſi quatenus eum habet in poteſtate quaſi ligatum & reſiſtendi impotem; ita quod ad corpus; In mentem nihil eſſe juris alteri, niſi quatenus uſum rationis illi intercepit, decipiendo; Ceſſante vi vel deceptione, jus alterius in alterum æquè ceſſare.

Digitized by Google

4. Proinde nec fidem alteri datam diutius obligare, quam voluntas promiſſoris, qui potentiam habet ſolvendi fidem, duret; cum nihil quam verba dederit, nec omnino jus eſſe naturæ ante Rempubl. cum extra eam nulla ſit ejus obtinendi ſecuritas.

5. Reipubl. obligationem in hoc conſiſtere, quod multi, qui in unum convenere, ſingulis potentiores ſunt, ut eos cogere queant; Hoc eſſe imperium, cujus obligatio ceſſet, ubi plures vel qui jus plurium è conſenſu habet, poteſtatem reliquos cogendi amiſerit.

6. Tanto longius quam Hobbes progreditur, qui ex pacto non tantum verba, ſed etiam jus alteri ſeorſim à vi quæſitum ſtatuit, atque in imperio civitatis etiam jus à vi ſeorſim, niſi fallor, agnoſcit.

7. His refellendis pleraque adverſus Hobbeſium dicta *ſuperius* ſerviunt, niſi quod Spinoſæ proprium eſt, ab altero in his quidem diſputationibus, non proditum: mentem non immediatè à Deo creari, *l*) nec ab aliis rebus independentem eſſe, verum à cauſis naturalibus produci, ideoque motus ejus ordine naturæ, cujus homo particula ſit, univerſo & neceſſario regi, ſicut omnes aliæ res lege naturæ illi inditâ reguntur.

8. Proinde, qui menti imperium tribuunt, hos velut imperium in imperio naturæ comminiſci dicit; Quod ſi verum eſt, parum abeſſe, quin adverſus Hobbeſium dicta corruant, aut ſane contra Spinoſam non prodeſſe videantur, fatendum fuerit.

9. Sed quo nos probemus, animi imperio, corporis ſervitio hominem uti poſſe; mentem à Deo creari & ab reliquis independentem eſſe rebus, nihil ex hac parte quam tractamus eruditionis proferendum habemus; niſi conſcientiam *m*) generis humani de actibus ſuæ mentis ab aliis rebus naturalibus toto genere ſeparatis & de imperio, quod in corpus ejusque motus evidenter exercet.

10. Spinoſa plane in hoc eſt, ut nullum jus

---

l) à Deo creari) *Etſi forte ab alio in his diſputationibus non ſit proditum, mentem non immediatè à Deo creari, ipſa tamen ſententia hæc neque tanquam Spinoſæ propria, neque tanquam erronea aut periculoſa eſt traducenda, cum notum ſit de origine animarum contra doctorias in ſcholis, etiam proteſtantibus regnare ſententias, unam de infuſione animarum, alteram de traduce, quæ videlicet negat mentem immediatè à Deo creari.* vide Patris quæſt. Phyſic. cap. 44. & Diſſert. pecul. de origine animæ humanæ.

m) conſcientiam) *1. Hæc contradictio ſaltem eſt, non probatio. 2. Ex doctrinâ, quod mens humana non immediatè à Deo creatur, nequaquam ſequitur, non dari jus naturæ. Ergo debuiſſet conſequentiam negare Autor; non diſputare de antecedente. Nam, omnes Traduciani cum Autore contrà Spinoſam hâc parte conſentiunt. 3. Veriorem eſſe doctrinam de traduce, quam de infuſione patet, quia graviores ſunt ſcrupuli, qui hanc ſententiam premunt, quam qui illam. Et illi quidem, qui contra traducem præferuntur, facillime ſolvi poſſunt ex noſtrâ Philoſophia, quod extenſio & ſeparabilitas etiam prædicetur de rebus inviſibilibus i. e. ſpiritualibus, quod omne corpus conſtet ex materiâ & ſpiritu &c. 4. Conſcientia generis humani de actibus ſuæ mentis ab aliis rebus naturalibus toto genere ſeparatis falſa eſt, ſi de omnibus rebus naturalibus & non de ſolis viſilibus intelligatur. Si vero de his ſaltem, exinde non infertur, mentem non à Deo creari. 5. Conſcientiæ de imperio (libero nempe quale Autor intendit) animæ in corpus repugnat quotidiana experientia & commune dictum Poëtæ:* video meliora proboque, deteriora ſequor. *6 Ergo non firmius Spinoſa refutari poteſt, quam ex doctrina* fundamentorum J.N. & G. prioribus quatuor capitibus inculcatis

jus naturæ ſtatuat, fere, ut olim Carneades, contra quem diſputat Lactantius *l. 5. divin. Inſt. c. 16.* & Grotius *in præfat. operis magni.*

11. Ille enim haud diſpari à Spinoſa modo, ſic inſtituebat; omnes homines, perinde ac alias animantes ad utilitates ſuas, natura ducente, ferri: proinde nullum eſſe jus vel juſtitiam ab utilitatis ſtudio diſtinctam; vel ſi qua ſit juſtitia talis, hanc ſummam fore ſtultitiam, eo quod ſibi noceret alienis commodis ſtudendo, quo pertinet illud Poëtæ.

Nec natura poteſt juſto ſecernere iniquum.

12. Grotius medium reſpondendi ſumit ab excellentia hominis præ animantibus aliis; quem Spinoſa neceſſitate communis naturæ, quæ gradu non ſpecie variet, & quâ ſtatuit, hominem æque neceſſario affectibus & ſtudiis ſuis quam cætera animalia inſtinctibus ſuis à natura inditis regi, eluderet.

13. Omnia, Spinoſæ ſunt *πρῶτα κατὰ φύσιν, prima natura*, quibus homines ut reliqua animalia, quin ut res omnes in univerſo ſecundum leges naturæ ſuæ impreſſas agantur & ducantur.

14. Sed quod ipſi gentiles *περὶ τοῦ λόγου ἡγεμονεύοντος πάντων*, de *ratione cunctis imperante*, magna voce conteſtantur; quod docuerunt ipſoque uſu demonſtrarunt, haudquaquam omnes homines ita ſe habere, quemadmodum Medea de ſe fatetur.

Video meliora proboque, deteriora ſequor,

multosque rationis imperio ſubigere affectus, evidentius eſt, quam ut probari poſſit aut debeat. *n*)

15. Studium utilitatis, quo natura ducente feruntur homines & beſtiæ, ſine dubio ad affectus refertur; Sed quatenus idem ad aliorum injuriam pertineat, ratio monſtrat hominibus, quod bruta capere non poſſunt, eademque juſtum & utile eodem momento ſeparare docet, idque jus naturæ eſt. Quod etiam ex ſolo ſocietatis humanæ, ſi maxime Deus eſſe Rector mundi & creator mentium negaretur, ut impie negat ille maledictus, colligi poſſet ita ſe habere neceſſario, quemadmodum *à pr. cap. 2.* collocavimus, & è ſequentibus illuſtrabitur. Enim vero

16. Quo pacto illud rationis dictamen in animis hominum conficiatur, utilius quæritur, quam ut negantes ullum dari naturæ jus, refutentur. Attigimus aliquid ea de re in *cap. 2.*

17. Plerique jus naturæ cordibus ita inſcriptum eſſe tradunt & congenitum hominibus, ut ne â Deo quidem ipſo mutari poſſit, quia *τὸ πρωτότυπον* Dei in ſe contineant, quod aliter ſe habere contradictorium ſit, adeoque inſtar actualium propoſitionum conſcientiis hominum impreſſum ſit, quam ſententiam vàlide tenet Grotius *ind. c. 1. n. 10.*

18. Sed nos fateri cogimur, in iis præceptis, quæ ad cultum Dei non pertinent, ejusmodi *πρωτότυπον* & *impoſſibilitatem* mutationis contradictoriam, ipſius Dei reſpectu, ineſſe non videri, *o*) quod ex noſtris pridem docuit Eſſenius Theologus in *tract. de ſubject. Chr. ad L. Dei cap. 2. §. 12. & ſeqq.* & nuper in loco ſuperius laudato Puſendorffius; & nos in *part. 2. Digreſſ. c. 7. n. 6. & ſeqq.*

n) aut debeat) *Hic iterum bonam cauſam adverſus Spinoſam non defendit optimè.* Nam 1. *inde evadit principium particulare, videlicet de particulari imperio rationis in quosdam, etſi multos homines. 2. An audet Autor ſe exemtum eſſe à verſiculo ille Medeæ. Ego neminem cognovi, modo ſeipſum cognoverit, qui ad tantam evidentiam tantâ fiducia provocaverit, ut hic Autor, cum tamen contrarium teſtetur quotidiana experientia. Certe Paulus ſe ab ambitu hujus verſiculi eximere non eſt auſus.*

o) vide ſupra notata ad c. 2. n. 24. lit. a.

ſeqq. Etiam in Eunomiâ Rom. ad lib. 1. *ff. tit. de jur. nat.*

19. Sufficit & ſatius eſt, ita in animum inducere, quod intellectui humano ea ſit facultas, ut ex contemplatione conditionis humanæ liquido perſpicere poſſit, ad normam ejus legis ſibi neceſſarioeſſe vivendum ut diſſerit *Puſend. in lib. 2. de jur. nat. & gent. c. 3. §. 13.*

20. Hactenus bene; ſed quod idem addit, facultatem æquum ab iniquo, honeſtum ab inhoneſto diſcernendi, ab *adſuetudine* provenire, in hoc ei, non adſtipulabimur; Nec eſt neceſſe, ex eo quod jus naturæ non ita impreſſum animis concedimus, ut inductione rationis opus non ſit ad poſitiones ejus recipiendas, ideo cauſam ejus adſuetudinem & experientiam à laudibus & vituperiis vitiorum, eſſe ſtatuamus. *p*)

21. Verius eſt, ut notitia Dei naturalis etſi collectione fiat, ab inſtitutione tamen alienâ non abſolute pendet, ita τὴν γνῶσιν τῶν καλῶν καὶ οὐ τῶν τοιούτων, *diſcretionem honeſti & inhoneſti* eſſe αὐτοδίδακτον, non egere inſtitutionis alienæ, ut ait Chryſoſt. *homil. ad Antiochen.* 14. quod omnino velle videtur Apoſtolus *ad Rom.* quando gentes ait ſibi ipſis fuiſſe legem *cap. 1.*

22. Quomodo autem collectio fiat, quâ ſingulis conſtet, quid faciendum aut fugiendum ſit, Vir Cl. aliquot poſitionibus deſignat, quæ ſunt hæ; I. hominem per naturam eſſe conſervandi ſui ſtudioſiſſimum. II. eundem eſſe imbecillem & omnium rerum egenum. III. Quod opus eſt, adſequi non poſſe, niſi cum aliis ſui generis colat ſocietatem. IV. Et niſi adverſus eos ita ſe gerat, ne ab ipſis lædatur. V. Conſequenter omnium ſatagat, quæ ad ſocietatem conſervandam pertinent, fugiat autem ea, quibus eadem lædatur.

23. Ita definit in eo, quod Grotius habet brevius *lib. 1. c. 1. n. 3.* ubi ſic inſtituit, ut jus idem eſſe dicat quod juſtum; juſtum, quod injuſtum non eſt, injuſtum quod naturæ ſocietatis ratione utentium repugnat; explicatius alter, ſed idem in ſumma; utcunque Grotium in hoc & in aliis variè agitaverit.

34. Grotius autem illa juſti derivatione ſpectat ad hoc tantum, quod in jure belli & pacis obtinet; nec enim virtures & vitia, quæ in ſingulis rerminantur, ut ebrietas aliæque libidines ad læſionem ſocietatis humanæ pertinent, nec ipſæ quidem prohibitiones matrimoniales.

25. Nec hæ quidem res Puſendorffianis poſitionibus contineri videntur; etſi illæ ad omne jus naturæ in iſto loco ſubminiſtratæ fuerint.

26. Neque plus quam Grotius ad hunc uſum Auctor de *princip. juſti & decor.* ſuppeditat, dum ab hoc axiomate, quod Deus ſit, iſque mundum condiderit in ſapientia, colligit juris naturalis inductionem, quod *ordo mundi q*) *ſapienter à Deo conſtitutus homini indicare debeat & poſſit, quodnam cujusque ſit in actionibus ſuis inſtituendis officium. Dix. in Eunom. Rom. ad l. 1. ff. d. tit.* In ſumma, de univerſo juris naturæ objecto & inductione ſingulis actionibus applicanda, nihil aliud quam quod illi prodiderunt, ſtatui, & præceptionis inſtar, quod quidem liqueat, haberi poteſt.

CAP.

p) ſtatuamus) *Et hanc Puſendorffii cenſuram jam notavimus* ad c. 2. n. 16. lit. ſ.

q) ordo mundi) *Sed adde quæ & contra autorem de principiis juſti & decori, & contra eos, qui principium juris naturæ ponunt in ordine mundi diximus* in Diſſ. de fundamentis cauſ. matrimonial. aliter faciendis.

CAP. V.

DE JURE GENTIUM.

Jus Gentium diſcrepare à naturali, n. 1-6. diverſo tamen ſenſu quam JCti volunt Romani. n. 7-13. Hobbes, qui nullum jus Gentium à legibus naturæ agnoſcit diſtinctum, refellitur, n. 14-21. & probatur, eſſe, quæ nec naturalia neque civilia ſint, adeoque Gentium neceſſario. n. 22-33. Juſtitia & jus in externum internumque dividitur. n. 34. Illud, quod in hypotheſi quandoque rationi rectæ repugnet, ſecus ac internum, n. 35-39.

1. R: Etinemus igitur veterem certamque philoſophiam, quod jus naturæ ſit, *quidquid ratio immediate dictat, eſſe turpe aut honeſtum.*

2. Præter hoc aliud commune jus generis humani traditur, quod circa ea verſatur quæ convenienter quidem rationi naturali, non tamen immediatè ex ejus dictamine, *ſed per modum arbitramenti, uſu ita exigente & humanis neceſſitatibus*, inde deducta ſunt.

3. Cujus generis ſunt pleraque jura belli, imperia, dominia, ſervitutes, contractus, aliaque plura.

4. Atque hoc Jus definitur, *quod voluntate omnium, aut* ſane *cultiorum gentium r) vim obligandi accepit, fere ut Grot. d. l. cap. 1. n. 14.*

5. Cujus à jure naturæ diſcrepantia eſt, ea, quam definitiones s) indicant.

6. Nempe, quod hoc ſit innatum homini ac inſculptum, illud repertum & excogitatum.

7. Diverſum docent, & conditores juris Romani & *Hobbeſius ille* Britannus.

8. Juriſconſulti naturale jus appellant τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, prima naturalia, quæ brutis

r) cultiorum) *loco* cultiorum *Grotius habet* multarum. *Sed tamen ipſe Grotius* cultiorum *vel moratiorum gentium meminit* in proleg. §. 46. *&* d. l. 1. c. 1. §. 12. n. 2. *Sed quorſum te vertas, definitio vapulat. Si enim omnium, ergo non tantum multarum aut moratiorum. Si harum tantum, ergo non omnium. Porro ſi omnium, unde hos mores cognoviſti, vel cognoſcere poteris? ſi multarum, indica quid per* multas *gentes intelligas. Si illas intelligis omnes, quarum mores conſtant, ergo non ſaltem moratiorum quia & gentium mores habemus, quas immoratas credimus. Si per multas gentes intelligis tantum moratiores, res obſcura declaratur per æque obſcuram. Quid enim facit gentes moratiores? Sane origo diſtinctionis valde ſuſpecta eſt, partim quia Græci & poſtea Romani vocabant omnes gentes non Græcas aut Romanas barbaras. Ergo ſoli Græci vel Romani moratiores forent. Partim, quia gentium moratiorum nomen pluribus gentibus attributum videtur eſſe inventum ſcriptorum Romanorum, gentes Romano populo confœderatas, & eorum decorum imitantes, eo nomine deſignans.* Adde Cautelas circa præcognita juriſpr. c. 6. §. 31. & c. 15. §. 29.

s) definitiones) *Sed hic monendum, non bene pro definitionibus venditari, deſcriptiones vocum æquivocarum, non ſublata Homonymia. Eſſe autem tam juris naturæ, quam juris gentium terminos valde æquivocos monſtravimus* T, 6. obſ. Hallenſ. ſelect. obſ. 27. &

brutis quoque animalibus inſunt, *quâ de re videatur, ſi placet quæ ſcripſi. l. 1. digreſſ. Capite 21.*

9. Id autem quod generi humano proprium & commune eſt, hoc omne, *jus gentium* vocant, tam quod cum hominibus ipſis proditum, quam quod ab illis introductum eſt. *pr. & §. 1. inſt. de jur. nat. & gent.*

10. Hinc ad jus gentium referunt, *religionem in Deum, pietatem erga patriam & parentes, cognationem inter homines naturalem, denique ſervitutes, manumiſſiones, bella, regna, dominia, contractus d. §. 1. & §. 2.*

11. Quæ jura cum facile appareat, diverſæ eſſe conſtitutionis, interpretes artis, duas juris gentium ſpecies, *primævum & ſecundarium*, diſtinxerunt.

12. Qua partitione factum eſt, ut verbis potius quam re ſententia juris Romani à philoſophiâ, quam *Grotius* ſequitur, differre videatur.

13. Nam quod *Doctores* vocant jus gentium *primævum*, id eſt ipſum jus naturæ, quod deſinivimus in *princ h. tit.* & quod Doctores vocant *ſecundarium*, eſt idem cum eo jure gentium, quod ex Grotio deſinivimus *§. 4. h. t.*

14. *Hobbes aliique recentiores*, nullum jus gentium agnoſcunt à lege naturali diverſum, ſed hanc diſtinguunt in naturalem *hominum* & naturalem *civitatum*, quam vulgo jus gentium, ſcilicet, appellant. *cap. 14. de cive n. 4.*

15. Utriusque tradunt eadem eſſe præcepta, præcipuasque regulas eſſe has; *Pactis ſtandum, gratiam referendam, non eſſe incommodum alteri, non contumelioſum, eſſe miſericordem, modeſtum, non præferre ſemet aliis, nec alios aliis.*

16. *Item, habenda communiter quæ dividi nequeunt, aut ſorte dividenda. Quod quisque primum occupaverit, ipſius fieri. Controverſias non manu ſed per arbitros exequi. Neminem eſſe arbitrum, aut teſtem in propriâ causâ.* Poſtremam eſſe legem, *non inebriari.*

17. Harum legum nullum locum eſſe vult Hobbes in ſtatu naturali, ſed tum ſolummodo, quando ſecure id fieri poſſit *c. 5. §. 2. c. 3. §. 27.*

18. Has eſſe leges naturales hominum, quatenus ſingulis hominibus officia ſua præſcribunt; naturales vero civitatum, quatenus totis civitatibus applicantur, eoque ſenſu *juris gentium vulgo eſſe dicuntur*, ait.

19. Has leges Hobbeſianas, unâ & altera fortean excepta *t*) eſſe verè naturales *u*) ex immediato rationis dictamine profectas, ex iis quæ duobus capitibns proximis, cum hiſce collectis, expoſuimus, nemini obſcurum eſſe poteſt.

20. Sunt & alii, quibus placet, nullum eſſe jus gentium à naturali civilique diſtinctum; eo quod *jus omne vim obligandi habere debeat à ſuperiore, per quem obligantur ſubjecti;* Talis autem ſuperior præter Deum & rectores cujusque civitatis, nullus eſt; *nec enim gentes diverſæ ſuperiorem inter ſe habent*, unde hæc obligatio deſcendere poſſit. *Ita fere Puſend. lib. 2. de jur. nat. & gent. c. 3. §. 22.*

21. Equidem non valde repugnem, quominus contentis nobis eſſe liceat diviſione juris in naturale atque civile, cum ne juris conſulti quidem ab hac ſententia ſint alieni *in §. 11 Inſt. de ver. diviſ. in l. 1. ff. de A. R. D.*

7 22. Nec

de fundament. J. N. & G. l. 1. c. 5. *quod ſemel allegaſſe ſufficiat, quia ſuppeditabit illuſtrationem aut confirmationem plerorumque ad hoc caput dictorum & dicendorum.*

t) excepta) *Indicium cauſa non adeò certa quod Autor dubitanter loquatur, nec exprimat, quaenam intelligat ſub hâc exceptione.*

u) naturales) *ſed tamen partim cum differentiâ præceptorum juſti, honeſti, decori naturalis partim cum differentia juris pro normâ & facultate agendi ſumti.*

22. Nec tamen ſatis cauſæ arbitror eſſe, quamobrem à veteri doctrina ſit recedendum, in qua libenter acquieſcimus, ubi nulla ſe prodit evidens rerum novarum utilitas.

23. Quod ad vim obligandi attinet, ea ſatis valida eſſe poteſt è *conſenſu populorum rectè utentium analogia w) juris naturæ*, & executio ab eadem facultate puniendi proficiſcitur, quam in jure nat. indicavimus.

24. Qualitatem ſuperioris ad juris conſtitutionem non requiri; ſufficere paritatem *inde à pr. cap. 1.* demonſtravimus.

25. Porro manifeſta res eſt, multa in rebus humanis inſtituta à plerisque populis recepta vigere, quæ ſine actu voluntatis humanæ vim habere non potuerunt.

26. Quæ proinde *naturalia*, id eſt nata cum hominibus, videri non poſſunt.

27. Cum autem nullius certi populi autoritate introducta vel excogitata ſint, clarum eſt neque *civilia* dici poſſe.

28. Unde tertium genus dari neceſſarium evadit, quod *jus gentium* appellamus.

29. Talia ſunt x) jura Dominiorum, bellorum, legationum, ſervitutum, manumiſſionum, teſtamentorum, y) emptionum venditionum, locationum conductionum, mutui, commodati, depoſiti, pignoris aliorumque fere contractuum; quos Juriſconſulti, quando accurate loquuntur, juri gentium ita adſcribunt, ut ab utroque tam jure naturæ quam civili diſtinguant.

30. Nec poteſt negari, quin harum rerum longe alia ſit ratio, quam diſcretionis turpium ac honeſtorum, aliorumque diſcriminum, quæ mentibus hominum ab auctore naturæ inſculpta ſunt, quæ *αὐτὴ ἡ φύσις διδάσκει, ut Apoſt.*

31. Evidentius idem patet in hiſce rebus. Ut res in una civitate judicatæ in aliis effectum habeant, utilitas promiſcua gentium fecit, ut ubique pro jure habeatur. z)

32. Ut contractus ſecundum loci conſuetudinem initus & celebratus, alibi, ubi ſic celebratus non valeret, pro juſto legitimoque habeatur, jus gentium eſt, utrumque tam à naturali ſimplicitate quam à jure civili a) remotum videtur.

D 33. Nam

w) analogia) *Hic primo conſenſus ille jactatus non poteſt probari.* vide Inſt. Jur. divini. l. 1. c. 2. §. 106. ſeq. *Deinde ſi non omnis conſenſus, ſed is demum qui recte utitur jure naturæ, jus gentium non ex conſenſu, ſed ex jure naturæ oritur. At inquis aliud eſt jus naturæ, aliud analogia hujus juris. Reſpondeo, ita obſcurum declaratur iterum per aliud obſcurum.*

x) Talia ſunt) *Sed hic aperte miſcetur ſignificatus juris pro normâ & pro facultate. Ad dominium acquirendum, contractus celebrandos nemo obligatur, ſed libere hæc facit. Ergo hæc exempla non feriunt Puſendorffium de jure pro norma accepto & obligante loquentem. Deinde circa hæc omnia verſantur præcepta juris naturæ v. g. dominum non turbandum in jure ſuo, pacta ſervanda.*

y) teſtamentorum) *Hoc exemplum huc plane non pertinere videbimus* infra ad ſect. 7. c. 7.

z) habeatur) *Senſus Autoris haud dubie eſt*, in aliis, *non civitatibus, ſed aliis* rebus ſimilibus in iſta civitate judicandis. *At (1) hoc exemplum dubium aut obſcurum. Obſtat dictum: exceptio rei judicatæ non valet, niſi inter eandem actorem & reum: aut, res judicata tertio non præjudicat. (2) Sententiam hanc Autoris, quamvis communem, prout tamen communiter exponitur eſſe falſam oſtendimus* in diſſ. de jure conſuetudinis & obſervantiæ. *(3) Si maxime vera eſſet, pertineret ad gentium jus improprie dictum pro jure civili communi pluribus gentibus, non pro jure obligatorio, quod una gens invita altera mutare non poſſit.*

a) civili) *Imo & hoc exemplum pertinet ad jus civile pluribus gentibus commune, non ad jus gentium obligatorium. Nam quis v. g. diceret Regem Galliæ peccare contra jus gentium, quod non admittat in Gallia teſtamentum peregrini, etſi ſolenniter in patria conditum?*

Digitized by Google

33. Nam diviſis imperiis populorum, judicia & leges unius populi alterum *b*) non tenent, niſi ex conſenſu, qui hic eſt manifeſtus.

34. Adde, quod multa jure gentium impune fiunt, quæ ſimplex naturæ jus puniri vellet, *ut ſtupra, incendia cædesque* è ſola libidine ſine uſu belli. Quare ſi juris gentium, duntaxat *externi* ſint talia, quæ jure naturæ nullo modo ſuſtineri poſſunt, has juris ſpecies oportet eſſe diſtinctas. *c*)

35. Præterea obſervandum, quanquam jus *gentium rationi naturali convenire debeat*, tamen juris gentium in hypotheſi eſſe poſſe, quod repugnat rationi.

36. Idque ideo, quia jus univerſale propter varietatem circumſtantiarum mutari non poteſt; cum ob judicii de illis incertitudinem, tum, quia prætextu ſingularium, jus univerſum infringeretur.

37. Hinc jus domini in ſervos, patris in liberos, mariti in uxorem, magiſtratuum in cives durat, *ſub lege patiendi*, *d*) licet inique exerceatur.

38 Quemadmodum & in iis, quæ ſunt juris civilis, haud raro obtinet; ut in præſcriptionis longiſſimæ per malam fidem, exemplo perſpicuum eſt *apud Juris-Conſultos. e*)

39. Unde haud inutilis diſtinctio, inter ea, quæ juſtitiæ intrinſecus & quæ extrinſecus ei tantum conveniunt, *ut jam dictum aliàs occurret.*

CAP. VI.

DE JURE DIVINO.

Jus Naturæ & Gentium omnemque rationis uſum ſubeſſe regimini juris divini. n. 1-9. Hoc duplex ſtatuitur, Moſaicum & Chriſtianum. Illud ad Hebræos ſolos, hoc ad omnes populos latum. n. 10. Moſaicum rurſus duplex, cærimoniale aut morale. n. 11. 12. Hoc aut neceſſariâ aut probabili ratione niti: n. 13. neceſſariâ, ut in pleriſque Decalogi: quo proinde omnes non modo vi tacitâ naturæ, ſed & expreſsâ præcepti, non tamen legislatoriâ, obligari. Probabiles rationes in præcepto de Sabbatho

b) alterum) *Atqui illa duo exempla alterum populum plane non tenent, ſed ſingulos ſaltem ex populo etiam citra conſenſum, ex voluntate ſuperioris.*

c) diſtinctas) (1.) *ſupponit hic Autor, dari bellum punitivum. Contrarium docebimus* ad lib. 3. Sect. 4. c. 4. (2) *Exempla hic recenſita pertinent ad ſpecies quidem diſtinctas juris naturæ, ſcilicet peccant contra regulas non juſti, ſed honeſti & decori naturales, non tamen ad jus gentium à jure naturæ diſtinctum.*

d) patiendi) *Sed per legem patiendi Huberus vel intelligit legem civilem, tum pertinet ad jus civile hoc exemplum; vel legem, quæ obliget etiam eos, qui extra civitatem ſunt, tum exempla ſunt alti ris indaginis obſcura, pluribus limitationibus obnoxia.* vid. ipſum Autor. ſect. 9. c. 3.

e) Juriſconſultos) *Sed præſcriptio longiſſima per malam fidem eſt juris naturæ non juris civilis, nec repugnat rationi, quia oritur ex præſumtâ derelictione. Commodius exemplum habes in* l. 11. de J. & J.

tho eſſe & in Politicis, easque aut ſolis Hebræis, aut æque reliquis convenire; quæ prioris ſunt generis, eas cum Judaico populo ceſſare, non ita reliquas, ſed quatenus in iis honeſtas moralis, etſi non neceſſaria vertitur, ita hodieque eſſe obligatorias; mutabiles tamen, quatenus in iis aliquid cærimoniale aut Judaicum peculiare conſiſtit. n. 14 26. Denique, non videri in N. T. ſeveriorem morum diſciplinam, ac in V. T. tradi. n. 27. 28.

1. DIctamina rationum, unde jus naturæ & gentium oriuntur, ſunt principia philoſophiæ, quibus, ſi ſola ſint, homines facile abutuntur *κὴ μεταιῶνται*, *in transverſum aguntur.*

2. Ita ut ſtudium ſapientiæ *κενὴ* fiat *ἀπάτη*, *inanis argutia*, & deflectens à *τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ* notitia Dei naturali, totum evadat *παράδοσις τῶν ἀνθρώπων*, hominum traditio, ut Apoſtolus *ad Romanos I. & II.* graviter docet.

3. Per ſe tamen illa minime improbanda eſſe, procul omni dubio eſt; *ſiquidem è ſculpturâ numinis impreſſa cordibus originem habent.* Quæ, ut ante dictum, obſcurior facta primævo lapſu, non ſuffocata eſt.

4. Integer homo ſi maneret, fieri non poſſet, quin id quod clare & diſtincte perciperet, verum eſſe ſciret.

5. Nec quidem nunc id dictum minus eſt neceſſariæ veritatis: Sed opinio talis perceptionis fallit hodie prudentiſſimum quemque, *pro Junone nubem.*

6. Scimus quid multi de viſione, de conſcientiâ certæ perceptionis & oraculo rationis æque infallibilis, ac eſt Deus, argutentur, & tamen contentiones eorundem atque diſcrepantias, falſitatis & erroris indices, undique abunde videre non ceſſamus. *f.*)

7. Quanquam autem jus divinæ poſitionis à naturali diſtinctum ſit, neque fundamenta utriusque debeant confundi, tamen ut nunc ſe res habent, nihil cenſeo Chriſtianis, è præceptis naturalibus inculcandum, quod juri divino, cujus ratio ſit univerſalis *g*) adverſetur.

8. De moralibus agendis loquimur. Nam credenda quæ ſunt, ad hanc artem non pertinent, ſed ad Theologiam, cujus tam naturalis quam revelatæ præcepta diverſæ ſunt inſtitutionis; etſi aliquando illis hæc ars omnino carere nequeat.

9. Igitur in ordinem redigenda Ratio, quatenus fieri poteſt, ad præſcriptum divinæ voluntatis in literis *Dei expreſſæ. h*)

10. Jus divinum poſitivum habemus aut

f) ceſſamus) *Sed ſcimus etiam, quid multi de interpretatione ſcripturæ ſacræ & legum divinarum, etiam cum perſuaſione certiſſima & infallibilis veritatis argutentur, & tamen contentiones eorundem atque diſcrepantias, falſitatis & erroris indices undique abunde videre non ceſſamus. Unde caute hic procedendum, &* in rebus ad philoſophiam moralem ſpectantibus *ratio & ſcriptura non opponi, nec ſubordinari ſed coordinari debent. Impoſſibile enim eſt, ut* in his *aut ratio ſcripturæ, aut ſcriptura rationi contradicat.*

g) univerſales) *Unde vero cognoſces eſſe univerſalem, niſi ex ratione, aut ſi mavis ex ſcriptura regulis logicæ & rationalis interpretationis expoſita.*

h) expreſſæ) *Et, ut modo dictum, regulis bonæ interpretationis expoſita. Nam in ſcriptura valet dictum JCti: ſcire leges divinas non hoc eſt, verba ejus noſſe, ſed intelligere vim & poteſtatem.*

per *Moſen* vetereſque Prophetas populo Hebræo, aut per *Chriſtum* & Apoſtolos toti humano generi ſignificatum.

11. Jus quidem Hebræis datum eſt duplex, *Cærimoniale* ac *Morale*, *i*) ſicut in ſcholis loquimur, ita ut ſub morali *politicum*, quod utique moralis diſciplinæ pars eſt, complectamur.

12. Cærimoniæ poſt *Chriſtum*, quem adumbrabant, evanuerunt, affixæ omnes cruci ſalutiferæ. *ad. Coloſſ. 2. v. 14.*

13. Morale jus eſt, quod ad regimen morum ſpectat. Nititurque aut neceſſaria aut probabili ratione; Illa immutabilis, hæc mutabilis eſt.

14. Neceſsitas apparet in decem dictis Domini, *excepto quarto*. Probabilis ratio moralis eſt in Politicis Judæorum, nec non in præcepto de *Sabbatho*, cui & *rituale* quid acceſſit.

15. Idem diſcrimen in aliis gentium legibus animadvertas; *Nam omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim ſuo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur,* ait Juſtinianus in §. *1. Inſt. de jur. nat. gent. & civili.*

16. Sic quoque Deus populum Hebraicum partim communi jure, quod eſt in *decalogo*, ſi *quartum præceptum* excipias, partim jure proprio, quod & *politicum* dicitur, gubernari voluit.

17. Leges, quæ nituntur neceſsitate morali, omne genus hominum in perpetuum obligant.

18. Immo & leges, *quarum probalis tantum eſt ratio honeſtatis*, ſimiliter omnes in perpetuum obligare videntur. *k*)

19. Quatenus certum eſt, differentiam rerum hominumque ſubeſſe nullam.

20. Vis quidem *nomothetica* non potuit ad alios pertinere, quam ad *Hebræos*, ſed revelata Dei voluntas in his, quæ nobis æque conveniunt, nec ab animi noſtri dictatis ullo modo diſcrepant, hodieque neceſſario nos tenet, *ut putem*.

21. Qua ratione quædam *conſtitutiones Moſaicæ* ad nos plane non pertinent, ut conſtitutiones *aſylorum*; Quædam ad nos adhuc dum ſpectant, ſed cum aliquo diſcrimine, quantum diverſitas morum & inſtituta Reipubl. ferre queant, ut ſe res habet in fœnore. *l*)

22. Sic pœnas delictorum à Deo ſtatutas ſervare debemus, ut *eadem proportio* delictorum ad delicta, pœnarumque ad pœnas cuſtodiatur. *m*)

23. Sed

---

i) morale) *Sub morali hic, ut patet, Huberus comprehendit & forenſe, quod alias communiter & convenientius morali contradiſtinguitur. Cæterum etſi diviſio illa communis legis divinæ in moralem, ceremonialem ac forenſem, ſi modo rectè explicetur, tolerari poſſit, patet tamen, eam non expreſſis verbis contineri in ſcriptura, & certum eſt etiam, ejus originem deberi Doctoribus, qui vixerunt ante tempora reformationis, qui annon eâ intentione eam doctrinam propoſuerint, ut ſub eâ arcana papiſmi occultare poſſint, hujus loci non eſt diſquirere.* Vide interim diſput. noſtr. Lipſienſem de crim. bigamiæ §. 8. & 20. & diſſert. procem. ad Inſt. J. D. §. 43. ſed adde d. obſ. 27. Tom. VI.

k) videntur) *E. g. ſententia Autoris in eo recedit à communi doctrina, quæ forenſes leges moralibus contradiſtinctas, Chriſtianos haudquaquam obligare ſtatuit, ſed cum limitatione tamen paragraphi ſequentis, quæ, quid in receſſu habeat, mox videbimus ad exempla* n. 21. & 22.

l) fœnore) *Hoc exemplum ſententiam Autoris modo memoratam non probat. Contraria doctrinæ veritatem palpabiliter probavit JCtus Belga celeberrimus Gerardus Noodt in tractatu maxime commendando Studioſis juris*, de fœnore & uſuris.

m) cuſtodiatur) *Si hæc regula eſſet univerſalis, nec ſuſpendium furum juſtum foret, quod*

23. Sed modis generibusque pœnarum ſine dubio non adſtringimur aliæ gentes.

24. Gradus etiam aliquantum variare licet, quatenus mores temporum & ingenia populorum pœnas remitti aut intendi requirunt, qua de re *διδακτικῶς* agit Sandius noſter *in 5. deciſ. tit. 4. def. 9.*

25. Sed hoc ſemper eſt verum, Chriſtianis non minora pietatis caritatiſque officia incumbere, quam olim Judæis injuncta fuerint; *ſub eadem limitatione*, ſi per omnia ſit eadem temporum & Reipubl. ratio.

26. Porro, quidquid per Chriſtum ejusque legatos præceptum eſt, id ſine dubio omnes indiſtincte ligat.

27. Nec tamen putandum, quod alii, & ipſe *Grotius* ſtatuunt, *ſeveriorem morum diſciplinam in novo fœdere, quam in antiquo fuerit*, eſſe introductam.

28. Sanctitas enim, quam lex poſtulat, ejusmodi eſſe debet, cui nihil deſit, & cui præmium vitæ æternæ convenire poſſet, qua major eſſe non poteſt. *Vid. Matth. 27. v. 37. & ſeqq.*

CAP. VII.

DE JURE CIVILI, OBITER ET DE JUSTITIA.

Ex triplici illo jure naſci omne jus civile. n. 1-3. Romani juris notitiam ad hanc quoque artem eſſe perutilem. n. 4-7. Juſtitia quid n. 8. 9. & quotuplex. n. 10. Univerſalem vix autem parum à virtute in genere differre. n. 11. 12. Explicatur, quo pacto *πλεονεξία* cunctis virtutibus & juſtitiæ cohibeatur, hujusque diviſio exponitur & cum veteri doctrinâ comparatur. n. 13-29.

EX hoc triplici fonte juris *Naturalis, Gentium* & *Divini*, leges cujusque populi tam privatæ quam publicæ ſunt derivandæ.

2. Demtis, additis, mutatis illis, quæ ſtatus civitatum, ingenia populorum, ratio temporum aliter atque aliter conſtitui volunt *l. 6. ff. de juſt. & jur.*

3. Quatenus, ſcilicet, naturalia & divina recipere mutationem, *ex regulis ſupra collocatis intelligi potuit.*

4. Sed pluribus de *jure civili* agere non eſt hujus inſtituti, quanquam notitia juris Romani in hac quoque univerſali diſciplinâ non quidem ad intellectum neceſſaria, ſed perquam utilis eſt ad illuſtrandum, & forte neceſſaria ad docendum.

5. Quia ſatis conſtat, nihil ſolidius & ſapientius ad interpretationem juris naturæ & gentium, quam à Romanis prudentibus, *n*) extare relictum.

6. Etſi contemptum, ignorantiæ manifeſtus,

tamen qui aſſerunt, deſtituuntur plane juſtis rationibus. Nec Huberus eam ſententiam defendere voluit. Vide infra III. 2. 5. §. penult. Adde tamen eandem in prælect. ad Inſtit. tit. de oblig. quæ ex delect. naſc. §. 8. & quæ ibi noviter regesſimus.

n) prudentibus) 1. *Nec hoc absque multis limitationibus eſſe admittendum, docet* tractatus

ſtus, *Romana prudentia* præ ſe ferat ille ſui ingenii *Hobbeſius*.

7. In quo parum abeſt, quin imitentur eum interpretes aliquot Grotiani, ejusdem juris imperiti, & adfirmantes magis quam exemplo ſuo comprobantes, juris Romani notitiam non requiri ad hujus univerſi juris publici interpretationem. o)

8. Porro, qui præcepta omnigeni juris vitæ ſuæ tenore ſervat, is juſtus, & hic à juſtitia dicitur.

9. Quæ nihil eſt aliud quam *habitus, per quem homines juſta volunt & agunt*, ut *Ariſtoteles* finivit. 5. *ad Nicom. c. 1.*

10. Juſtitia, quæ omni juri cunctisque virtutibus adæquata eſt, *Univerſalis* dicitur.

11. Neque aliud eſt, quam virtus in genere; tantum quod juſtitia relationem ad alios uſumque in ſocietate civili continet. *τελείας ἀρετῆς χρῆσιν*, *uſum univerſæ virtutis* appellat Ariſtoteles *d. cap. 1.*

12. Unde liquet, eam non eſſe diſtinctam virtutis ſpeciem, ſed omnium complexionem, juxta veterem verſiculum Ariſtoteli laudatum, *ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι*, id eſt, *juſtitia in ſeſe virtutes continet omnes.*

13. Proprie autem dicta juſtitia eſt ea, quæ docet *plus ſuo non* capere aut cupere, cujus oppoſitum vitium illud frequens eſt, *πλεονεξία, cupiditas habendi plus ſuo.*

14. Quæ cum ab alia virtute non coërceatur, fieri nec poteſt, quin hæc ſit pecularis & ab aliis diſcreta virtus.

15. *Suum*, cujus inordinata cupiditas per juſtitiam coercetur, ſumitur vel pro iis quæ nos faciunt locupletiores & patrimonii pars ſunt, vel pro omni eo, quod plene perfecteque ad nos pertinet.

16. Priore ſenſu juſtitia tantum coërcet *τὴν ἡδονὴν ἀπὸ τοῦ κέρδους*, ut Ariſtoteles ait, *nimium pecuniæ ſtudium*; poſteriori, cohibere docet omnnem malam cupiditatem, qua quis alium in qualibet re quovis modo lædit.

17. Senſu Ariſtotelico *juſtitia particularis univerſali opponitur*; Altera ſignificatione, contentis eſſe licet nobis *uno genere juſtitiæ*, quæ doceat, *neminem lædere in bonis, corpore, honore ſuo ſuorumque.* Placet hoc ſenſu accipere juſtitiam.

18. Atque ita definitur à M. Tullio, *virtus, quæ cuique jus ſuum & dignitatem tribuit 2. de invent. & 3. ad Her. à pr.*

19. Nec abludit definitio Juriſconſultorum; Conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi; cujus exegeſin vide, ſis, in *lection. noſtris ad tit. ff. de juſt. & jure. n. 16.*

20. Hoc ſenſu juſtitia dividitur in *commutativam & diſtributivam*, ut veteres termini habent, vel, ſi quis malit cum *Grotio*, *in expletricem & attributricem.*

21. Commutativa ſive *expletrix* ſit, quæ docet cuique tribuere, quod *plene perfecteque* ad aliquem pertinet, cujusmodi res ſunt, quæ in dominio vel in credito habentur.

22. Diſtributiva, ſive *Adtributrix*, quæ docet æqualitatem ſervare in his quæ *probabiliter ad alium pertinent*, ut præmia, honores, officia gratitudinis, miſericordiæ & ſimilia, quemadmodum hæc res traditur à Grotio *jur. bell. & pac. 1. cap. 1. §. 8.*

23. Non

---

noſter de nævis jurisprudentiæ Ante-Juſtinianeæ. *2. Demus hoc Autori. An Romanis his prudentibus etiam accenſeri merentur compilatores juris Juſtinianei?* vide quæ diximus in hiſtoria juris Romani, & adde Franc. Hotomanni Antitribonianum.

o) interpretationem) *Quorum ſententia & nobis videtur verior. Caeterum an propterea inter ejusdem juris imperitos ſimus referendi docebunt* diſſertationes noſtræ variæ, *præprimis autem* ſcholia & novæ additiones ad prælectiones Huberianas.

23. Non eſt hæc nova *p*) plane doctrina; Quid enim aliud Cicero voluit cum juſtitiam eſſe dixit, *quæ cuique jus ſuum & dignitatem tribuit? ut modo intelleximus.*

24. Per *jus* intelligit, quod plene atque perfecte ad nos pertinet; per *dignitatem*, quæ probabili ratione debentur, non tamen neceſſario, nec quæ exigi poſſunt, ut bene meritis præmia, egenribus ſubſidium; hæc etiam Ariſtoteles ad ἀξίαν ſive dignitatem refert *lib. 5. ad Nicom. cap. 1. & 2.*

25. Qui hæc poſteriora tanquam perfecte ſibi debita petit & efflagitat, injuſtus eſt, ut Catilina *in epiſtol. ad* Qu. Catulum, ideo ſe bellum patriæ movere dicebat, *quod ſtatum dignitatis* in civitate *non obtinebat, & quod non dignos homines honore honeſtatos videbat.*

26. Hæc eadem creberrima ſeditionum inter plebem & optimates cauſa fuit olim, *quod hi ſe digniores regendâ Republ. putabant;* plebeji, honores omnibus *ex æquo* tribuendos eſſe, tanquam res patrimonii, contendebant.

27. Optimatium ſanior & utilior eſt ratio. *q*) Nam ex promiſcuo honorum uſu non poteſt non oriri *σύγχυσις τῆς πόλεως, confuſio Reipubl.* nec tamen ſi qui ex optimis prætereuntur, idcirco hi ſe lædi recte contendunt, *ideo quia non regnant*, ut *Catilina* iniquiſſime colligebat.

28. Hæc de juſtitia pro ſcopo hujus inſtituti ſufficient, reliqua petas velim è lectionibus noſtris ad *tit. Inſt. de Pandect. de juſtitia & jure & Eunomia Romana ad l. 10. d. J. & J.* nec immorabimur amplius *Hobbeſio* refutando, qui juſtitiam nihil eſſe vult aliud, quam pactorum violationem. *tract. de cive cap. 3. §. 6.*

29. Pendet enim hæc definitio ab illa hypotheſi, *quod ante pactiones in ſtatu naturali omnibus omnia liceant*, nec injuria poſſit exiſtere; quâ ſententiâ ſuperius refutatâ, non eſt quod de hac juſtitiæ definitione laboremus.

---

p) nova) *Sufficit. quod ſit inutilis. Dixi* in inſt. juripr. div. l. 1. c. 1. §. 106.

q) ratio) *Admitto in Ariſtocratiâ* Conf. Xenophontis libros de Rep. Lacedæmon. & Athenienſ. *Alia quæſtio eſt, quam tamen hic tractat Autor* in §. præced. *An in Rep. Romana ſanior & utilior fuerit ſenatus ratio? quam nego. Vide quæ eam in rem ex hiſtoria Romana excerpſi* l. 1. de nævis juriſpr. Antejuſt.

LIBER

LIBRI I.

DE

JURE CIVITATIS.

SECTIO II.

De Imperio Civitatis.

CAP. I.

DE ORIGINE CIVITATIS EX CONSENSU ET VI.

Cauſam civitatis præter deſiderium ſocietatis odiumque confuſionis, fuiſſe malitiam hominum. Contra quam boni ſe tueri non poterant, niſi conjunctione multorum, & quidem tali, per quam omnium voluntas una fieret. n. 1-13. Plures tamen populos vi armata in civitatem & ſub imperium, qua jure qua injuriâ, fuiſſe redactos. n. 14-19. Facultatem, qua potentior imbecilliorem cogit ad obſequium, improprie dici jus. n. 20-23. Diviſio imperiorum in voluntaria & involuntaria. n. 24. 25. 26. Graswinckelii & aliorum ſententia, imperium à populo ne quidem per modum cauſæ ſecundæ derivari ſtatuentis, refellitur. n. 27-35. Dicta de ortu civitatis illuſtrantur ex Hermogeniano. n. 36-39.

SAnctitatem illam juſtitiamque univerſam, ſi homines integri perſtitiſſent, exacte implere potuiſſent. Sed ubi deſciverunt, ambitio, avaritia, libido invaſere.

2. Adhuc quidem leges naturæ, id eſt, dictamina rationis ſatis æquum ab iniquo ſeparabant; Ineratque animis cupiditas ſocietatis, judiciumque de rebus ad eam neceſſariis.

3. Sed quia ſine ordine certo non poterat confuſio evitari, nec commoda univerſorum invicem communicari poterant.

4. Maxime, cum ob pravitatem feritatemque hominum, dictata rationis negligerentur, tantumque omnes valere vellent, quantum viribus poſſent, palam eſt, opus fuiſſe ad bella evitanda conjunctione multorum.

5. Nec tamen conſenſio in fœdus ſe invicem non lædendi, ad tollendam confuſionem ſufficiebat.

6. Neceſſaria fuit ejusmodi ratio & modus, *per quem omnium voluntas una fieret.*

7. Neque

7. Neque enim aliter communium actionum exitus ad concordiam & communem ſalutem obtineri poterat.

8. Hæc eſt unio illa, quam vocamus *Rempublicam*. Et multitudo hoc modo unita *civitas* dicitur.

9. Voluntas autem una iſta nihil eſt aliud quam *imperium* civitatis.

10. Ergo voluntatis ſive conventionis illius *tres quaſi gradus* eſſe videntur. Primus, ne alii aliis noceant. II. Ut omnium voluntas una fiat. III. Ut modus iſtius unionis conſtituatur.

11. Primus gradus dat *pacem*, alter *Rempubl* tertius *formam* Reipubl.

12. Hobbeſium, qui unum modo pactum ſtatuit *Pufendorffius* refellit *lib. 2. de jur. nat. c. 2.* & judicium pendet ex his quæ nos *infra* collocabimus.

13. Conſenſu tali priſcos populos à diſſipatione generis humani, ſaltem aliquos, in unum coaluiſſe, dubium non eſt.

14. Complures tamen vi bellica ſub imperium aliorum redactos *ſacræ literæ* & experientia rerum humanarum docent.

15. Et poterat hæc origo civitatis, quanquam violenta, *r*) tamen eſſe non injuſta. Nam qui alios hac gratiâ invaſerant, ſi vincerentur, ſummo merito in ſervitutem agebantur. *s*)

16. Imo occidi poterant, ſi qui alios prius occidiſſent, aut morte quicquam dignum admiſiſſent.

17. Proinde & rebus ſuis omnique jure privari poterant; *Quia quos honeſtum eſt occidere, eos ſpoliare non poteſt eſſe inhoneſtum. Cic. l. 3. off.*

18. Proinde, quantum vellet, tantum juris victori in eos exercere licebat.

19. Etſi plerumque fiat, ut ejusmodi imperia pactionibus deinceps alium modum accipiant, adeoque voluntaria vel ſaltem mixti generis evadant; qua de re *inferius* agetur.

20. Sed ut potentior imbecilliores nullâ aliâ causâ ad obſequium cogeret, id naturale facti, non juris habendum ſecus ac *Hobbes voluit.*

21. Non eſt etiam juris naturæ, ut, qui ad uſum libertatis inepti ſint, hi per vim ad ſerviendum adigantur; Si non alia ſit ratio, quam quod nati ad ſerviendum parere nolint, πεφυκότες ἄρχεσθαι μὴ θέλωσι, ut magnus vult philoſophus, *Ariſtot. lib. 1. polit. c. 3. 4. & ult. Dix. l. 2. digreſſ. c. 2.*

22. Neque enim ab *aptitudine* ad *facultatem*, à ratione probabili ad jus perfectum licet argumentari. Non magis quam id, quod ab alio occupatum eſt, illi eripere licet; eo quod nobis potius convenire videatur; quâ de re Cyrus puer à præceptore ſuo, male inſtituens, eruditur, *apud Xenoph. Cyrop. l. 1. à pr.*

23. Cæterum, quo pacto imperia vi injuſtâ fundata, fiant legitima, alio loco *t*) dicendum.

E 24. Summa

r) violenta) *Communis opinio primam originem civitatum ex pacto & conſenſu deducit. Ita & Pufendorffius c. l. & nos cum ipſo in inſt. J. D. III. 6. §. 21. ſeq. Qui violentiam & fraudem originem primam civitatum dixerit communiter vapulat, etſi nihil ſit veriſſimum.* Vide Tacit. Annal. III. 26. Forſtn. not. polit. ad Tacitum p. 254. *ubi inſuper rem inductione exemplorum illuſtrat.* Adde diſſert. noſtram de content. mor. cum jure ſcript. §. 14-23.

s) agebantur) *Sed ita mutatur ſtatus controverſiæ. Origo civitatis violenta, ideo quia violenta eſt injuſta. Dicitur vero origo violenta intuitu eorum qui violentiam facere incipiunt, non qui patiuntur & referunt. At ratio hæc de patientibus loquitur. Nec eſt univerſalis. Quidſi enim invaſores vincant invaſos, an & hic ſummum meritum allegabit Autor. Non credo propter n. 20.*

t) alio loco) *Debebat hoc fieri* ſect. 8. cap. 7. *Sed res ibi pro expectatione Lectoris non eſt expedita, quamvis eo rem rurſus remiſerit* c. 3. n. 13.

24. Summa igitur imperiorum differentia eſt, quod *voluntaria* ſint, aut *involuntaria.*

25. Hæc autem invitis imponuntur bello, aut volentibus quidem, ſed neceſſitate aliquâ majore ſubactis, cujusmodi actiones philoſophi mixtas appellant.

26. Sic olim Campani â Samnitibus ad extrema redacti, *ſe, urbem, agros, divina humanaque omnia in S. P. Q. R. ditionem tradiderunt. Liv. l. 7. c. 33.* Nec alia fuit Ægyptiorum cauſa tempore Joſephi.

27. Hæc igitur Imperia ex conſenſu multitudinis originem habuere. Naſci enim illa immediatè à Deo, ut in rebus humanis nihil ſit, *quod vel ſecundæ cauſæ ferre queat nomen*, quomodo poſt & ante alios *Graswinkelius* operoſe diſputat, incondita ſententia eſt, *u*) *in tract. de jur. Maj. c. 1. & 2. nec non vernac. tract. de ſumma poteſt. Ordd. Holl.*

28. Nam ratio nimis manifeſta in contrarium eſt, ut ex *ſuprà* dictis intelligi potuit. Etiam inde, ſi non quemque res ipſa convincit; quod populus, ſi velit, imperii facultatem ipſe retineat, nec in unum vel paucos conferre cogatur.

29. Quæ autem ê ſacris litteris ab illo proferuntur, ea vel allegorice detorta, vel à ſpeciali *Theocratiâ* populi Hebræi petita, vel nihil aliud quam ipſi gentiles loquuntur, *ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες. Ab Jove ſunt reges.* Pluribus illam ſententiam refellit Pufendorff. *l. 7. de jur. nat. c. 3. n. 7.*

30. Prorſus enim nihil certius eſt, quam imperium eſſe *κτίσιν ἀνθρωπίνην, ab hominibus inſtitutum,* ut Petrus Apoſtolus docet *in epiſt. 1. c. 2. §. 13.* cui minime contradicit Paulus ad Rom. XIII, imperium civitatis à Deo eſſe docens.

31. Hoc etiam confirmat hiſtoria Saulis electi, *w*) apud Samuelem *l. 1. c. 8.*

32. Populus Hebræorum immediatè à Deo gubernatus erat ſub judicibus, qui non à populo imperare jubebantur, ſed à Deo inſpirati mittebantur. Poſtea regem petierunt, quod Deus ita interpretatus eſt, ut ſe *deſtitui*, ſuumque imperium, quod erat immediatum, reſpui; Populumque ſe regiminis ſtatuendi auctorem ferre declararet *d. l. 1. c. 8.*

33. Sed omitti non debet hæc obſervatio; non ſemper expreſſam populi voluntatem in ſtabiliendâ poteſtate Reipubl. intervenire; *ſæpe tacitam lapſu temporis introduci*, ut in pleriſque *Ariſtocratiis*, nominatim iis quæ ſunt in *Belgicis nationibus*, uſu veniſſe manifeſtum eſt.

34. Talem poteſtatis originem non minus eſſe voluntariam, quam quæ fit uno actu, *in capite de præſcriptione jurium S. P.* videbimus. Etſi *Graſwinkelius* inde ſuum jus immediatè divinum in *Ordines Hollandiæ* derivet.

35. Sed verum eſt, illam à tacito conſenſu imperii acquiſitionem, plerumque *ſimpliciter* eſſe *conſtitutam*, ac ita planè integreque ſupremam; quia leges & exceptiones ſpeciali voluntate ſanciuntur, ut latius alibi videbimus.

36. Poſtremo loco non poſſum heic omittere verba Hermogeniani in *l. 5. ff. de juſt. & jur.* quando ſic ait; *Ex jure gentium introducta ſunt bella, diſcreta gentes, regna condita, dominia diſtincta, agris termini poſiti, ædificia collocata, commercium,*

u) ſententia eſt) *Et tamen maximis animi motibus, & tantum non igne & gladio defenſa.* Vide inſt. jurispr. div. lib. 3. c. 6. §. 66-88. Cogitationes menſtruas Germanicas Menſ. Decembr. 1688. & litem ea de re ortam cum Hectore Gothofredo Maſio & ejus larvis, in menſibus ſequentis anni 89.

w) electi) *Scilicet confirmat, quod Deus non juſſerit, nec commendaverit conſtitutionem majeſtatis humanæ, ſed indulſerit ſaltem populo id valde deſideranti.*

cium, emptiones &c. obligationes inſtituta.

37. Videtur his verbis ortus civitatum hiſtoricè & philoſophicè eleganter demonſtratus: *x*) Hoc enim vult Hermogenianus; *Primum in orbe rerum humanarum fuiſſe, ſtatum belli, y) quo gentes, nullo imperio coërcitæ neceſſario conſiguntur.* Cujus evitandæ causâ qui ab eodem ultimo progenitore nati erant, aut aliter conſenſerant ingentes nationesque ſemet ipſos ſecreverunt.

38. Cum autem ita nondum pares eſſent confuſioni vitandæ, vel malis hominibus profligandis, imperia ſtabiliverunt, & regna quidem omnium primo. Exinde dominiorum diſtinctionem paci conſervandæ neceſſariam & jam inchoatam *z*) perfecerunt atque ſtabiliverunt, maxime in rebus mobilibus.

39. Serius agros terminis fixis partiti ſunt, cum diu more Nomadum, ut Patriarcharum tempore, vixiſſent. Neque prius ædificia collocare neceſſe fuit: atque tum demum *a*) commercia certa ratione commodo ſuo exercere potuerunt. Ita ſe plane res habuerunt.

CAP. II.

QUID SIT CIVITAS, QUID RESPUBL.

Definitio civitatis n. 1. ejusque exegeſis. n. 2-9. Etiam in deſpoticis imperiis recte ſtatui civitatem. n. 10-13. Juris quoque & imperii mentionem recte in finiendâ civitate fieri. n. 14. 15. 16. Definitio Reipubl. n. 17. 18. Ex qua judicandum, ſitne una civitas aut Reſpubl. vel plures, quod exemplis illuſtratur. n. 19-28.

x) demonſtratus) *Imo non videtur hoc intendiſſe Hermogenianus. Si enim voluiſſet, ſententiam ſuam de rerum originibus proponere, dominiorum diſtinctionem non collocaſſet poſt conſtitutionem regnorum.*

y) ſtatum belli) *De ſtatu belli ne cogitavit quidem veroſimiliter Hermogenianus, ſed Autor ſaltem hunc ſtatum in verbis Hermogeniani invenit, allatum ex falſa hypotheſi Hobbeſii jam ſupra notata. Imo regna condita fuiſſe ante bella ideò veroſimile eſt. Non omnis violentia bellum eſt, ſed mina etiam & fraus violentiam faciunt. At vero ita concipiendum eſt reſpublicas inter Cainites (qui primi Autoris rerumpublicarum ſunt, ipſâ ſcripturâ id notante) ortas eſſe. Poſtea ſimili fraude pedetentim allecti Sethitæ, donec qui nollent, bello ſupprimerentur. Poteſt etiam res ex ipſa ſententia Autoris ac Pufendorffii monſtrari. Si enim metu potentum ſimpliciores in rempublicam coierunt, neceſſe eſt, ut potentes illi & invaſores bellici jam imperio civili aduniti vixerint. Non enim poteſt bellum concipi ſine imperio ſummo, quo belligerantes in devotione tenentur.*

z) inchoatam) *Atqui hæc verba turbant totam interpretationem Autoris. Hermogenianus loquitur de origine diſtinctionis dominiorum. Huberus videt, eam non poſſe commode poni poſt rempublicam conſtitutam, explicat de perfectione rei jam antea inſtitutæ.*

a) tum demum) *Quaſi inter Nomades & Tartaros etiamnum, qui ædificiis fixis non utuntur, nulla ſunt commercia.*

1. CIvitas, de cujus jure quærimus, definiatur; *Cœtus perfectus familiarum juris fruendi vitaque ſibi ſufficientis gratiâ, ſub eodem ſummo imperio, ſociatus. Dixi l. 1. Digreſſ. cap. 13.*

2. *Cœtum* dicimus *perfectum*, non cui nihil deſit, ſed qui numero & facultatibus ſatis ſit validus, ad defenſionem communemque utilitatem.

3. Qui fines obtineri non poſſunt à numero *quindecim* hominum, quos Apulejus & veteres quidam, etiam Bodinus ad civitatem conſtituendam requirunt; quaſi civitas conſtare poſſit tribus familiis, quarum ſingulæ quatuor hominibus contineri queant, ut Bodinus *l. 1. de Republ. cap. 2.*

4. *Familiarum*, quoniam ex his proxime componitur civitas, ita ſicut Ariſtoteles civitatem vocat, *κοινωνίαν ταῖς οἰκίαις καὶ τοῖς γένεσι communitatem domuum & familiarum, 3. polit. c. 6.*

5. An autem ſine familiis non poteſt eſſe civitas? Negat Bodinus *d. cap. 2.* Difficulter ſane poſſet: nullo tamen poſſe modo non dixerim; Videtur enim & Roma civitas fuiſſe priusquam matrimoniis, *b*) ſine quibus non eſt familia, potiretur, & ſunt coloniæ, in quibus generatio advenarum non habet ſucceſſum vitalem, quæ ſi viris ſubmiſſis perpetuentur, civitates eſſe poterunt. Nec mihi abſurdum videtur, clerum Romanenſem, qui non habet familias, pro civitate habere; quia ſane eſt Reſpublica & multitudo, licet absque territorio, *c*) quæ habet ordinem parendi & imperandi, ſub unâ ſummâ poteſtate mediisque magiſtratibus, quemadmodum *in loco* videbimus.

6. Habetur in definitione *juris fruendi*; hic enim finis præcipuus eſt eorum, qui civitatem conſtituunt, ut bonis vitaque ſua beneficio tutelaque juris, *quod alioqui bellis injuriiſque turbatur* frui poſſint.

7. *Vitaque ſibi ſufficientis gratiâ.* Id rurſus ex Ariſtotele *d. l.* ζωῆς τελείας χάριν καὶ αὐτάρκους, qualis extra civitatem in ſolitudine, ſi bella maxime abeſſent, haberi nequit.

8. Beatitudo illa civilis eſt duplex, quam utramque Cicero deſcribit, ut *civitas opibus firma, copiis locuples, gloria ampla*, denique *virtute honeſta ſit l. 8. ad Att. epiſt. 11.*

9. Ex eadem *αὐταρκείᾳ* colligit Ariſtoteles, ſervos ad communionem civitatis non pertinere, quia *τὸ δοῦλον οὐκ αὐτάρκες, ſervilis conditio minime beata*, ſed omnino pœnitendæ conditionis eſt.

10. Quod tamen non impedit, quominus *deſpotica imperia*, in quibus herili poteſtati homines ſubjiciuntur, recte *civitates* dicantur, ut diſputavimus contra Grotium *lib. 1. Digreſſ. c. 15.*

11. Separanda enim illa ſervitus publica videtur à privata, *d*) quæ ſingulos homines actionesque ſingulares conſtringit.

12. Publica & univerſalis illa tam graviter ſingulis non incumbit, ut *αὐτάρκειαν* penitus excludat, civiliterque *miſeros* faciat.

13. Potius ubicumque multitudo eſt, *juris fruendi causâ ſub eodem imperio ſociata*, ibi civitas omnino ſtatuenda eſt.

14. Sunt qui juris & imperii mentionem in *civitate* finienda fieri nolunt, quoniam illis verbis reſpectus ad Rempubl. contineatur, à qua

---

b) matrimoniis) *At quis dixit, nulla fuiſſe matrimonia. Fuere utique, ſed non ſufficientia! Vide Dionyſium Halicarnaſſeum.*

c) absque territorio) *Atque hoc oſtendere poterat, iſtam Rempublicam eſſe maxime extraordinariam, non ad regulas prudentiæ, ſed aſtutiæ formatam, eſt ſtatus in ſtatu. At quærimus de Republica una. Perditum iri Clerum, ſi ſoli eſſent Clerici in Republica Eccleſiaſtica, facile apparebit cuilibet cum attentione conſequentias cogitanti.*

d) à privata) *Adde quæ diximus* de Hominibus propriis §. 35. ſeq.

a qua *civitas* abſtrahenda ſit. *Arniſæ lib. 1. polit. cap. 6.*

15. Differre equidem à *civitate Rempubl.* ut animam à corpore fatemur. *Seneca 1. de clem. 4. Iſocr. in panathen.* Sed in corpore vivi hominis deſcribendo, quid vetat dici, animatum id eſſe? Tantundem eſt dictu, civitatem ſub certo imperio agere, ſine quo civitas nulla eſſe poteſt, *plur. vid. in d. l. 1. Digreſſ. c. 15.*

16. Denique, eſt in definitione, *ſummo imperio.* Quale ſi non ſit nec civitas per ſe, ſed alterius civitatis pars conſtituitur, etſi forte conformationem diſtinctam habere videatur.

17. Porro Reſpublica definitur *τάξις πόλεως ordo civitatis*, conſiſtens *in regimine ſummæ poteſtatis & ſubjectione reliquorum, per medios Magiſtratus. Ariſtot. 3. politic. cap. 6.*

18. Unde liquet, Rempubl. differre à Civitate, vel ut concentum à chordis, vel ut animam à corpore. *Plutarch. de trib. form. Reipubl. Seneca. & Iſocr. dict. loc.* ubi *ὥσπερ ἐν σώματι φρόνησις, ut in corpore prudentia.*

19. Ubicunque igitur talis ordo, ibi civitas exiſtit; æque ac corpus, ubicunque anima eſt. Ubi plures ejusmodi ordines, ibi & plures civitates *e*) ac Reſpublicæ intelliguntur.

20. Proinde *Helvetiorum* atque *Belgarum*, per me licet addas, *Germanorum*, imperia, non ſingulas, ſed plures conſtituunt civitates.

21. Cujusmodi fœderati, ſi quod habeant commune legatorum concilium, ut ſunt apud Belgas *ordines dicti generales*, id non eſt unum omnium caput, *ſed plura capita repræſentat*; Nec vere cunctis civitatibus imperat, ſed imperata ſingularum communiter exequitur.

22. Unde tamen argui non poteſt, *generales ejuſmodi conſeſſus* dignitatis æſtimatione ſingulis civitatibus non præferri, ut præcipua Belgicarum nationum contendit.

23. Nam quia Legati ſuas quique civitates repræſentant, omniumque repræſentatio præ ſingulis excellit, *omnium* conſenſus dignitate ſingulis præferendus videtur; dignitas, inquam, poteſtate ſalvâ & exceptâ.

24. Porro neque una eſt *civitas*, ubi unum quidem caput, ſed non unum corpus; penes unum quidem eſt *ſumma poteſtas*, ſed non eadem ſubordinatio poteſtatum inferiorum.

25. Hinc *Hiſpaniarum* & Magnæ *Britanniæ* imperia non una ſed multiplicia habenda ſunt.

26. Quare ejusmodi reges & tyranni & ſimul principes juſti eſſe queunt, quod Belgæ *Philippo II.* accidiſſe interpretantur.

27. Poteſt idem quoque princeps liber ac ſummus, alioque reſpectu alteri eſſe ſubjectus, *ut crebro accidit.*

28. At diviſio unius corporis in *diverſa membra*, ſeu cœtus diverſos, non facit civitates, ſed jurisdictiones diverſas, ut pleraque regna in provincias; ſive ſingulæ ordines populi & inſtituta juris habeant diſtincta, ut in *Galliâ*, ſive ſecus, ut in *Angliâ*; diſtribuuntur.

 CAP.

e) plures civitates) *Adde prolixius Puſendorffii* diſſert. de ſyſtemate civitatum, & noſtras notas ad cap. *6.* Monzambani.

CAP. III.

DE FUNDAMENTO ET EFFICACIA IMPERII, QUÆ PRIMUM E NATURA STATUS DEMOCRATICI INDAGATUR.

Diverſæ hypotheſes. n. 1-10. Summa diſtinctio imperii repetita. n. 11. De obligatione imperii violenti. n. 12-15. Tranſitus ad voluntarium. Difficultas quæſtionis de jure ſummi imperii. n. 16. Pro fundamento poſitum, in imperiis voluntariis imperantes habere tantum juris, quantum cives in eos transferre voluerunt. n. 17 - 20. Huic contrariam eſſe Hobbeſii ὑπόθεσιν, tantum habere juris imperantes, quantum cives in eos transferre potuerunt, nihilque ab iis poſſe reſervari, quia poſt unionem voluntatis omnium, ſubjecti non ſint unum quid, neque perſonæ inſtar. n. 21. 22. 23. Diverſa ſententia Althuſii. n. 24. Judicium hujus rei indagatur è natura ſtatus Democratici, ut qui proxime ad ſtatum naturalem accedat. n. 25. 26. Formam ejus eſſe, fœdus, in hoc, ut majoris partis voluntas ſit omnium voluntas, quod locum habere in omnibus rebus: n. 27-31. Etiam quæ adverſus ſingulos duræ vel iniquæ ſint. n. 32-38. Proponuntur exceptiones quædam. n. 39-53.

1. EX definitione *Reipublicæ* liquet, *ordinem civitatis*, adeoque totam *juris publici diſciplinam conſiſtere in jure imperantium atque eorum qui ſubjecti ſunt*.

2. Quæ cujusmodi ſint & quomodo pariter conſiſtere debeant, plena ſemper difficultatis viſa fuit & eſt disquiſitio.

3. Dum alii poteſtatem imperantium in infinitum extendentes, genus humanum libidini paucorum, ut mancipia, imò ut bruta animalia, tanquam jure, ſubjiciunt.

4. Nec enim aliter *Hobbes* populos erga rectores ſuos, vult eſſe animatos, quam greges & armenta ſunt erga ſuos duces, *de cive c. 12. in pr. & paſſim.*

5. Placet hanc comparationem illuſtrare verbis Xenophontis in *pr. Cyropæd.*

6. Πορεύονται γὰρ αἱ ἀγέλαι, inquit, ᾗ ἂν αὐτὰς εὐθύνωσι οἱ νομεῖς, ἀπέχονταί τε ὧν αὐτὰς ἀπείργωσι καὶ τοῖς καρποῖς τοίνυν τοῖς γιγνομένοις ἐξ αὐτῶν ἐῶσι τοὺς νομεῖς χρῆσθαι, οὕτως, ὅπως ἂν αὐτοὶ βούλωνται. *Vadunt greges, quo illos ducunt paſtores; abſtinent iis, à quibus hi ipſos arcent, fructibus interim, qui ex ipſis proveniunt, patiuntur ita frui paſtores, ſicut ipſi voluerint.*

7. Pergit; Ἔτι τοίνυν οὐδεμίαν πώποτε ἀγέλην ᾔσθόμεθα συστᾶσαν ἐπὶ τὸν νομέα, ἀλλὰ καὶ χαλεπώτεραί εἰσι πᾶσιν ἄλλοις ἢ τοῖς ἄρχουσί τε αὐτῶν καὶ ὠφελουμένοις ὑπ᾽ αὐτῶν. Ἄνθρωποι δὲ ἐπ᾽ οὐδένας μᾶλλον συνίστανται τούτοις οὓς ἂν αἴσθωνται ἄρχειν αὐτῶν ἐπιχειροῦντας. Id eſt; *Neque tamen ullum gregem unquam vidimus in paſtorem ſuum inſurgentem, ſed difficiliores ſunt omnibus aliis quam imperantibus ſuis, à quibus & reguntur & quibus fructum præbent. Homines verò in neminem magis inſurgunt, quam in eos qui imperium in* ipſos ſuſcipiunt.

8. Atqui homines ſi deponerent notitiam boni

ambon

tiam boni & mali, *f*) æque manſueti forent ac oves & boves; ad quem modum *Hobbes* eos formare laborat.

9. Alii, imperantes nihil aliud quam *miniſtros populorum*, ſic etiam loquuntur, reputantes, in hoc ſunt, ut leviſſimo momento ſtatus civitatum ordinesque inter ſe periculoſe committant. *Jun. Brut. D. Althuſ. & alii.*

10. Paucis curæ fuit ita rationes inire, ut inter abruptam civium contumaciam, & effrenem dominandi licentiam, *medium iter periculis utrinque vacuum, aut minus infeſtum* reperiatur.

11. Summam imperii differentiam eſſe in violentum & voluntarium, antea diximus. Illud etiam; jure gentium, quo victus in victoris poteſtatem quoad ſe bonaque ſua redigitur; imo & jure naturæ, ſi victus cauſam bello præbuerit, eſſe juſtum, jam diximus & amplius in loco de belli jure videbimus & ſatis conſtat.

12. Quamdiu victor ſolâ vi & terrore victos continet, ambo in ſtatu belli manent & omnia invicem licent. Ubi vero, ut plerumque fit, in fidem recepti ſunt, & victi imperium victoris agnoverunt, ſiquidem pactiones quædam ſpeciales initæ ſint, has eſſe ſervandas, non dubitatur.

13. Si non ſerventur, quid juris? *g*) An, ut hi, quibus fides non ſervatur, in priorem ſtatum, qui fuit belli, revertantur, & reſiſtendi facultas detur; an, ut accipienda ſit obligatio, ſicut inter dominum & ſervum, ut ille quidem fiat perfidus, *h*) ſed hic tamen ejus dominio non ſubducatur? Hujus rei deciſio pertinet ad locum de Tyrannide inferiorem.

14. Si tamen vel in deditione, vel poſtea nullæ conditiones initæ fuerint, manet jus victoriæ, & ſubjectio illorum qui fidem dederunt, ejusdem latitudinis & tenoris, idque non modo, ſi expreſſè ad obedientiam ſe obligaverint; ſed etiam tacite paſſi in ordinem Reipubl. ſe redigi; ſicut etiam in voluntariis imperiis pleraſque ſubjectiones è tacitâ obligatione naſci, jam dictum & amplius dicetur.

15. Quemadmodum & victor æque tacite ad hæc ſe obligare videtur, ne hoſtiliter agat cum victis, aut ſi hoc modo cum iis agendum putet, intelligat, illis quoque reditum ad ſta-

f) mali) *Non quod notitia boni & mali reddat homines feros, ſed quod* manſueti *vox hic ſupponatur, pro vitio ſtupiditatis. Adde, quod Paſtores ſint diverſa natura à grege. Neque enim oves ita patientes ſunt erga ovem, nec boves erga bovem &c.*

g) quid juris?) *Non video cur hac quæſtio aliter debeat definiri intuitu imperii, cujus origo violenta fuit, quam cujus voluntaria. Sane pacta ſunt ſervanda, etiamſi inter victorem & victos ſint inita, ut ipſe Autor fatetur* n. 11. *Ergo victi ſi violent, haud dubiè victor cauſam belli juſtam habebit. Sed Autor videtur hic loqui de victore, ut ſequentia innuunt, ſi hic non ſervet. Debebat ergo magis perſpicue loqui. Interim nec hoc caſu aliter hic reſpondendum erit, quam in imperiis voluntariis.*

h) perfidus) *Non hoc vult acſi conventio naturalis inter dominum & ſervum eò tendat, ut dominus fiat perfidus. Eſt enim contradictio moralis, fidem dare, ut fidem non ſervem: Sed, quod fidem quidem dent in ſocietate dominica dominus & ſervus mutuo, ſed cum hac differentiâ, quod ſervus & injuſtè rumpat fidem, & à domino coerceri poſſit, dominus v. ſi violet, peccet quidem, ſed non poſſit coerceri à ſervo, imo ne ſervus quidem tum ſe poſſit ſubtrahere dominio. Sed quicquid etiam hujus ſit, Autor & hic ſupponit falſa vel certe valde dubia. Neque enim ea, quæ* infrâ lib. 2. ſect. 1. c. 6. de ſocietate dominica *differit, iſtud præſuppoſitum probant, ſervo ne quidem licere fugere, ſi dominus promiſſis non ſtet, ſed potius juſtas dubitandi cauſas ſuppeditant.*

ad ſtatum belli eſſe datum, nec minus perfidiæ adverſus ſubjectos, reum ſe conſtituit.

16. Major aliquanto in voluntariis imperiis eſt difficultas, cujus ſane propoſiti, diverſiſſimis hominum ſententiis, arduum & anceps eſſe judicium, *i*) poſt multam ac attentam meditationem lectionemque eorum, quæ ab aliis hac de re copioſiſſime ſcripta ſunt, etiamnum fateor, nec aliud quam indagandi partes habeo polliceri.

17. Diximus antea, civitatis conſtitutionem nihil aliud eſſe, quam *receſſum à ſtatu naturali*. Neque aliam ejus cauſam eſſe, *poſt Deum*, quam voluntatem ſingulorum omniumque *conſentionem*, quod utcunque multi hodie ſecus trahant, pro *certiſſimo* habendum, jamque demonſtratum & inferius patebit.

18. Unde liquere videtur, *in cujusque populi poteſtate fuiſſe* (loquimur ſi hoc opus eſt repeti, de imperiis non violentis) *modum ſtatuere, quatenus* à naturalibus recedere vellent.

19. Tantumque juris in imperantes fuiſſe translatum, *quantum populus in eos transferre voluit*.

20. Quem alii nunquam alienare jus ſuum, ſed exercitium duntaxat in rectores ſuos, ſingulos aut plures transferre docent.

21. At *Hobbes* ex eodem principio colligit, cives, qui imperium ſimpliciter transtulerunt tantum juris in imperantes transtuliſſe, *quantum potuerunt*, ut nihil exemerint. *cap. 6. §. 13.*

22. Nec quidem potuerint eximere; Eò quod per unionem imperii omnium voluntas una ſit facta, in qua nulla queat eſſe colliſio vel diſcrepantia voluntaris.

23. Et quia populus, imperio ad unum hominem vel concilium delaro, *deſiit eſſe unum quid*, deſiit eſſe corpus, nec perſonam amplius repræſentat, ſed nihil quam ſinguli, & diſſoluta eſt multitudo. Unde nec ullum jus, *quod eſt qualitas perſonæ competens*, populo poſt imperium translatum tribui poſſit. *d. c. 6. pr. & in not.*

24. Huic è diametro ſunt oppoſiti, quibus ita viſum eſt, *jura majeſtatis adeo univerſa conſociationi eſſe propria, ut etiamſi illa ſe hu velit abdicare, eaque in alium transferre, & alienare, nequaquam tamen id poſſit, non magis quam vitam ſuam, qua quis fruitur, alii communicare poteſt*, ut loquitur D. Althuſius *Præfat. polit. & cap. 9. cap. 18. cap. 19. cap. 24. c. 38.*

25. Nos, ut fundamentum naturamque hujus rei clare detegamus, primo ſtatum imperii, *qui minime à natura's recedat*, conſiderabimus, qui eſt *Democraticus*, in quo jus imperandi penes populum eſt univerſum.

26. Quem naturalem dicimus maxime, non quod ante monarchiam ab hominibus è ſtatu naturæ digreſſis fundatus fuerit, *quod Hiſtorici negant. k*) Sed quia minus in eo quam in cæteris, homines a libertate & æqualitate naturali recedunt.

27. Forma

i) judicium) *Non tam credo revera ſubfuiſſe, quam quod prudentia talia verba dubia poſtulaverit, cum doctrina Monarchomachorum valde placeat rebuspublicis liberis, Machiavelliſtarum, ut vocant, monarchiis, atque adeo caute ſit loquendum ei, qui in monarchia vult, diſputare contra abſolutam poteſtatem, cautius adhuc ei, qui in rep. libera diſputat contra Monarchomachos.* Conf. Aut. c. 5. n. 3.

k) negant) *Sacra pariter ſcriptura & profani ſcriptores. Sed cum ea tamen differentia, quod profani plerumque erronee doceant, ac ſi abſque metu hoſtium patresfamilias ex ſola exiſtimatione virtutis ac præſtantiæ regis elegerint, contra ſcriptura cum paucis aliis doceat, imperiorum originem eſſe violentam.* vide Autores modo lit. r. notatos. *Et ſane rariſſima ſunt exempla civitatum, quarum origo plane voluntaria eſt, ſed fere omnes habent, quoad originem aliquid violentiæ admixtum.*

Digitized by Google

27. Forma ejus eſt, fœdus omnium cum omnibus, cujus ſumma in hoc conſiſtit, *ut quæ conſenſu majoris partis ſtatuuntur, ea cunctos obligent.* Idque *in perpetuum*, quia norunt, quo tempore ab imperio communi receſſerint, neminem ſalutis ſuæ fore certum, omniaque peſſum itura, quod eos minime velle manifeſtum eſt.

28. Plurium ſuffragiorum prærogativa ideo neceſſaria eſt, quod alioqui publicis conſiliis exitus nullus dari poſſet. Scilicet ita, *ut quod plures voluerint, hoc omnes & ſinguli velle cenſeantur;* neque minus idipſum totius populi voluntas eſt.

29. Exemplo ſit Romana vetus Reſpubl. ejusque comitia centuriata. Populus ſuffragia per centurias ferebat; erant autem centuriæ *centum nonaginta duæ*, vel ſexta claſſe, quæ non habebat centurias, annumeratâ, *nonaginta tres.* Ex his, quando *nonaginta octo* centuriæ, quæ primam claſſem efficiebant, conſenſerant, reliquæ non rogabantur.

30. Qui poterant clarius indicare, *majoris partis ſcitum eſſe totius populi voluntatem*, quam, ne expectando quidem, ut minor pars ſuam animi ſententiam declararet? *Dionyſ. Halicarn. l. 7. à princ.*

31. In ejusmodi conſenſionem populi libertatem cuſtodire volentes facile deſcendunt, *ſiquidem omnium in fœdere democratico conditio, ſpes & ratio par eſt;* Nec quisquam magis ſe ſuperatum iri, quam alios ſuperaturum præſumere poteſt.

32. Neque dubium, quin fœderati, ſuum illum conſenſum de omnibus rebus, quæ ad ſalutem utilitatemque communem ullo modo pertinent, intellectum velint. *Etiamſi contingat, ut ſaluti commodiſque paucorum aliquid adverſetur;* Salva enim res communis eſſe non poſſet, *ſi ratio ejus non vinceret utilitatem privatam.*

33. Adeo, *ut ne vita quidem rebuſque ſingulorum propriis, boni communis causâ, parci velle videantur.* In hoc enim pulcherrima generis humani conſenſio relucet; ut tanto quisque melior civis reputetur, quanto libentius vitam opesque pro patriâ ſuâ exponit. *Vid. Grot. lib. 1. c. 4. n. 7.*

34. Proinde tali caſu eveniente, tum ei, in quem ſors incumbit, non fit injuria, quod absque ſuo merito patiatur malum; *in hoc enim cum aliis conſenſit.* Proinde nec reſiſtere illi, populo per plura conſentienti licebit.

35. Nec quicquam refert, quod ad vim obligandi attineat, *utrum rectius, an pejus major pars ſentiat*; alioqui lis ſuper hoc judicio rem identidem ad primam reduceret confuſionem, quam ut omnium malorum maximum cives ſuper omnia vitare voluerunt.

36. Nec quidem aliud dicendum, *etſi malitia in parte majori adverſus aliquos appareret*, quod in popularibus imperiis ſæpius uſu venit: Nam, ſi antequam id alicui contingeret, rogarentur, an tali caſu cuiquam eveniente, vellent imperium commune ſolvi, *non cunctarentur patientiam præferre* & inculcare, cum vix unquam alioqui turbandæ ſocietatis cauſa deeſſe poſſet.

37. Proinde, quod *in theſi* quisque cenſuit eſſe faciendum, id *in hypotheſi* nemo improbare poteſt, eaque ratione *petaliſmi* & *oſtraciſmi* veterum rerumpublicarum, quæ fuerunt exilia *Status*, ut ſic loquar, defenduntur.

38. Idem eſt fundamentum regulæ, quod res judicata pro veritate habeatur, & quod magiſtratus etiam cum inique decernunt, jus dicunt; eò quod omnes & ſinguli cives ad hoc ſe obligaverint, ut ſententiis ſive æquis ſive iniquis, à quibus provocatio non daretur, parerent, cum alioqui nullus finis litium eſſet: Idem eſt in omnibus regnantium imperiis. *l. jus. 11. ff. de juſt. & jur.*

39. Verum enimvero non eſt hæc obligatio ſupra omnem exceptionem. Quid enim, ſi *coitione facta, pars major id ageret*

palam, ut reliquos non modo ſuperarent ſemper (quod in rebus mediis ferendum) ſed etiam *vita bonisque pro lubitu exuerent*, dicendum videretur, pauciores pluribus reſiſtere poſſe.

40. Neque enim conſenſerunt, in id, quod civitate conſtitutâ unice evitare voluerunt, & quod ſcopum ſocietatis in perpetuum everteret.

41. Is autem non fuit alius, quam ut quisque ſub præſidio publico bonisque ſecure frueretur, neque plus ex eo jure delibaretur, quam ratio ſocietatis, ſine qua ſinguli ſubſiſtere nequeunt, identidem poſtularet.

42. Imo fortean nec ſinguli plane, *ſi qui ad mortem manifeſtâ injuriâ, per vim, ſine ordine ſuffragiorum & judicii* vocarentur, vi primæ conſenſionis ad ferendum tenerentur.

43. Enimvero ingentis boni communis cauſa, *poſſe extendi obligationem expreſſam usque ad mortis patientiam*, ut eſt lex de ſtatione non deſerendâ, ratio juris idonea, quæ prohibeat, nulla profertur.

44. Sed cum à morte homines efficacisſime abhorreant, non poteſt dici, quod primi conditores civitatis, commune fœdus, quo pars minor populi tenetur eo quod plures volunt, ad mortem ſine ullâ cauſa & ordine judicii ferendam, durare voluerint, quâ de re *vid. Grot. d. l. 1. c. 4. n. 7.*

45. Enimvero, ut detrimentum bonis alicujus illatum cauſam fœderis rumpendi ac ad promiſcuum redeundi bellum præbeat, id auctores Reipubl. nullo modo voluiſſe manifeſtum eſt.

46. Concludimus igitur, in *Democratia* ſive populari imperio ſingulos teneri ad ferendas totius populi injurias, qua de re vide *ſect. 8. c. 4. hujus libri.* exceptis illis caſibus, qui commemorati ſunt.

47. Tu dices, idque memini eſſe objectum; *pars minor poteſt ſemper contendere, aliquem ex illis caſibus exceptis eſſe commiſſum, eoque prætextu vis illius fæderis ſemper enervari poterit.*

48. Reſpondeo; *Vana in omnes opiniones verſari poſſunt*, ut Livius. Nos id agimus, ut ſano judicio termini ſtatuantur, non ut detorſiones malignæ excludantur, quod nulla ratio præſtare poteſt.

49. Exceptiones autem iſtæ duæ pertinent ad res & actiones externas, quæ ſolæ ad legem pertinent: Nam Legislator, ut Cicero dixit, res non animadvertit, *niſi quatenus eas manu tenere poteſt.*

50. Proinde ſententias animorum ad imperium civitatis & majoris partis conſenſum non pertinere manifeſtum eſt.

51. Multo minus ea, quæ Deus ſpecialiter præcepit, ſive digito ſuo inſculpta cordibus, ſive in literis ſacris expreſſa fuerint, de quibus etiam *alibi* dicendum.

52. Concedendum etiam, ſine dubio, quod civibus, ſocietatis præſentis pœnitentibus, inde ſubducere ſeſe & in alias terras conferre liceat; quâ de re *inferius* agetur.

53. Poſtremo ſciendum, hactenus à nobis de fœdere civitatis ſimpliciter contracto agi. Nam ſi conditiones adjectæ fuerint ſpeciales, his omnino ſtandum, ut *inferius* demonſtrabitur.

CAP. IV.

DARI FOEDUS INTER IMPERANTES ET SUBJECTOS, RURSUS EX NATURA STATUS DEMOCRATICI, CONTRA HOBBESIUM DEMONSTRATUR.

Quæri-

Quæritur, an imperantes injuriam perfidiamque adverſus ſubjectos committere poſſint. n. 1-5. Hobbes negat; hac ratione, quod nulla fœderis obligatione teneantur, eo, quod civitas pactione ſingulorum cum ſingulis, non cum majori parte vel cum imperantibus conſtet. n. 6-9. Quod refellitur inductione fœderis, quo Democratia conſtituitur, in qua ſe omnes & ſinguli obligant, in eum maxime caſum, quo ipſi in majori parte adeoque inter imperantes ſint futuri, n. 10-13. idque pluribus firmatur. n. 14-18. & concluditur, eſſe in Democratiâ duplici reſpectu, obligationem; Inter ſingulos cives uno, alteroque inter eos, qui in majori parte ſunt, cum inferioribus. n. 19-20. Majorem tamen partem nullâ re obligari, quam eo quod tacite ſit exceptum, n. 21-22. & quod expreſſe in ſtipulationem ſit deductum. n. 23-25.

1. PLane ex illis ſequitur; Civitatem, id eſt, majorem populi partem, adverſus ſingulos fieri poſſe ream injuriæ. Primo ratione naturali; Quod is qui ſine cauſa aliquem opprimit & ſpoliat, rem facit dictamini rectæ rationis contrariam: Quod dictamen cum jus ſit & homines obliget, ut antea demonſtratum eſt, non poteſt quod contra illud inſtituitur, non eſſe *injuria*.

2. Nec tantum injuriæ, ſed etiam perfidiæ ream major pars adverſus minorem ſe conſtituere poteſt.

3. Quod enim mentem fidemque pacti egreditur, non poteſt non *perfidia* vocari; Reſpublica autem per conventionem de vitâ bonisque omnium defendendis conſtituitur, quæ conventio tam violari quam ſervari poteſt.

4. Idque bifariam, primo *conſcientiate nus*; Quatenus qui maligne conſulunt, pacti fidem non ſervant; quod in omnibus injuſte factis aliquomodo verum eſt.

5. Rurſus cum effectu *nullitatis*, ſi terminos poteſtatis ab aliis acceptæ egrediantur, quod de caſibus modo exceptis intelligendum. Nec enim quicquid perperam conſulitur, ipſo jure nullum eſſe multis rebus exploratum eſt. *l*)

6. *Hobbes* dicit; non eſſe pactum inter pauciores & plures, quatenus hi corpus conſtituunt, *ſed inter ſingulos cum ſingulis*. Ideoque plures, cum ſinguli non ſint, ſed jus omnium prærogativâ ſuffragiorum nacti, haudquaquam ex pacto teneri. *Hobbes c. 5. §. 7. & c. 7. §. 7. & §. 11.*

7. Imo non poſſe voluntati ſingulorum quicquam tribui, poſt fœdus de ſervando plurium placito, ita fere demonſtrat.

8. Fœdus democraticum hujusmodi eſt; Singuli cives, alter ab altero tacite ſtipulantur hoc modo; *Quod pars major populi ſtatuet, ei tu pariturum eſſe te ſpondes? Spondeo; Et tu viciſſim? ſpondet ſimiliter;* ſic totus populus conjungitur, ejusque tempore conjunctionis, adhuc nulla pars major exiſtit. *d. cap. 7. n. 7.*

9. Quod igitur placita plurium tenent, ejus rei quisque pro ſe auctor eſt; Inde quicquid

l) exploratum) *Id velle videtur. Non omne quod injuſtum eſt, vindicari poteſt; non ut verba ſonant, quaſi quicquid perperam conſulitur ſubſiſtat. Caterum & phraſi nullum eſſe hic latius utitur, ut comprehendat, non ſolum quod nullum redditur aut reſcinditur, ſed & quod infectum fieri nequit, ſed vindicatur.*

quicquid plures ſtatuunt, hoc ipſe quilibet ſtatuere intelligitur; proinde ſi quid durius ſit decretum; ſibi quisque id imputet tam contra ſe quam adverſus alios; ſane pactum, *inquam*, quod pars major, quæ non fuit tempore pacti, nullum inivit, id nec violari ab illa poſſe concludit.

10. Ad hæc, noſtra ſic eſt ratio; *m*) Pactum illud ſingulorum cum ſingulis, iniri hac mente, ut in defenſionem communem, quam ſibi propoſitam habent paciſcentes, valeat; *id quod nemo negat.* Quæ conditio non minus quam pactum ipſum à ſingulis ſervari debet; Quatenus *publica utilitas, quæ ſæpe contra ſingulos eſt*, ratio permittit.

11. Non eſt dubium autem, quin omnes in reciprocà ſtipulatione ac ſponſione, eum in primis caſum ſpectaverint, quo fere unice obligationis uſus erat futurus, nempe, *quo ad ſuffragia de rebus communibus multitudo vocaretur.*

12. Dum itur ad ſuffragia, nemo in ſuperiore numero eſt, qui non ex pacto reliquis ſingulis teneatur, & quidem in eum maxime eventum, *ſi ex plurium numero ipſum eſſe contingat.*

13. Ubi nemo obligationis eſt expers, ibi univerſos obligari oportet; vinculum enim perſonale fidei, quo omnes obſtricti ſunt, *prætextu univerſitatis*, eludi nulla juris ratio permittit.

14. Præterea non eſt dubium, quin, cum populus de ſalute communi ageret, ſinguli ſe ſingulis obligaverint, *ut quantum in quoque eſſet, bono communi operam darent.*

15. Cujus pacti cum expers nemo fuerit, neceſſum eſt, univerſos illo quoque teneri, adeoque

m) eſt ratio) *Forte brevius & facilius ſic dici poteſt: Obligatio minoris partis erga majorem in democratia non oritur ex pacto expreſſo (ut finxit Hobbeſius propter hypotheſin ſuam, quod omnis obligatio ex pacto oriatur) ſed ex præſumpto. Etenim, qui formam democraticam imperii, eligunt, eo ipſo quo in hanc conſentiunt, citra expreſſum pactum ſpeciale obligantur majori parti, quia qui conſentit in finem, conſentit etiam in media neceſſaria.. At hoc medium eſt neceſſarium, quia ſine ipſo finis obtineri nequit, ut ipſe noſter faſſus eſt* cap. præced. n. 28. *Ratio vero cur aliter obtineri nequeat, hæc eſt, quia ſanior pars & juſtior inter æquales non poteſt dignoſci, nec ab aliis qui ſunt in civitate, nec ab aliis qui extra, ob infinitas circumſtantias, quæ quæſtiones de jure dubias reddunt, & in utramque partem facile diſputabiles, uti ſunt pariter quæſtiones de pulchro, decoro &c.* Adde noſtrum cap. ſeq. n. 51. *Sed quemadmodum datur deformitas & turpitudo, quæ in ſenſus fere omnium primo intuitu incidit, ita datur etiam injuſtitia aperta quæ ab omnibus palpatur, quorſum pertinent illi duo caſus excepti, quorum toties meminit. In his ergo ceſſat præſumtio conventionis, quia ceſſat ratio. Quinimo juris fruendi cauſa & defenſionis contra injurias & violentias omnis civitas & ſic etiam Democratia conſtituitur, ergo non poteſt præſumi, conſenſiſſe populum in partem majorem, etiam in caſu evidentiſſimæ injuriæ, quia alias ſimul voluiſſet contradictoria. His ita ſuppoſitis ſimpliciter negandum Hobbeſio, convenire expreſſe in democratiâ ſingulos cum ſingulis. Ubi enim unquam tale pactum expreſſum initum eſt, etſi ſæpe determinatio partis majoris, i. e. quænam pro majore haberi debeat lege vel pacto expreſſo ſit definita. Sic non opus eſt ſubtili illa reſponſione Autoris contra Hobbeſium oſtendere nitentis. quod non ſolum ſinguli cum ſingulis ſed & pars minor cum majore fœdus inierint. Quod vero hâc reſponſione faciliore non uſus ſit Autor, ea videtur fuiſſe ratio, quod in capite præcedente* n. 27. *etſi id verbis diſerte non dicat, per fœdus tamen democraticum de parte majore, ipſe intellexerit fœdus expreſſum, non tacitum.*

adeoque & hos *qui numero in ſuffragiis identidem ſunt ſuperiores.*

16. Tu dices; Ergo qui ſunt in parte majore, tenentur cæteris perfidiæ, *quoties perverſe conſulunt*, & ſic majoris partis conſenſio perfidiæ prætextu ſemper eludetur. Sed tenendum heic, quod eſt in arte juris notiſſimum; Eſſe jus quoddam externum, quod obligat ad patientiam, etſi cum ejus qui ſuperior eſt in obligatione, malitiâ ſit conjunctum, quale jus habet pater in liberos, magiſtratus in cives; quale etiam ex prævio conſenſu, in *hoc fœdere* demonſtravimus *cap. prac. n. 34. & ſeq.*

17. Committitur igitur perfidia bifariam. I. Quoties pars major in alios maligne conſulit injuriis tralatitiis; at hæc perfidia non habet effectum rumpendi fœderis ut *antea dictum*, ſed obligat ad patientiam. II. Quando malitia in exceptis caſibus *ſupra* enumeratis committitur, in quibus datur facultas reſiſtendi.

18. Quod ſi nulla fœderis ratio inter plures, qui conſentiunt & reliquos eſſet, ſcire cuperem, quid impediret, *quo minus major pars ſuo conſenſu diſſolvere poſſet Rempublicam*, quod non eſſe in eorum poteſtate, docet ipſe *Hobbeſius*, idque vi fœderis primitivi. *cap. 6. §. 20.*

19. Proinde, cum manifeſtum ſit, obligationem duas requirere partes, apparet eas in exercitio *democratiæ* eſſe, partem majorem idem ſentientem (etſi *qua pars major antea non ſint obligati*) & reliquos numero inferiores.

20. Ex his palam fit, eos, qui prætextu numeri prævalentis, latrocinium exercent, recte perfidos injurioſque in *democratiâ* dici. Proinde nec quenquam eorum, qui numero inferiores ſunt, in talem caſum ex ſponſione ſua teneri.

21. Verum tamen extra ſpecies ſupra collocatas nullum aliud exceptionis ſpecimen, quo pars minor ſe pluribus opponere queat, agnoſcere licet, niſi quis *populum in eandem confuſionem*, quam, Republicâ contractâ, vitare voluit, recidere velit, qua de re *præcedenti capite* actum.

22. Niſi quod de *rebus divinis* propria conſideratio eſt, de qua ſuo loco agetur.

23. Adde; *Niſi* & diſerte initio conſtitutæ Reipubl. *alia res ſint expreſſa* in quibus prærogativa ſuffragiorum non obtineret, ut jam monuimus.

24. Quod tamen in democratico ſtatu raro ſolet fieri. Quia præter populum, nullus hic alius ordo eſt, adverſus quem multitudo præmunire ſe cupiat.

25. Tamenetſi, ne ſingulorum populi ordinum jura mutentur aut violentur à magiſtratibus, id etiam in popularibus imperiis excipi ſolet atque conducit.

CAP. V.

QUO PROBATUR, IDEM QUOD PARS MAJOR POTEST IN DEMOCRATIA, ETIAM POSSE OPTIMATES IN ARISTOCRATIA ET PRINCIPES SIMPLICITER CONSTITUTOS.

Conſtituitur hypotheſis populi democratice gubernati ac tædio confuſionis uni vel paucis imperium deferentis, n. 1-3. Eo ipſo, quod definit populus velle congregari & facultatem regendi civitatem transfert, non poſſe fieri, quin poteſtas eorum, in quos illa facultas translata eſt, ſit eadem

quæ transferentium fuit, quia ſurrogatum habet naturum ſui ſurrogati; & jura translata nihil quam ſitum & perſonas mutant. n. 4-10. Utique ſi nihil ſit dictum, ex quo poſſit intelligi, populum miniſterio duntaxat eorum, quos conſtituit in certis minoribus negotiis uti voluiſſe, in qua ſpecie non jus imperii ſed modus adminiſtrandi mutatur. n. 11. Imperio igitur ſimpliciter translato, ſingulos vel paucos nihil habere ſuperius, ne totum quidem populum, quia in Democratiâ pars major ſine dubio abſolute ſuperior eſt: n. 12-20. Idque pluribus firmatur n. 21-29. Quin poſſe populum ſe dedere paucis vel uni in ſervitutem, quod tamen in dubio non præſumi. n. 30-44. Denique, partim ſuperioritas populi ſupra rectores rejicitur. n. 45-49. Partim mutua ſubjectio populi & imperantium refutatur. n. 50 52.

1. CÆterum, popularia imperia, inprimis majora, omnibus ſeculis plena confuſionis & turbarum fuere. Quas ut evitarent, pleræquæ gentes jus imperii certis hominibus, iisque vel ſingulis vel paucis concedere maluerunt. Unde *Ariſtocratia*, aut plerumque *Monarchia*.

2. Non eſt hujus artis diſputare, utra ſit præſtantior; hoc ad eam ſcientiam, quæ docet, *quid ex uſu ſit*, id eſt, *politicam*, pertinet. Enimvero non cunctabimur adſentiri ſummo Theologo *Calvino*, qui in inſtitutione ſuâ, ut omnes formas laudat, beatos tamen judicat populos, quibus *Ariſtocratiâ* frui licet: Nec tamen ideo vim *monocratiæ*, oportet eos infringere, quibus ſub principatu contigit naſci.

3. Rogatum quoque volumus lectorem, ut judicium ſuum de noſtra ſententia tantiſper ſuſpendat, *donec univerſum hujus quæſtionis tractatum perſpexerit*, & ultima cum prioribus exacte contulerit; animadvertet, non adulari nos regnantibus, nec adverſari populorum libertati, qui prudenter ſuis rebus conſulere in animos induxerunt.

4. Sic igitur pergimus, inquam; Jus quod populus in Democratia habuit, *hoc omne paucis, ſive optimatibus*, (in his primo ſubſiſtemus) *ſimpliciter reipublicæ impoſitis* detuliſſe, dediſſe intelliguntur: Ipſorum autem imperium in conſenſu plurium conſiſtebat, ut modo intelleximus.

5. Unde ſic eſt ſtatuendum; quicquid pars major populi poteſt in *Democratiâ*, id etiam poſſe Rectores optimates, ſimpliciter à populo, conſtitutos aut receptos.

6. Quod cum pro fundamento eorum, quæ ſæpe dicentur, habendum ſit, eſt quod bene obſervetur. Eſſentia, inquam, popularis imperii conſiſtit in voluntate atque conſenſu majoris partis, cui pars minor *identidem* ſubjicitur.

7. Ne quis cavilletur, totum populum eſſe majori parte ſuperiorem. Imperium enim in populari ſtatu non niſi in prærogativa majoris partis *identidem* ſuffragiis detectâ conſiſtit.

8. Sed pertæſus diſcordiarum populus, quibus in democratiâ eſt obnoxius, deſinit velle certare ſuffragiis: & imperium ita ſæpe defert aliis, ut *multitudo ſibi nihil reſervet, neque de ſumma Republica amplius arbitretur*, aut in eum finem conventus agat, vel ephoros conſtituat.

9. Quæ res argumento eſt, *illum abdicaſſe ſemet imperio*, amiſſa ratione unicâ exercendi juris ſui; nam potentia quæ nunquam in actum deducitur, non eſt *facultas*.

10. Ideo tales populi non poſſunt dici mandaſſe juris ſui exercitium optimatibus, quod, ſi male conſulant pro lubitu,

bitur, vel adimere aut circumſcribere poſſint.

11. Hoc enim uſu venit in democratiâ, ubi populus imperium retinet, parteſque minores & quotidianas magiſtratibus exercendas committit, ipſe vero τὰ κύρια & jus ſummum in ſuis conventibus ſibi reſervat, actu, non tantum primo, ſed etiam ſecundo.

12. Imperii ſimpliciter in optimates tranſlati exemplum eſt in Republicâ Venetâ, *ubi ſuprema poteſtas nobilium eſt*, aut *magni ſenatus*, cum olim totius populi fuerit.

13. Populus ibi nunquam convenit, vel de rebus ad Rempubl. ſpectantibus conſulitur. Nihilo magis in Hollandiâ, ubi ſenatus urbium omne jus habent, plebes nunquam publica, niſi per ſeditionem, tractant.

14. Addam agri quoque noſtri exemplum in Friſiis, ubi αὐθεντικὸν jus eſt penes certorum prædiorum dominos, qui numerus quidem ingens, longe tamen minor pars populi eſt. Factum id voluntate ſaltem tacitâ populi; Nec enim vis unquam iis adhibita; populus autem totus in utraque Republicâ nunquā univerſus de publicis rebus convenit.

15. Hoc igitur jus ita & amiſſum & abdicatum, non poteſt alibi eſſe, quam penes eos, quibus id populus ceſſit datumque voluit, *expreſſe, vel tacite*, ſaltem videndo & experiendo.

16. Nec omnino illud jus aut minus aut majus eſſe poteſt, *quam fuit apud multitudinem* prærogativâ ſuffragiorum ad imperii vim diſcretam.

17. Ubi enim eſſet, ſi non apud ordinem, quem populus ſibi ſubſtituit, *ſimpliciter?* potuit enim limitare poteſtatem optimatium, ſiquidem ita in animum induxerit ſuum.

18. Proinde hoc loco monita duo, limitandi cauſâ, prætereunda non ſunt.

19. Primum, quod jam diximus, tranſlationem illam imperii non ſemper adeo liquide claroque multitudinis conſenſu fieri; Sed *patientiam* ſæpius & taciturnitatem longi temporis *pro conſenſu* haberi ut aliquoties dictum & dicetur amplius.

20. Dein, argumentum juris, quod à *Democratia* ducitur ad *Ariſtocratiam*, locum habere, quoties in tranſlatione imperii nihil ſecus exprimitur, quod an omnino & quo pacto fieri poſſit *brevi videbimus*.

21. Hæc ita in optimatibus Rerumpublicarum obtinere quod populo tacite aut expreſſe regimen abdicante, quicquid proceres agunt, id omnis populus agere videatur, non eſt valde controverſum.

22. Sed juris ratio poſtulat æque, ut ſi populus *rege ſimpliciter conſtituto*, ut olim Romani lege regia, nuper etiam Dani, nihil juris ſibi pactus, nec animum conveniendi deliberandique de Republ. reſervet, ſe ipſum abdicaſſe regimine, totumque jus ſuum in regem tranſtuliſſe dicatur.

23. Nam alienatio & tranſlatio facultatis in unum, an plures, non poteſt habere diverſam juris rationem.

24. Hinc jam ſponte colligitur, falſum eſſe, *quod populus univerſus ſemper ſuis principibus ſuperior ſit*, aut Rex ſit quidem ſingulis major. at minor univerſis.

25. Nam ut pars major populi nullam ſupra ſe poteſtatem agnoſcit, ita principes (ſub quibus & optimates comprehendo) *ſimpliciter* recepti nihil habent ſuperius; cavillo de *toto populo, qui ſit majori parte ſuperior*, jam antea remoto.

26. Hæc de voluntariis, ne jam de violentis & jure belli fundatis imperiis loquamur. Talia enim non modo imperium abſolutum, ſed & dominium in bona & corpora civium complectuntur, *ut in loco vidimus & porro videbimus*.

27. Sed nos fundamentum imperii, quod originem à voluntate populorum habuit, heic indagamus.

28. De magni numeri optimatibus adeo mirum inſoleniſque non videtur, eos habere totum jus univerſi populi, idque pati poſſunt,

ſunt,

Digitized by Google

ſunt, qui in regnis hanc conſequentiam negant.

29. Atqui in paucis ſingulis, evidenter eadem eſt ratio, videlicet, translatione ſummæ poteſtatis in illos ſimpliciter facta, ut nos ſupponimus.

30. Quod ſi quis imperium putet, eſſe rem talem, quæ alienari nequeat, is cogitet etiam fieri poſſe uti *populus ſe volens in publicam ſervitutem dedat*, omniaque imperantibus, bona quoque & corpora ſua permittat. Idque à populis totis aliquando fuiſſe factum hiſtoriæ teſtantur, ut probat *Grot. l. 1. c. 3. n. 8.*

31. Siquidem ſingulos homines hanc ſuimet habere poteſtatem jure Hebræo & Romano conſtat. *Exod. 21. v. 9. §. ſervi autem inſt. de jur. perſon.* Ergo etiam populus univerſus è ſingulis conſtans.

32. Imo ex iisdem docemur, *eſſe gentes, quæ molliori imperio haberi* neque poſſint *nec optent. Juſtin. l. 38. c. 2. Tacit. 33. annal. c. 34. vid. Grot. d. l.*

33. At tamen id facile largimur, in univerſum æſtimanti, non eſſe præſumendum, *quod populus ſui juris, ultimo ſervitio mancipare ſe voluerit*, verum hoc palam liquere debet.

34. Quippe *libertatem* corporum *& patrimonia* familiarum illos citra communis boni cauſam, imperio exempta voluiſſe, dubitari non debet; Cujus enim ſervandi cauſa Imperium ſtabiliverunt, id imperio quærendo abdicare voluiſſe credi non poſſunt.

35. Sed imperio ſimpliciter uni vel paucis conceſſo, ſummam & abſolutam poteſtatem non modo in ſingulos ſed etiam ſuper univerſos, excepta libertate perſonarum & dominio rerum, *n*) eſſe delatam, certi juris eſſe videtur, ut dictum, ſub ea limitatione, *quam antea collocavimus. o*)

36. Ejusmodi vim imperii, qua & ſinguli & univerſi conſtringantur, in *Democratiâ* contra minorem numerum nemo negar, nec *inquam*, in ejusmodi civitatibus Ariſtocraticis, ubi ingens numerus imperantium habetur, velut hodie *Venetiis* & in *Friſia*.

37. Nemo dubitat (*liceat hoc repetere*) quin magnus Patriciorum Senatus *Venetiis* idem jus habeat, quod olim major populi pars habebat, cum civitas democratice regeretur.

38. In agro *Friſiæ*, totius populi jus eſt penes dominos veterum prædiorum; nec quisquam dubitat, quin *id quod iſti domini prædiorum de publicis rebus ſtatuerint, eandem vim habeat, cum eo quod major pars totius populi, collatis ſuffragiis, ſtatuere poſſet. Idque* in omnibus, inquam, civitatibus uſu venit, ubi jus αὐθεντικὸν imperii penes magnam multitudinem eſt, etſi in terminis Ariſtocraticis.

39. Sed qui ſummam rerum pauci vel imprimis ſinguli tenent, hi controverſiam patiuntur. Quod argumento eſt, *invidia inſolentiaque parendi magis, quam juris, ratione pleroſque hominum agitari in contrarium.*

40. Quip-

n) rerum) *Ita quidem eſt. Ratione conceptuum & abſtracti ſervitus mancipiorum & ſubjectio liberorum hominum multum differunt, igitur etiam eadem differentia eſt inter imperium abſolutum & deſpoticum. Interim in concreto & quoad effectum vereor, ut in praxi diſtinctio illa commode explicari poſſit, quia Princeps abſolutus ex jure imperii multos prætextus invenire poteſt infinities coercendi libertatem corporum & ex jure dominii eminentis,* (*quod noſter agnoſcit* ſect. 3. cap. 6. n. 38.) *dominia privata ſubditorum* Conf. Autorem ipſum ſupra c. 2. n. 10. ſeq. & ibi citatam diſſert. noſtram. ubi thema hoc fuſius deduximus.

o) collocavimus) ſupra cap. 3. §. 39. & 42.

40. Quippe vinculum obligationis in omni genere civitatis, quæ ſimpliciter inſtituta eſt, eodem modo ſe habere, jam valide, ni fallor, demonſtravimus.

41. Prorſus enim, quod fœdus in Democratia ſinguli cum ſingulis ineunt cives, quo ſe parti majori ſpondent parituros, *id in diverſis formis ſuper placitis principum & optimatum* tacite *p*) ſaltem *fieri* id palam eſſe jam, exiſtimamus.

42. Nec omninò aliter populus ſuum finem adſequeretur, quem fuiſſe docuimus, *ut voluntas omnium, quod ad publicas res, una fieret*, adeoque imperantium voluntas ſingulorum è populo & totius populi voluntas cenſeretur.

43. Multi, pauci, an ſinguli ſint, quibus ſe parituros ſpondent, nihil ad ſummam obligationis conferre, vel ex eâ detrahere poteſt.

44. Quin, inquam, ubi jus ſuum ſinguli tranſtulerunt, manifeſtum eſt, quod ipſi ſemet poteſtate privaverint. *Exceptis*, iterum, *illis, quæ tacite*, de quibus *ſupra*, *aut expreſſe imperio ſubmittere noluerunt*.

45. Qui aliter ſentiunt, populumque ſemper jure ſuis Rectoribus ſuperiorem eſſe volunt, imperio ſimpliciter conſtituto; poteſtatem illi tribuunt, imperantibus non modo ſemper novas præſcribendi leges, ſed etiam ad rationes reddendas compellendi in eosque animadvertendi, removendi, puniendi, tanquam ſuos miniſtros.

46. Sed cum ejusmodi res ſine motu violento fieri non poſſint, iidem auctores ſtatuere debent, populos habere jus ita inſurgendi in ſuos Rectores, & ſeditiones à majori ſaltem populi parte factas eſſe juris, ſaltem externi, cauſa licet iniquâ tumultus.

47. Dominus enim ſeu bene, ſeu male jure ſuo utatur, jus tamen ſuum exercet, nec ſi male conſulat, ulli facit injuriam, quod invito illo ſuas res pervertit.

48. Sicut Tribunitiæ ſeditiones Romæ omnes hujus externi juris fuerunt; & ſi quis alius populus, Romano licet minime gravitate par, omnia miſceat: cum Reſpublica in ejus manu & arbitrio, Rectores autem miniſtri ſint, à populo dependentes, quicquid agant, nihil quam jus ſuum, utcunque male, exercebunt.

49. Quod non modo in ſe perverſum, ſed etiam populorum à democratiâ recedentium opinioni contrarium eſſe, nemo rerum humanarum prudens negaverit.

50. Porro ex eodem fundamento ſententia illorum evertitur, qui *mutuam ſubjectionem*

G nem

p) tacite) *Fortius ſtringet argumentum ſi obligationem minoris partis erga majorem in Democratiâ nobiſcum deducas non ex conventione expreſſa, ſed pariter tacita.* vide ſupra notam lit. m. ad cap. 4. *Nam alias diſſentientes forte urgerent: à conventione expreſſa ad tacitam non licere argumentari. Quinimo ad adſtruendam poteſtatem Regis ne quidem neceſſarium eſt argumentum à democratiâ, (præprimis cum ipſe Autor faſſus ſit* c. 3. n. 26. *monarchias extitiſſe ante democratias) cum omnis regentium poteſtas poſſit deſumi ex natura communi omnis Reipubl. quæ in eo conſiſtit, ut omnium voluntas una fiat. Autor* cap. 1. n. 6. & 10. & hic ſtatim n. ſeq. *Quod enim anima in corpore eſt, id eſt una voluntas in civitate. Quodſi igitur regem eligat populus, eo ipſo ſuam voluntatem in regem transfert, quoties Ariſtocratia placet, eo ipſo selectis illis ex populo, reliqua pars ſuam voluntatem in eos transfert. Jam in rege nihil amplius opus eſt addere, quia ipſe unus eſt. At in collegio optimatum ulterius opus eſt, ut inter hos unio voluntatum novo modo determinetur, quod rurſus aliter quam per majoritatem votorum fieri nequit, uti in Democratia. Ergo cum regula de pluralitate demum locum habeat in caſu ubi diſſenſus voluntatum eſſe poteſt, id eſt, ubi ſermo eſt de pluribus, non opus eſt eâ ad deducendum jus & poteſtatem unius.*

Digitized by Google

nem inter populum & imperantes exiſtere volunt. Ita, ut populus univerſus rectè imperantibus parere debeat; principes autem malè imperantes populo ſubjiciantur.

51. Quod in theſi atque in imperio nullis conditionibus limitato falſiſſimum, omnisque confuſionis flabellum eſſe poteſt; quippe, controverſiis omni die futuris, *utrum bene, an male reſpublica geratur*, quæ nec judice alio quam ferro decidi poſſet. *Vid. Grot. l. 1. c. 3. §. 9.*

52. Tale erat imperium caſtrenſe tumultuarium ad Trojam, quod Ajax, Achilles, cæterique Heroes volebant, & quorum Achilles, de regno *Agamemnonis* & *Menelai* ſic loquitur;

Καὶ τοῖς Ἀτρείδαις ἢν μὲν ἡγῶνται καλῶς
Πειθόμεθ᾽ ὅταν δὲ μὴ καλῶς, ὐ πειθόμεθα.

id eſt, eodem metro,

Et nos Atridis, ſi quidem bene imperent,
Parebimus; ſin minus, non parebimus.

Euripid. *Iphigen. Aul. v. 927.*

CAP. VI.

QUO RATIONES CONTRA SUMMAM POTESTATEM EXAMINANTUR.

Contraria ſententia exponitur. n. 1-4. Primum argumentum, quod conſtituens neceſſario ſit ſuperior conſtituto, n. 5. 6. & alterum, quod reges ſint propter ſubditos, ideoque inferiores, refellitur, n. 7. 8. ut & tertium à voluntate præſumptâ populi. n. 9. 10. 11. & quartum à natura mandati, n. 12-17. aliaque non nulla 18-28. D. Althuſii, & Junii Bruti, è ſacris, ubi de fœdere Dei & populi Hebraici agitur, petitis. n. 29-47. Non ſequi, populum pro delictis regum judicio divino eſſe obnoxium, etſi occaſione illorum affligatur. n. 48-57.

1. BEne igitur habet illud Tertulliani, *imperatorem eſſe hominem à Deo ſecundum eoque ſolo minorem*, & Optatus Milevitanus; *Super imperatorem nonniſi ſolus Deus eſt, qui fecit imperatorem lib. adv. Parm.*

2. Quod tamen non obſtat, quominus imperium ſit *κτίσις ἀνθρωπίνη*, humana creatio, ut ex *Petro* antea probavimus.

3. Nec enim populi Romani voluntas, qui omne ſuum jus in imperatorem tranſtulit, à cauſa imperatoriæ poteſtatis excludi poteſt; etſi alienato jure ſuo, deſiit eſſe ſuperior, adeoque ſolus Deus, ut antea ſupra populum, nunc ſupra imperatorem eſt.

4. Qui aliter ſentiunt hoc tenent; *Populum ſemper eſſe plenum omnis imperii & poteſtatis Dominum, cujus liberrima diſpoſitio, proprietas & uſusfructus ad corpus conſociatum, id eſt, ad populum totum pertineat. Principis autem non eſſe parem eum populo poteſtatem ſed longe minorem & inferiorem, quæ ex regni, id eſt, populi arbitrio & præſcripto pendeat, ut mandatarii, ſunt verba* D. Althuſii *d. c. 19. n. 12. & 13.*

5. Argumenta, quibus utuntur, varia ſunt. Primum & palmarium, quod qui alium conſtituit, ſuperior ſit conſtituto, neutiquam univerſale eſt.

6. Fallit enim in his, *quæ primo voluntatis, poſtea ſunt neceſſitatis*, ut in eo, qui ſe domino ſponte mancipat, omnique die in matrimonio videmus, quo mulier eligens virum,

Digitized by Google

rum, non deſinit inferior eſſe electo, idemque in adoleſcentibus curatores ſuos eligentibus *l. 2 §. 4. & ſeq. ff. de his qui pet. tut. & curat.*

7. Nihilo firmiorem illud argumentum, habet ſequelam, *reges ſunt propter ſubditos, ergo ſunt ſuperiores; Brut. Vind. contr. tyr. qu. 3.* Quod vel pupilli & tutoris exemplo, *q*) apparet ex eorum genere eſſe, quæ ſæpe, non quæ ſemper obtinent.

8. Atqui Apoſtolus eodem argumento utitur, ut probet mulieris ſubjectionem *r*) infra virum 1. *ad Corinth. xi.* Sed non tam probat exinde rem alioqui dubiam; quam mulieribus hanc rationem inculcat, ut intelligant, habere ſe cauſam æquo animo ferendi jugum, quod eis natura & inſtitutio divina imponit.

9. Tertium argumentum; *Poteſtas imperantium pendet atque profecta eſt à voluntate populi, quæ non præſumitur hac eſſe, ut univerſi unius imperio ſubjiciantur d. tract. & quæſt. 3. Reſp.* Quæſtio voluntatis non debet admitti, quando de facto conſtat. Populus, qui transtulit imperium, jus omne ſuum abdicavit, idque dedit optimatibus aut regi; hoc autem erat ejusmodi, ut omnes teneret; *non poteſt igitur quæri, an fecerit, quod factum eſſe videmus.*

10. Imo voluntas è verbis colligi debet; hæc ubi indefinita ſunt, voluntatem quoque univerſalem oportet accipiamus. Quod ſi reſpicias ad ea quæ *cap. 1. & 3. h. n. ſect.* à nobis dicta ſunt, intelliges, ne quidem præſumptæ voluntatis cauſas in ea parte deeſſe quam nos tuemur.

11. Firmius eſſet argumentum, ſi probare poſſent, quod ſupponere videntur, imo præ ſe ferunt ita; Imperium eſſe rem inalienabilem. Sed cum ipſa libertas, quæ eſt maxime naturalis facultas, & dominium rerum jure gentium alienari poſſit, quur imperium, ſalva libertate & proprietate rerum, alienari non poſſit, nihil profertur.

12. Quarto loco, alii volunt, *Mandati obligationem inter populum & imperantes intercedere, quo fiat, ut hi tanquam mandatarii teneantur ad rationes ſuæ adminiſtrationis reddendas populo, mandatori, ſicut diſſerit D. Althuſius* Proſocer meus *cap. 19. Polit. n. 12. & paſſim.*

13. Verum, an ſecus hoc ſit, pendet ex eo quod populus egit; Quominus enim mandare poſſit, dubium non eſt: Sed tum manet *Democratia*, id eſt, *populare imperium*, modo tantum adminiſtrandi variatum.

14. Si vero det & transferat ſuum jus nec ipſe ullos diſponendi actus circa ea, quæ dedit, retineat, res loquitur eſſe alienationem. Nec aliter *Ariſtocratia vel Principatus* formari poteſt.

15. Non ubicunque electio & conſtitutio

G 2 volun-

---

q) exemplo) *Non inepte Zieglerus ad Grotium, etiam adhibet paſtoris ovium item ſubulci &c. exempla.*

r) ſubjectionem) *Ita communiter. Hoc autem ſi admittas, vix commode reſpondere poterit Monarchomachus. & longius petita eſt reſponſio ipſius Autoris, imo nec ſufficiens, quia & tum contra rationem foret iſtud ſolatium. Idem enim eſſet, ac ſi quis hoc argumento conſolari vellet tutorem, quem duriter tractaſſet pupillus. Adſpice textum. Id agit Apoſtolus, ut probet, uxorem non debere imperare marito. Interque duo magna eſt differentia.* vide quæ dixi in inſtit. jurispr. div. n. 42. ſeq. *Porro miſcent opponentes loca diſtincta Apoſtoli.* Nam 1. ad Corinth. XI. *adhibet quidem Apoſtolus rationem de muliere propter virum creatâ, ſed non in quæſtione de imperio inter maritum & uxorem, verum de velanda muliere. At quæſtio de imperio & ſubjectione tractatur* 1. Tim. II. v. 13. *Sed ibi non adhibetur ratio, quod mulier ſit propter virum creata, ſed de prioritate creationis.*

Digitized by Google

voluntaria Rectoris celebratur, ibi intervenire mandati obligationem, maritalis & curatoria poteſtas abunde ſignificant.

16. Imo vero, ſæpe, ubi imperium ſimpliciter defertur, nullum pactum inter imperantes & ſubjectos initur, proinde nec mandatum: ſed tum fœdus, quo ſubjecti ad obſequium obligati ſunt, eſt compromiſſum inter ſingulos cives, non inter hos & imperantes, ut ex iis quæ in *cap. 3. & 4. h. ſect.* expoſita ſunt, intelligi poteſt.

17. Sed hoc à *mandato* argumentum pluribus in *differt. de jur. imperii*, quod in calce hujus libri ſubjicietur, perſequemur. *)

18. Utuntur adhuc alio argumento. *Quem quis repræſentat, is hoc eſt inferior. Optimates & reges populum repræſentant.* Sed prius dicere deberent, quid eſſet repræſentatio, terminus arbitrarius. Sumitur à JCtis pro ſubitione in locum & in jus alterius; plerumque ita, ut in eum qui ſubit & repræſentat alium, jus prioris ſit translatum, ſicut heres repræſentat defunctum, emptor auctorem ſuum.

19. Ita Imperator Romanus repræſentat populum, cujus omne jus habet in ſe translatum; etſi verum eſt, mandatarios & legatos etiam vulgo dici repræſentare delegantes; Terminus igitur hic nihil decidit; à natura negotii dependet, quod in imperio ſimpliciter delato non eſſe mandati, ſed alienationis, antea demonſtratum eſt.

20. Pergunt; *Per abſolutam poteſtatem tollitur juſtitia, qua ſublata, regna ſiunt latrocinia & perfringuntur repagula, quibus obſerata eſt humana ſocietas*, ſunt verba D. Althuſii *Polit. c. 19. n. 10.* Ad hæc primo ſic eſt habendum, abſolutam poteſtatem eſſe neceſſario in democratiis, veluti Romæ & Athenis, & in Ariſtocratiis laxioribus, ut eſt apud Venetos & Belgâs; ubi tamen illa incommoda non reperiuntur: uti nec in omnibus monarchiis abſolutæ poteſtatis, ut ſub Auguſto, Veſpaſiano, Tito, Nerva, Trajano, Hadriano, Antoninis aliiſque Romanis Imperatoribus, qui æquè abſolutæ poteſtatis fuerunt ac alii jure ſuo abuſi.

21. Præterea, hæc ad prudentiam pertinet objectio, cujus à jure ſeparata ratio eſt. Aliud enim eſt quærere, quæ ſit optima Reipubl. forma, & aliud, quæ ſit facultas imperii. Laudamus populos, qui non omne jus in imperantes transferunt; qui transtulerunt facto, iis jure non licet nobis reſervare jus, quod volentes amiſerunt.

22. D. Althuſius. *Talis poteſtas abſoluta non reſpicit utilitatem & ſalutem ſubditorum, ſed voluptatem privatam.* Quod negatur, ſcilicet adſumptum. Non deſunt populi, qui abſolutam poteſtatem elegerunt, ut remedium bellorum civilium & confuſæ adminiſtrationis; ſicut Hebræi olim tædio inſolentiæ filiorum Samuelis, & Romani lege Regia, & noſtro tempore Dani, libere ſatis.

23. Prudentiſſime an illi fecerint, alia rurſus quæſtio fuerit. Non derogat abſoluta poteſtas officio imperantium pio & recto. Etſi periculum tyrannidis illic in proclivi eſſe fatemur; ut in mixto & obnoxio imperio periculum à diſſenſionibus & à bellis civilibus.

24. Pergunt; *Nullum unquam regnum, nulla unquam* Reſpubl. *inſtituta fundataque fuit, niſi ultro citroque habito initoque contractu, pactiſque inter ſubditos & futurum eorum principem conventu & obligatione mutua conſtitutâ; quam utrique religioſe conſervarent, & qua violata, poteſtas illa evaneſceret ac tolleretur*, verba D. Althuſii *d. cap. 19. n. 15.*

25. Reſponſio eſt negatio facti. Primo enim pleræque Ariſtocratiæ, quibus idem jus eſt, quod regnis, ſine tali mutua & ſpeciali conventione ſunt conſtitutæ; quemadmodum nullæ tales in hodiernis Venetorum & Belgarum Rebuspublicis, quæ optimatum jure reguntur, extant. Nec etiam in regnis ſimpliciter conſtitutis, ut populus,

*) perſequemur) ſect. 10. c. ult.

pulus Romanus in Auguſtum tranſtulit omne jus ſuum *l. 1. ff de conſt. Prin.* idque Dani nuper imitati ſunt, abſque ullis conditionibus, aut conventione ſpeciali, tranſlationem juris univerſi limitante. Ubi extant ejusmodi conventiones, ut in Germaniâ, in Anglia & alibi, illic eas inanes eſſe non debere, fatemur.

26. Inſtat D. Althuſius, *quod ſi vero populus ſeu Reſp. omne ſuum jus & imperium in ſummum magiſtratum contulit, ut dicitur in l. 1. ff. de Conſtit. Princ. aut ſummam illi poteſtatem, ſine omni reſervatione, vel exceptione & conditione dedit, tum verba generalia ſecundum ſubjectam materiam accipimus, ita, ut qualis eſt natura imperii ſeu principatus, talis etiam iſtorum verborum generalium ſit interpretatio. Natura vero magiſtratus & imperii eſt, ut utilitatem ſubditorum, non imperantis commodum reſpiciat, & ſecundum rectam rationem & juſtitiam adminiſtret Rempubl.*

27. Non opus eſt, ut ſolliciti ſint hujus ſententiæ Auctores de interpretatione imperii ſimpliciter delati; Sola mandati quod etiam, ſimpliciter & cum libera poteſtate defertur, hypotheſis, quam in omni conſtitutione imperii ſupponunt, ſufficit ad redigendos imperantes, ſemper à populo dependentes, in ordinem & ad rationes reddendas compellendos.

28. Quod ſi alienationem eſſe concedant, nemo negat, imperantes teneri ad commoda ſubjectorum curanda, jusque delatum bene exercendum. Sed non ideo qui jus ſuum alienavit, alterum quem dominum fecit, ad rationem juris ſui reddendam adigere poteſt, vel eo privare, ſi male etiam contra ſe exerceat.

29. Plus valoris ineſſe videtur petito è ſacris literis argumento; Ubi fœderis inter populos & reges longe alia quam nos collocavimus, ratio eſſe videatur.

30. Fœdus eſſe (ponit ita Junius Brutus in *quæſt. 2.*) *inter Deum, populum & regem, quod futuri ſint populus Dei.* Cujus ſanctio ſit, *ſi perſeveraveritis in malitia, tam vos quam Rex veſter peribitis. 2. Reg. cap. 11. v. 17. & 2. Chron. 23. v. 16. 1. Sam. c. 12. v. 16. 17. & ult.*

31. Duos hic eſſe volunt reos promittendi, qui in ſolidum ſinguli obligentur, regem & populum; *ut de duobus reis nota juris eſt doctrina tit. ff. & inſt. de duobus reis*; nempe univerſitate hominum unius perſonæ vicem ſuſtinente.

32. Regem igitur, ſi populus legem Dei violet, teneri ad hanc promisſionem integre præſtandam. Proinde ad cogendum quoque populum, uti ſtet promiſſo, puniendumque, ſi qui fidem rumpere ſint auſi.

33. Quod ſi negligat Rex, ita juris eſſe, *ut ipſe culpa totius Iſraëlis teneatur*, quippe inter duos reos ira leges dictare, factum alterius ut alteri noceat *l. penult. ff. de duobus reis.*

34. Sic populum quoque, deficientem regem quaſi è fuga retrahere & coercere debere, *eadem ratione.*

35. Ni faciat, fore uti populum delicta regis luere oporteat, ut contigerit in perfidia Saulis adverſus Gibeonitas & Davidis in cenſu populi aliisque ſimilibus. *lib. 2. Sam. c. 8. & ult.*

36. Qui ad promittendum, is etiam tenetur ad præſtandum; qui ad hoc, is ad media quoque jus habet. Abſurdum fore, ſi populus ad præſtanda luendaque regis facinora teneatur & impedire illa non poſſit; *cum ultra id quod poteſt, nemo teneatur.*

37. Ad hæc nos ita, 1) mirum videri, quod Samuel populum non cohortatus ſit, ut fœdus cum Deo initum adverſus Saulum exequere-

1) nos ita) *Nos brevius ita. Quicquid ſit de ſenſu fœderis illius inter Deum, populum Iſraeliticum & regem, ſufficit, quod à Theocratiâ, qua etiam ſuo modo manſit ſub ſtatu*

Digitized by Google

exequeretur. *Quod quidem facere debuiſſet, ſi plebes tanta ſub pœna ad hoc ipſum teneretur.* Miram videri ſtultitiam *Davidis*, qui regem impium, cum poſſet, tollere ſit veritus.

38. Plane id verum eſt, populum vi fœderis cum Deo pacti, non debuiſſe regibus obedientiam, in tantum, *ut contra leges ipſius delinquerent*. Sed nihil profertur, quare populus debendi reus in ſolidum fuiſſe dicendus ſit.

39. Quippe in delictis contra leges admiſſis, obligatio ad pœnam non egreditur perſonas delinquentium. Quæ tam juris divini quam naturalis & civilis notisſima regula eſt. *Deuteron. 24. v. 16. Ezech. 18. v. 22. 2. Reg. 14. v. 6. 2. Chron. 15. v. 5.*

40. In juris quoque diſciplina inauditum eſt, duos reos in maleficiis per conventionem expreſſam conſtitui; Accidit quidem, ut plures ex eodem delicto in ſolidum teneantur; ſed hoc ſinguli ſuo facto, non paciſcendo vel promittendo contrahere ſolent aut poſſunt, quod *Brutum* iſtum jurisprudentiæ gnatum fugere non potuit.

41. Idem, utrumque correorum vult obligatum fuiſſe in ſolidum, ſi per ipſum ſtaret, quominus alter fœdus ſervaret, neque cogeret deficientem ad fidem ſervandam; At hoc perinde impingit in juris principia: Nam duo correi ſuo nomine ſinguli in ſolidum tenentur, ſine reſpectu ad alterius negligentiam vel perfidiam.

42. Atqui tamen & ipſe ita ſtatuit, iniquum fore, populum ex delicto regis teneri, ſi nihil ei negligentiæ posſit imputari; Proinde vult eum teneri, ſi regem ad fœdus ſervandum cogere neglexerit. Imo ſi populus eſſet correus, teneretur etiam directe, ſine reſpectu ad negligentiam in rege compellendo: nam ſic eſt nota juris doctrina, correos teneri ſingulos in ſolidum, ſine relatione ad alterius factum vel culpam. Hoc igitur argumento eſt, rationem à correis debendi petitam heic infeliciter applicari.

43. Imo vero, juris ratio dictat, quod in contractu a pluribus inito, nunquam aliter quam pro parte virili actio in ſingulos naſcatur; *Niſi expreſſe quilibet in ſolidum ſe voluerit obligatum*, quod in fœdere Dei cum Iſraele non legitur eſſe conventum.

44. Sane obligatio fœderis quemque non tantum pro ſe, ſed & pro iis, quos habebat in poteſtate, devinciebat; Quatenus ipſorum neglectus argui poſſet.

45. Unde parentes pro liberis, domini pro ſervis, reges & magiſtratus pro ſubjectis merito tenebantur; Scil. ſi non omni modo, etiam manu & vi ſuorum impietatem cohibuiſſent.

46. Non, quod ex illorum delictis, ſed ex *proprio peccato*, conniventiæ exitiabilis, contra officii ſui rationem, tenerentur.

47. Non eadem ratio viciſſim liberos pro parentibus, ſervos pro dominis, ſubjectos pro imperantibus faciebat obnoxios; Eo quod vi & armis adverſus eos, quorum ipſi in poteſtate erant, experti non eſſent: Siquidem ipſa res loquitur, diverſam utrinque eſſe officii rationem.

48. Præterea, videtur eſſe verius, populum inſontem, *ob peccata regum fuiſſe punitum* id nusquam probari. Nam vix eſt, ut in exemplis modo projectis, & ſi quæ alia publicæ adminiſtrationis delicta in plebem expiata ſunt, ſubjecti ſe non participes, etiam committendo, fecerint. *Grot. lib. 1. c. 2. §. 10. in fin.*

49. Quanquam, ſi maleficia publica eorum quos ſibi rectores impoſuerunt, temporalibus malis in populum redundarent, id ab ho-

regio. præprimis ſub tempore Saulis & Davidis, ad Reſpublicas reliquas quarum regimen ſolum per homines exercetur, non valeat conſequentia. Vide Spencerum de Theocratia Judaica, potiſſimum cap. 4. ſect. 2.

ab hominibus injuſtum cenſeri vix poſſet; Cum hoc, more nec non jure gentium omni die fiat & exerceatur, *ut facta imperantium civitas praſtet.*

50. Sed nihil vetat reſpondere, peſtem atque famem, fuiſſe mala, quibus Deo placuit ad populum ſuum viſitare, *propter alia peccata*, quorum materia non defuit; ut neceſſe non ſit, dicere populum Iſraelis luiſſe meritum regis, quod is maleficio perſonali ſuo contraxerat.

51. Cum autem populi adflictio imperantes maxime lædat, executio pœnæ adverſus populum facta per occaſionem delicti à rege commiſſi, non poteſt non haberi *pro parte pœnæ* regi intentatæ: quemadmodum mala liberorum etiam poſt obitum parentum, pœnæ loco, reſpectu defunctorum, haberi poſſunt, etenim φαίνονται inquit *Ariſtot.* *αἱ τῶν ἀπογόνων τύχαι τοῖς κεκμηκόσι συμβάλλεσθαι τι.* *Videntur enim caſus poſterorum ad proſpera vel adverſa mortuorum pertinere, 1. ad Nicom. c. 11.*

52. Quid vero tandem? Populus ob male conſulta regum & optimatum bellis affligitur; Ergo ſe conſiliis publicis ingerere, neu quid perperam fiat, intercedere poteſt, manu quoque & vi armata? Pulchram mehercle juriſprudentiam! theologicum an ſit, ut illi volunt, alii viderint.

53. Nonne & David obnoxium ſe populo, ob adulterium & homicidium fuiſſe negat, quando *ſoli Deo ſe peccaſſe* profitetur. *Pſal. 51. v. 6.* Negat id D. Coccejus *ad d. v. 6.* & miratur, fuiſſe homines doctos, qui ex his verbis ita collegerint. Etſi ille rationem reddens, quur David ſe Deo peccaſſe dicat, non explicet, cur reduplicando *Tibi, tibi ſoli,* לך לבדך ingeminet. *u*)

54. Certe in his verbis, nihil ſe ex regia dignitate præcipuum habere apud Deum, evidenter indicat; nec id agit, ut regiam ſublimitatem ſuam extollat, uti recte Coccejus, quaſi dicere voluerit; *nemo hominum me judicare poteſt, ſum ἄκριτος πρύτανις, judex ipſe ſupremus*, nulli *obnoxius.* Id enim inſtituto humilitatis ejus minime conveniret. Sed ita, ſis, accipe Τὸ *Tibi peccavi, tibi ſoli;* Quid prodeſt mihi, quod rex ſum? *Tanto gravius deliqui; Si ab hominibus eſſem puniendus, aliqua parte ſatisfacerem; nunc ira tua tremenda mihi tota incumbit. w*) Pars humiliationis eſt, quod regii characteris oblitus eique renuntians, ſe Deo ſoli, ſine exceptione, ſubjicit ac inſinuat.

55. Ex ſupra dictis abunde liquet; inter magiſtratus præcipuos & ex plebe ſingulos, quod ad ſubjectionis legem in imperio ſimpliciter conſtituto attinet, nihil eſſe diſcriminis, ſecus ac *Politici* & *Theologi* plures volunt.

56. Qui non ſatis animadvertentnt, magiſtratus eſſe miniſtros ſummæ poteſtatis, ab illis ſuum jus adeptos & perpetuo dependentes; Ut imperium in populum juſſit poteſtatis ſummæ; ſed adverſus hanc ipſam non, niſi parendi obligationem habeant.

57. Melius alii diſtinguunt inter magiſtratus *regis & regni;* ut hi ſint, qui ab ordinibus populi in partem imperii recepti, mandatum conſervandi jus ſuum acceperint, quales *Ephori Spartæ*, Senatores regni in *Polonia*; In quibus gentibus non eſſe regiam poteſtatem ſimpliciter delatam, quæ eſt noſtra hypotheſis, ſæpius indicatum eſt.

CAP.

u) ingeminet) *Unde, ſi verum fateri volumus, paululum contorta eſt explicatio illa Coccejana. Adde quod nec quadret ad vocem* ſoli.

w) incumbit) *Sed & non convenit hæc expoſitio cum ratiocinatione Davidis in alio loco* 2. Sam. XXIV, 24.

Digitized by Google

CAP. VII.

QUO SENTENTIA SUPERIOR CONFIRMATUR AUT ILLUSTRATUR, EX JURE ROMANO ET LITERIS SACRIS.

Fundamentum probationis ex jure Rom. poſitum, primo, in *l. 1. ff. d.* Conſtit. Princ. ubi, populus omne ſuum jus in Principem contulit, n. 1-5. cum quo dicta aliorum è veteribus collata, n. 6. 7. item de regulæ fundamento, quod princeps ſit legibus ſolutus. n. 8. 9. Additur è ſacris n. 10. 11. argumentum juris regii à Samuele expoſiti. l. 1. Sam. cap. 8. n. 12. De cujus interpretatione diſſeritur. n. 13-37.

1. PLacet his rationibus ex ſana philoſophia petitis, ſubjungere probationem ſententiæ ſuperioris *ex jure* Romano & è ſacra ſcriptura, quæ ſunt duæ præcipuæ auctoritates, quibus in hoc genere liceat uti.

2. Summa probationis ex jure Romano petita, eſt in verbis Ulpiani *l. 1. ff. de Conſtit. Princ.* Unde ita colligimus; *Princeps Romanus tantum poteſtatis habuit in populum & res imperii, quantum populus ipſemet antea tenuit & exercuit; Atqui populus Romanus, ante translatum in Cæſares imperium, habuit liberam nullique ſubjectam poteſtatem; Proinde non poteſt fieri, quin etiam Princeps æque poſtea liberam & abſolutam nullique ſubjectam poteſtatem habuerit.*

3. Prima poſitio fundata eſt in ipſis Ulpiani verbis; *Populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem contulit. d. l. 1.*

4. Ambigunt interpretes, quo pacto hæc verba, *ei & in eum* ſint accipienda, quibusdam volentibus, in iis eſſe reduplicationem ejusdem ſenſus, majoris efficaciæ cauſa, ſtylo curiali Romano non inſolitam; ut translatio imperii in principem facta fortius intelligatur. Alii verba *in eum* accipiunt pro *in ſe*, quemadmodum Theophilus κατὰ ὁ δῆμος & plerique interpretes arbitrantur, pari ſenſu quo Seneca *Epiſt. 14.* dixit, *ſinguli, quibus poteſtas populi & in populum data eſt.*

5. Utram interpretationem ut veriorem præferre oporteat, neceſſe non eſt heic eam litem faciamus noſtram, quoniam utrovis ſenſu argumentum noſtrum robur ſuum obtinet; *populus omne ſuum imperium & poteſtatem contulit in principem.* Quod idem Juſtinianus adfirmat in *§. ſed & quod principi 6. Inſt. de jur. nat. gent. & civ. l. 1. §. 6. C. de Vet. jur. enucl.*

6. Non ignoramus eſſe, qui hujusmodi translationem in principes Romanos unquam ſſe factam negent eamque rem à Juſtiniani miniſtris falſo eſſe proditam & per ἐμβλημα, Ulpiani verbis in *d. l. 1.* eſſe adjectam. Sed hæc exceptio à nobis copioſe refutata eſt in *Part. 1. Digreſſ. l. 1. c. 16. & ſeqq. x)* Nec aliud ab hiſtoricis veteribus eſſe traditum, quam à JCtis, ſatis apparet, ex his inter alia locis. *Dion. lib. 50.*

3. Cæſares πᾶσαν τῆς βασιλείας ἰσχὺν περιβέβληνται, *omni regia poteſtate præditi ſunt,* etſi,

x) & ſeqq.) *ubi diſputatur contra Martinum Schoockium, qui eam ſententiam, quam hic Autor habet, defenderat in tractatu* de quadruplici lege regia. *Adde Dn. Becmannum in* meditat. polit. *peculiari diſſertatione* de Lege Regia.

etſi *τὸ κατὰ τ' ὄνομα φορτικὸν, nomini invidiam detrectarunt.* Idem *lib. 60.* Senatus P. Q. R. Claudio *ἐψηφίσαντο αὐτοκράτορα ἀρχὴν καὶ ἑαυτοῦ καὶ τῶν νόμων, decreverunt et imperium, per ſe & in leges*, vere *ſummam poteſtatem*, ut *ὅσα βούλοιτο ποιοίη, faceret quicquid vellet*, *καὶ παῦθ' ὅσα ἂν μὴ βούλοιτο μὴ πράττῃ*; Nec *faceret quod nollet.* Quæ nihil eſt aliud quam poteſtas libera & abſoluta. *Omnis poteſtas in unum collata* apud Tacitum*l. Hiſtor. 1.* Jus *arbitriumque omnium rerum*, Sueton. *Cal. c. 14.* *Πολέμου καὶ εἰρήνης κατέστη κύριος*; *Pacis & belli dominus eſt factus Auguſtus* Strab. *lib. ult. in fin.* Nec ulla parte plus eſt, quod juris auctores legi regiæ adſcribunt; etſi nomen *regia* legis ſerius eſſe repertum & de principibus Romæ prædicatum concedimus; Populi tamen voluntas absque ſenatusconſulto & lege non potuit edi vel promulgari.

8. Porro, altera poſitio ſuperioris argumenti, quod *populus antea liberam & abſolutam poteſtatem habuerit*, tam evidens eſt, ut probationis non indigeat; nam ſicut quisque privatus, *liber eſt arbiter & moderator rerum ſuarum l. 21. C. Mandat.* habens perfecte liberam de ſe ſuisque rebus diſponendi poteſtatem, ita populus univerſus de univerſitate rerum ſuarum eandem habet arbitrii & diſponendi libertatem.

9. Nec eſt in mundo, qui actiones liberi populi (nam talem ponimus nullius alterius poteſtati ſubjectum) impedire vel coarctare poſſit; Proinde nihil eſt quod concluſionem impedire queat, *Princeps Romanus habuit liberam & abſolutam nullique ſubjectam poteſtatem.*

10. Hæ rationes ex jure Romano rectaque ratione propoſitæ ſacris etiam literis conveniunt; paſſim enim in veteri novoque teſtamento ſparſa videmus monita de obſequio regibus & poteſtatibus præſtando, non tantum bonis & æquis, ſed etiam duris & difficilibus, *Pet. Epiſt. 1. cap. 2. v. 18.* nec usquam limitationes occurrunt aut exceptiones, quibus liceat civibus, ſe opponere dictatis regnantium, eandemque veterum Chriſtianorum fuiſſe diſciplinam Grotius in *lib. 1. de jur. b. & p. c. 3.* preſſe approbavit.

11. Nec adeo nefas ſit dicere, principes ſimpliciter conſtitutos habere jus, id eſt, poteſtatem ſibi delatam, ſingulos cives male mulctandi, quin etiam vita bonisque ſpoliandi, ex autoritate ſacra, licet hoc *θαῦμα ῥήματος, portentum dicti* multis videatur; *Non ut injuria ac inſolentia principum, bona juſtaque fiant vel nefaria eſſe deſinant, ſed quia cives obligentur ad patientiam*, nec ideo ſe principum imperio ſubducere vel iisdem vi reſiſtere poſſint.

12. Probatio ſcilicet, eſt è loco vulgato *lib. 1. Sam. c. 8 v. 9. & 11.* qui utcunque decantatus & varie explicitus, nec ideo magni plerisque momenti videatur, heic tamen omitti non poteſt. Populus Iſraelis, qui adhuc gubernatus erat manu divina per Prophetas judicesque cœlitus inſpiratos, cœperat inſoleſcere & averſari illud inviſibile ſceptrum, quod mente ſola venerari poterat. Regem petere vicinarum gentium exemplo in animum induxerunt, eaque gratia Samueli non ſine convitio frequentes moleſtias creaverunt; nam ille gnarus, quantum è religione peteretur, & metuens, ne Deus populum ſuum deſereret, huic petitioni reſtitit, donec à Deo juberetur iis morem gerere; quod facturus, juſſu Dei propoſuit univerſo populo, quæ poteſtas regis, quem ſibi poſtulabant, eſſet futura; *hoc erit*, inquit Samuel, *jus regis, qui vobis imperitabit, eripiet vobis filias & agros veſtros ac dabit ſervis ſuis*, ac ita porro.

13. Jam dixi, quale jus ibi ſit intelligendum, non æqui piique regis officium, quod longe aliter deſcribitur in Deuteronomio, *cap. 17. v. 14. & ſeq.* ſed conſuetudo dominationis, y) *qua tamen juris effectum haberet in ſub-*

y) dominationis) *Sed quid obſtat, quo minus de jure regis etiam licite & pie intelligatur,*

in ſubjectos imperio, quatenus eos obligaret, ut diximus, ad patientiæ legem.

14. Nam alterutrum neceſſe eſt; Aut Samuel hanc regis poteſtatem expoſuit, ut populus ſciret, quid patiendum foret, aut hac mente fuit, ut animaret ac inſtrueret eos ad oppoſitionem.

15. Sed poſterius à ſcopo, quem in hoc textu habuit, alienum eſt; id enim egit, ut populum, ſi potis eſſet, à rege petendo abſterreret, quod aſſequi non poterat, ſi præmonuiſſet eum, quid a rege non eſſet ferendum; ſed ad illum finem pertinebat, docere, quid patiendum foret. Quin ipſa verba manifeſto præ ſe ferunt hunc ſenſum, *hoc erit jus regis*.

16. Satis conſtat, interpretes eſſe, qui hunc locum aliter reddiderint, quam vetus interpres Latinus; vix alia ratione, quam ex hac præconcepta ſententia, *quod populus univerſus, ſemper & indiſtincte rege ſit ſuperior*; proinde quod totus populus, ad injurias regis patiendas non teneatur.

17. Verba textus *verſ. 9. 11. & ſeq.* משפט המלך אשר ימלך עלהם quod LXX. verterunt hoc modo, *τὸ δικαίωμα τοῦ βασιλέως, ὃς βασιλεύσει ἐπ' αὐτούς*, & deinde וזה יהיא משפט Hoc erit jus &c. Ita vetus interpres latinus omnesque antiqui, *τὸ δικαίωμα τοῦ βασιλέως* reddunt, *jus regis*, ut & Lutherus das Recht des Königs.

18. Sed recentiores plerique in alia omnia, non ſine gravi ratione, quam Sixtinus Amama in *antibarbaro Biblico* & ex eo interpretes Belgæ *ad dictum locum* exponunt.

19. Si hoc jus regis eſſet, quod illic à Samuele exponitur, ajunt, *eripiet vobis filias & agros veſtros & dabit ſervis ſuis*, Achabus non peccaſſet, cum Nabotho vineam ſuam auferret.

20. Ideo vertunt *Tremellius*, *ratio regis*, *Scaliger 1. epiſt. 15. Modus Regis*. Belgæ recentes, (nam antiqui ſequuntur Lutherum) de Wyſe des Koninks/ ut etiam Piſcator des Konings Wiſe. Diodatus in Italica verſione, *la maniera*, Anglus *the manner*, Genevenſes *le traitement*. De Valera tamen Hiſpanus etiam reformatus habet *el juizio*, & in notis *el derecho*, quod utrumque jus ſignificat, at cum aliquo diſcrimine; quemadmodum *δικαίωμα* poteſt intelligi cum aliquo diſcrimine *τοῦ δικαίου*, ut *δικαίωμα* ſit jus ac qui ſitum.

21. Notum eſt, jus ſignificare vel regulam æqui & boni, & hoc eſt, *τὸ δίκαιον*, vel facultatem, inde derivatam, quæ comparata eſt ad aliquid jure habendum vel agendum; hæc eſt *δικαίωμα*, ut *jus* patriæ, *jus* dominicæ poteſtatis. Quod dominus facit ex patria, ex heri poteſtate, id jure facit & hoc *jus* ejus dicitur, *δικαίωμα*, inquam, ſed non omne *δικαίωμα* eſt *δίκαιον*, non omne jus alicui competens, in hypotheſi juſtum eſt.

22. Cum pater filium nil mali meritum verberat; jus habet ita faciendi & filius id pati debet; ſit inter patrem & filium *δικαίωμα*, non eſt *δίκαιον*, non convenit æquo & bono. Quando *prætor jus dicit*, hoc habet effectum indiſtincte, ſive *æquum*, *ſive iniquum* ſit, ſemper eſt *δικαίωμα* victoris, etiam judicis, non tamen eſt *δίκαιον l. 11. ff. de juſt. & jur.* hæc etiam *notæ* innuimus.

23. Ergo nihil opus eſt, ut à celebriori ſignificatione vocis משפט, qua *jus* ſignificat,

ſi ſcilicet moderatè ea exigat rex, & quantum Reipublicæ uſus poſtulat, quo intuitu etiam dominium eminens in republica quavis fundatam eſt. Sane plerique ex Rabbinis ita explicant, & non negari poteſt, eorum omnium, quæ ibi recenſentur, uſum etiam eſſe in Ariſtocratiis ac Democratiis ac regno temperato. Vide Schickardum de jure reg. Hebræor. cap. 2. theor. 7. n. 65. p. 161. *&, qui hoc argumentum pleniſſime tractavit peculiari tractatu* de jure regio, *Johannem VVandalinum.*

ſtat, tam uſu quam etymologia, abeamus; quaſi notum facere vellemus civibus, eos non teneri ad perpetiendas regum injurias; ſicut profecto minime tenerentur, ſi principes nullum *jus* agendi violenter cum ſubjectis ſuis haberent.

24. Quin ſi loca, in quibus τὸ משפט alium ſenſum habere dicitur, inſpicias, videbis in iis ſenſum ejusmodi eſſe, qui notet modum *præſcriptum* & obſequendum, à lege non alienum, ac inde civili translatione derivatum.

25. Enimvero jam liquet, nullius momenti eſſe objectionem, quæ ab *exemplo Achabi* adverſus *Nabothum z)* ſimilibusque deſumitur. Quippe jus illud regium, quod diximus, non tollit impietatem diritatemque facientium injurias, ſed tantum *obligat ad patientiam* cives.

26. Idque *Samuel Hebræis* ob oculos poſuit, explicando, cujusmodi jugo ſe ſubjicerent; Propheta non derogat hiſce verbis ullo modo legibus à Deo præſcriptis officio regum, qui ſecundum ſuam voluntatem populo eſſent præfuturi; ſed docet, eos ita animos inducere oportere, ut ſcirent non modo parendum eſſe τοῖς ἀγαθοῖς καὶ ἐπιεικέσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς σκολιοῖς, *non tantum bonis & æquis ſed etiam iniquis, ut Petrus epiſt. 1. c. 2. v. 18.*

27. Equidem ſi hac mente non fuerit Samuel, hoc fore *jus regium*, quod commemorabat, oportet ejus fuiſſe conſilium, ut indicaret, jus fore populo, ſe regibus talia facientibus opponendi, quod, ut diximus, inſtituto ejus adverſabatur.

28. Denique, nulla ratio ſuadet, ut Prophetam ad univerſum populum verba facientem credamus aliter uſum eſſe verbo, quam fere ſemper uſurpatur, idque in ejusmodi occaſione, quæ nihil minus quam luſum in verbis ambiguis ferebat.

29. Duplex igitur eſt jus regium, alterum ſpectat ad populum, ejusque officium in parendo patiendoque comprehendit. Alterum præſcribitur in *cap. 17. Deuteronomii v. 15. & ſeqq.* ac complectitur officium boni piique regis in imperando adeóque pertinet ad ipſum regem, qualis Homericus Rex.

> Οἷος Ὀδυσσεὺς ἔσκε μεθ' ὑμετέροισι τοκεῦσιν
> Οὔτέ τινὰ ῥέξας ἐξαίσιον, ὐδέ τι εἰπὼν
> Ἐν δήμῳ, ἥ τ' ἐστὶ δίκη θείων ἀνθρώπων.
> *Qualis apud veteres dibus regnabat Ulyſſes,*
> *Qui nulli civi dicto factove nocebat;*
> *Scilicet, hoc hominem Dis immortalibus æquat.*

30. Non utimur tamen ſententia recentiorum Grotii interpretum, Ziegleri, Bœcleri, Henningii & aliorum, qui non contenti illo jure injuſto, ſed quod obliget ad patientiam, ex ea quam Grotius habet interpretatione; ſtatuunt illud jus regium eſſe verum & ſolidum jus, non minus ac quisque dominus habet in prodiga donatione, *a)* vel alius quilibet in rebus ſuis abutendis, quod etſi non recte & laudabiliter fiat, ex jure tamen pleno & perfecto ſit.

31. Hujus rei dijudicatio pendet ex eo, quod infra demonſtrabitur, utrum herile imperium ex voluntate populi Iſraelitici

z) Nabothum) *Ex noſtra hypotheſi reſpondetur (1) Achabum non jure regio ob utilitatem publicam abſtuliſſe Nabotho vineam, ſed dolo malo & fraudulentis artibus. VVandalinus* d. l. lib. 1. cap. 10. (2) *Neque in increpatione Prophetæ primario reſpicitur ad ablatam vineam, quam Rex non gratis à Nabotho petebat, ſed permutationem offerebat, ſed ad homicidium injuſtum, & ſub ſpecie juſtitiæ fraudulentum.* 1. Reg. 21. v. 2. & 19.

a) donatione) *Non ſuppetit tempus evolvendi Autores hic citatos. Valde tamen ſuſpicor, eorum ſententiam non commode relatam eſſe ab Autore, ſed potius convenire cum ea, quam modo dedimus ad* n. 13.

conſtitutum ſit, an regium proprie dictum.

32. Inter has enim ſpecies, hoc intereſt b) quod in deſporico ſive herili imperio monarcha ſit dominus & ſubjectis utitur ut ſervis; in regio, intelliguntur rector & cives, qui libertatem perſonarum & proprietatem rerum habent ſalvas & imperio exceptas, quæ in dominatu utræque monarchis expoſitæ ſunt.

33. Quomodo Turcæ & Perſæ omnesque Orientis Imperatores, indicta cauſa, cives necare bonisque ſpoliare poſſunt, nec in ea re poteſtatis ſuæ limites excedere creduntur, ſecus ac in regnis civilibus, etſi liberæ & abſolutæ poteſtatis, obtinet.

34. Cum autem in imperiis Chriſtianorum, etſi abſolutis, non herile, verum civile jus obtineat, ſequitur, imperantes extra cauſam publicæ utilitatis veram non fictam, res & perſonas civium nullo modo lædere poſſe, tametſi privatis reſiſtendi facultatem ob ejusmodi exceſſum non dari, dictum ſit antea & dicendum ſit infra.

35. Nec aliter ab Iſraelitis conſultum fuiſſe putamus. Populus enim recens libertatis, ſua vanitate & odio filiorum Samuelis, Theocratiæ pertæſus, ita quidem regnari volebat, ut ſervire tamen non cuperet; quemadmodum, Salomone præſertim mortuo, & alias ſemper eximie demonſtrarunt.

36. Verum eſt, illos petiiſſe regem ad inſtar vicinorum, qui deſpotico omnes imperio regebantur: ſed non qui in genere monarchico cæteris æquari voluerunt, etiam in ſpeciem monarchiæ ab ipſorum ingenio alieniſſimam conſenſerunt.

37. Teneamus igitur, Prophetam ad deterrendos Hebræos, inſtituta regum Aſiaticorum illis propoſuiſſe, quæ juri quidem recto & bono adverſa, tamen ipſos ad paſſivam, quæ dicitur, obedientiam eſſent obligatura, non ad jus aliquod verum regibus impiis tribuendum.

CAP. VIII.

CONTINENS MONITA QUÆDAM AD USUM PRÆCEDENTIS DISPUTATIONIS.

Sæculum hoc inprimis eſſe monarchicum & deſpoticum; n. 1. 2. 3. libertatem vero pretioſam & auream, proinde ſumma cura cuſtodiendam. n. 4. Si transferendum ſit imperium in optimates, dandam eſſe operam, ut ea ſit ariſtocratia laxa potius quam oligarchia. n. 5. Poteſtatem regnantium in ariſtocratia ſolere abſolutiorem eſſe, quam in regno. n. 6-15. Imperia dura, licet populum obligent ad patientiam, non tamen deſinere eſſe injuſta; n. 16. 17. quin etiam infirma. n. 18. Quotquot prudentes ſunt principes, eos ſibi ipſis leges dicere, ut auctoritati ſuæ conſulant. n. 19.

1. Quan-

b) intereſt) *Sed vide jam notata* ad cap. 3. n. 35. *Ad exempla de Turcis & Perſis, quæ Auctor urget ſequenti* n. 33. *pete reſponſionem ex diſſertatione noſtra* de hominibus propriis. §. 39.

Digitized by Google

1. Quanquam in hac arte non agimus de iis quæ ex *uſu*, ſed de his quæ *juris* ſunt, monita tamen nonnulla de ſuperiori ſententia, cautionis ergo, collocanda videntur, tam de eo, quod utilitas imperantium ſubditorumque videtur exigere, quam de ratione juris, *qua jus imperii abſolutum temperari poſſit*.

2. Quod hoc ſeculo vel maxime neceſſarium, *quatenus principes in id quaſi conſpiraſſe videntur*, ut & liberos populos ſubigant, & ſibi ſubjectos omni jure, quod adverſus ſummum imperium acquiſiverunt, excutere, *& ad ultimam ſervitutis patientiam adigere poſſint*.

3. Videndum etiam, ne Doctores imperantibus adulari potius, quam veritati litare videantur, cujus rei cauſam nos quidem eo longius habemus, quo in gente vetuſtiſſimæ libertati ſueta omnisque principatus, jam à centum & quod excedit annis ignara, vivimus.

4. Ergo omnium primo faciendum eſt populis liberis ut cogitent, *quam res cara ſit ac pretioſa libertas*, quantoque oneri periculoque ſe ſupponant, qui voluntati ſuæ circa communium rerum adminiſtrationem renuntiant, aliorumque arbitrio ſe ſuaque ita committunt, ut quaslibet injurias propria voluntatis lege pati cogantur; Proinde, quanta cum ſollicitudine conſtantiaque *pro libertate vigilare, laborare, denique, ſi opus ſit, depugnare debeant*.

5. Quod ſi regimen populare commodo publico adverſum ſit, ut fere contingit, operæ pretium eſt, animum advertere, ut *Ariſtocratia* quam proxime ad *Democratiam* accedens conſtituatur, modusque adminiſtrandi ſic adremperetur, *ut inter licentiam procerum & confuſionem multitudinis media via procedatur*, quod ut difficile, ſic non eſſe τῶν ἀδυνάτων, exempla tam noſtri quam ſuperiorum temporum fecere fidem.

6. Enimvero non debent ignorare populi, ſicut poteſtas optimatum ex lege delati imperii, non differt à poteſtate monarchica, ſic etiam modum adminiſtrandi plerumque intentiorem & abſolutiorem eſſe in *Ariſtocratia*, quam in monarchia.

7. Quia reges multa cum Proceribus communicare ſolent & ſæpe coguntur, optimates cum plebe nihil communicant, ſed plebis voluntatem ſuo arbitrio libere valideque complectuntur: hoc ſaltem intereſt, quod *periculum tyrannidis* in Ariſtocratia minus ſit quam in unius imperio.

8. Proinde plebi, antequam ſe exuant jure libertatis, ſollicite videndum, quo pacto *jura ſui ordinis contra optimatum ambitionem ſtabilire* debeant, ne poſtea ſeditionibus opus ſit, ut olim Romanis uſu venit.

9. Quippe, non modo in regnis hæc quæſtio de vigore ſummæ poteſtatis ventilatur; ſed & in Ariſtocratiis, vel maxime; ſicuti ſuperioribus annis, etiam in vicinia vidimus, optimatibus æque plenam abſolutamque poteſtatem adſcribi, quam ullus monarcha poſtulet, ut videre licet in laudato *alias tract. Graſwinkelii de ſumma poteſtate Ordd. Hollandiæ*.

10. Nec ferendi ſunt, qui de jure diſputantes, *reges quidem eſſe volunt mandatarios populi*, optimates autem, ut populum repræſentantes, totumque jus ejus habentes conſiderant.

11. Nam aut imperium in ſe *democraticum* eſt, modusque adminiſtrandi duntaxat *ariſtocraticus*; aut forma Reipubl. *tota in ſeſe Ariſtocratica*. Si prius, optimates tantum ſunt *Magiſtratus*, hoc eſt, ver. populorum miniſtri; ſi poſterius, delatio imperii non poteſt aliam rationem habere quam in principatu; nec enim ratio fert, ut quicquam interſit, quoad efficaciam juris, inter translationem, quæ fit in unam *perſonam*, & quæ in unum fit *Collegium*.

12. Quo autem majus eſt in monarchia, quam in Ariſtocratia periculum tyrannidis, eo magis intentos oportet eſſe populos, obſepiendæ viæ, qua principes ad tyrannidem

dem & arbitrariam poteſtatem graſſari vel obrepere poſſint; non modo legibus, quas vocant, fundamentalibus, ſed etiam mediis vivis ad impediendum, ne quod Principibus jure vetitum eſt, ipſo facto ſibi arrogent ac uſurpent.

13. Quandoquidem ſi in tali ſtatu ſint principes, ut ſi *velint*, leges & jura populorum invadere & obterere *poſſint*, ſtatuendum eſt, hoc ipſo eſſe futurum, ut id etiam *velint*. Nam in Republ. nihil verius eſt ea regula, quam vetus ſchola negabat, *a poſſe ad eſſe valet conſequentia. c)*

14. Quomodo autem hoc ſatagendum ſit, non eſt hic ediſſerendi locus. Id equidem ſatis conſtat, omnium uſu ſeculorum; ubi militia perpetua & numeroſa mercenaria eſt in manu & pendet à nutu unius, ibi leges & jura vel libertates ordinum populique non eſſe unius aſſis; non ſane pluris, quam velit is, cujus eſt poteſtas armorum; de cujus voluntate quid præſumendum ſit, ingenii humani indoles & conſuetudo, quam Thucydides eſſe dixit, ὃ ἂν κρατῇ ἄρχειν; *dominari quibus prævales*, dubitare non ſinit. Quomodo autem militaris unius poteſtas impedienda ſit, eſt σχῆμα πολιτικόν, non juridicum.

15. Neque tamen opus eſt adjici, quemadmodum in omni juris diſciplina regnant exceptiones, ſi qui forte principes armorum compotes intra terminos poteſtatis ſibi delatæ ſe religioſe contineant, eos tanto majori laude eſſe dignos, quo res illa magis excedit ingenii humani conſuetudinem.

16. Porro, ubi hæc prudentia deficit, illic etſi jus habeant imperantes pauci vel ſinguli ſimpliciter â populis conſtituti, ſic agendi cum civibus, ut hi ad patientiam obligentur, etiam ubi δυσκόλως & inique ab illis imperetur, certum tamen & jam antea dictum eſt, imperia talium principum nihilominus eſſe injuſta & ſæpe deteſtanda.

17. Quando enim jus pro *bono & æquo* ſumitur, vel pro eo quod rex facere debet, ex præſcripto Dei, tunc ille nihil minus quam *jus inique agendi habet*, ut *ſupra aliquoties* dictum & huic quæſito applicitum eſt.

18. Quod ſi principes libidinem dominandi officio ſuo laudisque reputationi præferant, cogitadum illis eſt, *plerumque etiam populos ita animatos eſſe, ut legem patientiæ, cui ſubmittere ſe deberent, adſpernari, quam flagitia dominationis ferre malint.*

19. Idcirco non tantum animo, ſed etiam ſecuritati auctoritatique ſuæ melius conſulunt principes, *qui jus ſuum eo quod decet majeſtatem ſuam* publicoque expediat, *metiuntur;* quomodo imperatores in *l. 4. C. de Legibus*, cum dixiſſent, *dignam eſſe vocem majeſtate regnantis legibus alligatum ſe profiteri;* ſubjungunt; etenim, *de auctoritate juris, noſtra pendet auctoritas.*

20. Hinc Romani principes, quamquam omne jus populi & in populum habuerint, ut *modo intelleximus* vereque legibus *fuerint* ſoluti, tamen non modo legibus ſe vivere profitentur *paſſim;* ſed parum abeſt, quin etiam jura condant, quibus ipſi principes ſubjecti ſint aut eſſe videantur, adeo ut reſcripta principum, juri publico privatove con-

c) conſequentia) *Theſin ipſam Autori facile concedo. Rationem ejus vero maluiſſem ut Autor ex genuinis fontibus, hoc eſt ex affectibus humanis derivaſſet, non ex regula etiam in moralibus falſiſſima. Si enim in Republ. à poſſe ad eſſe valeret conſequentia, nulla eſſet differentia inter facultatem & aptitudinem, (de qua Grotius* l. 1. c. 1. *quam & ipſe Autor agnoſcit* ſect. 1. c. 6. n. 21. ſeq.) *quilibet potentes in republica juſtitia & beneficiis excellerent, quia utique præ reliquis talia facere poſſent, ſi vellent. Taceo quod & in eo peccatum videatur, quod voluntas hic ad τὸ eſſe referatur. Ipſa voluntas etiam potentia eſt. Uti multi nolunt quæ poſſunt, ita vice verſa, multi volunt, quæ non poſſunt. Adeoque pariter à voluntate ad rei actualem acquiſitionem etiam in Rep. N. V. C.*

Digitized by Google

contraria ab omnibus judicibus refutari præcipiant *l. 7. C. de Precib. imp. off. l. un. C. Quand. Imp. int. pup. &c.* Totoque jure ſparſa leguntur ea, quæ princeps facere *non poſſe* dicitur, eo quod ordinarii juris rationibus refragentur.

21. Non tantum igitur prudentiæ, ſed & juris eſt, ne princeps *ex fortuna ſua licentiam tantum uſurpet* ſuæque ſolius utilitati ſtudeat, cum ad hoc ſit conſtitutus, *ἵνα οἱ ἑλόμενοι διὰ τοῦτον εὖ πράττωσιν*, ut qui *elegerunt eum bene beateque agant*, *Socrates apud Xenoph. lib. 3. memorab. à pr.* Idem exigit divinæ voluntatis auctoritas *loco antea citato Deuter. 17. v. 19. & ſeqq.*

22. Concludimus, *illius demum principis magnitudinem fundatam ſtabilemque eſſe, quam omnes tam ſupra ſe eſſe, quam pro ſe ſciunt*, ut Seneca *1. de clem. c. 3.* idque non modo reſpectu Dei, qui reges tam diu regnaturos promittit, quamdiu jus & fas cuſtodient; ſed etiam ratione populorum, qui raro in eo ſtatu, cujus ipſos pœnitet acquieſcunt, jugumque, ubi facultas detur, excutere feſtinant, quod principes mali ut expectare debent, ita nec ægre ferendi cauſam habent. Quo ſenſu capiendum, quod *Thomas Morus* olim elegantibus jambis complexus eſt;

Quicunque multis vir viris unus præeſt,
Hoc debet his, quibus præeſt.
Præeſſe debet neutiquam diutius,
Hi quam volunt, quibus præeſt.
Quid impotentes principes ſuperbiunt
Quod imperant precario!

23. Idque non modo in legitimis ſed etiam in abſolutiſſimis, imo in *herilibus d)* Imperiis eodem modo ſe habere veriſſimum & exemplorum uſu notiſſimum eſt; quomodo huic ſeculi anno XLVII. *Muftius*, id eſt, ſummus Pontifex Conſtantinopolitanus *Ibrahimo* imperatori diem dixit, ut rationem actionum ſuarum redderet, *ad quod, exigente populo, principes tenerentur.* Et cum imperator eum contemneret, non dubitavit alio decreto pronuntiare, illum excidiſſe imperio & tanquam privatum poſſe puniri, quemadmodum punitus eſt, referente *Rigalto in Hiſtor. Turc ad annum. 1648.*

SECTIO III.

DE SUMMA POTESTATE REIPUBL.

CAP. I.

DE SUMMÆ POTESTATIS DEFINITIONE ET DIFFERENTIA.

Definitio Majeſtatis tam nominalis, quam realis. n. 1-10. Diviſio Majeſtatis in realem & perſonalem, refellitur, eo quod poteſtas ſumma non niſi una eſſe

d) herilibus) *Propria hæc Autoris obſervatio illuſtrat hypotheſin noſtram de exigua inter regnum legitimum, abſolutum, & herile differentiam, de qua jam aliquoties diximus. Vide modo lit. b)*

eſſe poſſit: n. 11-16. item alia diviſio in delegantem & delegatam, ex eadem ratione; ideoque ſi delegantes acta delegatorum infirmare queant, penes hos eſſe majeſtatem; ſi non poſſint, eſſe eam penes ſolos delegatos. n. 16-20. Unitas ſummæ poteſtatis probatur ulterius. n. 21-23. Summam poteſtatem non obligare ipſum, qui habet ſummam poteſtatem. n. 24-38.

Multitudo, quæ nulli ſubjecta, coit in civitatem, ſi quod imperium condat, hoc eſſe *ſummum*, ſponte liquet.

2. Neque enim imperium extra civitatem habet ſuperiorem, ubi ipſa multitudo nullum talem agnoverat. Nec in civitate poteſt dici imperium habere quicquam ſuperius ſine contradictione.

3. Quominus tamen certæ imperantium perſonæ aliquo modo ſuperiores habere queant, ſi diſerte ſit ita conſtitutum, nihil vetat.

4. Intereſt autem plurimum, ſcire perfecte, quid ſit ſumma poteſtas, quam vulgo *majeſtatem* vocant, etſi aliter veteres, quibus hæc vox notat amplitudinem & dignitatem.

5. Sed hodie Theologi, Politici, & Juriſconſulti *ſummam Reipubl. poteſtatem* hac voce deſignant, κατ' ἐξοχὴν, ſicut & olim in lege Julia *Majeſtatis* uſurpata videtur.

6. Græci hanc poteſtatem τὸ κράτος, *poteſtatem* excellenter, vel τὸ κῦρος *prævalentiam*. Ariſtoteles κυρίαν ἀρχὴν; *Dominantem poteſtatem*. Philo μεγίστην ἀρχὴν; *maximum imperium*. Dion. Caſſius, Αὐταρχίαν, αὐτοκράτορα ἀρχὴν; quaſi diceres, jus quo *ipſe* unus poteſt, quod vult.

7. Sed definitione opus eſt, quam μεγάλην πρὸς τὰ ἑπόμενα ῥοπὴν, *magnum ad ſequentia momentum habere*, docet optimus docendi magiſter Ariſtoteles.

8. Definiatur cum Grotio, *facultas moralis regendi civitatem, cujus acta nullius humanæ voluntatis arbitrio infirmari poſſunt. lib. 1, c. 3. §. 6. in pr.*

9. Differentiæ hujus argumento pleraque difficilia quæſtionum, circa hoc caput moveri ſolita, ſuis quæque locis conficiemus.

10. Hoc omnium primo ex ea conſtat, fieri non poſſe; ut ſumma poteſtas ipſa legibus à ſe latis, aliter quam obſervatione voluntaria, teneatur; quia nemo ſe ipſum ſibi obligare vel cogere poteſt, nec populus totus qua talis, nec optimates pariter (ſingulos enim teneri palam eſt) neque rex vere αὐτοκράτωρ; qua de re dixi latius in *Eunom. R. m. ad l. 31. ff. de Legib.* & mox etiam heic preſſius.

11. Dividitur à multis in majeſtatem *realem* & *perſonalem*, quarum illa univerſo corpori civitatis, hæc paucis vel uni imperantibus conveniat.

12. Sed vitioſam hanc eſſe diviſionem putamus; quoniam, ſi majeſtas ſit jus ſummum, fieri nequit, ut duplex ſit, non magis quam in una linea dentur duæ ſummitates.

13. Niſi compoſitam aut mixtam ſtatuamus rempublicam; ſed tales nullas eſſe vel paucas *alibi* videbimus, & ſi daretur talis, ibi duplex quidem eſſet majeſtas perſonalis, realis ei nulla poſſet applicari.

14. Præterea in *democratia* nemo, opinor, dicet, eſſe duplicem majeſtatem, perinde nec erit ejuſmodi in cæteris Reipubl. formis; quippe, vim Imperii non eſſe aliam in ſtatu populari quam in concilio paucorum, vel perſonis Regum, *ſupra* demonſtravimus.

15. Poteſt quidem fieri, ut optimatibus aut principi aliquid detractum vel circumſcriptum ordinique diverſo datum ſit; verum hoc, inquam, ad diviſionem Majeſtatis perſonalis, non ad diſtinctionem Realis & perſonalis referendum.

16. Sed

Digitized by Google

16. Sed hæc partitio bene convenit eorum ſententiæ, qui populum ſemper retinere proprietatem ſummæ poteſtatis, & rectores nihil quam exercitium & executivam habere poteſtatem ſentiunt, de quibus ſæpe dictum. Hi enim proprietatem illam vocant majeſtatem realem ; alteram perſonalem. At tum majeſtas non vere ſummam poteſtatem, ſed dignitatem potius & amplitudinem miniſterii ſignificat ; unde vocabulorum quidem proprietas extra uſum artis alioqui non aberrat.

17. Nihilo melior eſt diſtinctio majeſtatis in *delegantem* & *delegatam*. Nam ſi illi, qui delegant imperantes, horum acta poſſunt infirmare, nec hi ſine eorum mandatu quicquam ſummæ rei ſtatuere queant, planum eſt, quod delegantes non transtulerint, ſed retinuerint ſummam poteſtatem legatosque habeant ut miniſtros, ſic ut ordines *Hollandiæ* legatos ſuos ad comitia ; qui manifeſto nihil ſunt aliud quam *mandatarii*.

18. Si infirmare illa nequeant, palam eſt, quod delegantes poteſtatem ſummam habere deſierint ; proinde, quod *transtulerunt*, hoc ipſis non recte amplius adſcribitur.

19. Ejus rei exemplum præbet *Friſia*, ubi populus ſuos legatos mittit ad comitia, *cum plena poteſtate ſtatuendi quod ipſis è Republ. videtur*, ſine ſpecialibus mandatis, ſine rationum redditione vel ut populus acta delegatorum ſuorum infirmare queat. Ex quibus rebus eſſe factam translationem, annuam duntaxat, evidenter colligitur.

20. Scilicet, auctores harum diviſionum tenent, in populo univerſo ſemper ut dixi, reſidere ſummam poteſtatem. Quod cum ratione ſupra aliquoties improbavimus, adeoque & diviſiones illas rejici conſentaneum eſt.

21. Plane *ſummam poteſtatem* eſſe unicam duntaxat in qualibet civitate, dictu neceſſarium eſt. Unde patres à *ſummo* numine pluralitatem validiſſime contra paganos removerunt ; Ea quippe *ſummi* conditio eſt, ait Tertullianus, *ut nihil illud adæquet, nedum ſuperet*.

22. Quod ſi plures ſummæ poteſtates darentur, ab his imperata ſæpe contraria, ut res humanæ ſunt, proficiſci oporteret ; quæ res everteret *obligationem* & *coactionem*, quæ ſunt effecta ſummæ poteſtatis ; niſi vim obligandi amitteret altera ; qua re non modo ſumma, ſed etiam poteſtas eſſe deſineret.

23. Enimvero eſſe reges, cum quibus optimates aut populi ſummam poteſtatem participent, verum eſt ; ſed ea res minime duas ſummas poteſtates efficit ; verum Rex & Ordines in unionem ſummæ poteſtatis, *plures quidem*, *ſed non ut plures* concurrunt.

24. Non minus liquido conſtat è definitione ſummæ poteſtatis ſupra ſcriptæ, neminem eam habere vel exercere poſſe in ſemet ipſum ; ſicut implicat contradictionem, ut quisquam ſe ipſum ſibi ipſi obligare, vel ſe ipſum cogere poſſit.

25. Enimvero poteſt ſumma poteſtas ſe aliis obligare ; primo quidem exteris jure naturæ & gentium ſine omni dubio ; dein etiam civibus, in his, quæ non ut ſumma poteſtas, ſed jure tralatitio contrahit, ut in emendo, vendendo, locando conducendo, mutuum accipiendo, ſolvendo quod debet, & ſimilibus. In quibus ſe obligare cenſetur poteſtas, ut privatum ; convenitur etiam & condemnatur, ipſe, quod magis eſt, nomine ſuo in ſemet ipſum.

26. Nec tamen inde ſequitur, principem habere poteſtatem in ſe ipſum ; quia non niſi volens ad exſequendam obligationem conveniri, invitus nequaquam poteſt : At poteſtas in invitum eſt ; Hæc obligatio nonniſi ex conſenſu & ſubmiſſione voluntaria. Summa poteſtas habet δύναμιν ἀναγκαστικὴν, vim coactivam, nec aliter eſſet po-

teſtas, ſed huic inquam, facultati non eſt uſus in principe adverſus ſe ipſum.

27. Ne quidem in populari imperio ſumma poteſtas ſe ipſam obligat ſibi ipſi. Ibi enim poteſtas univerſorum vel majoris partis, nihil habet commune cum obligatione ſingulorum, ſed differunt ut facultas unius in alterum. Singuli ſub poteſtate ſunt; Ipſa poteſtas ſumma ſub poteſtate non magis eſt, quam eſſe poteſt.

28. Non eſt igitur, ut accurate loquutus ſit Cujacius privati juris interpres ſummus in *lib. 15. obſerv. cap. 30.* ita ſcribens, *quin imo ut populus ipſe ſuis legibus tenebatur, ita princeps, cui & in quem populus omne ſuum imperium contulerat*, & mox; *Adeo ut poteſtas principis & in ipſum principem eſſet.*

29. Populum intellexit univerſum, nec enim aliter hic ſuum jus in principem tranſtulit. Ut autem univerſo populo ſit poteſtas in univerſum populum, implicat contradictionem; non magis quam ut poteſtas principis ſit in ipſum principem, ad coactionis, inquam, effectum adverſus invitum, ſine qua facultate nulla poteſtas in civitate intelligi poteſt.

30. Textus juris civilis, quem Cujacius adducit, quo pacto poteſtatem principis in principem acceperit, indicat. Eſt autem *lex quarta C. de legibus*, ubi Theodoſius & Valentinianus; *digna vox eſt majeſtate regnantis*, ajunt, *legibus alligatum ſe principem profiteri.* mox. *Et revera majus imperio eſt, ſubmittere legibus principatum.* De ſubmiſſione voluntaria, *e*) de poteſtate, quæ coactionis eſt, nullo modo loquuntur. Princeps igitur eſt princeps ſui ipſius, ut quilibet vir bonus poteſtatem in ſe ipſum habet: conſenſu & inductione voluntatis, non adverſus invitum, ut res ipſa loquitur.

31. Parum igitur accurate in iis verbis, ad juris publici rationem inſtituiſſe Cujacium, liquido patet; quando obligationem principi ex ejus libera voluntate pendentem trahit ad infringendam juris publici poſitionem, qua princeps legibus ſolutus eſſe dicitur; contra quam ipſi principes connectunt, dum ſe vivere legibus, attamen legibus ſolutos eſſe profitentur §. *ult. inſt. quib. mod. teſtam. infirmentur.* Plinius ad Trajanum, *ipſe te legibus ſubjeciſti*, in eundem ſenſum, *panegyr.* Qua re cum non fiat, ut acta principis alterius humanæ voluntatis arbitrio, ſubjecta ſint, aut infirmari queant, non eſſe eam poteſtatem civiliter dictam, manifeſtum eſt.

32. Non deſunt tamen, qui adhuc populum & principem in ſe ipſos vere poteſtatem habere & Cujacium accurate locutum eſſe contendunt; Hi nobis inculcant *notiſſimam diſtinctionem populi leges in comitiis ferentis, & populi in quotidianis actibus eas obſervantis*, item, *principis, qua principis, & principis qua hominis privati.* Explicita ſuperius quid repetamus? Populus unita voluntate legem ferens eſt civitas: Obſervatio fit à ſingulis, quæ ſunt diverſæ perſonæ. Nam civitas, habet jus perſonæ, univerſus populus non obſtringitur iis legibus, quibus obrogare, derogare, quas abrogare, rotas, quibus ſolvere ſe alioſque pro lubitu poteſt. Quod perpetuo ab alicujus voluntate pendet, id nullo ſenſu humano poteſtati civiliter ſumptæ poteſt eſſe ſubjectum.

33. Sed, ajunt, *quid uſitatius etiam hodie in Romanenſi eccleſia, quando agitur de infallibilitate Papæ, quam Papam, qua Papam, non poſſe; At qua Innocentium poſſe errare.* Ne diſtinctionis illius ineptiam arguamus, quid hæc inſtantia ad rem pertineat, non video; quandoquidem non negamus, eum, qui munus publicum gerit, duobus

e) voluntaria) *Contextus Autoris oſtendit, ſic legendum eſſe.* De ſubmiſſione voluntaria loquuntur leges, de poteſtate &c.

Digitized by Google

bus adſpici lateribus, privato & publico, eoque reſpectu diverſos habere effectus: Sed non ideo poteſtatem in ſe ipſum vere & actu habet, nec ſe ipſum cogere dici poteſt, ſine qua facultate, poteſtas hujus loci non habet intellectum.

34. Etiam Grotius in partes vocatur, qui diſtinguat *inter dominium, quod populus habeat ad modum privatorum, & quod populo, ut populo competit*, quod nemini, credo, in mentem venit unquam negare diſcrimen; ſed nec hoc ad poteſtatem in ſemet ipſum competentem plus facit, quam Papa, non ut Papa, ſed ut Innocentius errans.

35. Sed magis ad rem pertinent hæc verba Grotii, quæ objiciuntur. *Non deſinit debere pecuniam populus, rege ſibi impoſito, quam liber debebat. Eſt enim idem populus, & dominium retinet eorum, quæ populi fuerant, imo & imperium in ſe retinet: quanquam jam non exercendum à corpore, ſed à capite.* Agnoſcimus, etſi in loco quem citant diſſentientes, non extent *f*) verba Grotii; Agnoſcimus imperium ſemper eſſe populi, non habentis alienigenam dominum, & eſſe hoc in eundem populum, non in diverſum. *g*) Corona Galliæ eſt populi Gallici, & jus ejus in populum Galliæ, non Hiſpaniæ & Germaniæ. Corpus civitatis, ſemper habet jus civitatis, quamdiu ab exteris non ſubigitur. Plane ſicut dos manet proprium mulieris patrimonium, etſi maritus, conſtante matrimonio ſit dominus dotis, ut JCti utrumque docent.

36. Sed heic & apud Cujacium agitur de poteſtate obligandi per leges & ſubjectione coactiva, quæ eſt propria legum & ſummæ poteſtatis in Republ. quam ipſe Grotius ita *modo* finivit, ut duas in ea perſonas imperantis & ſubjecti diſtincte agnoſcat. Denique poteſtas, ubi de jure imperandi & parendi, obligandi & cogendi agitur, à jure exercendi imperii non poteſt ſeparari.

37. Cujacius principem ſuis legibus ſubjectum & obligatum, non ſolutum eſſe ponit; Legis virtutes ſunt, imperare, vetare, permittere, punire *l. 7. ff. de legib.* has virtutes principi in ſe, in principem, vel populo univerſo in univerſum populum competere, tam palam contradictorium eſt, quam in definitione poteſtatis & obligationis duæ partes & perſonæ diſtinctæ neceſſario collocandæ ſunt.

38. Atque inde quæ præterea in hanc rem proferentur, unice pendent.

CAP. II.

CONTINENS MONITA DE ALIIS IMPERII DIFFERENTIIS.

Jus imperii in civitate non mutari ex forma Reipubl. n. 1-9. Nec quidem herili aut civili modo imperandi, licet efficacia in illo ſit major. n. 10-15. Differentiam patrimonialis & quaſi fructuarii imperii nobiles quidem habere

f) non extent) *Extant tamen* lib. 2. c. 9. §. 8. ſect. 3.

g) diverſum) *Scilicet verba Grotii:* imperium in ſe retinet *ſic intelligenda ſunt, ut vò* in ſe *non referatur ad* imperium, *ſed ad* retinet. *Aut clarius:* In *hic denotat* intra *Reſpicit videlicet Grotius ad doctrinam ſuam de ſubjecto ſummæ poteſtatis communi, i. e. populo toto, & proprio i. e. imperantibus, uti viſus ſubjectum commune eſt homo, proprium oculus. Vide Grotium l. 1. c. 6. §. 7. ibique notas variorum Becmanni.*

bere effectus, jus tamen ſummum non variare. n. 16-19. Eſſe deſpotica regna, quæ non ſint patrimonialia, n. 20. & civilia, quæ in patrimonio habentur. n. 21-23. Contra ſummam poteſtatem in regno quaſi fructuario eſſe poſſe. Objectio ex natura uſusfructus & proprietatis petita ſolvitur. n. 24-31. Non mutari jus Imperii ex eo, quod invitis aut volentibus ſit impoſitum: ſiquidem ex voluntate civium æque abſolutum condi poteſt ac vi bellica. n. 32-34. Nec in regnis ſucceſſivis aut electivis jus ſummi imperii variare. n. 35-38. Iterum de voluntariis & violentis imperiis. n. 39-45. Male definitioni ſummæ poteſtatis inferi, ut perpetua ſit: temporarium æque ſummum eſſe poſſe. n. 46-50. Denique, ex magnitudine aut parvitate nominumque diſtinctionibus & titulis nullam juris naſci diverſitatem. n. 51-53. In aſſerenda ſumma poteſtate non reſpiciendam ad titulos, ſed ad rem. n. 54-56. Poſtremo, legem de approbandis in ſenatu regum decretis, iisdemque in jus vocandis, per ſe non tollere ſummitatem imperii. n. 57-59.

1. SUnt qui ex aliis quoque rebus differentiam ſummæ poteſtatis colligunt.

2. Primo, non deſunt, qui intereſſe putant plurimum, qua forma Reipubl. civitas gubernetur, *monarchica* vel plurium imperio, & in monarchia, ſit ne *deſpoticum* an *civile* regnum.

3. Sit ne *patrimoniale*, an quaſi *fructuarium*, populoque volente an invito conſtitutum.

4. Utrum *eligantur*, an *ſucceſſione* gaudeant imperantes, *temporalis* an *perpetua* ſit poteſtas.

5. Nonnullis quoque *parvitate* vel magnitudine civitatum jus ſummi imperii viſum eſt variari; denique, *nomina* titulorumque ſpecies hominum judicio ſæpe præſtringunt.

6. Nos ex illis omnibus nihil ad ſummitatem imperii tollendam, augendam, vel minnendam facere paucis indicabimus.

7. Nam quod ob formam regiminis, politicorum aliqui, minorem poteſtatem in *democratia* putant, hoc adeo falſum eſt, ut menſura juris optime ex illa forma capiatur, ſicut modo demonſtravimus.

8. Ex adverſo, quod alii monarchas ut à populo præfectos, minoris faciunt, populi vero ut *αὐθεντικῶς* imperantis jus majus in democratia intelligunt, hoc perinde ſuperius refutatum.

9. Certum igitur eſto, quod modus imperandi varius ſpecimen, jus & vim imperii minime variet.

10. Plus diſcriminis inter heriles ſive deſpoticas & civiliores monarchias conſiſtere videtur. *Heriles* vocantur, ubi imperantes ſunt domini corporum atque bonorum. *Civiles*, ubi imperium Reipubl. ſalvam relinquit libertatem perſonarum & proprietatem bonorum.

11. Sed tenendum, in hoc capite non quæri, de majori minorique efficacia imperii; verum, an unum præ altero magis minusve *ſummum* ſit imperium, *quod heic negatur*.

12. Dabimus loco rationis exemplum; Patris in liberos poteſtas jure gentium & civili aliquanto minor habetur, quam dominorum ſuper ſervos; patria tamen poteſtas æque eſt ſumma & abſoluta quam dominica poteſtas.

13. Sed

13. Atqui reges veri à *deſpotis* non multo ſecus quam ab heris parentes differre videntur, *ut poſtea videbimus.*

14. Adde, quod utrobique acta publica imperandi, quæ eſt *nota ſummitatis*, irrita fieri non poſſunt; utrobique voluntas imperantium, civitatis voluntas intelligitur.

15. Duntaxat jus externum dominatus ad res & corpora privatorum indiſtincte extenditur. Quod in regno non aliter quam ex cauſa utilitatis communis, non pro lubitu imperantium juris eſſe intelligitur. *h*)

16. Tertia differentia *patrimonialis* & *quaſi fructuarii* imperii à quibusdam cum præcedente confundi ſolet.

17. Scilicet, *patrimoniale* vocatur imperium, quod inter vivos & mortis cauſa poteſt alienari: *Fructuarium*, imperanti ſolummodo ad vitam competit, ſine libertate alienandi.

18. Quidam regna deſpotica ſtatuunt eadem eſſe cum *patrimonialibus*, civilia vero cuncta eſſe fructuaria; Verum hoc eſt ex eorum genere, quæ ut plurimum, non quæ ſemper vera ſunt; Cum nihil vetet, herilia imperia quaſi per modum *uſusfructus* teneri.

19. Ita, ut alienandi tam inter vivos quam poſt mortem *poteſtas* ultimo *i*) cuique imperanti negetur. Quod fere unicum hujus differentiæ momentum conſtituit. *k*)

h) intelligitur) *Atque hoc eſt quod ſæpius diximus, deſpoticum & regium imperium effectu non differre, cum & in regno judicium de utilitate communi ſit penes ſolum regem. Imo quod patria poteſtas intuitu exercitii aliquanto minor ſit quam herilis, non tam ex jure gentium eſt, quatenus jus gentium ſumitur pro jure naturæ, ſed quatenus ſumitur pro jure civili multarum gentium. Nam & pater durus jure naturæ tamen pater eſt. Unde & jure Romanorũ antiquo patria poteſtas herili ſi non major, minimũ æqualis fuit. Vide* Dion. Hal. l. 2. c. 27. 28.

i) ultimo) *Intelligo hanc vocem adverbialiter non in caſu dativo. Non enim apparet ratio, cur, ſi ultimo imperanti negetur poteſtas alienandi in regnis deſpoticis, illa concedenda ſit primo aut ſecundo. Ergo ſenſus eſt. Habentur quidem communiter imperia herilia pro patrimonialibus, ſed ſi rem accuratius ventiles, ultimo res eo redit, ut etiam ipſis adverſariis id negare non audentibus, deſpota quilibet, non habeat poteſtatem alienandi imperii nec inter vivos, nec per ultimam voluntatem.*

k) conſtituit) *Optime. Ut adeo ſic tota diviſio corruat in regnum patrimoniale & uſufructuarium, quia totius hujus diviſionis uſus conſiſtit in alienabilitate imperii & inalienabilitate.* vid. n. 17. *Si ergo poſt exactum examen tandem nullus imperans, etſi deſpotice, habeat poteſtatem alienandi, nullum etiam datur regnum patrimoniale. Et ſic fruſtra litigamus cum diſſentientibus, ut Autor facit* n. 21. ſeq. *fruſtra ope hujus diſtinctionis utimur in reſolvendis quæſtionibus difficilibus, ut paſſim Autor in ſequentibus. Ergo neceſſe eſt, ut hic diſtinctius res proponatur. Videtur Hugo Grotius primus hanc diſtinctionem adverſus JCtos ſtabilire voluiſſe* l. 2. c. 6. §. 3. junct. l. 1. c. 3. §. 12. & poſtea paſſim., *quæ poſtea ſe approbavit nonnullis ejus commentatoribus, ab aliis vero graviter impugnata fuit. Retinuit eam etiam Pufendorffius* VII, 6. §. 16. 17. *Contra eam rejecit Dn. Coccejus diſſert. de Teſtam. Principis* c. 2. §. 16. *Meam ſententiam quod attinet eam diſtinctu iſtis aſſertionibus includo.* (1) *Litigia de nomine patrimonialis & uſufructuarii, & de tertio comparationis, quæ à commentatoribus Grotio paſſim objiciuntur, & ad quæ Autor in ſequentibus hic reſpondet, non magni ſunt momenti.* (2) *Concedo etiam*

20. Exmplum eſt in præſenti *Turcico* dominatu, qui licet δεσποτικώτατος, jus tamen alienandi aut ſucceſſionem pro libitu imperatorum mutandi ignorat.

21. E contrario, *civilia regna in patrimonio haberi poſſe*, liquet ex pluribus modicis per Europam principatibus, qui ſuperiorem non habentes, hoc jure tenentur; etſi in ma-

---

imperium eſſe rem, cujus naturæ non repugnat ut ſit in commercio. Adeoque ſi expreſſe conveniat inter principem & populum de alienabilitate imperii, non repugno, quo minus talia regna vocentur proprietaria, reliqua uſufructuaria. Sed cum (3) *de talibus conventionibus expreſſis non ſoleat eſſe controverſia, & præterea earum exempla ſint rariſſima, ac præter pactum Ægyptiorum cum rege ſuo, quod Moſaica hiſtoria refert, vix occurrat, de cætero vero Doctores valde litigaverint de alienabilitate regnorum, ubi tales conventiones non extant, & diſtinctio iſta ad lites has tollendas inventa ſit, dico ulterius, eam diſtinctionem eſſe nullius momenti, quia rem implicat, non explicat, & committit fallaciam circuli. Cum enim quæritur, in quibus regnis rex habet poteſtatem alienandi, reſpondetur, in patrimonialibus, non in uſufructuariis: Quando alterius quæritur: quænam ergo ſunt patrimonialia? Reſpondetur in quibus Rex habet poteſtatem alienandi. Neque hoc diffitentur qui hac diſtinctione utuntur, unde ſolent* (4) *alias diſtinctiones ad quæſtionem, quænam regna ſint patrimonialia, adhibere, de quibus tamen ita ſentio, earum nullam uſum diſtinctionis in regna patrimonialia & uſufructuaria promovere. Diſtinctionem in deſpotica & civilia Autor noſter hic rejicit. Alii dicunt electiva eſſe uſufructuaria ſucceſſiva patrimonialia; Alii voluntaria eſſe uſufructuaria, involuntaria patrimonialia. Sed nunquam aſſertionem de patrimonialibus probant, ſed manent in terminis meræ aſſertionis, aut productione exemplorum. Nec ſequitur, populus tranſtulit imperium in principem & deſcendentes, ergo dedit poteſtatem alienandi. Nec ſequitur bello victi cum victore pactum inierunt de imperii translatione, ergo dederunt poteſtatem alienandi. Nec eſt, quod dicas, haud dubie tamen daturos fuiſſe, ſi expreſſe de eo fuiſſent rogati, at conventiones & teſtamenta etiam exponi ſecundum reſponſionem veroſimilem, quam loquentes aut ſcribentes daturi fuiſſent, ſi quis interrogaſſet. Etenim initio potius præſumendum eſt, non voluiſſe dare, quia non expreſſerunt, & regem noluiſſe interrogare, quia præſumebat, victos non in ſervitutem ire velle, ſed in ſubjectionem. Deinde etiam calumniis & cavillationibus viam aperit, qui teſtamenta & conventiones vult exponere ultra id quod actum eſt, ex eo, quod agentes veroſimiliter agere potuerint, aut ſi alter urſiſſet, veroſimiliter conceſſiſſent. Conjecturæ illæ aliquem uſum habent ubi de ambiguitate vocabuli ſermo eſt, varias ſignificationes admittentis. Unde* (5) *jam infero, imperium quocunq; modo collatum, cum diſtinctum conceptum habeat à dominio rerum, unius poſitionem non inferre admiſſionem alterius. Unde quemadmodum non poteſt inferri ad imperii translationem, ubi de dominio actum eſt, ita nec vice verſa præſumenda eſt dominii translatio, ubi populus tranſtulit imperium. Sed quid hoc inquis ad alienationem? Illud videlicet. Dominium natura ſua & ex conceptu proprietatis infert poteſtatem alienandi, niſi per conventionem adimatur. Et imperium tanquã jus dirigendi cum poteſtate cogendi actiones ſubjectorũ, natura ſua non infert poteſtatem alienandi, niſi per conventionem addatur. Ergo* (6) *nihil remanet diſſentientibus, quam tot exempla alienationum omni tempore factarum. Sed ad hæc reſpondeo verbis illuſtris Cocceji* d. l. §. 17. Vel enim, *inquit*, effectum non habuere, vel conſenſu populo tacito vel expreſſo factæ, aut poſtea tacite ſaltem approbatæ fuerunt: Vel etiam vis prævaluit.

in majoribus imperiis raro in uſu venire experientia teſtatur.

22. Differentiam hanc patrimonialis & fructuarii imperii ab *Hobbeſio* & omnibus, qui vim imperii infinite intendunt, nec populo aut ſingulis quicquam relinquunt, explodi manifeſtum eſt.

23. Quippe, qui ſubjectos indiſtincte pro ſervis habent, & regnantibus poteſtatem de ſucceſſione quovis modo diſponendi ſemper adſcribunt. *Qua de re nobis alibi locus erit dicendi, ut & de reliquo diſcrimine regni* & *dominatus*.

24. Sed de ultima diſtinctione ſcrupulus reſtat. dices enim, *ubi datur uſusfructus*, *ibi penes alium proprietas exiſtit*, quod jus haud dubie majus eſt.

25. Proinde ſecundum hanc diſtinctionem, *uſusfructus* majeſtatis imperantibus, *proprietas* populo tribui videtur; Quod in damnatam modo diviſionem ſummæ poteſtatis, qua realis aut perſonalis dicitur, incideret, atque populum rurſus ſuperiorem imperantibus efficeret.

26. Verum nos *quaſi* fructuarium, non vere uſufructuarium illud imperium, quod patrimoniali opponitur, eſſe diximus.

27. Quatenus uſumfructum imitatur in hoc, quod nihil juris *ultra vitæ terminos* producit, nec alienationem inter vivos permittit, ut fideicommiſſa.

28. Forte rectius comparari poſſet cum *dominio revocabili*, quale eſt mariti in prædio dotali, heredis fiduciarii ex Senatusconſulto *Trebelliano* in rebus poſt mortem reſtituendis; Nam illi tempore dominii ſui plene libereque de rebus illis diſponunt, *excepta alienandi poteſtate*, nec ulli, ratione juris & diſponendi facultatis, obnoxii ſunt.

29. Quin ſi maxime maneamus in terminis *uſusfructus*, ne quidem inde quicquam poteſt colligi naturæ ſummæ poteſtatis adverſum. Fructuarius enim facit in re quicquid vult, *modo ſubſtantiam relinquat ſalvam*; Neque proprietarius impedire vel infirmare quicquam ab illo geſtum cum hoc temperamento, poteſt.

30. Ergo, ſi tu ponas regem habentem imperium quaſi per modum uſusfructus, & proprietatem penes populum ſtatuas, ideo tamen rex non ſtatuitur obnoxius populo; duntaxat, ſi ſalvam præſtet regni *ſubſtantiam* ut ita loquamur, id eſt, fundamentalem conſtitutionem.

31. Ita ſatisfactum huic difficultati. Eſt etiam quod opponitur alteri ſpeciei, quam diximus, *regni patrimonialis*; Neque enim liberi homines, quales ſunt cives, in patrimonio cujusquam ſano ſenſu dici videntur: Scilicet τὸ eſſe in patrimonio non de ipſis hominibus, ſed de *jure imperandi illis*, non qua ſinguli, ſed quatenus ſunt populus, prædicatur. *vid. Grot. l. 1. c. 3. §. 12.*

32. Præterea diximus, nihil variari ſummam poteſtatem ex eo, quod *volente invitove* populo ſtabilita ſit; ejus rei rationem ſupra habes inſinuatam *ſect. 2. cap. 1.* ubi diximus, non minus conſenſu & fœdere populi, quam bello jus imperandi *ſummum* acquiri poſſe & omni tempore acquiri.

33. Verum quidem eſt, quod plerique victores herile & patrimoniale jus in ſubjectos occupent; attamen hoc diverſam ſummæ poteſtatis ſpeciem non inferre *modo audivimus*.

34. Fundamentum autem obſequii, quo populus armis ſubactus, victori imperium jure ſuo exercenti obſtringitur, *inferius* explicabitur.

35. Præterea, nec *electionis ſucceſſionisque* differentia juris rationem, reſpectu ſummæ poteſtatis mutari *ſupra dictis* conſentaneum eſt & facile probatur.

36. Etenim ſucceſſiva imperia, quæ quidem voluntaria ſunt, initium ab *electione* habuere. Nec plane aliud eſt ſucceſſio, quam juris initio ab eligentibus ſtatuti continuatio. *Grot. d. c. §. 13. ſub fin.*

37. Verum quidem eſt, quod leges tempore electionis præſcriptæ à ſucceſſivis imperan-

tibus

tibus vetuſtate & dominandi artibus ut pluri-mum obſoleſcant. Aſt hoc *ad politicam*, non ad juris diſciplinam ſpectat.

38. Fere etiam uſu venit, ut cum electivum imperium, uno actu mutatur in *ſucceſſivum*, fiat etiam mutatio *legitimi* in *abſolutum* imperium, ut factum vidimus apud *Danos*, qui ariſtocratiam cum principatu electivo mutarunt in monarchiam ſucceſſivam & abſolutam, ut dicere occupavimus. Sed hoc non eſſe ab electionis aut ſucceſſionis ingenio, verum unice à voluntate eorum qui imperium conſtituunt, pendere, docet electio pontificum Romanorum & principum Epiſcoporum, qui utcunque electivi, tam ſunt abſoluti quam ulli ſucceſſores.

39. Cæterum hanc obſervationem ad voluntaria non ad violenta imperia pertinere, res ipſa loquitur; ſiquidem electionis libertatem in his imperiis ceſſare manifeſtum eſt, quatenus utique ſunt violenta.

40. Dantur enim, partim violenta imperia, partim voluntaria, idque tamen etiam in unitate reipublicæ.

41. Nempe, ſi quis populus, regem habens à ſe creatum, aliam gentem ſubigat, inque idem cum illa corpus civitatis coeat, manente tamen diſcrimine populi victoris & ſubacti.

42. Tale *Mamaluccorum* fuit imperium initio ſuperioris ſeculi à *Selymo* Turca extinctum. Illi Ægyptum & Syriam arctiſſimo ſervitio continebant, ſuos reges ipſi eligebant.

43. Turcici qoque imperii initium non fuit aliud, quanquam hodie vix poteſt diſcerni poteſtas imperatoris in originarios Turcas & ſubactas gentes.

44. Eodem pertinent uniones Galliarum, quibus acquiſitas bello regiones in unum idemque regni corpus adjungere ſolent.

45. Quin & Romani imperatores in populum & Italiam *civile*, ſuper provincias *herile* regnum habuere, qua de re *Sigon. lib. de jure civ. Rom. Ital. & Provinc. l)*

46. Plerique Politici in definitione majeſtatis requirunt, ut *perpetua* ſit poteſtas; quaſi temporarium imperium non eſſet ſummum; ſed hoc à philoſophia & juris ratione alienum putamus.

47. Quippe natura rerum moralium non à tempore, ſed ab effectis æſtimatur, qui poſſunt iidem eſſe in brevi ac in longiori tempore; quo facit, quod nec in jure civili temporis adjectio vim naturamque dominii aut obligationis alioqui mutat, qua de re *dix. ad tit. ff. de eo quod cert. loc. in fin.*

48. Æque igitur ſummam abſolutamque *poteſtatem* habent rectores annui civitatum quam perpetui. Exemplum in Dictatore, qui fuit αὐτοκράτωρ καὶ ἀνυπεύθυνος ὧν ἂν βούληται καὶ πράξῃ; *abſolutæ nullique ſubjectæ poteſtatis, in omnibus quæ vellet aut ageret*: Πολέμου καὶ εἰρήνης καὶ παντὸς ἄλλου πράγματος κύριος, *pacis & belli omniumque aliarum dominus rerum*, Πάντας ἔχων ὑφ' ἑαυτῷ τοὺς νόμους, *omnes infra ſe leges habens*, ut docet Dionyſ. Halicarn. *in l. 5. hiſt.* Sed erat temporaria poteſtas, ſex menſium aut brevior, raro longioris ſpatii. Quod autem poſtea ſemel ac iterum à dictatore populus eſt provocatus, id facti non juris, ex ipſa quæ rem narrat, hiſtoria manifeſtum eſt.

49. Ceterum, vera eſt hæc poſitio, non modo de ſingulis, ut erant Romæ dictatores, ſed etiam de ordinibus liberarum nationum ſupremis, quorum perſonæ quotannis mutantur, ut heic in *Friſia*, obſervandum eſt.

50. Tali-

l) Provinc.) *Vereor ut multum conducat Sigonii hic allegatus liber ad probandum id, cujus gratia adductus eſt, cum illa differentia, de qua agit Sigonius, magis reſpiciat ſtatum Reipubl. liberæ, quam ubi ſtatus fuit imperatorius, ut in quo etiam illa differentia pedetentim diminuta & tandem plane eſt ſublata.*

50. Talibus enim nihilo minus juris quam ſenatui *Venetorum*, utcunque perpetuo, adſcribi oportet; niſi quatenus legibus cujusque Reipubl. fundamentalibus aliter ſit cautum.

51. *Magnitudinem* parvitatemque civitatum nihil facere ad diverſitatem ſummi imperii, modo ſuperiorem non habeant, facilius intelligitur, niſi quod enormis quandoque differentia diſtrahat hominum judicia.

52. Adeo ut *Raguſam* Illyrici & *Genevam*, Allobrogum urbes, principatusque Arauſionum iisque minorem Ithacam Ulysſis olim, æque ſummam habere poteſtatem, atque Turcarum Gallorumque vaſta imperia, gravate exiſtiment.

53. *Majeſtatis* tamen vox, licet uſu populari ſummæ poteſtati adæquata, tamen id ex uſu antiquo retinuit, ut ſimul dignitatem amplitudinemque requirant majorem, quam ut nimis exilibus populis & civitatibus congruat. *m*)

54. Poſtremo, ſæpius evenire docent hiſtoriæ, ut nomina ſummæ poteſtati conſueta tribuantur iis, qui rem nullo modo habent, quod de regibus *Laconicis* & *Germanis* olim, hodieque de Polonis ipſisque, pene dixeram, *Cæſaribus*, ne de *Venetorum* aut *Genuenſium* Ducibus loquar, adfirmari poteſt.

55. Inter vocabula, quorum ambiguitate luditur eſt *principis* in latini ſermonis uſu, quod apud veteres *non ſummum ſed primum* ſignificat, ait Grotius in *lib. de I. S. P. circa ſacra cap. 3.* Ut injuriam faciant eidem Grotio, qui verba ejus in *lib. de Antiq. Reip. Batav.* quibus ordines Hollandiæ ſcribit, ejurato rege Hiſpaniæ, Rempubl. *non ſine principatu* conſtituiſſe, reſpectu præfecturæ principi Arauſionenſi delatæ; ſic accipiunt, quaſi auctor ſibi contradixiſſet, cum poſtea, præfectum ordinibus Hollandiæ, ratione præfecturæ ſuæ, contendit eſſe ſubjectum, nec habere jus illud independenter ab ordinibus.

56. Ex adverſo, non pauci ſummæ poteſtatis, quam occupant; invidiam popularibus verborum imitamentis declinant, ſicut docent nuncupationes *principum* & *imperatorum* Romæ, novisſimeque in Anglia *Protectorum*, aliaque alibi terrarum.

57. Denique, ſummam poteſtatem evidenter aut tolli aut minui putant multi, cum in regno conſtitutum eſt, ut decreta principis non aliter valeant, quam ſi in aliquo ſenatu recognita & approbata ſint.

58. At hoc ejusmodi eſt, quod ſæpe fallit, cum plerumque magis id prudentiæ quam juris ſit inſtitutum; non ut inde vis imperii pendeat, ſed ne principes à ſupplicantibus decipiantur, velut in *l. unic. c. quando imper. Grot. lib. 1. c. 3. §. 18.* In Gallia Senatus Pariſienſis ſive *Parlamentum* habet hoc jus, quod edicta regum non valeant, niſi re cognita: Quod ſenatui tribuere jus edicta regis improbandi magna voce ab ipſo ſenatu adſeveratum eſt, anno adhuc præſentis ſeculi XLVII. & XLVIII. Sed reges jampridem hoc jus, ſi unquam, ut eſt credibile, tale fuerit, ſubegerunt, eoque ſine dubio Grotius ſpectat *in d. l.*

59. Denique, nihilo magis variatur ſumma poteſtas, exinde, quod qui habent illam, ob privatas cauſas in jus vocari ſoleant; cum id fiat ex voluntaria ſubmisſione in illis rebus, quas imperantes, non ut capita Reipubl. ſed ut membra ſocietatis civilis contrahunt, veluti quando emunt, vendunt, locant, conducunt, mutuum ſumunt, ac *ita in cæteris*, de quo & *antea* dictum.

m) congruat) *De congruo forte dubitari poſſet, cum olim majeſtas etiam de pratore dicta fuerit.* Conf. c. 1. n. 4. *Ergo loco vocis* congruat, *mallem ſubſtituere*, dari ſoleat. *Neque etiam tales civitates ſollicite ſunt valde de titulo, modo re tranquille frui liceat.*

CAP. III.

QUATENUS SUMMA POTESTAS PER FOEDERA MUTETUR.

Minores populos conjungi vel per unionem civitatis, n. 1-6. vel per fœdus arctum, n. 7-10. quo etſi cuncta belli & pacis, quæque ad defenſionem neceſſaria, communicentur, ſummum tamen jus omnium illæſum manere poſſe, quod exemplis probatur. n. 11-20. Perimi tamen ſingulorum jus ſummum, quatenus plurium ſuffragia pauciores ſequi coguntur, n. 12. Idem juris eſſe in fœdere inæquali, n. 21. 22. etſi unus populus majeſtatem alterius obſervare debeat, n. 23. 24. imo etſi judicia quædam à ſuperiore in fœdere, ſuper alios exerceantur, n. 25. quod tamen non licet aut univerſis ſociis ant uni ſuperiori, niſi quatenus expreſſe convenerit, n. 26. aut denegetur juſtia n. 27. 28. Exempla & aliæ limitationes. n. 29-32. At ſi provocandi jus detur civibus ſingulorum, per hoc deſinere ſummam eſſe poteſtatem. n. 33-35. Quod autem ipſi ſocii ab reliquis cogi & plecti, quod tributa, milites exigi poſſint, non officere ſummæ poteſtati; n. 36-39. denique, & eos qui victi ad tributum adiguntur, n. 40. etiam vaſallos, poſſe habere ſummam poteſtatem. n. 41-44.

1. PArvitas civitatis adeo nihil detrahit juri ſummæ poteſtatis, ut non alibi magis doctrina ejus conſpicua ſit quam ubi ſingulis urbibus imperia terminantur.

2. Veteres ſane de *civitate* agentes hanc ſimpliciſſimam explicare ſolent, denique, per Europam ante Macedonum & Romanorum arma vix aliæ ſocietates publicæ extabant.

3. Athenæ, Sparta, Sicyon, Argos, Corinthus, Thebæ, Roma & quicquid alibi clarum fuit, hoc exemplo gubernabantur.

4. Nec ulla res æque *Philippo* Macedoni adverſus Græcos, *Romanis* contra Italos, & in Hiſpanis Gallicisque bellis, quam hæc minuta populorum diviſio profuit.

5. Dein per victorias, aut, ſuadente utilitate, conſenſu factum eſt, ut in majora corpora plures populi coaleſcerent, quod vel per *unionem* civitatis vel per modum *fœderis* arcti contingere ſolet.

6. Prior ratio extinguit ſummam poteſtatem, ita, ut qui prius imperabant, nunc imperata faciant; nam quæ antea fuerant civitates, jam membra majoris civitatis factæ nihil aliud quam ſubjecti corporis partem conſtituunt, idque, tam in plurium quam unius imperio ex æquo obtinere certum eſt.

7. Fœderis arctioris, ubi tamen non fiat *σύγχυσις πολιτείας, plurium confuſio civitatum in unam*, variæ ſunt ſpecies, quarum nulla ſummam poteſtatem lædit.

8. *In* univerſum, eſt vel *æquale vel inæquale* fœdus. Æquale, non officere ſummæ poteſtati per ſe patet; ſaltem reſtringit libertatem faciendi quod velis in ea re, de qua convenit, quod etiam in naturali pleniſſimaque libertate poteſt fieri.

9. Ita

9. Ita fœdus Amphictyonicum, quod univerſæ Græciæ unum in publicis cauſis tribunal ſtatuebat, ſingulis Græciæ civitatibus non ademiſſe poteſtatem ſummam extra controverſiam eſſe, liquet ex *Ubb. Emm. de Græc. vet. tom. 3. de concil. Amphict.*

10. Sed fœdus Ætolicarum & Achaicarum nationum videtur unam feciſſe de pluribus Rempublicam, ut ex *Polybio* colligi poteſt. *l. 2. c. 38. Juſtin. l. 34. c. 1. Ubbo Emm. d. tom. 3. de Rep. Æt. & Ach.*

11. Poteſt autem belli & pacis, contributionum omniumque rerum ad communem defenſionem pertinentium communio haberi, ſalva ſingulorum ſociorum poteſtate ſumma.

12. Etſi cunctis partibus integra non ſit; nam in iis, quæ communia ſunt facta, & in quibus coeuntium ſuffragia numerantur, ſinguli non habent poteſtatem, ſed omnes pariter.

13. Attamen omnia, in quibus ſententiæ non prævalent numero, manent ſingulorum & ſic nihil detrahunt Majeſtati.

14. Exemplum præbet Reſpublica Belgarum unita, quæ fœdere *Trajectino* arctisſime quidem eſt conjuncta, verum ſalva ſingularum Provinciarum ſumma poteſtate, qua de re videatur Grotius *de antiqu. Reip. Batav.*

15. Exceptis duntaxat iis rebus, quæ ex fœdere ad univerſitatem ſociorum ſive *ordines generales*, quos vocant, delata ſunt, quæ non ſinguli, verum omnes pariter exercent, ut tamen quaſdam præcipuas facultates, prærogativæ numeri ſuffragiorum exemerint.

16. Idem in Helvetica gente non caret dubio, quando ibi aliquanto minor ac in Belgis fœderatis nationum eſt conjunctio.

17. In imperio ſive regno Germaniæ magis alia ſpecies quam res eſt. Speciem diverſam facit, quod Germani fœderis ſui principi nomen Cæſaris, Imperatoris, Auguſti, quæ verba implent auditum ideam ſummæ poteſttis, adſcribunt, eundemque omnibus majeſtatis imitamentis proſequuntur.

18. Sed qui norunt, moralium & maxime juridicarum rerum naturam ab effectis æſtimari, principesque & civitates Germaniæ liberas, vident omnibus fere ſummæ poteſtatis juribus independenter à Cæſaris arbitrio uti, denique, membra Germanici imperii nullo modo tam arcte inter ſe conſtringi, quam ſunt Belgicæ Nationes unitæ, non dubitabunt, quin Germania ſit corpus fœderatum in plures ſummas poteſtates diſtinctum potius, quam una civitas.

19. Proinde, quam Juriſconſulti Germani vocant *ſuperioritatem territorialem*, hanc modo potius, quam ſpecie à ſumma poteſtate Reipubl. diſcrepare, facile animadvertet, qui verborum & rerum diſcrimina novit.

20. Utcunque *majeſtatis* voce nunquam ſe honorari patiantur, quando ne regibus quidem exteris hanc appellationem impertiuntur, ut imperatori ſuo illud *ἀξίωμα* per excellentiam ſoli vindicent.

21. De fœdere inæquali plus eſt dubii; inprimis diſtinguendum, utrum onus tranſitorium, an permanens alterutri imponatur.

22. Nam ſi qua præſtatio, ratione ſumptuum belli redimendæve injuriæ quæ *tranſit*, uni præ altero injungatur, id palam eſt, non officere juri majeſtatis.

23. Nec quidem ſi convenerit, ut populus unus *comiter alterius principis populive majeſtatem conſervet.*

24. Hoc enim adjicitur, ut intelligatur, alterum principem populumve ratione dignitatis eſſe ſuperiorem, non quod libertati ſummæque alterius poteſtati quicquam decedat, quemadmodum clientes noſtros intelligimus liberos eſſe, tametſi neque autoritate neque dignitate nobis pares ſint. *l. 7. §. 1. de captiv. & poſtlim.*

25. Quin imo etſi convenerit, ut apud

K 2 com-

Digitized by Google

commune fœderatorum concilium vel eum qui in fœdere ſuperior eſt, cives ſingularum civitatum certis ex cauſis rei fiant damnatique puniantur, id nec ipſum poteſtati ſummæ adverſari docet *Proculus JCtus* in *d. l.* VII. Nam & in æquali fœdere poteſtas decidendi ſociis reliquis, aut certis perſonis, ex pacto deferri poteſt.

26. Sed abſque conventione, nec unus ſociorum nec commune concilium, *cui adminiſtratio rerum ad fœdus pertinentium committitur*, jus dicere poſſunt de capite fortuniſque hominum, qui ſunt in ſingulis civitatibus.

27. Niſi conſtet, eos, qui præſunt civitati, nolle in ſuos qui *contra fœdus* delinquerunt, animadvertere, imo illos recipere in publicam *protectionem*.

28. Tunc enim ſocios habere jus, ejuſmodi maleficos, ut hoſtes capere & damnatos punire, non quidem imperii ſed magis jure belli dicendum videtur, ſi, inquam, manifeſtum ſit delictum, & contra fœdus eſſe admiſſum; alioquin hoc obtentu jura ſociorum, conſpiratione plurium è ſociis, violari poſſent.

29. Hæc per me licet, applicentur iis quæ Grotius in *Apologia ſua* pro magiſtratibus abrogatis *Hollandiæ* ſcripſit adverſus acta reliquarum provinciarum, anno CIↃ IↃCXVIII.

30. Non decidimus, utrum juſta fuerit, cauſa Proceres Batavos cogendi, quod Grotius negat; Sed theſin negamus; Ordines *Generales* nullo modo illos cogere potuiſſe; Siquidem eoſdem, una cum ipſis Batavis, alios è ſociis non ſemel, ex cauſa non ſervati fœderis vi coegiſſe, memoriæ proditum eſt. Idem de executione facta in Hollandiæ proceres anno MDCL. exiſtimandum. Facti quæſtionem non attingimus; Juris diſceptatio eſt hujus loci.

31. Obſervandum eſt etiam, poſſe fieri, ut tales ſocii certo reſpectu ſe habeant ad inſtar unius civitatis; ſcilicet, in ejuſmodi ditionibus, quas jure belli communiter partas per commune concilium regunt.

32. Adeo, ut in his plurium conſenſus pro omnium voluntate, ſicut in una Republ. fit, abſolute habeatur: Exemplum habetur in territorio Ordd. *generalium*, quod conſiſtit in partibus Brabantiæ Flandriæque bello quæſitis.

33. Verum enim vero, ſi provocandi facultas daretur civibus ſociorum adverſus acta ſuorum imperantium ad aliquem ex fœderatis, vel ad commune concilium, per ejuſmodi conditionem fœderis manifeſto læderetur ſumma poteſtas.

34. Proinde, ubi ſumma poteſtas ſalva eſt, ibi provocatio ad collegium commune ſociorum in ſingulis fœderatorum provinciis, nullo modo admittenda, ut luculenter diſputant ordines Friſiæ in epiſtola ad Ordd. Generales, quæ extat apud Aiſſema *lib. 8. ad ann.* 1628. Quin iidem criminis læſæ Majeſtatis reos edicto publico declaraverunt eos, qui de regimine publico Friſiæ, querelas *ad ordines* generales detulerant anno MDCLXXVII.

35. Aliud eſt, ſi ordines ſummi unius ſociæ civitatis, de rebus inter ſe controverſis ad commune concilium ex pacto rem deferre cogantur, ut *Groninganæ & Omlandiæ* apud nos Provinciæ accidit, quæ hac lege ſe fœderi communi adjunxit, ut controverſiæ inter civitatem & agrarios ab ordinibus generalibus deciderentur.

36. Quin etiam cogi & plecti poteſt, ſocia civitas, quæ legibus fœderis ſatis non faciat; quæ res adeo non tollit jus ſummæ poteſtatis, ut ne quidem fœdus inæquale conſtituat.

37. Siquidem aliter fieri nequit in ſtatu naturali, quo ſunt fœderati, quam ut alter alterum promiſſis non ſtantem vi & armis compellat; cujus rei ne quidem inter *provincias Belgii fœderatas* exempla deſunt.

38. Quid vero, ſi ſuperior in fœdere jus habeat indicendi reliquis exercitum, exi-

gendi

gendi pro arbitratu tributum, moratores citandi cogendique ad ſolvendum?

39. Ne hæc quidem pro defenſione communi ex pacto conceſſa ſummam poteſtatem tollunt, ſicut ratio & exempla docent. Nam inter Græcos Sparta ac Athenæ principes reliquorum ſibi fœderatorum, ea jura tenebant, & tamen inferiores in fœdere populi ſine dubio liberi ſummæque poteſtatis erant. Haud diſpar ratio *Drentinæ* gentis, apud nos eſſe videtur.

40. Quin etiam qui bello victus cogitur victori ſolvere annuum tributum etſi perpetuum, is ea re non amittit ſummam poteſtatem, quia pecuniaria præſtatio non impedit, quo minus is qui tributum ſolvit, omnia imperandi acta libere in ſubjectos exerceat, neque deſunt illuſtria præſentis & aliorum temporum exempla.

41. Eadem ratione adhuc fortius dicendum, nequidem feudalia imperia, *etſi habeant, quem dominum appellent, cui ſervitia præſtent*, minime tamen jus ſummæ poteſtatis hoc ipſo habere deſinere, modo qui ſubditi ſunt vaſallo, jus provocandi ad dominum non habeant.

42. Nam *ſervitia* quæ dicuntur, nihil fere ſunt aliud quam officia exhibendi ſe in armis pro domino, quorum præſtatio nullo etiam modo impedit facultatem ita imperandi ſuis, ut acta infirmari non poſſint.

43. Sufficit enim ad jus ſummæ poteſtatis, quod ſubditi cujusque nihil altius aut majus habent, cui parere debeant; hoc enim ipſis *ſummum* eſt, quo altius adſcendere nequeunt.

44. Quippe ratio imperandi atque parendi intra fines cujusque civitatis liberæ continetur. Grotius *lib. 1. c. 3. §. 21. & ſeqq.*

CAP. IV.

DE FUNDAMENTO IMMINUENDÆ MAJESTATIS SEU SUMMÆ POTESTATIS.

Repetitur, imperio civitatis ſimpliciter conſtituto, excipi patientiam mortis indubie violentæ ac injuſtæ, & inſtituti perpetui, in bona civium pro lubidine graſſandi, n. 1. præter ea quæ ſpecialiter in quaque Republ. eximuntur. n. 2-7. quod maxime in Monarchiis fieri; utrumque ratione probatur. n. 8. Contra niti Hobbeſium, n. 8-15. eo quod populus ad imperium ſtabiliendum congregatus, multo minus, poſt ſtabilitum diſſipatus, non habeat jus corporis aut univerſitatis, nec proinde capax ſit juris perſonalis acquirendi, n. 16. 17. quod refellitur ab effectu, qui eſt, delatio imperii per actum unum voluntatis, n. 18-27. quam unitatem etiam illic eſſe, ubi populus per oppida vicoſve diſperſus imperantes conſtituit. n. 27. 29. Conventu populi diſſoluto, manere tamen effectum exceptionis imperio adjectæ, n. 30-33. tam per modum nullitatis actuum, qui contra fiunt, quam, quia ſocietas civitatis poſt digreſſionem civium à comitiis, univerſitatis jus conſervat, n. 34-38. quod exemplo democratiæ comprobatur, adeo ut imperantibus in his quæ conceſſa illis non ſunt, impune non pareatur. n. 39-55. Quæſtionem, an expediat hoc civitatibus, à ju-

Digitized by Google

ſiderari, ideoqne ex pacto jus quod eſt perſonale, habere non poſſe; Non ſunt unum, *ait*, quandiu ſunt congregati, multo minus, poſtquam diſſoluti quilibet ad ſua dilapſi ſunt; maxime, ſi nullum tempus, quo cives rurſus conveniant, ſit conſtitutum; ſicut in *Anglia* ſit, at quam ille tantum & ubique reſpicit ac alludit.

17. Ratio, quare ne tum quidem, ubi convenere, *perſonam* repræſentent, *ſupra* eſt inſinuata *c. 9. §. 15.* ubi dictum, quod cives ſinguli pactum cum ſingulis habeant, *ſe facturos quod imperantes juſſerint.*

18. Sed hæc ratio non valet ad probandum, *quod populus nullo modo faciat unitatem;* nec enim illud pactum ſingulare, quo ſinguli cives inter ſe tenentur, excludit unionem pacti univerſalis, imo intercedere talem, rei ipſius, ni fallor, evidentia declarat, quam ita demonſtramus.

19. Delatio imperii à populo in regem fit uno actu. Nec enim à ſingulis ullus, opinor, Rex unquam immediate fidem accepit.

20. Primo quidem ſuffragia viritim colliguntur; Sed ex collectis unum fit decretum; Ubi actus & voluntates infinitæ ſingulares in unum compinguntur, ibi manifeſto fit unum quid è multis.

21. Exemplo ſit Servius Tullius, qui dolo regnum adeptus, rebus bene geſtis, civiumque ſtudio fretus, auſus eſt ferre ad populum, vellent juberent ne ſe regnare, tantoque conſenſu, quando haud quiſquam ante ſe alius, Rex eſt declaratus, *ſunt verba Livii, lib. 1.*

22. More comitiorum Romanorum, curiæ vel centuriæ populi in ſuffragia miſſæ fuerunt. Quod major pars ſciverat, id pro lege promulgatum eſt. Atque ita populus perſona factus eſt, ſive, perſonalem reſpectum induit, antequam Rex conſtitueretur.

23. Pari modo *L. Flaccus* Interrex de *Sylla* tulit, ut omnia quæcunque ille feciſſet, eſſent rata. Cic. *Orat. 3. pro Rull.* A qua verbis potius quàm re diſcrepabat lex vetus imperii, quæ *Cæſarum* poteſtati juris prætextum circumdedit, quam JCti legem *regiam* dixere de qua alias plena manu egimus in *lib. 1. digreſſ. c. 16. & ſeqq.*

24. Populi decretum, lex appellatur. Legem nihil eſſe aliud quam communem Reipubl. ſponſionem, ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως, fœdus univerſale, dixere ſapientes *l. 2. ff. de legib. ubi Demoſthenes.*

25. Qui vult, qui decernit, qui agit, qui jus transfert, numquid ille jus acquirere non poſſit? qui totum uno actu à ſeſe alienat, an ille, quominus partem retineat, ſi res, de qua agitur, recipiat diviſionem, impediri poſſet?

26. Ita jam conſtat, populum principi vel optimatibus imperium deferentem eſſe unum aliquid, eſſe perſonæ inſtar jurisque tam retinendi quam ſtatuendi capacem, ſicut in jure civili notum eſt, univerſitates idem jus habere, idemque pati quod habent & patiuntur ſinguli. *Tit. ff. Quod Cuj. univ. nom. & de libert. univerſ.*

27. Quid ſi nunquam populus in unum conveniat, ſed per oppida, territoria, per pagos diſperſus imperantes conſtituat, *ut apud nos in Friſia, inquam, annui imperantes eliguntur?* nihilominus unum eſſe, ac jus perſonæ habere ſtatuendum eſt.

28. Cum enim ex plurium conſenſu ubique concludatur & omnium concluſiones in unum conjungantur, juris ratio nihil ex ſitu locorum mutatur.

29. Quid autem politicæ conſiderationis ſit in hoc inſtituto, non eſt hujus loci explicare; nihil ſane ad compeſcendas ſeditiones utilius, nihil ad *oligarchicas* artes fovendas opportunius eſſe, docet ratio & experientia.

30. Supereſt quærendum; poſſitne populus aliquid juris retinere dici, poſtquam imperio conſtituto, ſimpliciter diſſipatus

eſt;

eſt; Et quidem nullo tempore præſtituto, quo rurſus eum convenire oporteat, ut fit ubique per Europam, dimiſſis regnorum populorumque ordinibus.

31. *Hobbes in d. c. 6.* negat, eo quod diſſoluta multitudo non ſit univerſitas neque corpus hominum, ſed ſinguli tantum; Atqui nec hoc, inquit, eſt actum neque fieri poteſt, ut *ſinguli* jure univerſis quæſito uti præſumant.

32. Id quidem conceſſerim, ſi quis populus non omne jus imperii transferre cupiat, eum rectius ſibi conſulere, ſi tempus certum rurſus conveniendi ſtatuat; aut potius, ſi relinquat aliquam poteſtatem conſervandæ libertatis, ut in regnis quibusdam *legitimis olim factum accepimus, in Spartano; exempli gratia, & Arragonio.*

33. Tamen etſi nihil ejusmodi extet, populusque poſt leges imperii dictas reſolute diffluxerit, adhuc tamen jus, quod in conſtitutione imperii populo quæſitum eſt, durare ſuoque effectu non carere putamus.

34. Nam etſi tali caſu non ſit qui actu Regem impedire poſſit, ne contra leges fundamentales agat, acta Regis in *vitium nullitatis* incidere poſſunt, ut, inquam, ipſo jure nullum ſit, quod ab eo geſtum fuerit.

35. Quamvis etiam populus non ſit uno loco congregatus, manet tamen *communione juris & fœderis ſociata multitudo*, à qua nihil vetat aliquid juris retineri.

36. Cui accedit, quod pactiones illæ, quibus imperium fuit limitatum, contractæ ſunt in eum caſum, ut conventu populi diſſoluto, in regimine exercendo uſum effectumque haberent.

37. Item, quod conditio obligationis ſimpliciter initæ hæc eſt, ut perpetua ſit, tam civili jure, quam Gentium & ratione Naturali.

38. Quid *Hobbes* ad hæc? Vult leges, ſi quæ imperio per conventionem adjectæ ſint, hac mente, ut populus ad ſua digreſſus ſecundum eas regatur, confeſtim amittere vim ſuam, neque principem eas violantem ullius eſſe reum injuriæ; Quod ni falſum ſit, ratio ipſa fallitur.

39. Id quod docetur evidentius atque illuſtratur ex ſpecimine democratiæ; Nam in popularibus imperiis, poſt habitum de publicis negotiis conventum, omnes dilabuntur, adminiſtratione rerum magiſtratibus commiſſa, quibus nemo ex univerſo populo in iis, de quibus imperium habent, parere non debet.

40. Sæpe etiam plebs diſſolvitur, ut nullum conveniendi tempus certum conſtituatur, quod Romæ & Athenarum exemplis notiſſimum eſt; Ergone tu dixeris, illos populos nihil interea juris habuiſſe? Imperium quibus omne & ipſa democratia ſicut erat, ſalva manſit?

41. Quod ſi imperium totum in eo ſtatu retineant, nihil eſt cauſæ, quare non æque partem, ſalva juris ratione, ſervare poſſint.

42. Opponitur: *in ea ſpecie non transfertur imperium à populo in magiſtratus, ſed hi à populo, ut miniſtri poteſtatis, quam ipſi tenent, conſtituuntur; nos autem heic agimus de translatione imperii.*

43. Imo vero, nunc agitur, ut quæramus, an populus dilapſus & ſegregatus adhuc capax ſit juris retinendi; hoc exemplo democratico probatur; non inſtituimus comparationem regis & magiſtratuum; ſufficit hoc ſequi, populum diffluentem & ſeparatum jus quod non tranſtulit, retinere, quia totum, ſi nihil tranſtulerit, in eo ſtatu retinere poteſt actuque retinet.

44. Videlicet, cum ita diſputamus, ſupponitur, populum expreſſe quædam jura majeſtatis ſibi reſervaſſe; ſi nihil quam pollicitatio quædam facta ſit à principe, tenetur quidem ille populo, ſed non aliter, ut videtur, quam pater-familias, qui aliquid uxori, liberis, ſervis ſuis promiſerit, obligatur, qua de re ſub titulo *de promiſſis ſummarum poteſtatum.*

45. Verum

Digitized by Google

45. Verum inſtatur adhuc, *Obligatio extinguitur, ubi perſona cui debetur, deficit*, ubi nemo eſt, *qui exerceat jus* parteſque exigendi occupet; atqui id tum evenit, quando populus ſtabilito imperio, diſſolvitur abſque certo ordine redeundi in unum; Neque enim ſingulis vel paucis facultas reſiſtendi imperio ſummo, ſine ſumma confuſione, permitti poteſt.

46. Accedit, quod nec ulli competit facultas convocandi populum, invito eo, qui tenet imperium; Ob eandem ſummi periculi rationem.

47. Quod ſi populi conventus agi non poſſit, nihil quoque decerni poteſt adverſus regem, licet terminos delatæ ſibi poteſtatis egrediatur; Ideoque res loquitur, ſolidum imperium, etſi non ita delatum regi, per conſequentiam ei adcreſcere & advolvi.

48. Illuſtratur hoc ſimili, quod deſumitur à teſtamento, ubi teſtator ex parte aſſis heredem ſcripſit, neque ex reliqua hereditate quenquam nominavit; tunc enim heredem ex parte inſtitutum haberi pro herede ex aſſe conſtat, *§. 5. & 7. Inſt. de Hered. inſtit.* propter regulam, quod nemo pro parte teſtatus pro parte inteſtatus decedere poſſit *l. 7. ff. de R. J.*

49. Ita & princeps, cui pro parte imperium eſt delatum, non expreſſo, à quo & quomodo reliquum teneri debeat, in ſolidum Reipublicæ impoſitus videtur.

50. Quia præſumptio, quod populus minime voluerit pro parte regi & pro parte non regi, validior eſt, quam quod teſtator partim teſtatus partim inteſtatus decedere noluerit.

51. Reſponſionis loco exemplum proponemus. Populus Romanus Decemviris ſummam Reipubl. poteſtatem ad annum dederat, legum ferendarum cauſa, ſicut narrat Pomponius in *l. 2. §. 24. ff. d. O. J.* Quare cum poteſtatem ſibi prorogarent, ut ipſi & factio ſua perpetuo rempublicam occupatam retinerent, an jure populus ei ſe tunc oppoſuerit? Nulli, opinor, id dubium eſt; Atqui populus erat ſeparatus, nemo præter Decemviros imperium, nemo jus populi convocandi habebat. Exercuit tamen plebs tota ſuum jus, & ſtatum Reipubl. amiſſum recuperavit, ut iterum *Pomponius, quaſi rem certi juris*, commemorat.

52. Si dicas, non habuiſſe Decemviros imperium diutius quam datum erat; regeram: Nec principem, cui partes imperii non omnes datæ ſunt, imperium hactenus habere, ſi jura, quæ nunquam ei data ſunt, exerceat; adeo ut is nihilo magis ſupra privatum ſit, quam monarcha temporarius ſpatium ſuum emenſus, aut is qui extra territorium jus dicere præſumit. *l. ult. ff. d. Juriſdict.*

53. Ex his facile apparet, quam falſum ſit, quod tradit Hobbes in *d. cap. 6. §. 17. ſub fin.* Populo ſine tempore locoque repetendi conventus digreſſo, ſi interea temporis det alicui poteſtatem puniendi eos, qui leges transgrediuntur, eam neceſſario eſſe *abſolutam*; ut vel ex democraticis, quæ modo adduximus exemplis, perſpicue patet.

54. Quin etſi non modo non ſoleat, ſed etiam non poſſit populus aut ingens optimatium numerus convenire, niſi à certis magiſtratibus convocetur, hos tamen magiſtratus idcirco habere ſummam poteſtatem, aut populum vel majorem illum numerum deſinere illam habere, nullo modo dicendum eſt, quemadmodum exemplis Romæ aliiſque veteribus & præſenti Friſiæ noſtræ liquet.

55. Proinde res eo deducitur, ut ſtatuendum ſit, cuilibet corpori civium, imo & ſingulis eorum, quibus primævum eligendi jus fuit in tempore & loco, facultatem competere, exigendi ab imperantibus, ne uſurpent quod nunquam iis datum atque delatum fuit. An & reſiſtendi facultas contra vim ex eadem juris neceſſitate ſequatur, *alibi* expendemus.

Digitized by Google

56. Parata erit objectio, videri hanc rem periculoſam & exitialem civitati; verum hæc ratio valet hactenus, ne in dubio populum tranquillitati communi adverſa voluiſſe credamus, non ut ea quæ diſerte conſtituit, hoc argumento ſubvertantur.

57. Omnino enim alia juris, alia prudentiæ quæſtio habenda; Juris eſt, ut cuique de ſuis rebus pro lubitu diſponere liceat. Prudentiæ eſt, expendere, proſit, an noceat ſibi; juris id non intereſt; modo nulli alii iniquam inferat conditionem, heic de jure quæritur; quid ex uſu ſit, politici judicare debent.

58. Atqui liberum fuiſſe populo, deferre & non deferre & quantum imperii deferre vellet, id & *Hobbeſio* confeſſum & ratione exploratum eſt.

59. Tu qui putas, principibus fas & integrum eſſe, jura ſibi expreſſe negata invadere, neutiquam ſecuturis inde incommodis ſententiam tuam liberabis.

60. Plane & Grotius ſummæ poteſtatis acerrimus vindex, haud ſecus docet, quam principem partes imperii non datas ſibi vindicantem, hactenus privatum eſſe, nec cives ei ad obſequium eſſe obſtrictos. *L. 1. c. 4. §. 13.*

61. Denique, nec ita periculis obſepta eſt ſententia noſtra, quin obviam illis iri ac anteverti poſſis, remedio non tantum prudentiæ, qualia excogitare politicorum eſt, ſed & juri conſentaneo.

62. Nam ut populus in democratia, ordinatis magiſtratibus, ad ſua rediens tacite mandat, ut ſi quid ſupra illorum miniſterium in re communi occurrat, civium conventus ab ipſis indicatur, ſicut *Athenis* ac *Romæ* fieri ſolebat;

63. Prorſus ita populus ſtatuens principem, ſed quædam jura ſibi reſervans, tacite hoc ipſo ſtipulari intelligitur, ut ſi quid ad hæc pertinens ſit agendum, populare concilium indicatur, ſiquidem electio ſit populi.

64. Nam hoc ultro intelligitur, ſi proceres eligant, vel jus ſoli ad comitia veniendi habeant, de his ea quæ dicta ſunt, intelligenda. Idem juris eſt, ſi non omnis populus, ſed ordo aliquis immobilium poſſeſſores, ſicut in *Friſia*, jus conſtituendi plures imperantes, annuos vel perpetuos in Republ. habeant.

65. In delectu jurium, quæ populi aut optimates ſibi reſervare debeant, ſumma opus eſſe prudentia, non eſt, quod moneamus; Præcipui ex illis momenti eſſe jus condendi leges easdemque abolendi facile conſtat.

66. Sed vis longe maxima & architectonica eſt in his duobus; In jure exigendi pecunias à civibus, per tributa & vectigalia; & in jure conſcribendi & habendi milites perpetuos ac mercenarios. Ubi hæc duo jura non valide ſunt obſepta principibus, ibi quicquid eſt legum fundamentalium ſenſim evanidum & eluſorium fieri, bene doctæ ſunt gentes, etſi nunquam ſatis edoctæ.

67. Bene conſulunt, qui certos & ſtatos ordinum populi procerumque conventus, convocatione non ſimpliciter à principum arbitrio dependente, conſtituunt. Etſi enim jus populi ab ea re non pendeat, ut Hobbes argutatur, ad executionem tamen legum fundamentalium id efficaciſſimum eſſe, non eſt dubitandum.

68. Acquieſcamus igitur in hac ἀντιθέσει Hobbeſiana; *Populum eſſe unum quid, eique jus aliquod recte adſcribi, quamvis nec congregatus ſit, neque ſciat tempus futuri conſentus.*

69. Quia manet obligatio, qua mutuis pactis ſe pridem conjunxerant. Et quia naturaliter quicunque jus ex pacto commune cum pluribus habent, æqualiter id, ſeu conveniant, ſive non, habere cenſentur.

70. Præterea teneamus, quod populus totus qua totus, paucis vel uni imperium deferre

deferre poſſit. Non modo per fœdus mutuum, quo ſinguli à reliquis ſtipulentur iisque ſpondeant obſequium ſe paucis unive præſtituros.

71. Sed & fœdere διπλεύρῳ inter populum totum, vel qui jus populi habeant, veluti partem unam, & imperantes, ut alteram partem.

72. Priori ſenſu nullum quidem eſt vinculum obligationis inter populum & imperantes, ſed inter ſingulos. At nihilo ſecus acta imperantium præter & extra id, quod ipſis compromiſſo populi delatum fuit, ipſo jure nulla ſunt.

73. Quemadmodum arbiter compromiſſo electus hoc ipſo non obligatur partibus, ſed hæ tenentur acquieſcere in eo quod arbiter, ſive æquum ſive iniquum, dixerit *l. 27. §. 2. ff. de Recept. qui arbit. recep.* Quod ſi tamen arbiter compromiſſi terminos exceſſerit, quod hactenus ſtatuit, ipſo jure nullum eſt *l. non diſtinguimus 32. §. de officio 15. ff. eod. tit.* Jam in altero reſpectu, quo imperium per conventionem inter populum & rectores conſtitutum fuit, duos eſſe fœderatos, nullum eſt dubium.

74. Tandem adeo, populum, etiam diſſoluto conventu, retinere facultatem ejus juris, quod congregatus acquiſivit vel actu habebat, dicendum eſt.

75. Nec minus veriſſimum eſſe, quod imperantes nullo modo plus obtineant, quam ex voluntate eorum qui imperium dederint. Et hæc quidem ex iis quæ dicta ſunt, apparent.

76. Quare iterum negamus Hobbeſio, *in omni civitate aliquem eſſe hominem vel concilium, qui quodve potentiam in cives ſingulos jure habeat tantam, quantam extra civitatem unusquisque habet in ſemet ipſum. c. 6. §. 13. in pr.*

77. Cum enim collocatio illius juris pendeat ab eorum voluntate, nihil eſt cauſæ, cur non ita animum inducere poſſint, ut aliquanto minus potentiæ tranſlatum velint; Quatenus defenſioni communi vitandæque confuſioni ſufficere arbitrentur.

87. Inſtat ille; *Si poteſtas imperantium limitatur, neceſſe eſt, ut id fiat à majori poteſtate. Hæc vel ſine limite eſt, vel iterum cohibetur ab alia majore. Et ſic tandem ad poteſtatem ſine limite devenietur. ibid.*

79. Reſpondeo ad primam poſitionem; Si intelligit poteſtatem in Republ. jam ordinata, *n*) negamus, limitationem inde proficiſci debere: nos enim aut arceſſimus eam à conventione ſingulorum, per quam civitas fundata eſt, ita ut limitatio præceſſerit rempublicam, ſicut dictum; Aut ſi populus jam pridem coactus in civitatem, imperium tranſtulerit, limitatio eſt ab illo populo, qui fuit major poteſtas, quam tunc erat is cui imperium offerebant, idque ad hanc rem ſufficiebat.

80. Verum tranſlato imperio, non manet illa poteſtas major; limite poſito, deſinit eſſe poteſtas, & imperium, ſicut fundatum eſt, unica manet poteſtas, limite circumſcripta. Quem limitem ſi Rex manifeſto egreditur, eatenus non eſt Rex.

81. Hinc liquet, non eſſe neceſſe, ut progrediamur ad ejusmodi poteſtatem in Republ. infinitam, qualem ſibi fingit *Hobbes;* ſiquidem cauſa limitans ante & extra formam Reipubl. collocari poteſt ac debet.

82. Addamus exemplum, ut videamus, an res facultatem uſumque habeat. Rex conſtitutus eſt hac lege initio dicta, *ne jus habeat indicendi tributa,* niſi maximo populi

n) negamus) *Contextus urget, ſic legendum eſſe.* Si intelligit poteſtatem in Republica jam ordinata, concedimus, ſi in ordinanda, negamus, limitationem &c.

puli comitio. Hujusmodi Rex habet vere ſummam poteſtatem ſed non integram. Si tributa ſolus indicat, imperium ejus hactenus eſt ipſo jure nullum, nec quisquam ei hac parte parere debet. Nec incognita ſunt regna, ubi ſic juris eſt & ubi adhuc quidem ita ſervatur.

83. Res igitur huc redit, ultimum potentiæ conſiſtere in ſingulis, qui ſuimet ipſi jus in infinitum habent. Potentia civitatis, ex univerſis eorum voluntatibus conflata eſt, quas aliter ac aliter habere ſe poſſe diverſitas Rerumpubl. demonſtrat.

CAP. V.

DE LEGIBUS FUNDAMENTALIBUS.

Imperantes ſimpliciter conſtitutos legibus cunctis eſſe ſolutos, tam quoad directionem quam coactionem, quatenus in illis ad civilem obedientiam obligatio vertitur; n. 1-5. at obligatione, quæ eſt juris naturæ, gentium, & divini haud dubie teneri, n. 6-10. ut & fundamentalibus. n. 11. Quæ ſint tales. n. 12. 13. Non eſſe inſtituta, quæ tacite in omni imperio excepta intelliguntur, n. 14-19. ſed eſſe conſtitutiones, quæ in fundando imperio inſtar conditionum adjiciuntur, n. 21. 22. Illarum poteſtas, quando tollant, quando minuant vel reſtringant ſummam poteſtatem. n. 23-28. Jura majeſtatis in una civitate penes diverſos communicative non ſeparatim conſiſtere poſſe, ubi, an dentur Reſp. mixtæ. n. 29-34. Quid juris ſit, ubi imperantes ſalvis legibus fundamentalibus, nullis tamen expresſis, ſunt conſtituti. n. 35-47. Legem, ut controverſiæ publicæ inter principem & ordines populi per arbitros terminentur, videri tollere ſummam poteſtatem. n. 48-53. Etiam ſtabilito imperio, communi imperantium & ſubditorum conſenſu expreſſo vel tacito, per præſcriptionem temporis immemorialis, oriri poſſe jura fundamentalia. n. 54-60. Privilegia civibus indulta non eſſe fundamentalia, n. 61-65. niſi forſitan vetuſtate crebrisque ſtipulationibus vim utrinque obligatoriam acceperint: n. 66. quo modo aliqua imperia è deſpoticis civilia ſint facta. n. 67. 68. Quale ſit genus obligationis è legibus fundamentalibus. n. 69-83.

1. Decantatius nihil eſt, quam *principem legibus eſſe ſolutum*, quæ eſt regula Juris Romani, verum ab omnibus politicis & juris publici ſcriptoribus adoptata, ex *L. 31. ff. de legibus.*

2. Nec tamen æque usquam variant interpretationes, de quibus vide, ſis Virum Cl. Ant. Matthæum *diſſ. 1. ad Pandectas.*

3. Nos in eo, qui habet ſummam poteſtatem, ſeu populo toto, ſive optimatibus, ſeu principe ſimpliciter conſtitutis, qualis, erat Romanus ex formula legis regiæ princeps, nullam agnoſcimus exceptionem.

4. Proinde cunctis legibus eum ſolvi, nec ullo omnino principem teneri arbitramur. Ne quidem illis (ſine invidia dictum) quæ

Digitized by Google

quæ ſanciunt ea quæ jure naturæ, gentium & divino præcipiuntur.

5. Non quod adverſus illa jura princeps haud æque peccet ac privatus, ſed quia legum vis conſiſtit in neceſſitate civilis obedientiæ *l. 7. ff. de legibus*. Quam non cadere in ſummam poteſtatem voces ipſæ, nedum principia pridem poſita, ſponte docent.

6. Proinde aliud eſt quærere, num iſte homo qui principatu potitur, jure naturæ, gentium divinoque teneatur; Aliud num *princeps qua talis*, legibus ſit ſolutus. Vide tamen ſuper hoc articulo, quod ſcripſimus *in ſect. 3. c. 1. n. 18. & ſeqq.*

7. Jura ejus perſonam obligant, ea vi quam efficere poſſunt; Nempe ut & Deo & hominum illis, quibuscum in ſtatu naturali agit, quales ſunt omnes exteri, devinciatur.

8. A quibus & cogi & ob delicta puniri poteſt; quoniam illis non eſt princeps, & jus puniendi eſt etiam naturale, ſicut Grotius in *C. de pœnis lib. 2.* docet.

9. At eorum reſpectu, qui ut principem eum agnoſcunt, iſta jura nullam adverſus eum vim exercere poſſunt.

10. Qui enim cogi poteſt, is vel ſuperiorem vel parem duntaxat habeat oportet Quorum neutrum de populo toto, vel principe ſimpliciter conſtituto prædicari poteſt, ut vox ipſa *ſumma* poteſtatis ultro ſignificat.

11. Ne quidem excepimus leges, imperii *fundamentales*, quibus alioqui principes teneri volunt. Non quod hoc negemus, ſed quia in principatu ſimpliciter conſtituto nullæ præſumi poſſunt. *o*)

12. Nihil audimus jactari frequentius, nihil videmus intelligi rarius quam *leges fundamentales*, ut non immerito notat *Hobbes alicubi in Leviathane.*

13. Nos *legis* vocabulo primum conſiderato, ſubmovemus ab hoc termino proprie accepto, *quicquid alta non eſt conſtitutum. Legem oportet eſſe latam & lectam, ut vere pro lege poſſit haberi.*

14. Poſitivas igitur leges, quæ dicuntur, proprie ad hanc claſſem referendas putamus. Unde, quæ in voluntariis imperiis tacite excepta intelliguntur, ea non niſi analogice *fundamentales leges* appellari videntur.

15. Si quis tamen legis vocem, ut poteſt fieri, tam late malit extendere, ut omne *jus* appellet legem, non repugnamus, quominus leges fundamentales duorum generum eſſe dicantur; quædam expreſſe, quædam tacite conſtitutæ.

16. Ad tacite intellectas leges præter ea, quæ *ſupra* tacite in omni imperio excepta intelliguntur, referemus ſequentia; I. Salvam civibus libertatem perſonarum rerumque ſuarum dominium eſſe debere.

17. II. Imperantem nihil poſſe de imperio ultra terminos vitæ ſtatuere, niſi id habeat in patrimonio. *p*)

18. III. Civitatem in partes ſubjectivas non diſtrahendam, id eſt, ex una civitate non fieri duas, aut alteram alterius membrum eſſe faciendam.

19. IV. Mares feminis, primogenitos minoribus natu in regnis ſucceſſivis & non patrimonialibus eſſe præferendos, quæque ſimilia *ſuperius* expoſita, vel adhuc explicanda ſunt. *q*)

o) poſſunt) *Addendum ex conſequentibus: Et quia ubi leges fundamentales, ſummam poteſtatem reſtringentes expreſſe conſtituuntur, obligant per modum conventionis, non tanquam leges proprie dicta.* vide infra n. 70. ſeq.

p) patrimonio) *Hac limitatione jam non opus, ob dicta ſupra* ad c. 2. n. 19. lit. k.

q) explicanda ſunt) *de prioribus duobus capitibus vide ſupra* ſect. 2. c. 3. n. 39. & 42. *de tertio & quarto agetur* ſect. 7. c. 7.

20. Expreſſæ leges fundamentales ut ſciamus quæ ſint, præmittemus; fundamenti verbum id ſignificare; quo tota ſtructura nititur, & quod primo omnium ponitur, *ut cuivis ſuopte planum eſt.*

21. Leges igitur fundamentales erunt proprie, *conſtitutiones, quæ in fundando imperio, ante plenam ejus translationem ſtabiliuntur, ut juxta eas reſpublica exerceatur.*

22. Jus habere populum tales ſtatuendi copioſe demonſtratum eſt, *in cap. præced.* etiam imperantes illis teneri jam dubio caret; Siquidem plus juris quam acceperint, exercere eos non poſſe, ex iis quæ diſputata ſunt, irrefragabile eſſe liquet.

23. Tollant autem vel minuant leges fundamentales ſummam poteſtatem, an arctius duntaxat faciant ejus exercitium, ex qualitate ſententiaque ſingularum eſt colligendum.

24. Tollitur vel potius communicatur cum aliis & quia communicatur ideo tollitur in principe, ſumma poteſtas, ſi conſtitutum ſit, *ut nihil poſſit in juribus imperandi maximis, ſine adſenſu ſenatus vel ordinum populi.*

25. Species illa quidem eſt ſocietatis, ſed *qui ſocium, is habet parem;* Qui habet parem, ille ſummus eſſe deſiit.

26. Nec adeo minus juridicum aut philoſophicum quam populare eſt, quod dicitur; *ſocium habere, id eſt, dominum habere.*

27. Quod ſi illud non in univerſum, verum de certis capitibus, ut plerumque fit, ſtatutum fuerit, tum non tolli ſed minui ſummam poteſtatem, rationi conſentaneum eſt.

28. Nam ubi unum imperii jus, quod ad ſummam Rempublicam ſpectet, ſive unum ex majoribus majeſtatis juribus principi relinquitur, obnoxium nulli, dicemus, ibi ſummam eſſe poteſtatem, etiamſi non integram.

29. Ejusmodi porro communicationem totius vel pro parte majeſtatis poſſe fieri, ex ratione ſæpius memorata clarum & experientia certum eſt, in ipſo *Cæſare Germanico*, rege *Poloniæ* aliisque ad hodiernum usque diem evidentibus exemplis.

30. Si talem intelligunt mixturam, qui de Republ. mixta loquuntur, non eſt quod negemus, eam & exiſtere & diu conſiſtere poſſe; ſed multi fingunt mixturam, quæ mihi non videtur in moralem facultatem unius regendæ civitatis coaleſcere poſſe.

31. Scilicet hoc modo, ut integra majeſtatis jura inter ordines diverſos diſtribuantur, quædam uti princeps, aliqua primores, alia populus habeat, ſingulique ſua jura, alii aliis non obnoxii, teneant & uſurpent.

32. Excederet hoc notiſſimos reipublicæ terminos, ac neſcio quod monſtrum repræſentaret.

33. Evaneſceret comparatio concentus cum chordis aut animæ cum corpore, quam ſupra civitati & Reipubl. accommodavimus.

34. Nec plane una ſed omnino triplex foret majeſtas; tres enim poteſtates liquido & ſimpliciter ſummæ in ea ſpecie conſiſterent.

35. Cæterum, non raro contingit, imperium uni vel paucis ſub hac conditione deferri, ut ſalvæ ſint *leges fundamentales, nec tamen ullæ conditiones exprimantur*, cujus rei vel hæc *Friſia* dare poſſit exemplum, quæ ſuis rectoribus annuam defert ſummam poteſtatem, *ſalvis legibus fundamentalibus:* quarum tamen nullum corpus reperitur.

36. Sed talis objectio fit, vel ab initio, vel in civitate jam pridem conſtituta; Si talia verba uſurpentur in fundatione novæ civitatis, non apparet, quo pacto id genus adjectio effectum habere queat; proinde nullius momenti & ab initio & in futurum eſſe oportet.

37. Haud ſecus, ac ſi teſtator heredem ſcripſiſſet, ſub conditione, quam omnino

ſervari

ſervari velit, nec tamen expreſſerit. Ut enim mortuus nihil præſcribere poteſt, ita nec populus imperio ſimpliciter translato; utpote qui tunc pro civiliter mortuo, quatenus utique eſt populus, haberi debeat.

38. Si quis tamen eo caſu vim aliquam hiſce verbis ineſſe velit, is per leges fundamentales intelligere poſſet ea, quæ in omnibus imperiis voluntariis *ſupra* diximus eſſe tacite excepta *ſect. 2. c. 3. & n. 15. h. t.*

39. Verum enimvero ſi pridem conſtituta civitas novum alicui deferens imperium, ita ſtipuletur, quod crebrius accidit, non perinde nulla ac inutilis promiſſio videbitur.

40. Intelligentur enim ea fundamenta civitatis, quæ tunc ſunt, integra & immota relictum iri.

41. Item eas leges, quæ prioribus imperantibus aut expreſſe impoſitæ, aut ſine controverſia obſervatæ fuerunt.

42. Denique, partes civitatis *integrantes*, ut ita loquar, *non miniſtrantes*, ea collegia, quæ exercitium ſubordinatum habent jurium majeſtatis, fore inconcuſſa.

43. Conventus ordinum populi, magiſtratuum in urbibus, jurisdictionum in agris minime ſubmotum iri.

44. Non tamen, ut modus exercendi iſta aliaque jura in ejusmodi collegiis, omniaque capita moris olim obſervati pro *fundamentalibus* habenda ſint; Modo ne tota tollantur, aut jura, in quibus vis & eſſentia illorum conſiſtit, adimantur vel mutentur.

45. Ejusmodi autem fundamentalia pacta ſeu tacita ſive expreſſa, non tollunt neque minuunt ſummam poteſtatem.

46. Populus enim defert liberam adminiſtrationem Reipublicæ illius, quæ in præſenti exiſtit.

47. In qua, ſi nihil aliud convenerit, minime cuncta imperii jura pro lubitu exercere prohibetur. Manente duntaxat eadem conſtitutione ſubjectiva civitatis & ſubintellectis ſemper exceptionibus, quas in omnibus imperiis tacite, reperiri diximus.

48. Quid vero, ſi novus princeps receptus ſit a populo pridem formato, ſub hac lege, ut jura & libertates, quæ competunt, ſervet, *deque coorta controverſia inter ſe & ordines populi, tertium patiatur judicem?* Qua conditione Friſii Carolum V. Cæſarem pro domino receperunt, ut legere eſt apud *VVinſemium hiſtor. Vernac.* ad an. 1515. *ubi ipſum inſtrumentum extat.*

49. Parum abeſt, quin ejusmodi principatus non ſit vere ſummæ poteſtatis, ſiquidem huic *naturaliter* competit, *eſſe judicem in propria cauſa.*

50. Nempe ut *naturaliter*, non ſit ſimplici jure naturæ, ſed neceſſario, & ſecundum naturam poteſtatis quæ ſuprema eſt, quemadmodum jureconſulti dicunt, *naturaliter* opponi inter ſe hæc duo; teſtatum ac inteſtatum mori. *l. 7. ff. de R. J.*

51. Enimvero, quod princeps ſe tertio ut arbitro ſubmittit, id nihil quidem officit majeſtati, non magis quam privatorum libertatem minuit, quod aliquando in arbitros compromitunt.

52. Sed pactum ejusmodi inde ab initio adjectum imponit neceſſitatem: Et quidem talem, ut acta principis infirmari hoc modo poſſe videantur, quod eſt eſſentiale κριτήριον ſummæ aut non ſummæ poteſtatis.

53. Sane cauſam armorum *Friſiis* contra *Hiſpanos* hoc pactum ſine dubio præbere potuit evidentem. Quia ſatis conſtat, *Philippum* regem æquos arbitros ſæpius imploratum defugere perſeveraſſe.

54. Exiſtimamus porro & eas leges, quæ firmato pridem imperio, per modum ſolennis conventionis, inter imperantes & ſubjectos legitime ſtabilitæ ſunt, *hac mente*, *ut pro fundamentalibus habeantur*, utrimque eſſe obligatorias.

55. Cujusmodi illa fuit, quam dixere

magnam

magnam chartam apud Anglos, cujus firmandæ modum valde notabilem ſub *Henrico III.* Polydorus Vergilius & Bakerus in *ejus vita* referunt. Sancita erat devotione carminis horrendi in eorum, qui pactis non ſtarent capita: Charta legebatur, rege cum proceribus erectis, faces manibus ardentes tenentibus, quas carmine perlecto, in terram projecerunt, iisque fumantibus exclamabant; *Sic extinguatur, ita fœteat, qui fidem non ſervabit.*

56. Denique eandem vim habere putamus inſtituta Reipublicæ ad ſummam imperii & jura ordinum ſpectantia, quæ longo uſu tacitoque conſenſu imperantium & ſubjectorum indubitato recepta ſint.

57. Nam & jura majeſtatis præſcriptione temporis acquiri vel mutari poſſe videbimus *in loco.* r)

58. Ratio, quare conventiones ſolennes inter regem populumque vel proceres ita poſſint inire, ut utrimque vim obligandi habeant, atque ut populo, jus inde contra principem acquiratur, pendet ex iis, quæ ſuperius s) diſputata ſunt.

59. Scilicet, populum conſiderari poſſe ut univerſitatem juris capacem, etiam quando ſub imperio eſt; Quod ſi verum eſt, nihil cauſæ fuerit, quare jus novum per liberam conſenſionem cum imperantibus, acquirere nequeat.

60. An autem populus ab invitis principibus novi quid exigere poſſit, haudquaquam temere adfirmandum videtur; ſed hoc *inferius* excutietur.

61. At inprimis cavendum, *ne Privilegia,* quibusdam civibus aut Reipubl. membris liberaliter & ex gratia principum indulta, cum legibus Reipubl. fundamentalibus confundantur; ſiquidem in his nulla conventio vim obligationis utrimque firmat, ideoque ſolo honeſtatis, nullo neceſſitatis vinculo largitorem obſtringunt. t)

62. Quo pertinet, quod Ludovicus XII. Galliæ Rex, Genuenſibus in pœnam rebellionis, omnes ſuas leges, quibus ut fundamentalibus nitebantur, jure belli, ademit, easdemque poſtridie tanquam privilegia, ſuo arbitratu reſtituit, ut auctor eſt *Guicciardinus in lib. 8. Hiſt. Ital.*

63. Quare monitos velim eos, qui de juſtitia armorum noſtratium adverſus *Hiſpanos* loquuntur, ne meritum cauſæ in violatione *privilegiorum,* ut loqui amant, ſtatuere velint.

64. Niſi enim leges fundamentales palam violatas docere queamus, ſola poſſeſſione libertatis contenti eſſe deberemus.

65. Enimvero non verba ſed res expendimus, & proinde ſententiam eorum, qui de violatis privilegiis in cauſa *Belgica* loquuntur, non reprehendimus; ſed in recto uſu verborum ſæpe rationum momenta includuntur.

66. Neque tamen id à jure abhorret, *privilegia,* quæ vetuſtate populique ſtipulationibus ac novis imperantium promiſſionibus iterata ſunt, aliquando vim legum utrimque obligantium adipiſci, quod omnium fere gentium uſu probari videtur.

67. Quin etiam herilia imperia quandoque in civilia hoc modo fuiſſe mutata videmus, ſicut in Anglia factum videtur à *Guilielmi Normandi* temporibus; ſiquidem is jure belli regno potius eodem jure *δεσποτικῶς,* ut libitum fuit, id exercuit.

68. Idem-

r) in loco) *infra* cap. 9.

s) ſuperius) cap. præced. 4.

t) obſtringunt) *Miſere communiter JCti diſputant, ubi de obligatione & revocatione privilegiorum agi ſolet, ac diſtinctionibus variis negotium magis implicant, quam explicant etiam, qui hanc doctrinam plene tractant, ut Enenkelius, quem hodie fere exſcribunt. Pro confirmanda adeo ſententia Autoris adde diſcurſum JCti Clariſſimi, qui extat in* Tom. 3. Obſerv. ſelect. Hallenſ. obſ. 15. 16. 17.

68. Idemque à poſteris æque exerceri potuit; niſi crebra jurium largirione ac indulgentia ſolennique confirmatione ſenſim ab antiquo rigore, cui pares non erant, receſſiſſent.

69. Cæterum, conventiones non cum toto populo, verum certis hominum ordinibus initæ minime pro *fundamentalibus* habendæ ſunt; at hic articulus pertinet *ad caput de promiſſ.* ſummarum poteſtatum, *de quibus inferius. u)*

70. Obligatio quæ ex fundamentalibus oritur legibus, haud alia eſſe poteſt quam naturalis, quæ & juris gentium dicitur; ſiquidem in eos qui habent ſummam poteſtatem vis civilium ſanctionum intendi non poteſt, *quoniam hæ ab ſumma poteſtate ſubjectis præſcribuntur.* In noſtra autem ſpecie duo contrahentes, hactenus pares, intelliguntur.

71. Sed naturalis obligatio eſt duplex, una efficax altera inefficax; Prior ita vocatur, quæ conſcientiam debitoris afficit ſolam, alteriq; nullum jus exigendi tribuit, cujusmodi eſt obligatio domini & patris aliquid promittentium ſervo liberisque ſuis, item obligatio ad remunerandum, ut docet JCtus in *l. 25. §. 9. ff. de Hered. pet.*

72. Obligatio naturalis efficax eſt, quæ non modo debitorem promiſſoremve tenet, ſed etiam creditori ſeu ſtipulatori jus exigendi exequendique tribuit; & talis oritur è conventionibus initis inter eos, qui ſe non habenr ut ſubjecti & imperantes, vel qui eidem ſummæ poteſtati non ſunt ſubjecti: proinde etiam ex legibus hujusmodi fundamentalibus inter regem populumque ſancitis.

73. Prioris generis obligatio, quæ eſt inefficax, oritur etiam è privilegiis & promiſſionibus à ſumma poreſtate factis & indultis; nam tales, etſi juratæ non dant exigendi exequendique jus iis quibus aliquid conceſſum vel promiſſum eſt, exemplo ſervorum, liberorum, & uxorum adverſus dominos, patres, maritos.

74. Ejusdem generis ſunt etiam pacta generalia cum regnantibus aut regnaturis, quæ nihil quam *officium boni rectoris* exprimunt; veluti, ſe populum defenſuros, cuique jus & juſtitiam, viduabus & orphanis quoque adminiſtraturos, denique facturos omnia quæ bonum amantemque principem facere oportet, qualia in ſolutisſimis quoque regnis præſtari ſolent.

75. Leges, quæ fundamentales appellentur, debent eſſe *ſpeciales*, & nominatim aliquid derogare de juribus majeſtatis, ita ut facultas ea, ſicut imperantes velint, exercendi tollatur; ac inſuper, inquam, debent eſſe conventa totius populi vel maximæ partis ejus, aut eorum qui populum repræſentant, quia pars minor in civitate rebusque imperii non habet jus perſonæ.

76. Ex his poteſt exiſtimari de eo, quod Cardinalis *Perronius in ſermonibus à Pithœis editis* referebat; ſe intellexiſſe ex iis, qui conventus *Reformatorum* in Gallia frequentabant, eos pro regula tenere certa, regem cum illis uti debere *jure gentium*, quatenus bello geſto & pace facta conditiones partibus ſuis ſtabiles impetraverant.

77 Nam ſi conditiones edictis regiis conceſſæ *Reformatis* irrevocabiles erant armisque vindicari poſſenr, non ſimpliciter privilegia, ſed leges fundamentales eſſe debebant, quarum, ut diximus, obligatio naturalis, ſive juris gentium eſt. *Ex jure civili ſumma poteſtas in his quæ ad imperium pertinent, neceſſitate nulla poteſt obſtringi, quia non habet, à quo cogatur.*

78. Sed opinio, *peregebat ita Cardinalis, quod ſub jure gentium vivant in Gallia*: Reformatis bene valideque executitur; ſiquidem omni die in bonis & in corporibus violantur, adeoque tractantur injuſte, *qu'ils tron-*

u) inferius) ſect. 9. c. 5.

Digitized by Google

trouveroient, peuteſtre, moins de barbarie chez les Cannibales, que parmy leurs propres con citoiens, hoc eſt, *ut forte minus barbaricæ inhumanitatis reperirent, inter populos hominum voratores, quam inter cives proprios.* Hæc ante quinquaginta annos Cardinalis: w) quid his diebus diceret non Cardinalis!

79. Porro, ut in viam redeamus, quando ejusmodi ſunt leges fundamentales, quæ communicationem ſummæ poteſtatis in quibusdam duntaxat juribus inferunt, tum imperantes non deſinunt habere ſummam poteſtatem.

80. Nam etſi populo jus ex iis legibus quæſitum aſſirmemus, non ideo ſuperiorem principe conſtituimus. Poſſunt enim actus eſſe nulli ipſo jure, ad quod ſuperior alius non requiritur.

81. Quin id ipſum in deſpoticis imperiis, quæ ſine controverſia ſunt ſumma, locum habere poteſt. Perſarum Rex haud dubie talis erat; Qui tamen adverſus leges cum proceribus regni ſemel ſtabilitas nihil agere, decernere poterat, ut *hiſtoria Danielis indicat.*

82. Sed ubi Rex nihil omnino absque ſenatu procerum vel populari, in majoribus rebus decernere poteſt, ibi parum abeſt, quin Ariſtocratia obtineat. Talis hodie ſine dubio *Dux Venetorum*, neſcio an & *Rex Poloniæ*, & imperator *Romano Germanicus eſt.* Proinde adverſum eos civilis legum obligatio valere poſſe videtur.

83. Cæterum, de executione legum fundamentalium & quatenus reſiſtere liceat, inferius tractabitur.

CAP. VI.

DE JURIBUS MAJESTATIS MAJORIBUS.

Diviſio jurium majeſtatis in majora & minora. n. 1. 2. 3. Primum, jus gladii. n. 4. Id eſſe duplex, vitæ & necis in cives, belli in exteros. n. 5. Prius ut diſcrepet à mero imperio. n. 6. 7. 8. In civili Republ. non eſſe jus imperanti, quenquam indicta cauſa necandi, niſi in extremo periculo. n. 9-14. Ad hoc jus vitæ ac necis etiam aſyla referri. n. 15. 16. De jure belli. n. 17-22. Alterum jus majeſtatis de pace ineunda. n. 23. 24. De fœderibus, n. 25, 26. eorum differentia à ſponſionibus. n. 27. Jus mittendi legatos. n. 28. 29. Tributa exigendi & vectigalia: idque male inter minora referri. n. 30-37. De dominio eminente: n. 38-51. ut differat à ratione ſtatus. n. 52. 53. De jure legum condendarum, ubi & de ſtatutis municipalibus. n. 54-68. De creandis magiſtratibus, eos nihilo plus juris adverſus ſummam poteſtatem habere quam privatos. n. 69-73. De judiciis & de ſumma provocatione. n. 74-78. Jus Comitiorum. n. 79-82.

1. Sed

w) cardinalis) *Nec Cardinalis ſolum, ſed juratus reformatæ partis hoſtis ac homo vaferrimus ac valde malignus, vide hiſtor. edicti Nannetenſis paſſim, potiſſimum* Tomo I. p. 142. 145. 345 ſeq. 351. &c.

1. SEd cujusmodi leges ſint fundamentales, id in quâque Republicâ conſiderandum eſt. Hæc noſtra univerſalis diſciplina ſummam poteſtatem ſimpliciter ſpectat. Cujus proinde jura ſingula & omnia, in quibus exercitium ejus conſiſtit, ordine recenſebimus.

2. Vocantur & regalia, voce latius ſumpta & alicubi *prærogativa* Regiæ, in Anglia; quatenus ea voce quælibet jura præcipua & excellentia ſignificantur, *dicta* à jure primæ claſſis Romanæ, quæ cum ſola plures haberet centurias & ſuffragia quam reliquæ pariter omnes, prius rogata, conſentiens, legem cæteris quodammodo præſcribebat.

3. Jura Majeſtatis, id eſt, Summæ poteſtatis vulgo non male *in majora & minora* dividuntur. x) Ab illis incipiemus.

4. Principio certum eſt, quia non tantum ob amorem ſocietatis, ſed etiam ad tuitionem vitæ bonorumque civitates conſtitutæ ſunt, ſine gladii poteſtate nullam haberi poſſe Rempublicam. Eamque tàm ad coercendos maleficos in civitate pertinere, quam ad propulſandam vim externam.

5. Unde duplex jus Majeſtatis oritur. Primum *vitæ ac necis* alterum *jus belli*,

6. A priore diſcrepat merum Imperium; quod eſt jus animadvertendi in facinoroſos,

x) dividuntur) *Ita communiter. Vide Sixtinum* de regalibus c. 2. *Sed re penitius inſpecta diviſio hæc in ſyſtemate artis nullum habet uſum. Nam eſt obſcura, i. e. non adſunt perſpicui limites & termini, quibus ſeparari poſſint utraque Unde Dd. ſæpe diſſentiunt partim in definitione partim in applicatione & recenſione ſpecierum. Deinde nullum habet uſum in definiendis controverſiis, aut doctrina praxi. Nam qui vulgariter affertur uſus duplex, quod majora nec poſſint alienari à principe, nec præſcribi contra principem, minora poſſint, etiam erroneus eſt, ut infra videbimus ad cap.* 8. & 9. *Non tamen repugno, quominus diſtinctio illa retineri poſſit in jurisprudentia particulari aut civili, modo non aptetur ad Jurisprudentiam gentium communem. Id quod magis fiet perſpicuum, ſi ejus ortum ſpectes, qui debetur interpretibus juris feudalis Longobardici. Scilicet recenſentur* II. F. 56. *ſub rubrica :* Quæ ſint regalia, *varia regaliorum ſpecies, quæ ſolent cohærere feudis regalibus. Cum vero ibi non deprehendantur regalia legum ferendarum, belli & pacis, ac ſimilia, feudiſtæ, ut rationem darent, cur ea ibi ſint omiſſa, invenerunt diſtinctionem inter majora & minora, ac minora dixerunt, quæ continentur in dicto capitulo, majora, quæ non continentur. Jam cum vaſallus habeat dominium utile feudi & feuda etiam poſſint adverſus Dominum directum à Vaſallis præſcribi, illis vero temporibus fere usque ad tempora Grotii, vaſalli & ſubditi fuerint maxime confuſi, docuerunt etiam JCti, regalia minora alienari & præſcribi poſſe, & inde poſtea communis definitio regalium majorum & minorum orta eſt. Porro JCti ſentientes, artibus pontificiis in Academiis loco Politicæ tradi diſciplinam inanem ac ridiculam, ut defectum hunc ſupplerent, doctrinam hanc JCto ſumme neceſſariam excolere & emendare allaborarunt, ſed pro imperfectione & barbarie temporum, partim miſcuerunt politicam & jurisprudentiam (vid. ſupra Autorem* ſect. 1. c. 1. n. 14.) *partim pleraque ad jus privatum vel particulare ſpectantia vendıtarunt pro præceptis juris naturalis. Igitur poſtquam Arniſæus in tractatu de juribus majeſtatis diſtinctionem hanc regalium in majora & minora ex jure feudali in doctrinam politicam intuliſſet, & alii ac inter eos, illuſtris Zieglerus in diſſertationibus de juribus majeſtatis eam doctrinam repetiiſſet ac ſtabilivisset, nemo amplius auſus eſt de ea diſputare. Igitur uſus di-*

jure magiſtratus (liceat ita loqui per JCtos) quod eſt miniſterium *y*) ſummæ poteſtatis, competens.

7. Sed huic imperio non adeſt facultas proſcribendi homines ſine judicio, nec dandi veniam reis aut damnatis; Quod ſub jure vitæ neciſque omnino continetur.

8. Illud vero poteſt quidem ſemper, *raro tamen debet* exercere ſumma poteſtas. At quando debeat, hoc ad caput *de judiciis* pertinet.

9. In civili Imperio licet abſoluto, vita quidem nulli quam cauſa cognita, jure poteſt auferri; Niſi forte ſecus ratio & periculum Reipublicæ poſtulet, neque res moram cognitionis ferat.

10. Cujusmodi *regia manu*, quæ in paratâ executione conſiſtat, non poſſe rempublicam carere, dictatura ſatis apud Romanos oſtendit. *z*)

11. Judicium vero de ratione illa neceſſitatis repentinæ ad imperantes pertinet; ut tamen, ſi qua vis aut cædes, cauſâ non cognitâ, committatur, heic tamen ceſſet præſumtio, *qua res judicata pro veritate habetur*; cauſam oportet eſſe liquidam & manifeſtam.

12. Denique, ſi quem princeps more latronis invadat, is nec jure cæſus videtur. Quia nec in populari imperio pars major eo modo quenquam ſine injuria opprimere poteſt, *ut diximus pridem*.

13. Quid autem in ejusmodi caſu liceat invaſis, *infra a*) in loco communi differemus.

14. Non eſt etiam, ut putemus, Ordine cognitionis ſervato, manifeſtas oppreſſiones & injurias vim juris induere, ſicut hiſtoria *Achabi* & *Nabothi* loquitur.

15. Porro ad jus vitæ neciſque refertur conſtitutio locorum *aſylorum*, quibus ſupplices contra vim privatam publicamque proteguntur.

16. Cum

ſtinctionis hujus forte aliquis eſſet in jure publico Germaniæ, aut certe in notitia regni Germanici. Alibi oſtenſum, leges Longobardicas feudales, vel, ſi mavis, conſuetudines, non introductas eſſe à Longobardis Italiæ dominantibus, ſed à Francis regni Longobardici dominis. His ergo debetur etiam doctrina illa II. F. 56. *de regalibus. Docet errores politicos regum Franciæ & Germaniæ. Hi putarunt, parum intereſſe majeſtatis, ſi regalia quæ vocantur minora, aliis in feudum dentur ad ſucceſſores tranſiens, quia non pertineant ad eſſentiam majeſtatis. Sed ſero demum experti ſunt, regalia ſive majora ſive minora (i. e. ſive eorum neceſſitas aut eſſentialitas primo intuitu in oculos mentis incurrat, ſive connexio cum regimine ſummo paulo remotior ſit) debere eſſe indiviſibilia & inalienabilia, ac ita inter ſe connexa, ut ſi vel minimum amittas, de toto pericliteris, etſi periculum non ſit præſens. Ita etiam in Germania regalia minora illa tandem ad ſe traxerunt majora; ita ſuperioritas territorialis nata eſt. Non debebat igitur ex nævis politicis regum Germaniæ aſſumi doctrina, quæ locum obtineret in fundamentis juris naturæ & gentium. Conf. Zieglerum* de juribus majeſt. l. 1. c. 28. §. 8. 9

y) JCtos) *Quid hæc parentheſis ſibi velit, illuſtrabit*. n. 69.

z) oſtendit) *Vereor, ut hoc exemplum theſin probet. Si quis enim originem dictaturæ conſideret, deprehendet, inventum hoc deberi flagitiis dominationis, ut Autor* hic. n. 51. *poſt alios vocat. Intelligo, cum non belli ſed ejus rei cauſa crearetur, cujus gratia Autor eam hic commendat* Vid. Nævos jurispr. antejuſt. p. 9. *Liv.* lib. 4. c. 13. 14. 15. *Feneſtella* de magiſtrat. c. 8.

a) infra) ſect. 9. c. 3.

16. Cum enim eâ re ſiſtatur vigor judiciorum, palam eſt, excedere hoc inſtitutum, poteſtatem Magiſtratuum. At quatenus juſta ſit eorum uſurpatio, id *alibi b*) tractandum.

17. Altera pars juris gladii adverſus vim externam comparata eſt. Diverſos enim populos inter ſe uti conditione ſtatus naturalis; Eumque recte dici *ſtatum belli* haud gravate conceſſimus *Hobbeſio*.

18. Quatenus contentiones facillime inter homines nullo judici ſubjectos oriuntur: Neque alio exitu, ſi convenire nequeant, quam decernente ferro, terminari poſſunt. Quo pertinet celebre dictum, *Ubi judicia deſinunt, ibi incipere bella*.

19. Cum autem univerſæ civitatis motum & diſcrimen hæc res contineat, clarum eſt, non poſſe id aliter quam ab eo *qui jus totum habet* exerceri. Quod omnium populorum juriumque conſenſu maximo traditur.

20. Quatenus autem cum Magiſtratibus hæc poteſtas armorum communicari poſſit, *& reliqua jura bellorum, peculiari loco c*) tradémus.

21. Heic enim ſimplici enumeratione juxta ac demonſtratione, *cur ad ſummam poteſtatem quæque jura pertineant* defungemur.

22. Proinde, cujus eſt bellum decernere, ejusdem eſt ſine dubio, pactiones, quibus bellum finitur, id eſt, *Pacem* contrahere. In democratia ſine controverſia id eſt majoris populi partis, alibi optimatium; Conſequenter Regis in ſtatu vere monarchico.

23. Modo rex ille jus habeat non impeditum per ætatem aut amentiam, vel denique captivitatem. Non enim credibile eſt a populo Imperium ea lege delatum eſſe, ut etiam à non libero exerceatur.

24. Eadem præſumptio eſt de exilio Regis; niſi voluntaria & plene libera ſit abſentia. Sed hæ limitationes cunctis juribus ſummæ poteſtatis videntur eſſe communes.

25. Paci adſimilantur *fœdera*, quæ ſunt reliquæ conventiones diverſorum populorum principumve inter ſeſe.

26. Nam cum obligatio, niſi in perſonam cadere nequeat, & civitates per eos qui poteſtatem ſummam habent, *perſonæ fiant*, manifeſtum eſt, jus fœderis pangendi ad hanc claſſem, eſſe referendum.

27. Hinc oritur differentia inter *ſponſiones* & *fœdera*, quorum illæ ſunt conventiones absque mandato inita a miniſtris ſummæ poteſtatis, de rebus ad ipſam pertinentibus, qualis *Caudina pax & ſponſio Lutatiana d*) quas ideo populus ratas non habuit. Liv. *l. 9. a pr. Polyb. lib. . cap 5.*

28. Hiſce cohæret jus mittendi Legatos, quorum miniſterio fœdera contrahuntur; Quales cum hoc effectu, *ut jure Gentium ſancti habeantur* nullis, quam qui vere habent Majeſtatem, mittere licet.

29. Nam in reliquos, qui mittuntur ab iis, qui ſubditi ſunt aliis, leges civiles valent. Quia plus juris delegatis quam delegantibus, qui leges accipiunt, adſcribi non poteſt.

30. Atque hæc ad defenſionem civitatis pertinent, quo etiam refertur jus *tributa & vectigalia* exigendi, quod multi inter minora majeſtatis jura referunt.

31. Adeo perperam, *dd*) ut nullum in omni Republ. pluris faciendum ſit; Nec aliud

M 3 mani-

---

b) alibi) Conf. Aut. præteſt. ad inſt. de his qui ſui vel al. jur. ſunt. n. 2. & ad ff. cod. titul. n. 3.

c) loco) lib. 3 ſect. 4. c. 4.

d) Luctatiana) *Adde ſponſionem Numantinam; & noſtras diſſertationes Lipſienſes de ſponſione Caudina & Numantina.*

dd) perperam) *Forte pro Autoribus iſtam opinionem defendentibus afferri poteſt, quod Vectigalia extent in textu* II. F. 56.

manifeſtius κριτήριον abſolutæ poteſtatis habeatur.

32. Nullum quoque frenum populi cenſeant eſſe adductius, nullum efficacius remedium, ad continendos in officio Principes, quam ſi hoc jus ſaltem ex parte ſibimet reſervent; Quando non minus in Republ. quam in privatis familiis, *pecuniæ cuncta ſervire* compertum eſt.

33. Imperio alioqui civitatis ſimpliciter delato, nihil eſt cauſæ, quare non hoc etiam jus libere translatum videatur in Optimates aut Principes.

34. Siquidem adeo neceſſarium ad tutelam civitatis inſtrumentum, nullo modo ab Imperantibus ſeparari poteſt, niſi id expreſſe liqueat eſſe factum.

35. Non moramur, quod prudentiſſimis viſum eſt ſcriptoribus, *nulli principum in terris licere ab invitis civibus exigere pecunias*, dictum *Comminæi*.

36. Habent hanc hypotheſin, quod proprietas bonorum in Civilibus Imperiis relicta ſit privatis; verum hoc non prohibet, quominus Imperantes ſingulis pecunias imperare poſſint.

37. Nam & civitati aliquod dominium in bona civium tribuitur, quod privata quidem dominia non tollit, ſed tamen eminet ſupra illa.

38. Unde à Grotio non abſurde *Dominium eminens e*] vocatur; Cujus hæc vis eſt, *ut ad Imperantes* [verba Senecæ] *poteſtas omnium, ad ſingulos proprietas pertineat. Seneca 7. de beneſic. 4.*

39. Idque merito in numero jurium majeſtatis collocatur; Fundamentum habens in *conſenſu eorum qui conſtituunt civitatem*.

40. Quos omnes ita velle manifeſtum eſt, ut ſi contingat, Reipubl. utilitatem non poſſe cuſtodiri, ſine incommodo damnove privatorum, utilitas publica privatæ præferatur.

41. Quod cum maximi ſit momenti modumque ordinariæ poteſtatis transſcendat, conſentaneum eſt, à nemine quam ab eo, qui ſummum habet imperium, eſſe exercendum.

42. In quem ſinguli *ex pacto cum ſingulis* inito hoc jus transtulerunt, ut omnium atque ſingulorum rebus pro communi bono, *invitis etiam ſingulis*, uteretur.

43. Adeoque voluntatem imperantium quisque ſicut in aliis, ita hac in re pro ſua voluntate reputare debet, *ut ex principiis ductum poſitis* recordamur.

44. Hinc eſt, quod injuria non fit civibus, quando res ſuas non modo vendere, ſed & ſine pretio illis quandoque cedere coguntur: Sic tamen ut Respublica cum primum poterit, ad reſtituendum teneatur.

45. Quia certum eſt, populos quam minimo ſingulorum damno illud eminens dominium fundare voluiſſe.

46. *Etiam hinc eſt, quod aliquando cives pro republica certo exitio exponere liceat, cujus rei ſpeciale principium ſub fin. cap. 2. collocatum* eſt.

47. Denique, ex hac ratione defenduntur innumeræ leges, quæ duritiem & iniquitatem, *contra ſingulos, utilitate publica rependunt.*

48. Imo efficiunt, ne ſit iniquum, quod ſepoſito conſenſu ac fœdere civium, foret iniquiſſimum. Nam quod ipſe quilibet facere intelligitur, in eo factam ſibi injuriam nemo queri poteſt.

49. Ita liquet reſponſio, qua occurrendum ſit illis, qui ſtatuentibus aliquid licitum fieri ob utilitatem publicam, quod in ſe ac ſimplicitate naturæ iniquum eſt, objiciunt dictum Apo-

e) Eminens) *Summam controverſiæ de dominio eminente dedi* in inſtit. juriſpr. div. l. 1. c. 1. n. 125. *Etſi vero lis ſit magis de terminis, quam de re, forte tamen commodius eſſet cum VVittenbergenſibus uſurpare & hic terminum imperii, quam dominii, quia jam ſupra diximus, imperii & dominii eſſe diſtinctos conceptus, atque in principem imperium ſaltem tranſlatum eſſe, non dominium. Ex iſto fonte etiam negavimus ſupra regna patrimonialia, ſeu alienabilia.*

Digitized by Google

Apoſtolicum, *non eſſe facienda mala, ut inde eveniant bonum.* Volenti enim non fit injuria.

50. Cæterum, *Eminens* hoc, inquam *Dominium* vocatur, quia non tollit, ſed limitat ac gubernat dominia privatorum.

51. Alii poteſtatem extraordinariam dicunt, non tam male quam odioſe, quia ſub hoc titulo flagitia dominationis latere creduntur.

52. Denique, *rationem Status* huc plerique trahunt. Sed hujus appellatio patet latius; Æque enim adverſus exteros ac in cives exercetur.

53. Dominium autem eminens ad ſolos qui cuique imperio ſubjecti ſunt, ſpectat.

54. Fuerunt jura, quæ ad *tutelam* Civitatis pertinent, aut illuc referuntur. Seqvuntur, quæ ad internam *adminiſtrationem* requiruntur.

55. Tale omnium primo *jus eſt Legum condendarum.* Quibus cum tota Reipubl. conformatio inſit, palam eſt, à nullo, quam qui habet ſummam poteſtatem, eas poſſe proficiſci.

56. Non igitur plebes olim Romæ, non Senatus, non Prætores, non JCti auctores Legum eſſe potuerunt.

57. Sed in libertate ſolus populus fuit *Κορυφαῖος νομοθέτης ſupremus legis conditor*, ait *Theoph.* Poſtmodum Imperatores Cæſares.

58. Niſi quatenus ſumma poteſtas vim obligandi illis addere voluit, ut factum in plebiſcitis lege Hortenſia, in Senatus-Conſultis à Principibus Romanis, qua de re *dix. in lib. 1. Digreſſ. cap. 2. & 3.*

59. *Municipia* quoque, id eſt, Civitates majori ſubjectæ imperio, nihil contra jus commune illius Imperii ſtatuere poſſunt; *f*)

60. Niſi conſenſu ſummæ poteſtatis; ita, ut ejus voluntate jus illud ſemper abrogari poſſit *l. 10. ff. ad L. Rhod. l. 3. §. 5. ff. de Sepulch. viol.*

61. Sed jura provinciarum, quæ ſuperiorem non agnoſcunt, & quæ *municipalia* ſæpius nuncupantur, vere tamen ſunt leges.

62. Suæ porro, non alienæ poteſtatis lege quemque teneri res ipſa loquitur.

63. Unde jus Romanum hodie nullos obligat; Niſi quatenus à liberis Europæ populis libere receptum eſt.

64. Cujus rei auſpicium Lotharii Cæſaris memoriæ adeo non exprobramus cum *Lipſio*, ut nihil ſalubrius, ſi hactenus ſubſtitiſſet poſteritas, ullius principis extet factum, ſed hæc alio ſpectant.

65. Legislatoria poteſtas jus quoque Leges interpretandi & mutandi continet, niſi ſint fundamentales. Æquitas etiam illa, quæ eſt *mitigatio juris ſcripti legum ſanctionibus contrariis*, ſolius eſt Majeſtatis; quia vim continet mutandi *l. 1. l. ult. C. de Legib.*

66. Sic etiam jus dandi privilegia, tam ſingulis perſonarum, quam certis hominum ordinibus, ut mulieribus, minoribus, fiſco &c. non eſt diverſæ facultatis à Legislatoria.

67. Res etiam loquitur, Summam Poteſtatem ſibi ipſis non ferre legem, non totum Populum in Democratia, quâ totum, nec eos qui jus populi integrum aut ſimpliciter delatum, ut *alias* dictum, habent. *l. pen. ff. de Recept. qui arb.*

68. Legis enim virtutes ſunt, *Imperare, vetare, punire*, quas nemo in ſe ipſum habet. Nec ideo quæ Leges v. gr. patrimoniorum ſucceſſiones regunt, ad ſummæ poteſtatis ſucceſſionem pertinent, ut de jure *Devolutionis* in Brabantia viciniſque regionibus, adverſus Galli-

f) poſſunt). *Jam non amplius mirandum, cur communis ſententia poteſtatem legislatoriam ſtatuum imperii putet hactenus ſaltem valere, ne ſtatuant quid contra jus commune. Fuit enim concluſio ex illo errore deducta, acſi jura magiſtratuum Romanorum ad ſtatus imperii Germanici eſſent applicanda. Hinc de poteſtate legislatoria ſtatuum imperii contrarium oſtendi peculiari diſſertatione.*

Gallicas *prætenſiones* Stokmannus g) aliique demonſtrarunt.

69. Legum Miniſtri ſunt *Magiſtratus*, ut Cicero dixit, etſi vulgus Reges vocet *Magiſtratus* ſummos, *contra Latinæ vocis uſum*, ait rectè Grotius *de jur. S. P. circa ſacra c. 1.* nam *Romanis*, pergit, *Magiſtratus, minorum Poteſtatum nomen eſt.* Per hoc autem cum univerſus Reipubl. ordo exerceatur, non poſſunt aliunde Magiſtratus, quam à ſumma poteſtate proficiſci.

70. Unde ſequitur, adverſus eum qui habet ſummam poteſtatem, nihilo plus juris habere Magiſtratus, quam infimum quemque civium; Quemadmodum diſpenſator aut ordinarius in Familiis privatis æque ſunt ſervi quam mediaſtini aut vicarii.

71. Proinde eos, qui Regem exorbitantem non à quibusvis è plebe, ſed à præcipuis Magiſtratibus in ordinem redigi poſſe arbitrantur, errare neceſſum eſt.

72. Id enim à nullo poteſt fieri, quam ab eo, cui jure fundamentali id liquet eſſe commiſſum, *ut præcedenti capite probatum eſt.*

73. Cujus eſt creare Magiſtratus, ejusdem eſt abrogare & revocare, multo magis limitare & circumſcribere eorum poteſtatem; qua de re cum cæteris ad *Magiſtratus* & *Leges* pertinentibus in *lib.* III. *h) adhuc erit agendi locus.*

74. *Judicia* pertinent quidem maxime ad jus privatum. Sed conſtitutio & ordinatio illorum ſine dubio eſt juris publici ac majeſtatis.

75. Imo hac cauſa principes maxime ab antiquiſſimis populis conſtitutos fuiſſe accepimus, qua de re vid. *Plutarch. in Demetr. ubi de facto Demetrii libellos ſupplices in profluentem projicientis.*

76. Etſi vero pleraque judicia per judices ut miniſtros ſummæ poteſtatis expediantur, *ſumma* tamen *provocatio* ſalva ſemper eſt ad illam; Sive appellandi, ſeu *ſupplicationis* vel *reviſionis* aliove titulo.

77. Item, jus avocandi certas cauſas ad cognitionem principis; quo quidem rarius utuntur boni principes, ſeparari tamen penitus à ſumma poteſtate nequit.

78. Denique, jus *Comitia* indicendi ſolvendique eſt in monarchia jus majeſtatis.

79. Nam in regno, ubi comitiorum facultas aliter quam juſſu principis exercetur, ibi certum eſt, imperantis poteſtatem non eſſe abſolutam.

80. In plurium imperio jus comitia indicendi ſummæ poteſtatis eſſe nequit; Quoniam ibi in comitiis ipſa poteſtas ſumma reſidet.

81. Ideoque nihil ibi quam miniſterium eſt; etſi per artes politicas fiat aliquando magiſterium; At de his non agimus.

82. *Quæ plura de hiſce juribus eorumque œconomia dicenda ſunt, ad partem operis ultimam reſervantur.*

CAP. VII.

DE JURIBUS MAJESTATIS MINORIBUS.

Diviſio jurium majeſtatis minorum, quod vel utilitatem vel dignitatem ſpectent. n. 1. 2. & quæ ad hanc pertinent, rurſus ſubdividuntur, quod vel in publicis collationibus, vel in privatis diſpoſitionibus conſiſtant. n. 3. Prio-

ris

g) Stockmannus) *vide Stockmannum* c. 21. n. 15. p. 177.

h) Lib. III.) *Conf. ibi* ſect. 1. c. 6. circa finem.

ris generis eſſe jus creandi magiſtratus inferiores, nobiles, equites, etiam comites, principes ac duces; ratione redditâ, cur eorum creatio ad majora non pertineat. n. 4-8. Item creandi doctores, n. 10. 11. 12. comites palatinos, n. 13. notarios n. 14. 15. concedendi nundinas n. 16-19. & ferias. n. 20. Diſpenſationis privatæ ſunt, jus legitimandi liberos, n 21-25. famam reſtituendi, n. 26. 27. veniam ætatis largiendi, n. 28. ſolennia Legum remittendi n. 29-31. debitoribus inducias dandi, n. 32. 33. onus fideicommiſſi bonis auferendi, n. 34. 35. res minorum ſine decreto alienandi &c. n. 36. 37. Quæ ad utilitatem ſpectant, hæc ſunt; Jus monetæ cudendæ, n. 38. 39. confiſcandi bona damnatorum n. 40. & mulctandi, ſucceſſiones conferendi indignis, n. 41. bona vacantia occupandi, item res derelictas, velut theſauros; n. 42-50. haud tamen jure, bona naufragorum; n. 51-58. ſed & jus venandi, conſtituendi gabellas, portuaria, ripatica, angarias, parangarias, armandias & repreſſalias &c. n. 59.-69.

1. MInora majeſtatis jura ſunt, quæ ad functiones Reipubl. *inferiores* levioresque referuntur, nec tamen magiſtratibus committi ſolent.

2. Hæc ita diſpertimur, ut vel ad *poteſtatem*, vel ad *utilitatem* imperantium ſpectent.

3. Quæ prioris ſunt generis, ea vel in conferendis *honoribus* juribusque publicis, aut in privatis diſpoſitionibus conſiſtunt.

4. Ad primam claſſem referamus primo, jus creandi *magiſtratus minores*, qui per oppida & agros juri dicundo præſint.

5. Jus creandi Patricios, *nobiles* Equitesque, ut nobilium ordini duces quoque, principes, comites, barones aliosque Germanicæ originis titulos accenſeamus.

6. Quos quidem creandi jus mirabitur non nemo, ad minora majeſtatis à nobis referri.

7. Sed ratio conſtat, quod ad imperii explicationem hæc res directe non pertineat, verum hoc ſine illis tam ſummum quam integrum facile eſſe queat.

8. Si quis tamen ita faciendum putet, ut jus conferendi illuſtres nobilitatis gradus ad majora, cæteros ad minora majeſtatis jura referendum putet, nihil eſt quod refragemur. *i*)

9. Largiri facultatem *docendi artes* ſtudiorum, publiceque exercendi, id ubique etiam ſummæ poteſtatis habetur.

10. Adeo, ut Doctores auctoritate eorum, qui ſuperiorem agnoſcunt, creati jure & ornamentis huic ordini debitis minime fruantur. *k*)

N 11. Ita

i) refragemur) *Sed cui uſui hæc quæſtio, ſi tota diſtinctio inter majora & minora rejiciatur, tanquam nullum uſum habens. Si illa minora ſunt, quæ in* II. Feud. 56. *recenſentur, poteſtas conferendi dignitates non pertinet ad minora, quod & de reliquis hoc capite recenſitis & quæ ibi non reperiuntur, ſemel monuiſſe ſufficiat.*

k) fruantur) *Non quaſi dentur Doctores ita creati, (nam & Comites Palatini creant autoritate non propria ſed Cæſarea) ſed quot, quicunque Doctores creantur, creari ſoleant & debeant autoritate ſumma.*

11. Ita neceſſe non videtur, jus condendi Academias huic numero adjicere. *l*) Quando in iis vix quicquam majeſtatis proprium, præter iſtud jus conferendi honores ſtudiorum, cum effectu tam late diffuſo, reperitur.

12. Tamen ita fieri ſolet, ut Academias ſive Univerſitates ſtudiorum conſtituere, juribus majeſtatis adſcribatur, nec ſatis eſt cauſæ, quare ab hoc more loquendi recedamus.

13. Præterea homines conſtituere, qui *legitimare* natos contra præcepta legum, & creare tabelliones aliaque juſſu ſummæ poteſtatis facere poſſint, quales in Germania *Palatini* comites dicuntur, id haud dubie majeſtatis eſt.

14. Nec ideo tamen minus ipſum jus ordinandi *ſcribas*, quorum fide inſtrumenta pro publicis à populo judicibusque habeantur, (*Notarios* vocant) ad poteſtatem ſummam referri debet.

15. Solent quidem hæc modica jura plerumque per inferiores poteſtates exerceri, ſed origo juris & modus exercendi ſeparatas habent rationes, ut *cap. ſeq.* videbimus.

16. Denique & ad hunc ordinem pertinet jus conſtituendi celebriores mercatus, quos *nundinas* vocamus.

17. Cum enim privilegii vis non uno ſenſu in illis contineatur, patet, ad ſummam quoque poteſtatem id eſſe referendum.

18. Sed minores peculiaresque nundinas nihil vetat à magiſtratibus ordinari.

19. At in his tunc ea, quæ nundinis alioqui tribuuntur, velut immunitas ab executione judiciali ſimiliaque obtinere non poſſunt; Quia ſiſtere aut impedire vigorem juris publici eſt ſupra magiſtratum.

20. Ex eadem ratione conſtat, jus indicendi *ferias*, quibus judicia intermittantur, eſſe majeſtatis.

21. Sequuntur ea, quorum effectus in diſpoſitionibus atque diſpenſationibus inter privatos locum habentibus conſiſtit.

22. Etenim ſæpe fit, ut ordo legum ob circumſtantias æquitatis haud ita præciſe cuſtodiri poſſit: Quod tamen magiſtratus, qui ſunt miniſtri legum, facere debent.

23. Proinde iis, qui extra matrimonium ſunt nati, jus dare legitimorum, id cum excedat manifeſtos ordinariæ jurisdictionis terminos, pertinet ad majeſtatem.

24. Sive id per reſcriptum identidem fiat, ſeu lex à principe lata modum, quo id immediate peragatur, præſcribat, cujusmodi modos Græci imperatores, ſubſequens matrimonium & curiæ oblationem tradiderunt *l. 3. 4. & l. 9. c. de natur. lib.*

25. Similiter jus reſtituendi natalibus, aureosve donandi annulos, quibus libertini homines fiebant ingenui, priſcis Romanis pro jure majeſtatis habetur.

26. Eos qui *infamia* ſunt notati, cauſis non redditis, integræ exiſtimationi reſtituere, id etiam principis opus eſt.

27. Nam magiſtratus & judices non niſi per in integrum reſtitutionem, certas ob cauſas, id facere poſſunt.

28. Præterea adoleſcentes poteſtati curatorum ſubtrahere, *veniaque ætatis* data, rebus ſuis ante tempus lege conſtitutum præficere, hoc eſt ſupra miniſterium legum, adeoque majeſtatis *l. 3. pr. ff. de minor. t. t. C. de his qui ven. æt. impetr.*

29. Eodem pertinet, concedere alicui, ut ſine

l) adjicere) *Tanquam quod jam lateat ſub præcedente. Sed haud dubie ſi rem penitius inſpicias, jus Academias conſtituendi latius eſt, & rationi convenientius, ut jus creandi Doctores ſub illo, quam ut illud ſub hoc comprehendatur. Nam v. g. juriſdictio Academica haud dubie ad jus creandi Doctores non poteſt referri, item poteſtas dandi reſponſa valorem in judiciis habitura &c.*

Digitized by Google

ut ſine ſolennibus, quatenus teſtandi jus non habeat, *teſtamentum* celebret, quod utique legum miniſtri permittere non poſſunt.

30. Sed concedere, ut teſtamentum absque ſolennibus conditum *m*) vim & effectum habeat, id ne princeps quidem poteſt.

31. Quia ſic heredibus ab inteſtato jus ſuum imperfecto teſtamento ſtabilitum interverteret, quod extra uſum Dominii eminentis jure facere non poteſt.

32. Sufflaminare & differre jura hominum quominus aliquando poſſit, etiam contra ordinem legum, nihil impedimento eſt.

33. Huc pertinet poteſtas debitoribus inducias dandi moratorias, quinquennales, aut non multo longiores, aliasve dilatorias exceptiones, non peremptorias, nec quicquam aliud quo vires principalis negotii exhauriantur, ut ſapienter reſcripſit imp. Conſtantinus in *l. 2. C. de preci. imp. off.* Item judicis ſui jurisdictioni aliquem eximere, judicesque dare *extraordinarios*, id manifeſte ſummi imperii eſt.

34. Quemadmodum & bona fideicommiſſo ſubjecta hoc onere liberare; quia commodum poſteritati hac ratione ſubtrahitur; nemo alius quam qui habeat ſummam poteſtatem ſupraque leges ſit evectus, facere poteſt.

35. Sed an licet hoc omnino ſummæ poteſtati? Si verum eſt, ut modo diximus, eum non poſſe cuiquam jus auferre ſuum? Jus quæſitum certe non poteſt, jus futurum, maxime eorum, qui necdum ſunt nati, poteſt aliquando præcidere graves ob cauſas, quales in fideicommiſſis, maxime individuis, ſæpe ſe produnt. *Vide Grot. l. 2 c. 4. §. 10.*

36. Denique, res immobiles pupillorum atque minorum permittere alienari, citra cauſam neceſſitatis, *poſito, quod hoc lege prohibitum ſit*, eſt etiam majeſtatis.

37. Poterant plura recenſeri ex Romanis & aliarum gentium inſtitutis; Sed reliqua ex hiſce dijudicari poſſunt.

38. Supereſt, ut ea quæ ad utilitatem imperantium pertinent, breviter videamus. Inter quæ primo loco jus *monetæ cudendæ* merito refertur.

39. Qua in re quando commercii omnisque civitatis ratio ſumma vertitur, palam eſt, id nulli, quam ſummæ poteſtati, vel cui illa hoc commiſerit, licere oportere.

40. Jus publicandi *bona damnatorum* eaque in *fiſcum* vel ærarium condendi ſine dubio eſt majeſtatis. Quia nec fiſcum habere dicitur, quam qui univerſæ civitati præeſt ideoque municipiis negatur. *l. 10. ff. ad Municipal.*

41. Idem eſt de mulctis pœnarumque compendiis, tametſi hæc non raro magiſtratibus minoribus applicentur. Sed lucra ſucceſſionum, quæ ut indignis auferuntur, in ſolum fiſcum rediguntur, tam jure Romano quam moribus gentium.

42. Prætereaa pleræque nationes ſuis principibus ea quæ nullius erant privati, conceſſerunt.

43. Quæ cum jure naturæ occupantium fieri deberent, *n*) vi legis, id eſt, communi conſenſu, adeoque juſte dominio ſingulorum ſubducta fuerunt.

44. Talia ſunt bona vacantia, quæ dicuntur, eorum qui ſine herede deceſſerunt.

N 2 45. Agri

m) conditum) *ſcilicet, ubi lex jubet ſolennia adhibere. Nam de ea quæſtione non loquitur Autor, annon princeps poſſit ſolennia teſtamentorum per leges tollere, quod utique affirmandum argumento dictorum* n. 29.

n) deberent) *Hac de quæſtione aptior dicendi locus erit infra* lib. 2. ſection. 4. cap. 2. n. 19.

45. Agri inculti aut deſerti, omniaque pro derelictis habita, inter quæ theſauri pro parte vel toti.

46. Denique, feræ beſtiæ, volucres, piſces omniaque animalia, quæ cœlo, quæ mari atque terra continentur.

47. Quanquam alii jus illorum ad Majeſtatem referri nolunt; nos contra putamus.

48. Hæc enim communia omnium eſſe deſinere non poſſunt, niſi omnes & ſinguli de jure ſuo in gratiam unius vel paucorum decedant.

49. Atqui omnes cives o) nunquam ſuum jus pariter, niſi in eum qui toti præeſt civitati, transferunt. *Grot. lib. 2. cap. 8. §. 4.*

50. Secundum hæc ad principem pertinent argenti & auri venæ, terræ viſceribus reconditæ, quæ etiam ſua natura nullius in Dominio ſunt, nec non reditus ſalinarum.

51. Denique, per Europam ita frequenter obtinet, ut bona naufragorum ejecta ad littora, cujusque principis fiſco tota vel pro parte acquirantur.

52. Sed non quicquid ſeculum vocatur, id juris eſſe dicendum eſt; Quod enim jus habet fiſcus in aliena calamitate, ut de re tam luctuoſa compendium ſectetur (*l. 1. C. de naufrag.*

53. Ne quidem eminens vis legis, de qua ſatis alioqui conſtat, huc poteſt applicari, ſicut alia non pauca adverſus ſingulos iniqua, publicæ utilitatis reſpectu ſub hoc clypeo defenduntur.

54. Conſtat enim pleraque naufragia exteros affligere, in quos illa vis legis aut dominii eminentis non habet locum.

55. Quare cum populus totus, vel quisquam privatus nullum jus habeat, res naufragas in ſuum agrum delatas aut à ſe repertas diripiendi;

56. Sequitur, neque per legem, quaſi ex civium conſenſu & jure eorum translato, tale jus populo vel principi recte adſcribi.

57. Partem tamen rerum aut certam p) quaſi præſtationem vectigalis pro defenſione & auxilio, quod poteſtas loci, Dominis rerum impertitur, exigi, id ut fit, à jure & æquitate non abhorret.

58. Amplius, adverſus eas gentes, quæ jus fiſci contra naufragos avare exercent, fas eſſe eodem jure uti, dictat regula juris gentium, *quod quisque juris in alterum ſtatuerit, ut ipſe eodem jure utatur.*

59. Denique, ad hanc claſſem jurium majeſtatis referuntur etiam modica *vectigalia*.

60. Qualia à feudorum interpretibus telonia ſeu *gabellæ*, portoria vel *portuaria* & *ripatica* dicuntur.

61. Sed viæ publicæ, quas & *regias* vocant, *portus*, *flumina* publica, non tantum huc ſpectant, quod attinet ad vectigalia, quæ ibi colliguntur; ſed etiam quia protectione ſupremoque dominio ad principem pertinent.

62. Memorant illi q) & *Angarias* & *Parangarias*, quæ videntur fuiſſe onera præſtandi currus & jumenta ad publicos curſus veteribus

o) omnes cives) *At vero hæc reſponſio non ferit diſſentientes, qui negant unquam tale jus in principem translatum eſſe, & urgent probationem translationis, expreſſæ videlicet, quæ etiam difficulter probari poterit. Ergo longe aptius hæc regalia ex aliis fundamentis deducentur infra* d. l. *& non pauca ex iis translationi tacitæ & præſcriptioni debent originem. Paria dicenda ſunt de argenti fodinis &c.*

p) certam) *ſed cur præciſe certam, cur non incertam, v. g. primum lucrum, primum damnum, aut caſum. Ex qua ratione fuſius oſtenſum, juri naturæ nequaquam repugnare mores illos, qui bona naufragorum fiſco addicunt,* in diſſert. de ſtat. imp. poteſt. legisl. contra jus commune. §. 41.

q) illi) *puto legendum eſſe* JCti.

teribus uſitatos, hodie jus *poſtarum* dixeris; quod tamen non, ut olim, provincialibus imponitur.

63. Ab his diſtinguuntur plauſtrorum naviumque præſtationes, ad transvehendos milites, arma, ſarcinas, impedimenta exercituum aliaque onera portanda.

64. Hæc & ſi qua ſunt alia, fere ſunt quæ regalia appellantur, in conſtitutione *Frideric. de Regalibus. 2. F. 56.*

65. Tamen & *Armandiæ*. & jus muniendi, & jus *repreſſaliarum* ad hunc ordinem referri poſſunt.

66. Quippe neminem armamentaria, quomodo *Armandias* interpretantur, neminem arces munitas, niſi ſumma poteſtas, aut cui ſpecialiter ab illa permiſſum fuerit, habere poſſe, ratio imperii manifeſto dictat.

67. De *repreſſaliis* multo magis, nam concedere civi, ut alterius imperii quemlibet civem, eo quod ipſe id antea paſſus eſt, deprædari queat, hoc quidem proxime ad bellum accedit, *ut alibi plenius*.

68. Enumeratione atque probatione, quot & quod ſingula ſint jura majeſtatis, quatenus huic inſtituto opus eſt, defuncti videmur.

69. Inquirendum eſt, an & quatenus hæc jura ab imperantibus alienari vel quando communicari poſſint, aut alienata vel communicata præſumantur.

CAP. VIII.

DE ALIENATIONE ET EXERCITIO JURIUM MAJESTATIS.

Majora majeſtatis jura non poſſe transferri irrevocabiliter & independenter, ſalvo imperio; ſed in quos hæc jura ita transferuntur, eos hactenus ſummam habere poteſtatem. n. 1-9. Ne quidem exercitium juris ullius majoris in totum poſſe conferri, ſed imperantes id quod eſt ultimum retinere ſemper. n. 10-36. Quatenus belli jus transferri ſoleat aut non. n. 37-44. item pacis & legum n. 45. 46. & creandi magiſtratus n. 47-51. & res judicandi. n. 52-54. Minora majeſtatis jura facilius tota transferri. n. 55-58. Quid juris habeat is, cui generaliter vices ſummæ poteſtatis ſunt delegatæ. n. 59-70.

1. Quod jura majeſtatis vulgo dicuntur *incommunicabilia* recto ſenſu capiendum; ſcilicet, quod communicari nequeant cum his qui imperio ſubditi ſunt, ac uti ſalva & integra maneat *ſumma poteſtas* in eo, qui jura quædam cum aliis communicat; Nam qui ſocium accipit, is hactenus vere *ſummus* eſſe deſinit.

2. Multo fortius illo reſpectu dicendum, quod in totum jura majeſtatis alienari nequeant: Tametſi exercitium aliis committi poſſit.

3. Nam quod de Deo Tertullianus, *imperium ſummæ dominationis penes unum officia ejus penes multos eſſe*, ſuo modo non male ad ſupremos populorum rectores transtuleris. *Apologet. c. 24.*

4. Quod igitur jura majeſtatis alienari, cum aliis communicari non poſſe diximus, eo non pertinet, ut regem vel optimates

alios in partem imperii accipere poſſe negemus; ſed quod Rex & ſumma poteſtas, qua talis manens, illa jura cum aliis communicare vel alienare non poſſe intelligatur.

5. Proinde, quando magiſtratibus, curiis, præfectis jura quædam majeſtatis demandantur, cum eorum reſpectu maneat ſumma poteſtas, ipſa jura non transferuntur, ſed exercitium duntaxat, idque ſibi ſemper obnoxium committit aliis princeps.

6. Quare ſi quem præfectum, legatum aut locum, *ut ajunt*, tenentem conſtituat ſumma poteſtas, cui det jura quædam majeſtatis, ea ſemper ut miniſteria, *dependenter* ab ipſo, qui habet ſummam poteſtatem, concedere intelligitur.

7. Etſi in conferendis juribus illis dictum ſit, ea *privative r)* concedi, conferri, dari: Id enim cum reſpectu ad alios magiſtratus aut collegia, non ad excludendum ipſum, qui habet *majeſtatem*, indubitato capiendum.

8. Hic ſemper exercitium ejusmodi jurium magiſtratibus injunctorum moderabitur, recteque an ſecus exerceatur, judicare poteſt & debet.

9. Sed duas poteſtates ſummas in una civitate conſtituere, quod fit, ſi ullum jus majeſtatis independenter ab aliquo præfecto vel collegio exerceatur, tam eſt abſonum, ut ad hoc abſurdi evitandum capienda ſit ejusmodi, quam verba ferre queant, non vitioſa interpretatio.

10. Quin etiam in ipſo exercitio præfectis aut magiſtratibus deferendo, diſcrimen majorum minorumque jurium, ſi recte diſcernas, animadverti poteſt.

11. Nam majora ne quidem exercitiotenus in totum aliis committi ſolent; quin ſemper quod eſt ultimum in illis ipſo uſu ſibi reſervet princeps, aut quicunque habet majeſtatem.

12. Non inficiamur equidem, poſſe etiam in totum transferri exercitium alicujus è maximis juribus; verum ſemper revocabiliter & *dependenter*, ut ita loquamur. *s)*

13. Quod ita rurſus comparatione numinis, ſalva religione, illuſtratur verbis Hieronymi. *Deum ſolum* ait, *naturaliter eſſe & immortalem & verum, cæteros ut angelos hominesque, immortalitatem & veritatem ex illius largitione conſequi; cum aliud ſit, verum eſſe & habere quid per ſemet, aliud in poteſtate donantis eſſe quod habeas. in epiſt. ad Tit. in pr.*

14. Atque hujus dependentiæ hic eſt effectus, quod ſumma poteſtas, exercitium illud, quoties lubet, revocare poteſt. *t)*

15. Nam, ut dictum, ſi quid independens à ſumma poteſtate in eadem Republ. exiſteret, hæc eſſet altera poteſtas; quia ſum-

---

r) privative) *Notum eſt, JCtos quærere v. g. ſi omnis juriſdictio ſit conceſſa, an* in dubio *præſumatur cumulative an privative eſſe conceſſa. Sed qui ſtatuerit, regale privative conceſſum* expreſſe, *ſic interpretandum eſſe, ut Autor vult, non memini. Adde quod non ſoleat hic terminus in conceſſione officiorum adhiberi. Et ſi adhibitus fuiſſet, contorta eſt explicatio Autoris, & convenientior illa, quæ habetur in ſummariis: in quos jura majeſtatis privative conferuntur, eos hactenus habere ſummam poteſtatem.*

s) ut ita loquamur) *Atque adeo ipſe Autor deſtruit iterum hanc differentiam, inter majora & minora regalia. Si enim quædam majora poſſunt transferre quoad totum exercitium, differentia, quod reliqua non poſſint transferri ita, non inde deducenda eſt, quod ſint majora, ſed aliunde. Adde quod obſcurum ſit, transferre totum exercitium, cum dependentia tamen. Quodſi translatio exercitii totius idem denotet, ac independentiam, nec ſic differentia erit, quia mox dicenda oſtendent, nec minorum exercitium independens eſſe poſſe.*

t) poteſt) *Scilicet ſi exercitium conceſſum ſit per modum meri privilegii, beneficii, officii,*

Digitized by Google

ſummum & independens non differunt. Id antem eſt ex iis, quæ in una civitate fieri non poſſent. Nam ea *eſt ſummi* conditio, ut ***nihil illud adæquet***, Tertulliani dictum.

16. Neque vis imperii in obligatione & coactione conſiſtens, ubi plures *ſummi* forent, explicari poſſet; Nam ut Chryſoſtomus, *Ισοτιμία μάχην ποιεῖ. Æqualitas pugnam facit. Regnum in ſe diviſum diſſipabitur.*

17. Proinde, qui magna illa jura ſic exercitio tota habent, ut revocari nequeant, illi magis proprietatem & jus ſummum habere intelliguntur.

18. Quia competit illis definitio ſummæ poteſtatis, *quod acta illorum infirmari nequeant*, *u*) quod diverſam ſupponit Rempublic.

19. Tales ſunt, quibus in feudum jura majora conceduntur. Nam & vaſallis recte tribui ſummam poteſtatem antehac probavimus.

20. Exemplum non modo præbet Rex Neapolitanus, qui à pontifice jura majeſtatis accipit, ſed & principes, ut videtur, imperii Germanici. *w*)

21. Qui quatenus irrevocabiliter & inretractabiliter jura majeſtatis obtinent, ſumma poteſtate non immerito præditi eſſe dicuntur.

22. Non obſtante, quod imperatorem, dominum ſuum clementiſſimum, ſe vero ſacri imperii fideles appellant.

23. Scilicet ratione feudi, *atque ita* ut omnino integram eos non habere majeſtatem concedamus; Quæ aliquo modo ex his quæ *ſupra* de fœdere *ſect. 3. c. 2. x*) diximus, judicari poſſunt.

24. Æſtimari quoque ex his poteſt, illius vulgati axiomatis valor, quod tantum Dux, Marchio, Comes, vel civitas in ſuo principatu vel territorio poſſit, quantum imperator in ſuo imperio.

25. Nam in his juribus, quæ ſinguli principes ſine retractatione uſurpant, nullam habent concurrentem poteſtatem.

26. Nec eorum reſpectu, in quibus imperatori & imperio ſunt obnoxii, ſed in his eſt ſubordinatio, non concurſus poteſtatis.

27. Si qua concurrentia dentur imperia, quibus duo vel plures in una ditione pro indiviſo imperent, quos vocant *condominos* ea eſt ſpecies *πολυκοιρανίας*, quæ à nobis ſuo loco explicabitur.

28. Atque hæc nonniſi de imperiis quæ ſeparatam habent conſtitutionem, non

absque contractu & conventione mutua. Sed hic effectus hujus dependentiæ non eſt ſolus. Nam alius eſt, ſi poſſit revocari ex juſtis cauſis, & ubi videlicet is qui exercitium habet, debet rationes reddere ſuperiori, ſi videlicet habeat exercitium vi conventionis. Conf. Aut. n. 29.

u) nequeant) *Sed hac ratio quadrat etiam ad regalia minora, ergo quoad illa etiam erit eadem aſſertio, unde nec in* n. ſeq. *debebat ſolorum majorum regalium fieri mentio.*

w) Germanici) *Sed, uti ſupra dictum, ad* c. 6. n. 3. *Status imperii olim ſaltem regalia, quæ vocantur minora in feudum accepere, poſtea ſucceſſu temporis & poſt motus varios illa quæ vocantur minora etiam ad ſe traxerunt majora. Sed hac res ad jus publicum Germaniæ pertinet.*

x) c. 2.) *In illo loco quod huc pertineat, nihil invenio. Videtur potius Autor reſpexiſſe ad* c. 3. n. 41. *& ſcilicet ad appellationes à ſtatibus ad Cæſarem. Verum uti & de hac ratione ad ſtatus imperii applicata ulterior diſquiſitio ad jus publicum Germaniæ pertinet; ita Electores & alii qui habent privilegia de non appellando ab hac quoque obſervatione erunt exemti,*

Digitized by Google

non in iisdem civitatibus intelligenda. *y*)

29. Cæterum in ſimplicibus, quæ unum corpus animamque repræſentant, civitatibus nullum ex majeſtatis juribus, quæ majora dicuntur, nec quidem ex reliquis, vim imperii explicantibus, in totum aliis concedi poteſt; Niſi revocabiliter, inquam, & ſub lege reddendi rationes.

30. Nec quidem ita; ut exercitium aliis competat ἀνυπευθύνως, hoc eſt, *independenter*, quia ſemper ſumma poteſtas τὸ κυριώτατον, id quod eſt ultimum & excellentiſſimum in illis, ſibi reſervat; rationique repugnat, ut magiſtratus, qui nihil eſt aliud quam miniſter ſummæ poteſtatis, ullius juris ſibi commiſſi vel proprietatem vel exercitium habeat *independenter*.

31. Ita magiſtratibus curiiſque merum imperium, ſive poteſtas gladii, ad animadvertendum in facinoroſos permitti poteſt ac ſolet.

32. At ſemper poteſtas ſumma, ſi velit, habet jus avocandi cauſas vel ignoſcendi damnatis, adeoque retinet jus vitæ & necis quod transferre, ſalva quidem ſe ipſa, hoc eſt, ſumma poteſtate illæſa, non poteſt.

33. Idque perinde in plurium ac unius imperio, locum habere certum eſt. Etſi in illis, ubi plus leges valent, rarius uſurpetur.

34. Quod ſi Rex vere amiſerit eam poteſtatem architectonicam, ut ſane fieri poteſt, intelligitur, eum hos, quibus ita tenetur, in partem imperii accepiſſe, quemadmodum in Anglia Rex in quibusdam cauſis ignoſcendi & diſpenſandi jus non habere creditur, & hactenus ſocietatem imperii cum Parlamento habere videtur.

35. Noli tamen credere, quod ubicunque ſumma poteſtas certum ordinem petendi remisſiones & diſpenſationes præſcribit, huic immutabiliter adſtrictus ſit, ut, ſi velit, aliter ſtatuere nec posſit.

36. Nam in dubio talia prudentiæ & ordinis cauſa, non ad minuendum jus ſuum à ſummis poteſtatibus conſtituuntur; quemadmodum imperatores Romani varia id genus inſtituta in corpore juris ſancivērunt, de quibus in *tit. C. de Mandat. Princ. de precibus imp. off. in l. un. C. quand. int. pup. l. 3. C. de leg. & paſſim.*

37. Belli jus in exteros raro ulla ex parte magiſtratibus committitur; Niſi res moram conſulendi ſummam poteſtatem non patiatur, & periculum evidens ſubitis armis occupari posſit, ut fecit *L. Pinarius* Ennæ in Sicilia, *apud Livium l. 24. c. 37.*

38. Quandoque tamen in imperio late patente poteſtates inferiores poſſunt habere jus inchoandi bellum atque gerendi, nomine ſcilicet ejus, qui ſummam habet poteſtatem, cui rationem ipſi rerum geſtarum reddere debent; hujusmodi jus datum eſt Gubernatoribus *Indiarum* a regibus Hiſpaniæ & Luſitanorum.

39. Noſtræ etiam ſocietates Indicæ ab ordinibus Belgarum hanc poteſtatem acceperunt, non tanquam magiſtratus, ſed ut Rectores imperii ſubordinati, quale ſub alio ſole cœloque posſident.

40. Alioqui, ſi princeps negligere malit injurias Reipubl. aut privatis factas, nemini licet eas armis ulciſci, nec adverſus exteros nec contra cives.

41. Ergo nec repreſſaliæ, ab iis qui pasſi ſunt injuriam licet gravisſimam, injuſſu ſummæ poteſtatis exerceri debent, ſiquidem hæ non modo præludia belli ſed & ipſæ, bella eſſe videntur.

42. Hinc Cicero, qui *in Philippicis Brutos Caſſiumque*, non expectato populi mandato, arma in *Antonios ac Dolabellam* capientes tam magnifice defendit, cauſæ potius

y) intelligenda) *Reſpicit nimirum Autor ad ea quæ docuerat ſupra* c. 3. n. 18. *Corpus Germaniæ non eſſe unam rempubl. ſed corpus fœderatum.*

Digitized by Google

potius ſervire, quam jure diſputare cenſendus eſt, ut quidem *Grotius* exiſtimat; vix enim eſt, ut præſumptioni voluntatis in tam gravi cauſa locus eſſe videatur. Quanquam ratihabitione, quod minus jure fuit inchoatum, ſine dubio convaleſcere poteſt.

43. Atqui *Ciceronem* ita ego exaudio, tam fidenter libertatis adſertores apud ſenatum populumque defendentem, ut eorum ratihabitionem, in rebus optimo publico inſtituris impetraret.

44. Nec ſcio, an reprehendendus ſit idem *Tullius*, ad vindices libertatis ſcribens, non eſſe quod expectarent ſenatus auctoritatem populique juſſum, qui nec in tanta rerum confuſione ac impunitate gladiorum haberi, nec è tantis marium terrarumque diſtantibus ſpatiis expectari poſſet, *lib. 10. epiſt. 16. ad Plancum. l. 11. epiſt. 7. ad Brut. lib. 12. epiſt. 7. ad Caſſium*, ubi non diſſimulat, ſenatum populumque in eadem fuiſſe ſententia.

45. Porro, jus fœdera pacemque ineundi, & tributa exigendi, dominiique eminentis, nec non leges ferendi, creandique magiſtratus majores, cum ſubordinatis poteſtatibus nunquam per omnia communicantur.

46. Hine civitates municipales ſtatuta quidem faciunt, leges vero nequaquam ab his & ab omnibus qui ſumma poteſtate deſtituuntur, condi poſſunt, ut *alio loco z) videbimus*.

47. A talibus etiam magiſtratus minores facile, non perinde majores conſtitui ſolent: Aut ſi fiat, ea poteſtas ſemper revocabilis eſt.

48. Quam autem ſtulte & periculoſe ſumma poteſtas hoc jus totum vel majori ex parte mandet aliis, ad politicos pertinet ut commonefaciant.

49. Hoc vero & ad juriſconſultos, quod pauci potentiores in plurium imperio pactionibus mutuis officia magiſtratuum & imperia partientes, æque in majeſtatem, quam ſi id faciant in principatu, delinquere poſſint; utique ſi privata conſpiratione tali modo inter ſeſe coeant; Nam ſi ex imperantibus ſint, qui ſic agere atque paciſci inſtituunt, oligarchica duntaxat induſtria vocatur.

50. Niſi in longius tempus, quam delatum ipſis eſt imperium, coeant. Hactenus enim & privati ſunt, & tanto minus illa parte juris habent, quanto iis, quorum eſt primævum jus imperii, plus à præſenti potentia præjudicii metuitur.

51. Præter quod nullum enormius in fundamenta civitatis commiſſum extat, quam actus ſummæ potentiæ ultra tempus dati imperii producere.

52. Quid de facultate res judicandi ſtatuemus? Hæc facilius videri poſſet in magiſtratus curiasque ſæpe tota tranferri.

53. Sed tenendum, quod poteſtas creandi judices ſupremos ſemper manet penes ſummam poteſtatem; Nec uſquam fit, ut princeps omnino ſe exuat poteſtate res judicandas avocandi; Magiſtratus vel judices nunquam debent eſſe αὐτόδικοι ut loquitur Mæcenas *orat. ad Auguſt. apud Dionyſ. lib. 53.*

54. Proinde, quando ſumma poteſtas civilem criminalemque jurisdictionem declarat, ſe omnimodo in alium transferre, non eſt hoc ita capiendum, quaſi privatio ad ipſum principem referatur, ſed ad alios præter eum, qui ſummam poteſtatem habet αὐθεντικῶς, *ut ſuperius dictum. a)*

55. Quod autem attinet ad minora majeſtatis jura, quominus pleraque eorum irrevocabiliter, aut in perpetuum cum infe-

O rioribus

z) alio loco) *Confer prælect. Autoris* ad inſt. de J. N. G. & C. n. 5.

a) dictum) ſc. n. 7. *qui locus ſi cum præſente conferatur, patebit, adnotationem noſtram non fuiſſe fruſtraneam, ſed Autorem ibi loco* privative *dicere voluiſſe* omnimodo.

rioribus poteſtatibus communicentur, ratio juris non obſtat, *b*) unde & in feudum concedi poſſunt illis, qui vere manent ſubditi. *c*.)

56. Sunt tamen ex illis, quæ difficulter aut nullo modo communicantur. *d*) Qualia quæ majoribus cohærent aut affinia ſunt, *e*) ut de *repreſſaliis* dictum, & de his quæ ad judiciorum ordinem mutandum pertinent.

57. Jus quoque majora *nobilitatis* inſignia largiendi, nec non *fiſcum* habendi, quæque ſimilia, ſunt hujus naturæ.

58. Sed aliquid ad fiſcum pertinens facilius in totum alienari poteſt.

59. Quæſitu dignum & hujus loci eſt, ſi princeps aut ſummam poteſtatem habens legatum ſive *Vicarium*, aut plures conſtituat toto imperio vel certis locis, neque diſerte nominatimve dixerit, *quænam ejus poteſtas futura ſit;* vel exprimat nonnulla, ſed ſpecies generali clauſula obſignet, quod frequenter uſu venit, quænam facultas ejusmodi mandato contineatur.

60. Poteſt haud dubie talis *Vicarius* facere quicquid expreſſe mandatis eſt comprehenſum, quod jam dictum neque dictu opus eſt.

61. Poteſt atque debet exequi omnia decreta ſummæ poteſtatis, quæ hac fine ad eum mitti ſolent.

62. Diſponere de omnibus, quæ in adminiſtratione Reipubl. ſecundum ordinem lege conſtitutum adſiduo occurrunt; Qua gratia id genus *Vicarii* potisſimum conſtituuntur.

63. Ejusdem eſt, diſtribuere functiones Reipubl. ordinarias & inferiores; majores ipſa poteſtas ſumma ſibi reſervat, *ut dictum ſupra.*

64. Porro officium ejus eſt compellere omnes, ut legibus ordinique antea conſtituto diſtricte pareant.

65. Sed in his, quæ excedunt modum quotidianæ adminiſtrationis, nihil novi à vicariis ſine ſpeciali mandato vel magna necesſitate conſtitui poteſt.

66. Ne quidem exercere poteſt ullum ex ejusmodi juribus *majeſtatis*, quæ non in continuatione exercitii, ſed actu ſingulari conſiſtunt, velut eſt remittere delinquentibus pœnam, evocare cauſas à judicibus ordinariis.

67. Niſi

b) non obſtat) *Sed hic graviter diſſentio. Etenim Autori oppono rationes, quas ipſe attulit* ſupra n. 1. 2. 4. 9. 10. 15. 17. 18. &c. *quæ univerſales ſunt, nec valent ſolum in regalibus majoribus, ſed minoribus. Unde probavi, quod ſupra* ad c. 6. n. 3. *me probaturum eſſe promiſi, diſtinctionem inter regalia majora & minora nullum habere uſum in quæſtione de alienatione regaliarum.*

c) ſubditi) *Non videndum eſt, quid fiat, ſed quid prudenter fiat.* Conf. hic. n. 48. *At vero* d. l. *jam notavi, ex hac conceſſione ſtatus Germaniæ occaſionem ſumpſiſſe ſibi vindicandi etiam majora.*

d) communicantur) *Ipſe Autor hic tria memorat, & in* n. 57. *dum ad ſimilia provocat tacite innuit, plura adhuc ex illis, quæ minora dicuntur, ad hanc claſſem pertinere. Sed ſi modo unum exemplum adeſſet, ſufficeret, iſtam jactatam differentiam de alienatione jurium majeſtatis non provenire à diſtinctione in majora & minora. Conf. modo notata* ad n. 12. *Ergo quid opus, ut nos torqueamus, in ſalvanda illa diſtinctione. Si eam rejiciamus, nulla tortura opus.*

e) affinia ſunt) *Jam ſi percurras* integrum caput ſeptimum, *deprehendes, aut nulla, aut certe paucisſima eſſe, quæ ex iſtis, quæ Autor minora vocat, ab hac claſſe eximi poſſe. Per inductionem illa demonſtrare ſcopus præſentis inſtituti non patitur. Fiet id aptius in diſcurſu.*

67. Niſi in ei datum fuerit ſpecialiter, aut cohæreat ordinario alicujus juris, quod ei ſine dubio competat, exercitio.

68. Vicarius enim nihil eſt quam magiſtratus, & magiſtratus eſt miniſter ſummæ poteſtatis ac legis, ut *ſæpius dictum*.

69. Atqui continuare functiones jurium majeſtatis, quæ in ordinario exercitio verſantur, hoc eſt miniſterium.

70. Sed actus extraordinarios ſummi imperii motu proprio inſtituere, hoc eſt *αὐτοκρατικὸν* & *magiſterium*. Exemplis abſtinemus, inter explicandum daturi.

CAP. IX.

DE PRÆSCRIPTIONE JURIUM MAJESTATIS.

Status controverſiæ, an diverſi ordines ejuſdem civitatis contra ſe invicem jura majeſtatis per præſcriptionem acquirere poſſint. n. 1-6. Quod affirm. modo præſcribens id faciat proprio nomine animoque ſibi habendi. n. 7. 8. Hinc nullos magiſtratus aut judices contra principem præſcribi poſſe; hoc tamen effectu poſſe, ut ſubditi parere debeant, donec à principe ſecus præcipiatur. n. 9-15. Sed principem, cui jura majeſtatis non omnia data ſunt, poſſe ea, quæ deſunt, acquirere per præſcriptionem; populum quoque aut optimates jura eodem modo principi ſubducere & ſibimet acquirere poſſe. Utrumque rationibus probatur. n. 16-51.

1. VIdimus ut ſumma jura in totum vel exercitio tenus transferantur. Sed modus alienandi unus, *præſcriptio* ſupereſt.

2. De qua primo omnium quæritur, habeatne locum reſpectu ſummæ poteſtatis; An, inquam, ex ſolo uſu longi aut longiſſimi temporis, jura ſummæ poteſtatis acquiri poſſint.

3. Eam quæſtionem nos hic non tantum, *de principibus aut populis diverſis*, ſed etiam de *ordinibus* ejuſdem *populi* diverſis; etiam, & maxime de imperantibus atque ſubjectis intelligimus.

4. Leges civiles de *uſucapionibus & præſcriptionibus* heic non habent locum, *ne quidem in eodem imperio*, quatenus utique à jure gentium diſcrepant, non obſt. ita quod habet Zieglerus *ad Grot. 2, 4.*

5. Nam ſi usquam verum, majeſtatem legibus eſſe ſolutam, id ſine dubio in iis, quæ ſummam poteſtatem *qua talem* ſpectant, obtinere oportet.

6. Ratio juris gentium heic ſola valet, ſecundum quam putamus, etiam in ſummi juribus imperii locum eſſe præſcriptioni, adeoque ſecundum jus gentium ea quæ de jure *civili* forte proferemus, intellecta volumus; Præeunte Grotio *lib. 2. de J. B. & P. cap. 4.*

7. Semper autem adeſſe debet requiſitum præſcriptionis fundamentale, ut uſus ac quaſi poſſeſſio illorum jurium *nomine proprio animoque ſibi habendi ab eo*, qui in præſcriptione ſe fundat, habita & exercita fuerit, ſecundum id, quod Impp. *Valens & Valentinianus* convenienter juri gentium reſcripſerunt in *l. 2. C. de præſc. 30. vel 40. ann.*

8. Alioqui nunquam initium habere potuit; quippe, cum uſucapio dominium ſine animo domini per rerum naturam adjicere non poſſit, ut eſt notiſſima quoque doctrina juriſconſultorum, *in omni acquiſitione dominii animum domini adeſſe oportere*.

9. Quare nulli magiſtratus, ſeu ſinguli ſeu collegia magiſtratuum vel judicum, qua tales, quicquam juris hoc titulo *adverſus ſummam poteſtatem* adſerere ſibi poſſunt. Quia clarum eſt, illos nihil agere quam nomine juſſuque poteſtatis ſupremæ, atque ut ejus miniſtros.

10. Unde nihilo magis contra principem præſcribere poſſunt, quam hi, quorum miniſterio in retinenda poſſeſſione privatim utimur; ut *coloni & inquilini* adverſus quemque noſtrum, id eſt, dominos ſuos uſucapere nequeunt, etſi per centum annos ipſi ac anteceſſores eorum fundos ut coloni habuerint.

11. Proinde, ſiquid tempore, *quantumvis immemoriali*, à poteſtatibus inferioribus uſurpatum fuerit, hoc ſemper ab eo, qui ſummum habet imperium absque injuria tolli poteſt.

12. Quod tamen non impedit, quominus contra *multitudinem ſubjectam* jus illud præſcriptionis, quod magiſtratus longo uſu acquiſiverunt, vim ſuam obtineat, etſi nihil ejusmodi à ſumma poteſtate habeant in mandatis.

13. Ita, ut magiſtratus & judices quod illo titulo decernunt & exequuntur, hoc jure facere cenſeantur.

14. Tu dices, quare heic iterum non obſtat ratio *ſuperius* expoſita, quod magiſtratus nihil ſuo juri per præſcriptionem addere poſſunt, eo quod *ut miniſtri*, non ſuo nomine agant; Reſponſio eſt, hunc qualitatis defectum impedire, ne quid adverſus ſummam poteſtatem, *cujus miniſtri ſunt*, uſucapere poſſint, non etiam obſtare adverſus inferiores, quorum utique miniſtri non ſunt.

15. His nihil relinquitur, quam præſumptio, quod augmentum illud poteſtatis uſurpatum à magiſtratibus non aliter ab iis exerceatur, quam ex *tacita ſummi principis voluntate* conſenſuque; ſiquidem illo vidente vel ſciente, magiſtratus jurisdictionem ſuam exercent.

16. Ita ſe res habet reſpectu magiſtratuum; Quæſtio eſt, an Rex, cui imperium non totum *populus detulit*, *uſu temporis integrum imperium acquirere poſſit*.

17. Viciſſim, an *Rex liber & abſolutus quædam jura uſu contrario populi vel optimatium amittere queat*. Utrumque adfirmamus.

18. *Hobbes*, cujus principia hoc adſpernantur, nos jam nihil moratur; Nec illi, qui principem indiſtincte faciunt populi miniſtrum.

19. Utraque deſtructa ſententia pati debet, ut & populus capax ſit acquirendi, & princeps nomine ſuo, non tanquam miniſter, agere dicatur.

20. Scilicet, *Hobbeſii* hæc eſt hypotheſis à nobis eradicata, quod populus, imperio conſtituto, ſit diſſoluta multitudo, non gerens qualitatem perſonæ, nec ideo characterem præſcriptionis ullo modo recipiens.

21. At *Junius Brutus*, *D. Althuſius*, aliique homines clari, principes tantum habent ut miniſtros & mandatarios populi; proinde nec hi ullum præſcriptionis initium adverſus populum facere poſſent, ſecundum commune requiſitum præſcriptionis & uſucapionis *antea collocatum*. Utramque ſententiam ante hac refutavimus, priorem *ſect. 2. §. 3. & ſeq.* poſteriorem *c. 6.*

22. Quid autem; ſi quis princeps legibus ſit ſubjectus, qualem latini vere proprieque dicerent *principem*, id eſt, *primarium*; an is ſummam abſolutamque poteſtatem præſcriptione temporis acquirere poſſet? Arbitror adhuc poſſe, quia nil vetat, eum induere animum abſoluti imperantis, quod *hactenus* ſufficit.

23. Quemadmodum colonus & emphyteuta

tenta noſtri, ſi per longum tempus rem ſuo nomine tanquam domini, non ut coloni & emphyteuræ tenuerint, neque mercedem ſolverint, haud dubie uſucapere poſſunt.

24. Et vaſallum contra dominum ſuum eadem ratione, & feudo prædium liberum, *modo ſervitia non præſtiterit*, acquirere poſſe, conſentiunt Doctores, ut probavimus in *Vindiciis Amelandicis c. 9. & 10.*

25. Hoc eſt, quod de ratione *ſuperius* allegata tenendum eſt, miniſtros præſcribere non poſſe; *videlicet*, quamdiu ſe gerunt ut *miniſtros atque ſubjectos*, ubi vero illum animum excuſſerint, idque verbis factisve palam teſtati fuerint, nihil amplius obſtat, quominus uſucapionem incipere & abſolvere queant. *d. tract. ubi* exemplum.

26. Populus etiam aut concilium optimaticum, *quia jus corporis ſive univerſitatis habet*, poſſunt ita animos inducere, ut regem, licet ab initio cum vere ſumma liberaque poteſtate conſtitutum, deinceps in quibusdam aut plerisque negotiis nolint facere quicquam ſine ſuo conſenſu; Proinde ut ipſi concurrentem cum rege poteſtatem adepti, hactenus non ut ſubjecti per omnia, ſed ut pares conſiderentur.

27. Perſonæ igitur, de quibus heic quæritur, ſunt in terminis ſatis habilibus, ut præſcriptio illis applicari queat; Modo *juſtitia cauſæ*, qua omnis uſucapio nititur, juribus ſummæ poteſtatis convenire videatur, de qua conſequenter videndum.

28. Fundamentum uſucapionis & præſcriptionis eſt *præſumpta derelictio*, aut *negligentia* domini rem ſuam non requirentis, aut jus non exercentis. Quibus accedit ratio, in qua maxima humani generis utilitas vertitur, *ut cauſa litium* aliquo tandem fine *terminentur*, qua de re pluribus egimus *in prælect. ad tit. inſt. de Uſucapion.* Tu vide, ſis, Grotium *d. l. 2. c. 4. de jur. B. & P.*

29. Jam vero præſumptio derelictionis facile in populum, qui jura quædam in imperio deferendo excepit, capere poſſe videtur; Vel ob tædium confuſionis, quæ ſæpe de conflictu principis ordinumque populi ſolet oriri: Vel quia publicarum rerum adminiſtratio ſæpius ex mora vel diſſidio non leve diſpendium capit, ubi ſumma poteſtas communiter à diverſis ordinibus exercetur.

30. Præſumptio quoque neglectus in multitudine proclivis eſt; Cum, quia nihil fit crebrius, quam ut *ſegnius expediant commiſſa negotia plures;* Tum, quia ſingulis in promptu eſt, privatam *principum gratiam adulando mereri* & republica prodita, ſubrepere ad honores & commoda domeſtica.

31. Denique, tertia ratio *de utilitate finiendarum* litium nuſquam validior quam heic videtur; ſiquidem nihil favorabilius eſt, quam litigia de jure imperii aliquando finiri.

32. Ne bella civilia, quibus nihil gravius, quæque neſciunt alium uberiorem fontem, æterna ex immortalibus rixis fiant. vid. Grot. *d. c. 4. §. 6.*

33. Suffragatur experientia plurium in Europa imperiorum, *Francici* nominatim, quod hodie perfectum *παμβασιλείας* ſive *pleni liberique regni* ſpecimen eſſe creditur.

34. Cum tempore *Hugonis Pariſienſis*, cujus præſentes reges ſtirps ſunt, haud adductius, quam nunc Germania regitur, *ut hiſtoria loquitur*, gubernata ſit.

35. Tam enormis mutatio nullo quam præſcriptionis jure niſi videtur, hoc eſt, populi procerumque *derelictione*, mutuoque conſenſu vel *patientia* manifeſta.

36. Jam eædem rationes contra reges ipſos, qui longo tempore quibusdam juribus haud libere ſunt uſi, præſumi poſſunt.

37. Derelictio inde, quod ſæpe contingit, ut principes non bellicoſi intelligant & experiantur, *invidiæ populi ordinibus ægerrime ſe rem publicam gerere poſſe:* Proinde, quod malint requirere conſenſum, quam cum perpetuis colluctari difficultatibus.

38. Neglectus, etſi rarior, vel ex ſocordia, quæ fere magnam fortunam comitatur, venit, aut ex propoſito principum Heroi-

eorum, quos id operam aliquando dediſſe conſtat, ut ſceptra legibus ſubmitterent, quod inſtitutum fuiſſe legimus *Servii Tullii*, *Marci Philoſophi*, *Helvii Pertinacis* ac *Ælii Trajani* Cæſarum.

39. Metus bellorum ex eadem cauſa, quam modo in populo monſtravimus, colligi poteſt; Etiam vero metus ab æmulis & competitoribus ſæpe dominantes ſubegit, ut remiſſius ac indulgentius cum populis agerent atque agere perſeverarent, quemadmodum *Angliæ hiſtoriam legenti frequenter occurret*, poſt *Guilielmum Conquæſtorem.*

40. Non negamus, has præſumptiones *contraria probatione* vel *fortiori præſumptione* poſſe removeri; nempe, ſi probatio liqueat è verbis factisque in contrarium, teſtandi jurisque ſervandi cauſa ab alterutra parte interpoſitis.

41. Modo talia ſint, ut ad notitiam ejus, ad quem res pertinet, dicta factaque pervenerint; Etiam ut ſpecialia ſint; nam infinita proteſtatio de juribus imperii non minuendis, qualem *imperator Romano-Germanicus* præ ſe fert, nihil ad interrumpendam ſingulorum, qui olim ſub imperio fuere, præſcriptionem efficit.

42. Præſumptio fortior ex metu aliove juſto impedimento oppoſitionis non factæ, adverſus uſucapiones illegitimas deſumitur.

43. Sed verba & facta, è quibus ejusmodi præſumptiones deſumuntur, *evidentia* eſſe debent; nam hujusmodi argumenta in dubio adverſus præſcriptionem temporis obtinere non poſſunt; Verum ad impediendam illam, probationes perfectæ requiruntur.

44. Ratio eſt, quia præſcriptio tribuit jus non modo perfectum, ſed etiam ad quietem ſalutemque humani generis neceſſarium, quod temere ſubvertendum non eſt; factaque non præſumuntur, ſed probari debent, ut *JCti, ratione naturali præeunte, docent.*

45. Denique, ſi præſumptio contraria ſumatur à metu, quo is qui de jure amiſſo queritur, ab interrumpenda præſcriptone deterritus ſit, dicemus, veriſimile non eſſe, metum per tantum temporis ſpatium, quod hæc præſcriptio requirit, duraviſſe; quia potius *in patientiam voluntariam* abiiſſe videbitur.

46. Qua autem ratione, præſcriptio nondum natis præjudicet, explicantem vide Grotium *l. 2. c. 7. n. 7.*

47. Cæterum, qui totum civitatis imperium, invito populo, invaſere, an & hi & quo pacto longi temporis beneficio legitimum imperandi jus conſequi poſſint, *inferius f)* videndum.

48. Unum hoc loco ſupereſt, quantum temporis ad implendam præſcriptionem requiratur. Et quidem quod memoriam hominum excedit, ſive id *centum annorum*, ſive, ut verius videtur, quod paulo minus ſit, haud dubie in omnem cauſam ſufficit. *Quandoquidem longius pro conditione moralitatis, dari non poteſt.*

49. Sed &, ſi præſumptio non vergat in contrarium, generationis humanæ intervallum, quod tertiam facit ſeculi partem, admitti poſſet. Suffragantibus autem circumſtantiis, quibus judicia voluntatis adfirmantur, non eſt dubium, quin & brevior, decem vel viginti annorum decurſus, ſatis haberi queat. *Tu vide ſis*, *Grotium dict. cap. 4.*

50. Hoc tamen ſpatium inter immemoriale & brevius intereſſe videtur, quod in illo non requiritur bonum initium, cum id negata memoria tollatur; in brevioribus bona fides *g)* requiri

f) inferius) ſect. 9. c. 1. n. 20. ſeq.

g) bona fides) *Sed cum præſcriptio juris gentium primario fundetur in tacita derelictio-*

requiri videtur, ut recte canones, etſi aliter *b*) jus civile. *Dix. Vnd. Amel. cap. 11. n. 7.*

51. Sed quantumcunque ſit ſpatium implendæ præſcriptioni ſufficiens, id eſſe *debet continuum;* alioqui interrumpitur præſcriptio, jure non minus gentium quam civili. *i*)

SECTIO

---

ne (ſupra n. 28.) *hac obſervatio non erit univerſalis. Demus, furem mihi quicquam abſtuliſſe. In vero rem apud eum, contrecto, non tamen aufero, cum tamen nullus metus juſtus auferendi me retineat, nec tamen diſertis verbis dono. Quis non præſumat, etiam brevioris temporis ſpatio, me rem iſtam per neglectum hunc dereliquiſſe. Adde præced.* n. 49. verſic. ſuffragantibus &c.

b) aliter) *At vero notum, jus civile & in uſucapione longi temporis & longiſſimi requirere initium bonæ fidei, jus vero canonicum ſaltem in eo abire, quod continuatam bonam fidem requirat. Neceſſe eſt igitur, ut Autoris calamus hic anteverterit mentem.*

i) civili) *Miror quod Autor quæſtionem omiſerit de præſcriptione majeſtaticorum jurium intuitu ſubditi, ſeu an ſubditus qua talis, & qui vult ſubditus manere poſſit longo temporis uſu jura majeſtatis acquirere. Sunt, qui putant, diſtinctionis illius inter regalia majora & minora uſum etiam in eo conſiſtere, quod illa præſcriptioni non ſubjaceant, ſed ſolummodo poſteriora. Joh. VVolcm. Bechman* ad A. B. diſp. 4. membr. 3. *Dn. Hert.* de ſuper. territ. th. 62. *Verum, uti Pragmatici, etſi in aſſertione ipſa de præſcriptione regalium contra principem conſentiant, in declaratione tamen ejus infinitis modis variant* diſſert. *noſtr.* de præſcript. regal. ad jura ſubdit non pertin. c. 3. §. 1. *Dn. Hert.* d.l. *ita & plurimi regalia quoque majora præſcriptioni ſubditorum ſubjacere arbitrantur Sixtinus* de regal. c. 9. n. 144. *Ut adeo vel ex hoc capite iterum appareat, diſtinctionem regalium in majora ac minora laudatum uſum in doctrina de præſcriptione non præſtare. Sed fortius confirmabitur ſententia noſtra, ſi ſummatim oſtendatur, quod latius deduxi* in d. diſſert. *nulla regalia poſſe præſcribi à ſubdito contra principem. Summa eo redit. Præſcriptio juris gentium adverſus principem non habet locum, ut quæ ſe fundat ſolum in tacita derelictione, at tacita derelictio hic non præſumitur, ubi princeps expreſſe repetit, nec juvaret etiam ſubditum etiamſi acquiſiviſſet exercitium juris maj. ex tacita derelictione principis, quia tam poſſideret ſaltem jure privilegii gratioſi taciti; at privilegia gratioſa etiam ex communi ſententia a principe ſemper & pro lubitu tolli poſſunt. Præſcriptionem vero quæ juris civilis eſt, quæ in pœna negligentiæ ſe fundat primario, quatenus à jure gentium abit, adverſus principem, qui legibus ſolutus eſt & pœnis humanis, allegare velle, valde incivile foret. De magiſtratibus adhuc aliam rationem addidit Autor* n. 9. ſeq. *An ergo privatorum qui ne quidem magiſtratus ſunt meliorem putas eſſe conditionem? etſi ratio iſta Autori adducta ad hos non quadret. Qui diſſentiunt, vel caſus diverſos intuitu præſcribentium, quos toto hoc capite diſtincte recenſet Autor, confundunt, vel jura diverſiſſima, Gentium, Romanum, Canonicum, Germanicum &c. miſcent, vel certe ad rationes noſtras non reſpondent. Jucundum fuit, legere deductionem nonneminis, magna cura & diligentia probare intendentis, ſententiam communem juris gentium eſſe, videlicet in Hiſpania, Italia, Gallia, Germania aliisque Europæ partibus receptam. Sed cave ne putes eum reſpicere ad mores horum populorum, reſpicit ad opiniones JCtorum ex illis populis, quorum loca prolixiſſime & tædioſiſſime ab eo adducuntur. Interim cave, ne putes, nos velle turbare jura ſtatuum provincialium Germaniæ & ex hac doctrina noſtra tot ſententias judiciales rejicere, quæ in controverſiis cum principe*

Digitized by Google

SECTIO IV.

De Eccleſia.

CAP. I.

DE UNIVERSITATIBUS DEI.

Jus aliquod ſacrorum pertinere etiam ad imperantes. n. 1-8. Quid quantumve, id controverſum. n. 9. Genus humanum in duas univerſitates diſtributum, inviſibilem & publicam. n. 10. Priorem eſſe univerſitatem prædeſtinatorum. n. 11. 12. 13. Alteram, vel civitatem vel eccleſiam. n. 14. Finis utriusque. n. 15. 16. Quale genus hominum civitates condiderit. n. 17. 18. 19. Quale genus in eccleſias confluxerit. Neutram univerſitatem eſſe generalem totius mundi, neque talem exiſtere poſſe. n. 20-23. Eccleſiam per intervalla temporum fuiſſe corruptam & reformatam. n. 24-28. A Chriſto univerſalem eſſe factam, non tamen uno viſibili corpore. Fundamentalis conſtitutio & regimen eccleſiarum particularium. n. 31-34. Ut plurimum accedere aliquam mixturam ex imperio civitatis. n. 35. Eccleſia eſt in Rep. n. 36. At in ſolo populo Hebræo reſpublica fuit in Eccleſia. n. 37-42.

INter jura majeſtatis majora politici omnes & juris publici ſcriptores referunt *jus rerum ſacrarum*. Adeo, ut & ſummam faciant diviſionem illorum jurium, in *civilia & eccleſiaſtica*.

2. Quod etiam Juſtinianus Imp. vel potius *Ulpianus* velle videtur, quando jus publicum conſiſtere ait, in *ſacerdotibus & magiſtratibus*, hoc eſt, officiis illorum; quippe cum plura dari jura ſingularia neſcire non potuerit jurisconſultus in *l. 1. ſ. de juſt.*

3. De jure ſacrorum adhuc agere diſtulimus, quia rectius poſt cuncta civilis imperii jura, quicquid ejus eſt, ſecuturum videbatur.

4. Eſſe aliquod jus ſacrorum penes eum, qui ſummum tenet imperium civitatis, fere inter ſcriptores convenit & probatur à Grotio in *cap. 1. de jure ſeu pot. circa ſacra n. 7.* cujus auctoritate nos alioqui in hac diſputatione non utemur, ut dicenda *k*) ſatis indicabunt.

5. Dictat

ſuper jure venandi in favorem eorum totius lata ſunt. Noſtra ſententia reſpicit unam rempublicam eamque regularem. Multa irregularia ſunt in Rep. Germanica, cur non & hoc feramus. Multa recte judicarunt Pragmatici, etſi ex rationibus erroneis &c. Adde rurſus Dn. Hert. d. l.

k) dicenda) infra ſect. 5. cap. 3. n. 18. ſeq. & c. 5. n. 30. ſeq.

5. Dictat id Ratio, quæ in omnium oculos incurrat, eo quod absque aliquo jure circa ſacra, reipublicæ imperium & quies gentium nullo modo teneri poſſet; ſicut hiſtoria omnium gentium, *Pontificumque Romanorum*, & hujus ſeculi *proteſtantium* abunde probaverunt.

6. Sunt enim multi eccleſiæ antiſtites, qui *niſi pareant, terrebunt: multitudine melius parente vatibus, quam ducibus.* Et ὁ περὶ τὰ θεῖα ξενίζοντες πολλὰς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν. Qui *in ſacris novant, etiam fere leges & inſtituta civitatis mutant.*

7. Quæ ratio multos in omni antiquitate principes movit, ut non modo imperium in ſacrorum miniſtros; ſed etiam in functiones ſacerdotum occuparent; quod per ſe non videtur eſſe majus nefas, quam fuit ſacerdotibus judæorum, quod imperium reipubl. poſt captivitatem Babylonicam exercuerunt, & quod epiſcopi hodieque frequenter etiam principes ſuorum populorum ſunt. *l*)

8. Tametſi verius eſt, eam eſſe paſtoralis eccleſiæ muneris gravitatem, ut civilium officiorum moleſtiam nullo modo admittat, præſertim ſummæ poteſtatis, quæ nullum magis diſtrahit animos curis, idque Paulus *2. ad Timoth. 2. v. 4.* & antiqui Canones Apoſtolici diſerte prohibent. *m*)

9. Eſſe tamen oportet aliquod jus imperii in ſacris, neque de eo dubitatur. Sed quænam illius juris capita, quinam ſint limites, intricatiſſima diſputatio eſt, *n*) ad

P quam

l) ſunt) *Nota communis doctrina de duplici vitio politico, intuitu juris circa ſacra, Papocæſarias & Cæſaropapias, quamvis illa ſit parum perſpicua, & qui ea utuntur fere ſupponant duplicem poteſtatem independentem in Republica, unam circa eccleſiaſtica, alteram circa politica. Si obſervatio Autoris vera eſt, inde fluet, quod illa communis ſententia non habeat fundamentum in doctrina ſanioris politicæ. Sed mallem, ut non miſcuiſſet Autor hoc loco ſacerdotes & epiſcopos. Scio, pontificios terminum ſacerdotii ad doctrinam eccleſiæ applicaſſe, & eum in uſum etiam miſſam vocaſſe ſacrificium; ſed ſcio etiam, id pertinere ad arcana papiſmi, ut videlicet jura & privilegia ſacerdotum poſſint applicare ad doctores & miniſtros eccleſiæ. Magna differentia eſt inter ſacerdotem, qui eſt miniſter cultus externi viſibilis, & doctorem, qui ſpiritualem, internum & inviſibilem cultum cordis doctrina ſua excitare debet intendere. Unde prius exemplum de ſacerdotibus judæorum non eſt meri facti, uti exemplum Epiſcoporum.*

m) prohibent) *Quid opus eſt provocare ad Canones Apoſtolicos, inventum cleri jam papizantis? Quid opus de moleſtia & onere ſummæ poteſtatis dicere hominibus, quibus gratiſſimum tale eſt onus. Dicamus quod res eſt. Prohibuit Chriſtus. VOS NON SIC. Non volunt illa verba, officium regentium rempubl. non poſſe conſiſtere cum Chriſtianiſmo. Pertineret hæc explicatio ad ſomnia Anabaptiſtica. Nec etiam myſterium continent ex ſolo lumine rationis petendum. Res plana eſt & pene ſenſibilis. Non ſunt officia, quæ combinari poſſunt in una perſona, officium doctoris & regis, quia actiones horum officiorum ſunt plane oppoſita. Dixi alibi* in cautelis circa præcognita jurisprudentiæ cap. 4. ab init. & in fundamentis juris naturæ & gentium cap. 4. potiſſimum n. 78. ſeq.

n) diſputatio eſt) *Intricatiſſimam fecit vafrities cleri papalis, & ex arcanis politicis hujus ordinis illata in doctrinam politicam multa falſa aſſertiones, per aliquot ſecula, animis laicorum tanquam articuli fidei impreſſa, quas ſi non penitus evellamus, [nondum vero id ſatis eſt factum, nec ab ipſo Autore noſtro, etſi ſubinde quidem amputati ſint ſurculi]*

Digitized by Google

quam explicandam, paulo res altius inde ab initio repetenda videtur.

10. E ſacris literis conſtat, omnis in mundo poteſtatis auctorem conditoremque eſſe Deum; qui totum genus humanum inde ab initio habuit diviſum *in duas univerſitatum* ſpecies, quarum altera *inviſibilis* & *occulta*, viſibilis atque publica ex altera.

11. Prior eſt univerſa multitudo eorum, *qui deſtinati & electi ſunt ad glorioſam vitam futuri ſeculi*, iidemque in hac vita fere *o*) humiles nulloque præditi ſplendore degunt, non multi potentes, non multi divites, nobiles, ſapientes toti ad amorem Dei bonaque ventura intenti.

12. Hos Deus in illa parvitate vult continere, quo in tempore majus ſit τὸ ἀπροσδόκητον gloriæ ipſius, cum ineffabiles divitias bonitatis ſuæ in illos tenues effundet, & divites inanes deſtituet.

13. Hi communione ejusdem ſpei gratiæque conjunguntur, & pariter in unum corpus, ſub capite ſuo, CHRISTO DEI, coaleſcunt,

ſemper manebit intricatiſſima hæc diſputatio. Res iterum plana eſt. Miniſtrorum eſt docere principem, non cogere, ſed obedire. Principis doceri à miniſtris, non eos docere, ſed inobedientes cogere. Sed quid ſi princeps jubeat, quæ Deus prohibuit? Bene, cur vero non additur; Quid ſi doctor doceat, quæ rationi & ſcripturæ repugnant? Priori caſu res plana eſt & à nemine contradicitur. Deo magis obediendum, quam hominibus. Rectiſſime. Sed cur non additur: Similiter principem, non credere oportere quæ repugnant rectæ rationi, etſi à docentibus torqueatur ſcriptura in ſenſum rectæ rationi adverſum. Nunquam enim ſibi repugnant ſcriptura & recta ratio. Annon hoc axioma inculcamus contra doctrinam pontificiam? Annon clerus papalis ſcripturam torſit in ſenſum rectæ rationi adverſum? Annon convincimus impartiales de hac tortura per rectam rationem? Cur vero idem principium nolumus valere etiam adverſus doctores noſtros? Sane ſi princeps jubeat quid divinis præceptis adverſum, non miniſtrorum hoc proprium eſt, ut non pareant, ſed id commune ipſis eſt cum omnibus ſubditis. Ergo & regi id debet commune eſſe cum omnibus aliis auditoribus in eccleſia, quod non credere teneantur ea, quæ repugnant rationi. Nec poteſt quid aliud hic afferri, quam quod non præſumendum ſit, miniſtros eccleſiæ irrationabilia docturos &c. Hic ſane quærerem. Cur tamen præſumatur, principes evangelicos quædam præcepturos eſſe, quæ repugnent præceptis divinis? Et annon miniſtri eccleſiæ æque ſint homines, i. e. cupiditatibus humanis ſuccumbentes ac principes & aliorum ſtatuum homines? Ergo, cum hic ſit potiſſimus character papiſmi, laicos adigere ad cæcam credulitatem, & clerum eximendi ab obedientia principum ſub prætextibus & limitationibus irrationabilibus, quæ dicuntur intricata & intricatiſſima, (i. e. quæ à ſolo clero intelliguntur, etſi laicorum captus ad ea percipienda ſit idoneus,) opus eſt, ut laici in Academiis inſtruantur probe de hoc charactere, ut ubi inveniunt doctores, qui inculcant, rationem eſſe homini Chriſtiano ſupprimendam & abnegandam, ibi firmiter ſibi perſuadeant adeſſe papiſmum. Neque ſe decipi patientur fuco externæ pietatis aut falſis miraculis. Nam eodem modo deceperunt incautos in papatu, & adhuc decipiunt Monachi & quandoque Jeſuitæ. Adde, quod, quamdiu hoc arcanum de abjuranda ratione non eliminatur, fruſtra laboretur in tollendo funeſto, & religioni evangelicæ infauſto ſchiſmate inter proteſtantes utriusque religionis, utpote quod potiſſimum hoc falſo axiomate, de non utenda ratione in ſacris tanquam oleo nutritum fuit.

o) fere) *Hanc particulam probe nota, ne putes, potentes divites, nobiles & ſapientes plane ineptos eſſe ad felicitatem æternam. Hoc enim fanaticum foret & Anabaptiſticum.*

Digitized by Google

leſcunt, nullo tamen loco palam congregantur. Atque hoc ſenſu de eccleſia, *Johannes Hus* olim rectisſime dixit, eam nihil eſſe aliud, quam *univerſitatem prædeſtinatorum*, quam definitionem *Lutherus* in comitiis Vormatienſibus ſuam fecit atque defendit, ut narrat *Sleidanus*. *Chriſtus* autem is eſt, ad quem *omnia viſibilia* ſe referunt, ideoque & in ejus gratiam univerſitatis altera ſpecies, quam publicam diximus, & ſecundum ipſum, in gratiam electorum ejus, eſt comparata.

14. Univerſitates iſtæ publicæ duorum generum ſunt; *Civitates & eccleſiæ*; Priores ob uſus & commoda hujus vitæ; Poſteriores ob cultum Dei in communitate exercendum inſtituuntur.

15. Utraque electis erat neceſſaria; nam extra civitates, *ubi nihil quam bellum eſt*, non poterant tranquille ſecureque vivere, Deoque vacare; & absque ordine eccleſiæ non poterat verbum Dei prædicari, nec communio myſteriorum exerceri, neque mutuis hortamentis ſolatiisque fidei conſortes excitari.

16. Reliqua, præter electos, multitudo vel civili modeſtia in æquitatem compoſita, vel inſolentes, ambitioſi, rapaces, viriumque fiducia feroces fuere, venatores fortes, magni nominis Heroes. *c. 6. Gen. v. 4. cap. 10. v. 9.*

17. Cumque pravorum ſemper copia ſit major, inprimis ubi licentia animantur, non eſt dubium, quin horum promptisſimi civitatum imperia, jam ante diluvium, ſibi arrogaverint.

18. Nam quod alii omnibus iſtis ſeculis, homines *patrumfamil. auctoritate* putant fuiſſe contentos, ſine regnis, non habet ſpeciem veri, ſi quis violentiam, ambitionem, celebritatem, quæ gigantibus illis antiquisſimis adſcribitur, cum natura hominum uſuque temporum ſequentium comparet; quibus ſemper ita moris, ſi non juris fuit, *ut potentior imbecilliorem ad imperata facienda cogeret*.

19. Horum ferocia Deus eſt uſus, ad compellendos homines in ordinatas ſocietates concedere, quas illi potentes, ſi fructu ambitionis ſuæ gaudere vellent, inſtituere debuerunt *p*) ut videlicet electi ſub earum umbra latere atque hoc mortale ævum transfigere poſſent; tametſi & in univerſum divina ſapientia dignum erat, ut *ne ferarum more ſparſi infeſtique homines viverent*, ipſorumque natura illuc etiam inclinaret, quemadmodum antea dictum eſt.

20. Univerſalis civitas, vel eccleſiaſtica congregatio totius mundi nec fuit unquam, neque coaleſcere, ſaltem, *ut res ſunt hominum*, durare non poſſet; at in ſingulis civitatibus, ubi electi Dei reperiebantur, conventus celebrati & eccleſiæ conſtitutæ ſunt, in quibus nomen Dei invocaretur, cujus rei primus Auctor Sethus laudatur. *c. 4. Gen. in fin.*

21. Neceſſe quidem non fuit, ut tales congresſus ſecundum civitates, ſua gratia, diſtinguerentur; ſed tamen, ut diverſis gigantum imperiis ſubjecti homines in magnos cœtus convenirent, neque ferri ab imperantibus neque tuto vel commode fieri poterat.

22. Igitur hi conventus fuere particulares, *Catholica*, id eſt, *univerſalis eccleſia tantum terra non potuit eſſe*, *niſi inviſibilis illa*, quæ non externo adſpectu hominibus, ſed communione ſecreta Deo, corporis inſtar unius, cognita fuit ac eſt etiamnum.

 23. Ad

Dives Abraham & Jobus; Nobilis Joſephus & Daniel, ſapiens Moſes & Salomon. Imo & in hoc iterum latet arcanum papiſmi, ſub humilitate falſa & ſorditie Monachali decipientis Laicos.

p) debuerunt) *Ergo & Autor concedit, primam originem civitatis non eſſe voluntariam, ſed violentam, de quo, ni fallor, jam ſupra diximus.*

23. Ad externam eccleſiam confluxerunt omnes, qui promiſſionibus vitæ melioris auſcultantes *ſtudium religionis induerunt*; quanquam animi voluntas ſanctiſſimo inſtituto uſquequaque non reſponderet.

24. Hinc factum, ut tali colluvie eccleſia ſupra modum repleta, Deus per intervalla, malis eradicatis, bonos ſecreverit, ad exiguum ſæpe numerum redactos, ut factum ætate prima, immiſſo diluvio, *redacta que intra Noachi familiam eccleſia.*

25. Qua deinceps aucta cum genere humano, iterumque tota corrupta, cœtus eccleſiæ familiis Patriarcharum *q*) concluſus fuit, quibus in gentem *Hebræorum* propagatis, ſtetit intra eam *eccleſia*, donec impietate ſua obruta per *Aſiam* diſſipata eſt.

26. Reſtituta denuo è captivitate *Chaldaica* lapſu temporum tam mirifice deformata eſt in moribus & doctrina, ut *ſervatorem ſuum in tempore venientem non agnoverit.*

27. Quo deinde per omnes gentes manifeſtato & prædicato Evangelio, eccleſia diffuſa rurſus eosdem manes, invaleſcente paſſim impietate, paſſa eſt.

28. Quo factum, ut ſenſim in *Aſia & Oriente* ſacris cœtibus extinctis, denique in Europam tanta corruptio invaſerit, ut tandem *in ultimum occidentem & ſeptentrionem eccleſia tenax veritatis contracta fuerit.*

29. Eſſe porro vinculum commune cœleſtis gratiæ, quo fideles totius terræ junguntur, idque ſola mente percipi, jam dictum eſt; cujus multitudinis regimen *Chriſtus* ſibi ſervat, nec ejus hac parte *vicarius univerſalis* in mundo eſt, aut ullo modo, ut videtur, eſſe poteſt.

30. Corpus etiam viſibile totius mundi fidelium uno regimine externo junctum à Chriſto Apoſtolisve non eſt conſtitutum, nec, *ut antea dictum*, in tanta imperiorum diverſitate commode haberi poteſt.

31. Vult tamen Deus, ut fideles in corpora cœtusque coeant, ea, qua diximus, gratia: eumque in finem excitat homines idoneos, quos aut ipſe mittit, *inſtinctu inſolito*, vel à cœtu fidelium eligi *aliterve* conſtitui curat, ut voluntatem ſuam in ejusmodi conventibus prædicent, verbumque revelatum interpretentur.

32. Vult etiam Deus, ut ab his corporibus ſegregentur, qui male de rebus ſacris ſentiunt, aut vita profeſſioni non reſpondent, quibus ideo reliqui & maxime præcones declarant, eos non poſſe participes eſſe ſignorum gratiæ & unionis ſacræ. *r*)

33. Hæc in cœtibus illis inſtitui poſſunt, etiam inſciis & invitis Rectoribus cujusque civitatis *s*) ex canone Apoſtolorum, *quod Deo magis ſit obediendum quam hominibus.*

34. Sed

q) Patriarcharum) *Hoc non tamen excluſive intelligerem, acſi præter poſteritatem Sethi, Semi, & Abrahami non fuerit vera eccleſia, ac quaſi, ut hodie, vera eccleſia à falſa certis formulis vocabulorum fuerit diſtincta. Contrarium enim patet ex infinitis veteris & novi fœderis locis, & exemplo Jobi, Naamani Syri &c. imo poſtea totius populi Judaici, qui nulla formula diſtinguebatur à gentibus ſed fiducia in unum Deum & ſanctitate inſtitutorum.*

r) ſacræ) *Quæ hic monenda ſunt, commodiorem locum invenient infra ad ſectionem quintam, paſſim.*

s) civitatis) *Fateor me non intelligere, quomodo hæc cohæreant, cum iis quæ Autor mox habet, de neceſſaria ad inſtituta eccleſiaſtica autoritate civitatis, niſi forte Autor aſſertionem hujus paragraphi reſtringere velit ad Apoſtolos & Prophetas à Deo inſtinctu inſolito (ut loquitur §. 31.) miſſos. Sed tamen opus erat, ut de hac reſtrictione moneret,*

Digitized by Google

34. Sed quoniam adminiſtratio illa variis modis haberi poteſt, fere ita accidit, ut quæque eccleſia peculiaribus inſtitutis ſuo commodo & arbitratu utatur, in quibus auctoritate civitatis, in qua degit, carere non poteſt.

35. Rectores quoque civitatis ſæpe ſe eccleſiæ aggregant; unde fit, ut aliquando dubitetur, quomodo *civitas & eccleſia* erga ſe invicem habeant & nunquid alteri in alteram alteriusve res juris & inſpectionis ſit comparatum; qua de re non parvus eſt conflictus utriusque ſortis hominum politicorum & eccleſiaſticorum. t)

36. Cæterum, ex prædictis & ex ſcriptis evangelicis manifeſtum eſt, eccleſiam viſibilem, corpusque, id eſt, multitudinem Deo ſervientium, imperio civitatis eſſe ſubjectam, neque per ſe conſtituere *ſtatum*, ut hæc hodie vox ſumitur. u)

37. Tametſi quo minus æque late pateat quam civitas & reſpublica, vel regnum, per ſe quidem nihil obſtat, ſicut olim uſu venit in populo Hebræorum, poſtquam is in terra *Chanaan* à Deo collocatus & ſtabilitus erat.

38. Qui etiam, populo in duas civitates & regna divulſo, potuit & debuit una manere eccleſia, religione ſic conſtituta, ut nonniſi apud Hieroſolyma celebrari poſſet; eaque unitas, etiam diffuſa per omnis orbis partes gente, duravit, quamdiu vinculum unitatis, templum, ſtabat.

39. Sed tali præſcripto certi loci, permiſſionem Chriſti ceſſante, vix eſt, ut una in diverſis ſtatibus eſſe queat eccleſia.

40. Ne quidem in diverſis urbibus ejusdem reipublicæ; accidentali tamen non eſſentiali, ut ita loquar, impedimento, quia certe in diverſis pagis, unam ſæpe videmus eccleſiam.

41. Conjunctio plurium eccleſiarum ſub uno homine vel collegio Rectore, ſive in eodem ſive in diverſis ſtatibus, quam ſit difficilis, Hebraicæ exemplum, ubi ordinatione divina erat neceſſaria, demonſtrat. w)

P 3 42. Sub

tum & hoc arcanum papiſticum cavendum ſit, ne in quæſtionibus de jure circa ſacra jura Prophetarum & Apoſtolorum miſceamus cum juribus miniſtrorum eccleſiæ ordinariorum.

t) Politicorum) *Neque putes de hac controverſia, ſcitu maxime neceſſaria ita plane filum abrumpere Autorem, eamque nolle definire. Quin potius peculiari ſectione 5. tota de ea mentem ſuam prolixè aperit. Ergò quæ hic usque ſequuntur ſunt digreſſiones non injucundæ.*

u) ſumitur) *Nec hæc aſſertio ita breviter abrumpenda erat. Nam & in hac hypotheſi conſiſtit arcanum politicum cleri papalis, quod eccleſia ſit ſtatus, unde ſtatum in ſtatu formant. Nec purgata fuit ſatis proteſtantium eccleſia ab hoc fermento politico, dum in Academiis equidem ſatis abunde diſputatum fuit, eccleſiam non eſſe ſtatum monarchicum: interim dum quæſitum fuit an ſit ſtatus ariſtocraticus an democraticus, & plerumque pro ariſtocratico etiam à noſtris fuit pugnatum, non plus promovimus in hoc capite, quam ex pontificiis Doctores quidam, ut Marcus Antonius de Dominis. Unde non ſine ſingulari Dei providentia factum, quod primus, quod ſciam, hoc fulcrum papatus aggredi, atque ejus fundamenta deſtruere aggreſſus ſit Pufendorffius, in neceſſario ſtudioſis juris, & potiſſimum ob hanc cauſam commendando tractatu de habitu religionis ad Rempubl.*

w) demonſtrat) *Difficultatem illam ab ordinationis divinæ neceſſitate nollem deducere, ne forte cuipiam dubium oriatur, quomodo ordinatio illa divina ſit liberanda ab objectioni-*

42. Sub evangelico cum non præcipiatur à Deo talis plurium cætuum in locis diverſis conjunctio, ea pendet à conventione, quam, ut arbitrariam, videri ſubjectam legibus & imperio cujusque vel plurium rerumpubl. è ſequentibus patebit.

CAP. II.

DE TESTAMENTO DEI, QUO JUS ECCLESIÆ FUNDATUM EST.

Tranſitus. Quid teſtamentum, qua voce deſignetur in ſacris. Διαθήκη ſignificare diſpoſitionem tam inter vivos, quam ultimam voluntatem. Teſtamentum ſine mortis reſpectu nullum intelligi. Diſpoſitionem patris Dei, qua Filio dedit electos in hereditatem non eſſe teſtamentum. Removentur objectiones. Refelluntur alia teſtamentorum Dei ſpecimina. Deum Abrahamo non feciſſe teſtamentum. Nec in deſerto Sinaitico teſtamentum eſſe factum, remotis objectionibus. Non eſſe, niſi unicum in verbo Dei teſtamentum, Chriſti morituri. Teſtamentum vetus & novum ſpecie non differre: Sed vetus eſſe clauſum & myſticum: Novum eſſe idem apertum & clarum. E teſtamento Chriſti hereditatem credentibus, ſine ulla conditione & absque fœdere, deferri.

1. NE de jure ſummarum poteſtatum circa eccleſiam, illotis, quod ajunt, manibus, in opere juridico verſari videamur, *de fundamento deque ſtatu eccleſiæ*, ſecundum *fœdus & teſtamentum Dei*, quod in ſacris literis traditum eſt, aliquando latius, quam alioqui fert hujus inſtituti modus, agendum videtur. *x*)

2. Aucto-

bus Spinoſæ & ſimilium. Nam notum eſt, Spinoſam id agere in tractatu theologico-politico, ut impugnet ſapientiam divinam intuitu formatæ reipublicæ Hebrææ per Moſen & Prophetas. Qua de re agemus latius in lectionibus de prudentia legislatoria. Potius abſurdum illud politicum, quod Papa committit, non in eo conſiſtit, quod plures eccleſiæ non poſſunt eſſe ſub uno rectore in uno ſtatu, ſed quod formet ſtatum in ſtatu, & quod velit caput eſſe super eccleſias diverſorum ſtatuum, i. e. quæ jam ſingulæ caput aliud habent. At vero fallitur Autor, dum eccleſiæ Hebraicæ exemplum in hoc numero eo refert ubi plures eccleſiæ, etiam in diverſis ſtatibus habent unum rectorem, ſi enim ſunt diverſi ſtatus, etiam neceſſario ſunt diverſi Rectores. Diverſi ſtatus poſſunt habere unam eccleſiam & unum cultum, (quorſum pertinent dicta n. 38.) non poſſunt habere unum rectorem.

x) videtur.) *Ut eo melius intelligatur ratio, cur Autor prolixam digreſſionem, quæ hic incipit, & durat usque ad cap. ultimum (excluſive) hujus ſectionis, inſeruerit tractatui de jure civitatis, quæ antea in prioribus editionibus non extabat, hiſtoriam controverſiæ, quam in hac digreſſione tractat, in gratiam ſtudioſæ juventutis præmittemus. Ediderat Autor noſter anno 1688. tractatum cujus is eſt titulus.* Ulrici Huberi de fœde-

2. Auctoritatem, præter eam quæ eſt ſcripturæ ſacræ, *nullam ſequemur, & ſumma diſtendorum* hæc erit; Unum *modo eſſe teſtamentum, unumque fœdus*, quo jus eccleſiæ veræ & inviſibilis fundetur: Etiam vero viſibilis & externæ, quæ non poteſt habere jus verum ab . inviſibili diſtinctum apud Deum: plura teſtamenra, diverſa fœdera Dei

ribus, teſtamentis, liberationibus, ſatisfactionibus, acceptilatione, jure crediti divini, æquitate, diſpenſatione & redemtione diſſertationes theologicæ ſeptem, quibus earum rerum juridica popularis ſignificatio, quæ fuit olim, quatenus ſacri ſcriptores de illis rebus egerunt, explicatur, cum variis utilium rerum obſervationibus. Accedit de prætorio, quod Paulus commemorat 1. Philip. 13. liber ſingularis. *Occaſionem ejusdem & ſummam dederunt collectores actorum eruditorum Lipſienſes* ad annum 1688. p. 472. *deſumptam ex* præfatione Autoris, *item* exercitationis 1. §. ult. p. 14. & exercitationis 4. §. ult. p. 63. ſeq. *unde eandem hic repetemus. Cauſam elaborandi illius libri hanc ſibi fuiſſe Autor prædicat. Factum aliquando eſſe, ut de fœderum & teſtamentorum proprietatibus, quemadmodum in ſacra ſcriptura tradantur, eademque in jure ſint cognita, fortuiti ſermones inter ſe & amicos quosdam inciderint, & familiariter ventilati fuerint: poſtmodum vero, cum diſputationes de ratione teſtimonioque Spiritus ſancti à ratiocinatione diſtincto ipſum cum duobus Academiæ patriæ Theologis commiſiſſent (qua de controverſia dicemus* infra ſuo loco ad ſectionem ſextam hujus libri) *conſiderationes ab ipſo ea occaſione habitas, ab iſtis una in ſcenam productas & exagitatas &c.* [*Huberus in præfatione citata theſes adverſariorum ſequentes excerpit:* Ad JCtorum dictata & definitiones res fidei componere & conceptus theologicos formare periculoſum & temerarium eſt. Id agunt, qui vi teſtamenti æterni heredem negant filium Dei, quoniam is ſit ab inteſtato, ac porro crude confundunt omnem de teſtamentis ac fœderibus materiam. Cum maxima juris civilis perfectio ſit, ſi cum dictamine rationis conveniat, ſequitur, ad juris dictamen ſcripturæ ſenſum exigentem, rationem, quin dictamina ex ratione, non ſemper æque ſolide derivata, normam facere interpretandæ ſacræ ſcripturæ, quæ eſt ipſiſſima ſententia theologi paradoxi. Satisfactio Chriſti, emtio abſque pretio, idem bonum adire ut hereditatem, & poſtulare vi pacti, multaque alia tandem forent rejicienda, & in Socinianorum caſtra transeundum. *Neque ceſſavit, addit Huberus* ibidem, *ipſe præſes ab eo tempore mea dicta brevi auditu tantum percepta in diſputationibus ſuis ſtenographicis notare, atque vexare, ſuo arbitratu, fere in eundem modum, quo ſuperius collocatum eſt*] *at nihilominus ſe tum quidem hancce litem dilatam maluiſſe, donec diſputatione, qua tunc præ manibus erat, defunctus eſſet, fatetur quidem, ſe adhuc dubium hæſiſſe, an hoc tempore (quo librum edebat) faciendum eſſet, ut propoſiti illius memor eas materias, de quibus iſti tantum agendi pruritum oſtenderant, in ordinem collocandas ad manus iterum ſumeret, quaſi priore illa lite jam finita; præſertim, cum adverſarii repetitis promiſſionibus publice ad ejus librum reſponſioni ſemet obſtrinxiſſent, ac præterea plures viri doctiſſimi, (quos inter nominat Gisbertum Cocquium, & Jacobum Oldenburgium) in medium adverſus illorum patrocinium prodiiſſent. Ait tamen hæſitationem hanc tandem ſuſtuliſſe Bibliotheca univerſalis Autores, qui non aliter ſcribant, ac ſi jus adverſarii cauſam illis ſuam delegaſſent. Significare enim illos reipublica literaria quaſi ex mandato, Theologos Franequeranos, amicorum conſiliis obſecutos nihil amplius de cauſa rationaliſtica luci dare conſtituiſſe, id interim agentes, ut in novellis iſtis*

Dei cum hominibus qui tradunt, eos ſuo arbitratu, non ex uſu ſacræ ſcriptura loqui, ordine juſto demonſtrare conabimur.

3. Primo, quodnam ſit unum illud *teſtamentum*, quo jus eccleſiæ nititur, ejusque hiſtoriam & eventum quæremus. Dein alia quæ vulgo jactantur, non eſſe *teſtamenta* probabitur.

4.Prius

commentarii adverſus novam editi ſententiam quam tenuiſſime exhibeantur, ne quis opus eſſe reſponſo præſumere poſſet. Ipſas jam hac diſſertationes quod concernit, agitur in quatuor prioribus de fœderibus & teſtamentis: ubi Autor ingenioſe deducit, quibus in materiis theologicis rectius fœderis, quibus teſtamenti ſignificatio conveniat, cum alias vox διαθήκης, in ſacris multoties obvia, utramque interpretationem admittat. Præſupponit autem, terminos iſtos in ſacris non aliter uſurpari, quam fieri ſolebat in uſu populari & juridico, iis potiſſimum temporibus, quibus novi teſtamenti ſcriptores vixerunt, quamvis vix aliter hodieque ſe habeant. Porro materias has ex planiſſimis juris fundamentis declarat, ne cui hac in parte dubius maneat ſenſus, atque ſic eas confert cum negotio ſalutis humani generis, in verbo Dei patefacta: Sperans fore, ut ex earum applicatione conceptus de rebus maximis paulo diſtinctius regi poſſint, quam quidem multis hactenus in mentem venerit. In fundamentis juris ab Autore præſtructis, cum notiſſima ſint & obvia nos non detinebimus, tenor tamen opinionis ab eo defenſa in hoc imprimis conſiſtit; negotium ſalutis humana conſtare pacto Patris & Filii Mediatoris, teſtamentoque Filii æterno ſecundum illud pactum: præter hoc vero aliud teſtamentum inveniri nullum, ſed unum illud, alias clauſum, alias apertum proponi. Huic teſtamento unico ſervire duplex fœdus, unum ad anticipandum (quemadmodum v. g. in rebus humanis teſtator quibusdam heredibus poſſit per promiſſiones acceptatas & per fœdus bona in anteceſſum dare, & ante ſuam mortem clauſo adhuc teſtamento) quod quidem φερωνύμως fœdus ſit, alterum ad exequendum teſtamenti unius ejusdemq; effectum, quod tamen exercitum magis intelligatur, quam conditum reperiatur. Vel, ut paulo plenius ipſius Autoris verbis, rem proponamus, ſumma hæc eſt. Pacto *Dei patris & filii liberationem generis humani eſſe conſtitutam. Chriſtum, juxta illud pactum electos feciſſe heredes ignaros, in ſanguine æterni* teſtamenti, *quod cum jus nullum, niſi poſt veram ſanguinis effuſionem tribuerit, teſtatorem Deum antiquis promiſiſſe, ſe bona hereditaria vi ſanguinis ſui effundendi ipſis antea eſſe daturum, & quia nondum hereditatem adire, ſeque pro heredibus gerere potuerint, hoc officium per repromiſſiones, atque ita per* fœdus *ab illis exegiſſe, per leges eos adſtrinxiſſe, circumciſione & terra Canaanis pignore, ceremoniiſque res promiſſas adumbraſſe, atq; ut oblationes gratiæ fuerint generales, ita ſigillis, pignoribus ac umbris, omnibus Deum profitentibus, eorumq; liberis uti permiſiſſe: aliud* teſtamentum *præter æternum illud Deum feciſſe nullum, (quod enim vetus & novum vocetur, indigitare modo qualitates unius, non ſpecies diverſas teſtamenti, ſic ut teſtamentum* vetus *ſit clauſum, myſticum, invalidum, ſacrificiis ceremoniisq; adumbratum, ſanctionibus inculcatum & promiſſionibus obſcuris confirmatum:* novum *vero ſit idem apertum, ſimplex, validum, clarum rituum legumque vinculis ſolutum, jure factuq; credentibus oblatum:) nec* fœdus *aliud, quam quod teſtamenti vim præoccuparet. Defuncto teſtatore ceſſiſſe diem ſucceſſionis, id omnibus populis eſſe denuntiatum, hereditatem promiſcue oblatam à credentibus vi gratioſi teſtamenti per fidem, ſine ulla pactione aut exactione prævia eſſe adquiſitam, ſtipulationes, à legatis Dei interpoſitas, efficere fœdus* externum, *ante & circa quod hereditarium jus perfecte quæſitum ſit; ut tamen aſſurgent ad teſtatorem redivivum mius*

Digitized by Google

4. Prius ut ordine fiat, quid ſit *teſtamentum* & qua voce deſignetur in ſacris, explicandum eſt. Enimvero quid per teſtamentum uſu generis humani intelligatur, ex iis eſt, de quibus minime dubitatur. Eſt nihil aliud quam *declaratio de eo quod aliquis poſt mortem ſuam fieri velit.* Nam ſine mentione mortis nullum eſſe teſtamenti uſum, nec

Q ſine

fidelis ei ſe quoque obſtringat, & hereditatem acceptet cum præceptis teſtamenti, ut heredem decet obſervandis, delata poſſeſſione & uſufructu in futurum, cujus ſpei exercitium ſit quaſi commercium rogandi, reſpondendi, ſtipulandi repromittendi, & ſic fœderis inſtar ſe habere cum Deo & Chriſto, quod ſcilicet verum jus hereditarium conſequatur &c. Hactenus collectores Lipſienſes de IV. prioribus diſſertationibus dicti tractatus. Eandem doctrinam, quam ibi defenderat Autor, hic repetit in præſente capite 2. & duobus ſequentibus hujus ſectionis, niſi quod hic alio ordine & brevius proponantur ea de re dicenda. Cur id fecerit Autor, rationem reddere nequeo, cum ignorem, contra iſtas ipſius diſſertationes ab adverſariis aliud ſcriptum eſſe editum. Forte tamen in lectionibus eorum viva voce quid contra dictum, ut opus crediderit eſſe Autor, in ſecundis his curis mentem ſuam exponere clarius. Nos ab explicatione hujus doctrinæ abſtinebimus, cum magis pertineat ad cathedram Theologicam, & jus circa ſacra ſine ea commode, & forte commodius poſſit intelligi. Id quidem JCtis incumbit, oſtendere ſignificationem verum & genuinam ac popularem terminorum moralium & juridicorum, quorum multi occurrunt in ſyſtematibus Theologicis, ut dominii, pretii, mercedis, gratiæ, ſatisfactionis, ſatisdationis, juſtificationis, pœnæ, mediatoris, legis, teſtamenti, hereditatis, fidejusſionis, delegationis, novationis, ſolutionis, imputationis, pœnitentiæ, fidei, rerum ſanctarum, ſacrarum, & *inde dependentis* ſanctificationis, conſecrationis &c. *oſtendere, & ſicubi clerus pontificius ex arcanis politicis nativam ſignificationem horum terminorum ad augendam potentiam & infallibilitatem ſuam corruperit, non intereſt ſolum JCti eadem ſcire, ne adjuvet clerum papizantem in hæretificationibus irrationabilibus & perſecutionibus injuſtis hominum innocentum, ſed & debet de ea re docere auditores ſuos, eum in uſum, ut, cum Doctores aliarum facultatum id non faciant, nec facere teneantur, ſaltem aliqui ſint ex conſiliariis, qui tandem principibus etiam in his doctrinis oculos aperiant, & doceant, pure papiſticum eſſe, quod princeps & ejus miniſtri in ejusmodi negotiis habeantur pro* brachio *ſeculari i. e. inſtrumento irrationali cleri, tanquam capitis dirigentis, præprimis cum Auguſtana confeſſio doceat ſub magiſtratu politico tanquam capite etiam clerum eſſe inter ſubditos, id eſt inſtrumenta capitis. Interim JCtorum non eſt, docere capita Theologiæ de juſtificatione, fide, pœnitentia, ſanctif. &c. Sed hæc relinquenda Theologis. Imo ubi Theologi agunt de Deo aut ejus jure, & termini morales in ſcriptura ſacra claris verbis in negotio inter Deum & homines aliter ſupponuntur quam in philoſophia morali & jurisprudentia, ubi ſermo eſt de officio hominum inter ſe, tum JCti etiam his non facile ſe immiſcent, probe gnari, quod natura & juſtitia Dei non ſit metienda ex natura & juſtitia humana, v. g. dum contra Socinianos diſputant Theologi noſtrates de imputatione meriti Chriſti, de juſtitia Dei & jure aggratiandi in quæſtione de neceſſitate mortis Chriſti &c. Ubi fatentibus omnibus res plane ſe habet aliter in quæſtionibus de juſtitia & jure humano.* Vide dicta in fundamentis juris nat. & gent. cap. 7. th. 30. 31. 33. *Dn. Rechenb.* in diſſert. de jure aggratiandi homicidam §. 32. *Jam igitur, ut ad rem præſentem propius accedamus, id forte non nullius eſſet utilitatis, oſtendere Studioſis juris, ob quam cauſam clerus pontificius in voce* διαθήκης *magis arri-*

Digitized by Google

ſine mortis eventu ullum eſſe teſtamenti effectum tenent omnes populi, tenet Auctor *ad Hebræos cap. 9. v. 16.* Ὅπου διαθήκη, θάνατον ἀνάγκη φέρεσθαι τοῦ διαθεμένου: *Ubi teſtamentum, ibi teſtatoris mortem interveniré neceſſe eſt.*

5. Sed teſtamenti vox, utpote latina, non extat in ſacris paginis: ubique vocabulum

---

puerit ſignificationem teſtamenti, quam fœderis, nam mirum eſſet, ſi non & hic lateret arcanum aliquod politicæ papalis, præprimis ſi quis conſideret, quantum clero acceſſerit per teſtamenta ad pias cauſas, & quam ſolliciti fuerint ut jus teſtamentarium, quod diu ignoraverat Germania, in eam introduceretur. Sed iſta quidem hujus loci non eſt prolixius demonſtrare. Ipſa autem doctrina de œconomia ſalutis humanæ quomodo vel ex natura fœderis vel ex natura teſtamenti deducatur, argumentum eſt theologicum. Et neſcio an Autor quæ hic ſatis ſubtiliter, & in multis etiam ſatis veroſimiliter diſputat, omnia perſuaſurus ſit impartialibus lectoribus. Sane Autoribus bibliothecæ univerſalis, quos ſuggillat Autor in præfatione ad tractatum de fœderibus, (ut ſupra jam indicatum eſt) non defuerunt, quæ regererent & ſubinde non ſine acumine. Vide Tomum 9. Bibl. univ. p. 551. ſeq. *Forte ſimplicius & cum majori perſpicuitate res proceſſiſſet, ſi Autor fœdera & teſtamenta in doctrina de œconomia ſalutis humanæ non miſcuiſſet, ſed utrobiq; ex doctrina de ſolis fœderibus totum negotium explicaſſet. Unde hoc intuitu (nam de quæſtionibus ſpecialibus, in quibus ipſi quos hic cito Autores, inter ſe diſſentiant circa explicationem fœderis, non loquor) magis placet propoſitum aliorum, doctrina ſola de fœderibus hic utentium, ut Cocceji, Burmanni, Braunii, qui integris ſcriptis rem expedierunt, & inter noſtros Puſendorffii & Jägeri. Ut Auditores habeant quod & hic meditentur ulterius, ſubjungo locum ex Puſendorffii Jure Feciali divino apprime huc facientem. Ita vero ille* ibid. §. 47. Antequam, *ait*, ad explicandas conditiones hujus fœderis accedamus, paucis monendum eſt, cum illud paſſim toto veteri ac novo inſtrumento per vocabulum *berith*, & διαθήκην exprimatur, quod fœderis, tanquam ſolenniſſimæ conventionis ſignificationem habet; in ſolo loco *Hebr. IX. 16. 17. 18.* quantum ego memini, id vocabulum διαθήκης teſtamenti, ſeu ultimæ voluntatis ſignificationem obtinere. Nam *Galat. III, 15.* non neceſſum eſt, ut vocabulum διαθήκης per teſtamentum vertatur, cum etiam ſolenne pactum audire poſſit, quod rite perfectum mutationi non eſt obnoxium. Haut eo minus vulgata verſio, quod in veteri inſtrumento *fœdus* vocatur, in novo ſemper fere *teſtamentum* nuncupat, quam etiam Lutherus in Teutonica verſione ſecutus eſt; cum tamen ſenſus longe clarior futurus fuiſſe videatur retento fœderis vocabulo. Sane, uti ex elementis juris cuilibet conſtat, inter fœdus & teſtamentum ingens diſcrimen eſt; cum hoc ſit actus μονόπλευρος, illud δίπλευρος, ſeu ad condendum teſtamentum unius voluntas ſufficiat, ad fœdus ineundum duarum voluntatum concurſus requiratur. Fœdus quoque inter duos exiſtentes ſubſiſtit, & alterutro mortuo expirat. Teſtamentum autem non valet, niſi mortem obierit, qui id fecit. In teſtamento bonum, circa quod diſponitur, tunc demum in alterum tranſit, quando teſtatoris dominium per mortem deſiit: in fœdere autem inter utrimque vivos bona conventu communicantur. Si quis teſtamentum repudiet, & non adeat, teſtatori non videtur injuriam facere, idque impune habet. Sed à fœdere altera pars reſilire non poteſt. Atque iſthæc & forte plura alia, quæ in teſtamentum cadunt, in id vinculum, quod Deus cum hominibus iniit, applicari non poſſunt. Sic & in an-

bulum *διαθήκης* in hunc uſum adhibetur. Hæc autem vox etymologia & uſu recepto ſignificat *diſpoſitionem*, à *διατίθεμαι*, *diſpono*

6. Quod verbum & inde derivata *διαθήκη* eſt commune nomen actibus inter vivos & ultimis voluntatibus, ut probat Budæus *in illis vocibus*, etſi frequentiore ſignificatu *teſtari & teſtamentum* ſignificant.

7. Duplicem autem notationem illam in ſacris etiam exerceri, ut tam fœdus quam teſtamentum dicat, notum eſt ac obſervatum à Belgis interpretibus *ad Galat. 3. n. 58.* Unde, cum ſæpe dubium ſit, uter ſenſus cuique loco ſit proprius, forte nihil erraverit, qui ubique, *diſpono & diſpoſitio* vertat, ut vetus interpres apud Lucam c. 22. v. 29. bis reddit *τὸ διατίθεμαι diſpono & διέθετο diſpoſuit*, ibidemque Belgæ bis verordineere.

8. *Διαθήκην θανάτου*, id eſt, *Teſtamentum*, ſine dubio condidit CHRISTUS Dominus, ut docet Apoſtolus *in d. ad Hebr. loco*, quo electos à patre ſibi datos inſtituit heredes cœleſtium bonorum, quibus poſt mortem ſuam potirentur; cujusmodi diſpoſitionis facultatem à Patre ſuo inde ab æterno conſecutus erat, quemadmodum ipſe declarat *d. cap. 22. Luc. v. 29. Κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετο μοὶ ὁ πατήρ μου τὴν βασιλείαν: Et ego vobis concedo, diſpono, ſicut Pater mihi diſpoſuit regnum.*

9. De hac diſpoſitione, qua Chriſtus reliquit electis hereditatem regni cœlorum, nulla dubitatio eſt, quin ſit *teſtamentum, διαθήκη αἵματος αἰωνίου, diſpoſitio ſanguinis æterni*, *ad Hebr. ult.* quæ morte τοῦ *διαθεμένου, teſtatoris*, effectum accepit *cap. 9.* Sed an diſpoſitio Patris, qua is filio mediatori electos dedit atque ceſſit, teſtamentum ſano ſenſu vocari poſſit, quæritur.

10. Vulgo ita ſtatuunt, ſed errore loquendi manifeſto; nam teſtamentum eſſe non poteſt, ſine morte teſtatoris *d. c. 9. ad. Hebr. v. 16.* cui in illa diſpoſitione Patris nullum eſſe locum, nimis clarum eſt. Donatio illa facta fuit conventione, *pete à me & dabo, Pſalm. 2.* quod eſt idem cum eo, quod in ſti-

tiquo, quod vocant, teſtamento, teſtator ſane mortuus non eſt. Nam quæ mors ibi intervenit, agnoſcente ipſa epiſtola ad Hebræos, non teſtatoris fuit, ſed taurorum & hircorum, quæ velut victimæ firmando teſtamento acceſſerunt. Igitur dicto loco ad Hebræos Paulus non ad *ἀκρίβειαν* diſciplinæ juris loquitur, ſed laxiore vocis ſignificatione ludit, ac illud fœdus Dei cum hominibus in eo tertio cum teſtamento comparat, quod uti in hoc mors teſtatoris intervenit, ac bona in heredem devolvuntur ex gratioſa teſtatoris voluntate citra æquivolentem penſationem in hanc refuſam: ita & mediator fœderis Chriſtus morte ſua nobis bona per fœdus promiſſa acquiſivit, citra noſtram æquivalentem præſtationem. Ac uti mors teſtatoris ſingularem teſtamento ſanctimoniam conciliat; ita & per mortem Salvatoris fœdus iſtud longe redditum fuit auguſtiſſimum. Pariter & ſe res habet cum vocabulo *heredis* & *hereditatis*, quod in hac materia frequenter adhibetur, ſed minus proprio, & eo duntaxat reſpectu, quod uti à Patre ad liberos patrimonium titulo hereditatis devolvitur: ita & ſalus noſtra à patre provenit, non noſtro merito, ſed per filium cujus *coheredes*, adeoque & ipſi filii Dei (*Ex. IV. 22.*) dicimur, i. e. participes ejus gloriæ, ad quam is per mortem ſuam intravit. Alias heres non fruitur bonis teſtatoris, niſi ubi hic eorum dominium per mortem amiſerit: Etſi *κληρονομία* non præciſe notat hereditatem, ſed quicquid forte, aut ejusmodi gratioſa aſſignatione alicui obvenit: Uti terra Canaan inter tribus Iſraelis ſorte dividebatur. *Pſ. XVI. 6.*

Digitized by Google

in ſtipulationibus frequentatur, *dabis? dabo*; Quibus accedit, quod illa diſpoſitio Patris eſt *conſilium* pacis *inter* ipſum & virum, cui nomen eſt *Germen*, *Zachar. 6.* Adeoque eſt donatio conventionalis, ſequuta poſt conventionem & expromiſſionem filii de ſolutione pro peccatis hominum facienda; quæ toto genere diſcrepat à teſtamento.

11. Hæc liquida veritas habet objectionem unam & alteram. De Chriſto mediatore traditum eſt, ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων, *quem conſtituit heredem omnium*, cujus hereditatis partem eſſe conſtat, electos, ad *Hebr. 1. v. 2.* Atqui heredis conſtitutio eſt ipſum teſtamentum. Reſpondeo, conſtitutio heredis *poſt mortem*, eſt teſtamentum: Sed in regnis uſus eſt frequens, ut Pater filium ſuum vivus in poſſeſſionem regni mittat, eumque ita heredem ſine teſtamento conſtituat, quemadmodum heic, ut humano more loquamur, eſt factum.

12. Altera objectio è Chriſti verbis ſupra eductis petitur; Κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου βασιλείαν. *Ego vobis* ita vertunt, *teſtamento relinquo regnum, ſicut Pater meus idem mihi teſtamento reliquit.* Nam à Chriſto relictum id eſſe fidelibus per teſtamentum vidimus; Patris autem diſpoſitio ſimilis alteri eſſe dicitur. At hæc objectio pridem occupata eſt obſervatione, quod διατίθεμαι eſt commune verbum ultimis voluntatibus & actibus inter vivos: Qualis autem in quoq; loco ſignificetur, è natura negotii, de quo identidem agitur, colligendum: quam heic eſſe talem, ut patris declaratio, teſtamentum dici nequeat, demonſtratum eſt.

13. Satisfaciendum adhuc eſt objectioni, qua *electi* dicuntur eſſe *coheredes Chriſti ad Rom. 8. v. 16.* Unde non Chriſtus, ſed Deus Pater ſit teſtator, cujus ille ſit heres primus & electi per illum coheredes. Hæc res haberet ſpeciem, ſi nomen heredis nonniſi è teſtamento flueret; Sed Chriſtus eſt heres à vivo Patre factus, ut demonſtravimus; hic electos ad conſortium hereditatis ſibi datæ per teſtamentum ſuum vocavit. Ita ſunt coheredes, at non è communi teſtamento, quod tantum à morituro conditum atque relictum eſt.

14. Alii declarationes Dei μονοπλεύρους in quibus τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς, *irrevocabilis Dei voluntas* erga electos continetur, *teſtamenta* vocare gaudent; inutili & incivili translatione vocis contra ſcripturæ ſacræ & totius humani generis uſum, contra & unici à Chriſto conditi teſtamenti naturam, quod hoc modo involvitur & obſcuratur.

15. Quinque vel ſex ſpecies teſtamentorum, in divinis hac ratione diſtingui videmus. I. Teſtamentum commune, quo Chriſto & fidelibus eadem hereditas deferatur. II. Teſtamentum Patris, quo Filio dederit peccatores in hereditatem. III. Teſtamentum Chriſti, quo fidelibus antiquis declaraverit & promiſerit regnum cœlorum. IV. Teſtamentum, quo Abrahamus hereditatem terræ Chanaanis accepit. V. Teſtamentum Sinaiticum, ſuper eadem terra Chanaanis. VI. Teſtamentum poſt mortem Chriſti.

16. Primam & ſecundam teſtamenti ſpeciem eſſe nullam antea demonſtravimus; cum nihil ſint quam declaratio irrevocabilis aut conventio. Tres ſequentes ſpecies alii ſub una *veteris teſtamenti* appellatione comprehendunt, cujus manifeſtationem vel à lapſu vel à tempore Abrahami, vel à ſanctione Sinaitica repetunt. Nos primo, nullum fuiſſe teſtamentum in Abrahami gratiam conditum, nec apud *Sinai* quicquam teſtamenti ſimile eſſe factum, neque fideles antiquos è teſtamento, quod ab uno Chriſti morituri teſtamento diverſum ſit, eſſe vocatos, probabimus.

17. In hiſtoria *Abrahami* nullum occurrere teſtamentum è ſimplici narratione, quæ eſt *Geneſ.* xv. clare patet, ubi nihil quam actus inter vivos & contractus duorum, id eſt, *fœdus* memoratur, omnibusque circumſtantiis deſcribitur. Verba textus *verſ. 18.* *In illa die percuſſit Jehova fœdus cum Abrahamo*,

Digitized by Google

mo. Perpetratum fuit, promisſione & acceptatione, quas refert textus, quæ ſunt fœderis; in teſtamento hæc duo concurrere non poſſunt; cum ſit unius voluntas. Accedit confirmatio ſolennis per *ſectionem victimæ* in fœderibus uſitatæ, nunquam in teſtamentis; quam Deo viſum fuit adhibere in gratiam *Abrahami*, fidemque ejus conſignandam. Ne dicam, à morte teſtantis & promittentis, ceſſionem terræ *Chanaan* non fuiſſe ſuſpenſam, quod ad teſtamenti perfectionem requiri, Apoſtolus auctor eſt.

18. Quæ poſtea ad eundem *Abrahamum* ejusque filium & nepotem repetitæ ſunt promisſiones, nunquam per modum teſtamenti, ex parte vel in totum ſemper, ut contractus & fœderis utrimque obligantis formulæ celebratæ ſunt, ut *Geneſ. 17. v. 10.* ubi; *Hoc eſt meum fœdus inter te & inter me & inter ſemen tuum*; nemo teſtator ita loquitur aut loqui poteſt.

19. Apud Sinai montem in omnibus actis & dictis inter Deum ac populum Moſemque mediatorem, nulla quoque *teſtamenti* veſtigia reperiuntur, omnia per modum *fœderis* ab initio ad finem uſque transacta fuiſſe, tam clare patet, quam quod eſt ἀφθαλμοφανές, *Exod. 19. & 24.* adjectis quoque legibus, quarum obſervantiam Deus per Moſen ſtipulatus eſt, populus ad contractum fœderis rite perficiendum ſpopondit *d. c. 19. v. 5. & c. 24.* accedente ratione tralatitia, quod mors ibi nulla teſtatoris intervenerit.

20. Tu dicis; victimæ mortem figuravenunt, earumque mactatio formam teſtamenti implevit. Reſponſio eſt, victimas non ad formas teſtamenti, ſed fœderis pertinere, ſicut in fœdere Abrahami, quod vidimus, hunc uſum habuerunt. Idem heic iterum præſtiterunt, ut ipſe Moſes auctor eſt, dicendo; *Hic eſt ſanguis fœderis, quod Deus vobiſcum fecit, ſuper omnibus hiſce verbis.* Nota 1. Fœdus. 2. Vobiſcum. 3. ſuper iſtis verbis, quæ clare concepta fuerunt hoc modo, *ſpondes? ſpondeo*; Adeò ut cuncta rem inter duos actam demonſtrent.

21. Quod autem alii juxta fœdus & fœderum repetitiones ſingula teſtamenta collocant, vel diverſo reſpectu eadem fœdera & teſtamenta intelligunt, non modo ἄγραφον, *ſcripturis incognitum*, ſed etiam ἄλογον *rationi adverſum eſt. Fœdus* enim & *teſtamentum* nunquam pari paſſu ambulant, neque ſimul formari poſſunt; quia fœdus nonniſi duorum, & teſtamentum aliter quam unius voluntate nullo modo conſtitui poteſt, idque *poſt mortem*, cum fœdus ſit actus inter vivos.

22. Ex his omnibus evidentisſime colligitur, voluntatem æternam Filii Dei, hereditatem cœli electis à patre ſibi datis, per & poſt mortem ſuam in tempore obeundam deſtinantis, eſſe *unicum* & immutabile *teſtamentum*, præter quod nullum aliud à Deo in ſacris literis inveniatur eſſe conditum teſtamentum, aut ultima voluntatis ſpecies.

23. Quid ergo fiet de teſtamenti diviſione *veteris & novi?* Idem quod Profeſſores Leidenſes citati ab Hoornbeeckio, *inſt. Th. c. 8. n. 2.* ubi; *Duo teſtamenta dicuntur, non per diviſionem generis in ſpecies, ſed ſubjecti ſecundum accidentia; quia res eadem ſpecie & ſubſtantia variatur, ſecundum diverſam œconomiæ rationem & adminiſtrationis modum, tam ex parte Dei, quam ex parte hominum.* Statuint igitur, unum eſſe teſtamentum duplici modo diſtinctum, quorum unius reſpectu *vetus*, altero *novum* dicitur (de ſententia Pauli ad *Gal. 3. v. 24. 26. & v. 15. in cap. ſeq.* videbimus *infra*) auctor ad *Hebr. c. 9.*

24. Summa horum modorum eſt, quod teſtamentum Chriſti primo clauſum & ſecretum, deinde fuit apertum: Primo & olim obſcure cognitum nec niſi per typos ſignificatum, dein palam & clare detectum & prædictum. Non male convenit huc, quod Leo imperator teſtamentum clauſum vocat, διαθήκην ἐν μυστηρίῳ κειμένην *in myſterio*

Digitized by Google

rio ſitum; Aliter *σύςασιν ταῖς μυςικαῖς διατυπώσεσιν, compoſitionem myſticis conſtantem figurationibus:* Nov. LXIX. Sententiam vero talis teſtamenti deſcribit, *ἀχλὺν ἐφηπλωμένην καὶ τὸ νοερὸν ἀναφέρουσαν τῆς ψυχῆς, quaſi nubem expanſam, intelligendi vim auferentem, διὰ τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἀσάφειαν propter obſcuritatem in ſermonibus*, qui de ſententia teſtamenti clauſi feruntur: Nov. XLII. Quæ obſcuritas aperto cognitoque teſtamento evaneſcit atque in lucem claram vertitur. Hæc veteris novique, ut dicitur, teſtamenti naturæ, licet aliud agat Leo, exacte conveniunt.

25. Qui habebant teſtamentum in manibus, cujus executores à teſtatore conſtituti ſunt, defuncto illo hac vita, teſtamentum aperiunt & publici juris faciunt. Iidem, heredes reddunt certiores inſtitutionis factæ, & ſi nulla conditio prius implenda, illis impoſita reperiatur, ſtatim illis copiam faciunt hereditatis adeundæ; monitis tamen iisdem heredibus, id agendum eſſe, ut teſtamentum omnemque teſtatoris voluntatem exacte impleant; alioqui fore ut tanquam indigni bonis priventur: Qua de re ſtipulatio quoque & repromisſio inter executores teſtamenti & heredes fieri poſſunt. Etſi enim teſtamentum à contractu ſit alienum, & jus è teſtamento, ſine ullo contractu, heredi acquiratur, quominus tamen ſuper executione teſtamenti contractus ineatur, nihil impedimento eſt.

26. Chriſtus Dominus morti propinquus executores teſtamenti ſui conſtituit *Apoſtolos & Evangeliſtas*, quibus illud tradidit, ut poſt mortem ſuam publicarent, & ubique gentium denuntiarent, *credentibus in ipſum delatam eſſe hereditatem regni cælorum,* ſine ulla conditione, niſi ut adirent hereditatem ſibi delatam, hoc eſt, *crederent* & præcepta teſtamenti implerent.

27. Cavendum heic eſt ab errore loquendi, quo fides & obſervantia præceptorum teſtamenti, pro conditione delatæ hereditatis habentur: Atqui conditio nihil eſt aliud, quam *adjectio caſus collati in futurum, à cujus eventu aliquid ſuſpenditur.* Talem non eſſe hereditatis aditionem neque præcepta teſtamenti, nec quicquam ſuſpendere jus credentium, quominus incontinenti adeant & acquirant hereditatem ſatis conſtat; etſi verum eſt, eos ad ſervanda teſtamenti præcepta teneri; ſed hic eſt effectus hereditatis acquiſitæ, non conditio acquirendæ. Et fides non magis eſt conditio ſucceſsionis, quam acceptatio beneficii eſt conditio donationis.

28. Cæterum, ſtipulatio & repromisſio, qua prædicatores novi teſtamenti heredes ad ſervanda teſtatoris præcepta obſtringunt, habent quidem ſimilitudinem fœderis, ſed non pertinent ad deferendum vel acquirendum jus hereditarium, nec ideo fœdus ullum, poſt obitam à teſtatore mortem, ad hereditatem acquirendam celebratum eſt, quemadmodum plenius in *cap. ſeq.*

CAP. III.

DE FOEDERE DEI CUM ECCLESIA.

Juxta teſtamentum Chriſti unicum, fuiſſe & unicum fœdus ejusdem cum eccleſia, adhibitum, antequam teſtamentum eſſet apertum & vim haberet; ut bona teſtamenti ante mortem teſtatoris cum fidelibus antiquis communicarentur, cum hi aliter quam per antecedaneas promiſſiones ante apertas tabulas bona teſtamenti participare non poſſent. Igitur per fœdus illud

lud cum patribus initum, teſtamentum eſſe προκεκυρωμένον εἰς Χριστὸν, præconfirmatum in Chriſtum; hanc eſſe doctrinam Pauli ad *Galat. c. 3.* Fœdus igitur nihil fuiſſe quam προκύρωσιν, anticipationem teſtamenti per promiſſiones. Ejusque ſpeciem eſſe unam, declarationes & repetitiones eſſe diverſas, quarum momenta explicantur.

1. SIcut unum modo teſtamentum Dei in ſacris invenitur, ita nec *fœdus* eſſe, niſi unicum Dei cum eccleſia, hoc capite demonſtrabimus.

2. Eſt autem fœdus, *conventio publica cum effectu duraturo.* Conventio eſt *duorum vel plurium in idem placitum conſenſus. Publica* dicitur, ut fœdus à privatorum conventionibus, ſicut ab iis eſt diverſum, diſtinguatur. Cum *effectu duraturo*, quia contractus etſi publici, de rebus & actionibus tranſitoriis, fœdera non ſunt nec ita appellantur. Atque hæc definitio κατ' ἄνθρωπον, bene convenit fœderi inter Deum & eccleſiam.

3. Non poſſe *fœdus* & *teſtamentum* pariter celebrari, jam dictum & probatum eſt. Proinde, qui è teſtamento hereditate potiuntur, mortuo teſtatore, nihil fœderis egent, cum jus ſuccedendi è voluntate ſolius reſtatoris oriatur, aditioque hereditatis etiam fiat ſolius voluntate heredis, ſine fœdere; niſi ad executionem præceptorum teſtamenti aliquid inſtar fœderis adhibeatur, ut jam dictum *cap. praced.* & *inferius* repetitur.

4. Fœdus igitur Dei cum eccleſia initum eſt ante mortem teſtatoris, ut fideles antiqui cœleſtium bonorum, quæ ante obitum teſtatoris è teſtamento capere non poterant, participes redderentur, ut docet Auctor ad Hebræos *c. 9. v. 16.* Διαθήκη γὰρ ἐπὶ νεκροῖς βεβαία, *Teſtamentum morte vires accipit*, ἐπεὶ μήποτε ἰσχύει, ὅτε ζῇ ὁ διαθέμενος, *ſiquidem vivente teſtatore, nondum valet.*

5. Cum igitur Chriſtus mediator ſecundum ceſſionem à Deo Patre ſibi factam, electis hereditatem cœleſtium bonorum teſtamento ſuo reliquiſſet, idemque fideles ante deſtinatum mortis ſuæ tempus viventes, eorundem bonorum conſortes reddere vellet, teſtamenti ſententiam illis obſcurius, & multa cum figurarum umbra ſignificavit.

6. At quia vis teſtamenti ante mortem ſuam illis applicari non poterat, ejus effectum omnemque fructum per promiſſiones acceptatas, id eſt, conventionem atque *fœdus* illis repræſentavit, cum relatione tamen ad mortem ſuam ejusque virtutem. Ut intelligerent, ſe partem ſuam bonorum hereditariorum, ratione teſtamenti morte aliquando confirmandi, præcipere eoque κληρονόμοι τῆς ἐπαγγελίας, *heredes promiſſionis teſtamentariæ* facti ſunt.

7. In hunc uſum fœdus Dei cum vetuſtis fidelibus eſſe contractum primo ex eo quod diximus, adſtruitur; Facti ſunt heredes cœleſtium bonorum; non poterant id fieri propria directaque vi teſtamenti ante mortem teſtatoris, ut Paulus docet. Ergo per *fœdus*, id eſt, promiſſiones acceptatas, quæ cum iis, ut ſatis conſtat, interpoſitæ ſunt, id oportet conſecuti fuerint.

8. Docet hoc ipſum Paulus Apoſtolus ad *Gal. 3. v. 15. & ſeqq.* ubi primo ponit διαθήκην ἀνθρώπου κεκυρωμένην *teſtamentum hominis confirmatum*, de quo prædicat, quod nemo illud ἀθετεῖ ἢ ἐπιδιατάσσεται, *infirmare vel in eo quicquam mutare poſſit.* Teſtamentum vertimus, non *fœdus*, ut alii, interque eos Belgæ, qui tamen fatentur etiam poſſe verti *teſtamentum.*

9. Sed hoc iſti loco unice convenire, patet inde, quod διαθήκη *diſpoſitio*, κεκυρωμένη *confirmata*, ἣν οὐδεὶς ἀθετεῖ, *cui nemo derogare*

Digitized by Google

rogare poteſt, manifeſto ſit eadem cum διαθήκη ἐπὶ νεκροῖς βεβαίᾳ *cum teſtamento morte confirmato*, quod nullam recipit mutationem, de quo *ad Hebr. 9*.

10. Fœdus autem, ſicut omnes actus inter vivos, ſtatim eſt firmum, & ſemper infirmari poteſt, eodem quo firmatum eſt modo. Ergo διαθήκη, ἣν οὐδεὶς ἀθετεῖ ἢ ἐπιδιατάσσεται quam nemo infirmare, vel mutare poteſt, non fœdus, ſed teſtamentum ſit oportet *apud Paulum*.

11. Poſitioni de teſtamento morte confirmato ſubjicit Paulus *verſu 16.* τῷ δ' Ἀβραὰμ ἐῤῥήθησαν αἱ ἐπαγγελίαι, ſed *Abrahamo facta ſunt promiſſiones*, ſiquidem διαθήκη κεκυρωμένη, teſtamentum confirmatum ἐπὶ νεκροῖς βέβαιον, *morte Chriſti validum*, Abrahamo tot ſeculis ante Chriſtum teſtatorem mortuum convenire non poterat.

12. Inde *verſu 17.* deducit Apoſtolus διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς Χριστὸν, *teſtamentum præconfirmatum à Deo in Chriſtum.* Fœdus non recipit antecedaneam confirmationem, ſed hoc vires è præſenti capit, ſtatim ac utrimque conventum eſt. Teſtamentum vero diu ante mortem factum, vires demum inde poſt mortem capit, *nec prius valet*, μή ποτε ἰσχύει, niſi promiſſione teſtatoris in anteceſſum confirmetur. Res jubet, ut hic locus paulo preſſius educatur.

13. Scopus Apoſtoli eſt in *d. c. 3.* demonſtrare, *quod ſalus non ex operibus legis, ſed ex gratia per fidem donetur. v. 6. & ſeqq.* idque tam ante quam poſt Chriſtum, neque legem poſſe juſtificare peccatorem *v. 11. &c.* quia nos ſubjicit maledictioni, à qua Chriſtus, maledictio pro nobis factus, nos liberavit. Hoc comparatione teſtamenti ab homine conditi illuſtrat & probat.

14. Ἀδελφοὶ, inquit, κατ' ἄνθρωπον λέγω, *ſecundum hominem loquor*; teſtamentum, cujus dona ſunt meræ gratiæ, confirmatum mutari non poteſt: *v. 15.* Sed Abrahamo promiſſiones dictæ ſunt, per quas teſtamentum fuit *præconfirmatum in Chriſtum*, id eſt, virtute mortis Chriſti futuræ: Ac ita per fœdus ſive promiſſiones acceptatas teſtamentum repræſentatur, hoc eſt, vis teſtamenti in anteceſſum Abrahamo præſtatur.

15. Sicut igitur, *pergit*, teſtamentum eſt immutabile, ſic idem *præconfirmatum* æque eſt irrevocabile; cum eundem per fœdus προκυρώσεως effectum præſtet, ac ſi eſſet, κεκυρωμένον, *confirmatum* morte, nec ideo per legem diu poſtea ſequutam fuit abrogatum, quia manſit teſtamentum. Si eſſet fœdus ſine reſpectu ad caſum mortis, per legem & novum fœdus abrogari potuiſſet, uti ſemper contractus poſteriores inter easdem partes derogant prioribus; Sed teſtamentum morte ſtabilitum, vel pactis ut ad ſtatum mortis ſe refert, anticipatum, nullos admittit terminos habiles mutationis.

16. Tales igitur fuere promiſſiones *Abrahamo* factæ, ut è teſtamento morte Chriſti confirmando vires acceperint mereque gratuitæ eſſent, ac ita immutabiles, ut per legem ſequutam non receperint aliam qualitatem, idque eſt ὅπερ ἐβούλετο δεῖξαι, quod *demonſtrare volebat* Apoſtolus.

17. Dicendum igitur, teſtamentum Chriſti æternum, quod ſemper unum & immutabile, meræque eſt gratiæ, habere duas διαθήκας, *diſpoſitiones.* κύρωσιν & προκύρωσιν, *confirmationem & præconfirmationem.* Confirmatio facta eſt, inquam, morte Chriſti teſtatoris.

18. Præconfirmatio facta eſt *antea* πάλαι, cum teſtamentum ſuis necdum viribus ſubſiſteret, idque per fœdus, ſive promiſſiones ſeſe referentes ad mortem & tempus confirmationis, cujus vis hoc modo retractata fuit εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ τῇ διαθήκῃ παραβάσεων, *ad redemptionem tranſgreſſionum ſub priori diſpoſitione commiſſarum. Hebr. 9.*

19. Sed prior illa diſpoſitio προκυρώσεως ſua præſtantia multis modis cedit poſteriori. Promiſſiones fuerunt obſcuræ, cærimoniis & typis adumbratæ, fidelibus ad aperturam

turam

Digitized by Google

turam Teſtamenti anhelantibus moleſtisſimæ ac *intolerandæ*; ut Petrus in oratione Synodali loquitur *Actor. 15.* Poſterior autem diſpoſitio claram lucem ex ipſa Teſtamenti aperti Lectione, Prædicatione, *gaudiumque perfectum* τὴν χαρὰν πεπληρωμένην, ut Chriſtus dominus ait, exhibuit. Denique, hæ ſunt αἱ δύο διαθῆκαι, *duæ diſpoſitiones*, quarum una ſervitutem, altera libertatem parit *Gal. 4. v. 24. & 26.*

20. Sed Fœdus illud προκυρώσεως, quo Teſtamenti vis ante mortem Teſtatoris antiquis Fidelibus repræſentata eſt, quæ fuit παλαιὰ διαθήκη, *vetus diſpoſitio;* cum aliquoties repetita fuerit, plenius & per partes explicanda videtur, ut probemus ſemper idem unumque fœdus προκυρώσεως, Teſtamenti vim repræſentans fuiſſe atque manſiſſe, neque Teſtamentum ab illo quod morte Chriſti firmatum eſt, usquam diverſum reperiri, ſed idem eſſe προκεκυρωμένον διὰ ἐπαγγελίας, *ante confirmatum per promisſiones*, cum eo quod poſtea κεκύρωται morte conſtabilitum eſt.

21. Præcipuæ partes & momenta hujus antecedaneæ confirmationis in ſumma tribus intervallis diſtinguuntur. I. Ab Adamo ad Abrahamum. II. Ab hoc ad Moſen. III. Exinde ad ipſam Teſtatoris ἀνάφανσιν, adventum & apparitionem in Terris. Quibus ſpatiis incipit & finitur ἡ παλαιὰ διαθήκη, *vetus diſpoſitio;* quam alii ſerius auſpicantur.

22. Initium προκυρώσεως & primi intervalli eſt declaratio Domini in Paradiſo; *de ſemine mulieris caput ſerpentis contrituro & de calcaneo ſeminis à ſerpente vicisſim* conterendo.

23. In quibus verbis implicitam fuiſſe remisſionem peccatorum & pasſionem dominicam, vitæque donum æternæ per Teſtamentum, omniaque à primis fidelibus eſſe percepta credimus, idque ſacrificandi inſtituto κατὰ τὸν μυστηριώδη τρόπον, *myſtico more*, ut Leo Cæſar de teſtamento clauſo loquitur in *Nov. 69.* inde à primis temporibus adumbratum fuit.

24. Cum Noacho deinceps fœdus initum traditur *Gen. 6.* de ingreſſu in Arcam, arcendoque diluvio, quibus reconciliatio cum Deo facta ſupponitur, nulla tamen expreſſa promisſio de ſumma hereditatis univerſæ ante Abrahamum facta proponitur, ſed ἀχλὺς καὶ ἀσάφεια, *caligo & obſcuritas*, ut Leo rurſus de occulto teſtamento loquitur, in editione verborum προκυρώντων *præconfirmantium* vim mortis Chriſti & teſtamenti apparet.

25. Non eſt tamen, ut diximus, dubium, quin *plus indicatum & intellectum quam ſcriptum fuerit*, tantumque de ſententia teſtamenti fidelibus innotuerit, quantum iis ad ſalutem fide conſequendam erat neceſſarium, nec de illorum conſenſu ac adſtipulatione dubitari ipſa res & eventus patitur, nec Petri Apoſtoli teſtimonium *de Chriſto hominibus in tempore diluvii concionato. 1. Petr. 3, 19. &c.*

26. Quatenus igitur è ſacris literis conſtet, hoc tempus habuit diſpoſitionem προκυρώσεως, per *pollicitationes*, ſine dubio tamen acceptatas, adeoq; per *tacitum fœdus*, ſacrificandi ritu ſancitum. Intellexerunt, ſe Deum amiſiſſe per peccatum, eum ſe recuperaturos ex gratia per Chriſtum mortuum. Hanc vim mortis ſibi promisſione *repræſentari*, id eſt, in anteceſſum dari; nam hoc ſignificat *repræſentare* Latine. Mors Chriſti fuit etiam *repræſentata* ſacrificiis alio ſenſu, ut apparet; Atque hæc fuit diſpoſitio primi temporis, *per fœdus*, inquam, *tacitum*.

27. Clarior & luculentior fuit προκύρωσις, *antecedens confirmatio* facta Abrahamo, qui tandem accepit directam promisſionem de ſumma rei; Proinde ab illo demum αἱ ἐπαγγελίαι *promisſiones* ab Apoſtolo deducuntur, ἃς ὁ Θεὸς αὐτῷ προεπηγγείλατο, *per quas Evangelium anticipatum illi fuit propoſitum.* τὸ προεπηγγείλατο reſpondet τῷ προκεκύρωται, Nam ſicut τὴν κύρωσιν, ſimplicem *confirmationem* ſequitur evangelium, ita τὴν προκύρωσιν, præconfirmationem, *prævangelium.*

28. Verba prævangelii ad Abrahamum laudat Apoſtolus hæc; ὅτι ἐν σοὶ εὐλογηθήσονται πάντα τὰ ἔθνη, *in te benedicentur o-*

mnes populi, *d. v. 8.* quæ promiſsio in ſemine ejus, *ὅ ἐςὶ χριςὸς*, impleta fuit, hoc eſt, *in Chriſto*. Ac ita benedictiones & promiſsiones illas fuiſſe *ſpirituales*, fide ab Abrahamo perceptum fuit & à Paulo inculcatur.

29. Sed mos Dei eſt, *firmandæ fidei res adhibere terreſtres*, quod imprimis *τῇ προκυρώσει Teſtamenti clauſi & myſtici ἐν μυςηρίῳ κειμένου*, ut Leo noſter ait, conveniebat, quo fidem rerum maximarum palpalibus præſumerent.

30. Ideo Deus promiſsionem terræ *Chanaan*, in qua tunc erat & quam calcabat *Abrahamus*, ut hypothecam benedictionis ſuæ adjunxit, & ſuper utraque promiſsione, altera principali, altera acceſſoria fœdus cum illo pepigit, ac ſolenniter, non ſine ſanguine, tam in ſacrificiis quam circumciſione confirmavit; ne unquam obliviſcerentur, promiſsiones ab iis acceptatas, eſſe *προκυρώσεις præconfirmationem* teſtamenti ſanguine conditoris adhuc implendi. Ita facti ſunt heredes teſtamentarii per promiſsiones, *κληρονόμοι τῆς ἐπαγγελίας*.

31. Ultima *προκύρωσις*, *præconfirmatio* Teſtamenti per miniſterium Moſis in deſerto adminiſtrata eſt, prolixius & luculentius quam prius, ut fuerit *ἐγκαίνωσις*, ſolennis *renovatio* fœderis cum Patribus initi, primo quidem ad repræſentandam Teſtamenti vim per ritum proxime ad mortem Chriſti accedentem effuſione & *adſperſione ſanguinis*, quo jus ad hereditatem cœleſtem acquirendum erat, ut legitur *Exod 24.*

32. Acceſsit tum per Moſen, hypotheca ſive pignus promiſsionis idem quod Abrahamo datum fuerat, terræ *Chanaanis*, quæ nullo modo fuit materia Teſtamenti, ut antea demonſtratum, nec quidem fœderis ſeparati; ſed pars & acceſsio fœderis, quo gratia fructusque Teſtamenti, cum vere credentibus communicaretur, ut intelligerent tam certo hereditatem cœli ſibi præſtitum iri, quam in illa terra ſedium poſitione ſtabilirentur.

33. Ex his jam ſatis conſtat, jus hereditatis cœleſtis, per Teſtamentum morte Chriſti confirmatum fidelibus acquiri, tam veteribus quam novis: Sed veteres ad Teſtamenti fructum ſine fœdere non potuiſſe admitti, quo Teſtamentum, ipſorum bono *προκεκύρωται*, antea confirmatum eſt. Novis poſt mortem Teſtatoris nulla *προκυρώσει* antecedanea confirmatione Teſtamenti, nec adeo fœdere opus fuiſſe: Cum nihil ad acquirendam hereditatem quam *aditio*, quæ eſt fides, requiratur.

34. Unde ſic eſt habendum; poſt obitam Filii Dei Teſtatoris mortem, non fuiſſe locum *novo fœderi*, cujus vi Deus uteretur, ad jus vitæ æternæ dandum Electis. Nec adeo in ſacris literis ullum Fœdus inter Chriſtum dominum & Fideles, ad hereditatem ex ejus Teſtamento adeundam inveniri. Veteres fuerunt *Ἐπαγγελίας κληρονόμοι*, *Promiſsionis heredes*, ut vocantur ad *Galatas* & ad *Hebræos*. Poſt Chriſtum nihil ejusmodi, ſed *φανέρωσις*, *τελείωσις*, *τὸ ναὶ καὶ ἀμὴν manifeſtatio*, *conſummatio*, *rei veritas*, *non promiſsio ingeminatur*. *Rom. 6. v. 25. & ſequ. 2. ad Timoth. 1, 9. ad Tit. 1. 2. &c.*

35. Sed finiamus hanc diſputationem, ubi quid inde nobis ſedeat, denuo breviter collegerimus. Summa hæc eſt; Pacto Dei Patris & Filii liberationem generis humani eſſe conſtitutam. Chriſtum, juxta illud Pactum, electos feciſſe heredes ignaros *in ſanguine æterni teſtamenti*, quod cum jus nullum niſi poſt veram ſanguinis effuſionem tribueret, Teſtator Deus antiquis promiſit, ſe bona hereditaria, vi ſanguinis ſui effundendi, ipſis antea eſſe daturum.

36. Et quia nondum hereditatem adire, ſeque pro heredibus gerere poterant, hoc officium per repromiſsiones ac ita per *fœdus* ab illis exegit, per leges eos adſtrinxit, circumciſione & terræ Chanaanis pignore cærimoniiſque res promiſſas adumbravit, atque ut oblationes gratiæ erant generales, ita ſigillis, pignoribus, umbris, omnibus Deum profitentibus eorumque liberis uti permiſit.

37. Aliud

37. Aliud teſtamentum, præter æternum iſtud, putamus Deum feciſſe nullum, nec fœdus aliud quam quod teſtamenti vim præoccuparet. Defuncto Teſtatore, ceſſiſſe diem ſucceſſionis, id omnibus populis eſſe denunciatum, hereditatem promiſcue oblatam, à credentibus vi gratioſi teſtamenti per fidem, ſine ulla pactione vel exactione prævia, eſſe acquiſitam; In exercitio juris delati & acquiſiti, fœderis aliquid inſtar inter Deum & fideles intercedere, ut explicitum dedimus.

CAP. IV.

QVO RATIONES QVÆDAM ADVERSUS UNITATEM TESTAMENTI ET FOEDERIS REFELLUNTUR.

Removetur objectio duplex à diſcrimine Teſtamenti humani atque divini petita, à pr. Tertia removetur objectio ex, ad *Hebr. c. 8. v. 6. 9*; quo probetur dari duo Teſtamenta: Quæ per inſtantiam à diviſione fœderis novi & veteris renovatur objectio refellitur. Denique ſatisfit objectioni à recepta doctrina, quod omnino etiam Fœdus novum detur, idque diſtinctione fœderis in acquirendo & exercendo jure hereditario adſtructa. Subjicitur confertim hujus doctrinæ confirmatio.

ETſi objectiones quædam obiter remotæ ſunt *in ſuperioribus*, omittendæ tamen non videntur, quæ motæ ſunt ab amicis alias. Noſtrum fundamentum eſt in eo, quod Teſtamentum ſine mortis, quæ tantum una fuit, interventu, nullum ſit, & quod fideles ante Chriſti mortem teſtamenti bona participare non potuerint, niſi per fœdus *προκυρώσεως, antecedanea confirmationis*, quod etiam unicum fuit.

2. Objectum eſt ita, erudité; Inter hominum & Dei teſtamenta hoc intereſſe, *quod ad humani teſtamenti valorem mors requiratur, ut mutationis metus auferatur; cujusmodi mutatio in Divino Teſtamento propter antecedanea promiſſionis & jurisjurandi fidem metuenda non fuerit.* Unde ſequatur, etſi *Teſtamentum Chriſti ante mortem ejus non valuerit, ob defectum cauſa meritoria, fuiſſe tamen antea validum, quatenus certum erat, nunquam mutatum iri; propter quam certitudinem nulla fuerit opus προκυρώσει.*

3. Reſponſio ad hanc objectionem ſponte ſe prodit; cum argumentum ejus ſit petitio principii. Unde enim certum fuit, ante mortem Chriſti, Teſtamentum ejus nunquam mutatum iri? Ex *antecedente promiſſione jurisque jurandi fide*, quam ſequuta eſt acceptatio, ut ipſa ſuggerit objectio. Atqui antecedens promiſſio eſt ipſa *προκύρωσις*, quæ dedit vim Teſtamento ante mortem Teſtatoris, id eſt, *Fœdus*, ea gratia inter Chriſtum & fideles antiquos initum, ut Teſtamentum fructu, antequam poſſent è Teſtamento, gauderent.

4. Quod de jurejurando in objectione dictum eſt, referri quoque poteſt ad *Patris adſeverationem Filio promittentis hereditariam poſſeſſionem & materiam Teſtamenti condendi, quæ promiſſio conſiderari poteſt, ut extendens ſe ad fideles tam novos quam veteres: Unde nihil inter eos hac parte ſit differentia.*

5. Reſpondetur, promiſſionem patris nullo modo tollere vel occupare filii teſtamentum: Sed hoc illa niti: Nec ideo de-

rogat promiſſio Patris naturæ filialis teſtamenti, quæ hæc eſt, ut poſt mortem teſtantis demum valeat, ante mortem vero nonniſi per fœdus vel actum miſſionis in poſſeſſionem, quam teſtator vivus, velut heredi filio impertitur; valere poſſit.

6. Fuit alia objectio in hanc ſententiam; Male à natura teſtamenti humani ad divinum duci argumentum; *quando in humanis hereditas morte teſtatoris vacua ſoli cedit heredi, in divino heredes ſocietatem bonorum poſt mortem teſtatoris cum ipſo redivivo habent: Quod magis eſt abſonum, quam ſi heredes ſocietatem bonorum ex teſtamento ante mortem teſtatoris cum ipſo habere dicantur: ut ideo nihil opus ſit* προκυρώσεως *inſtituto, an* commento.

7. Reſponſio eſt, I. diverſitatem aliquam à poſteriori, non arguere diverſitatem plane ſeparatam, à priori. II. Comparationem humani cum divino teſtamenti, auctore Apoſtolo fieri, *tam ad Galatas quam ad Hebræos* quæ non vitiatur è diverſitate viarum, extra uſum & ſcopum comparationis. Eſt plane ea diverſitas heic loci, qua teſtator homo, mortuus hereditate non gaudet, ſecus ac Chriſtus teſtator, redivivus. Sed hæc diverſitas in modo fruendi bonis acquiſitis, nihil mutat jus primo deferendi hereditatem, quod Apoſtolus ipſe docet *Hebr. 9. à morte pendere*, idemque *ad Galatas* bona teſtamenti cum veteribus vi fœderis eſſe communicata demonſtrat.

8. Plane, ſufficit, mortem fuiſſe neceſſariam ad delationem hereditatis, ſive ad meritoriam cauſam, ut in divino, ſive ut conditionem *ſine qua non* quam vocant, in humano teſtamento. Quo conſtet, heredes non potuiſſe habere jus è teſtamento ante mortem teſtatoris, niſi ex prævia confirmatione, per promiſſiones fœderis, aut miſſionem in poſſeſſionem bonorum à vivo teſtatore, cum reſpectu & virtute teſtamenti ac mortis ſuæ, factam. Ut etiam hac via neceſſitas προκυρώσεως & fœderis unici maneat.

9. Sed fortior objectio naſci videtur ex *epiſtola ad Hebr. c. 8. v. 6. & ſeqq.* ubi duo teſtamenta eo modo deſcribuntur, ut plane diverſa videantur. Vocantur πρώτη καὶ δευτέρα διαθήκη; *primum & ſecundum teſtamentum.* Hoc vocatur κρεῖττον, *melius*, καινή, *novum*, non factum ſecundum id quod cum Patribus erat factum *v. 9.* idque prius πεπαλαίωκε, obſoletum fecit, *v. ult.*

10. Idem ad Galatas *c. 4. v. 24.* Hæc ſunt *duo teſtamenta*, δύο διαθῆκαι, μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, *unum à monte Sinai*, & *quæ ſequuntur.* Idem eſt apud Jiremejam *c. 31. v. 31.* E quibus omnino dicendum videtur, eſſe duo teſtamenta ſpecie diverſa, de quibus illic agitur. Materiæ quoque deterioris & melioris, prius de terra Chanaan, ut pignore cœleſtium bonorum; Alterum de bonis ipſis cœleſtibus unice & directe conceptum.

11. At hæc noſtra ſic eſt ratio Διαθήκην, eſſe *diſpoſitionem* voluntatis, unius vel duorum, antea probatum eſt. Priorem diſpoſitionem, tam quæ apud montem Sinai repetita, quam prius facta erat, non fuiſſe *teſtamentum*, ſed *fœdus* evidenter & plane demonſtravimus: A Græcis tamen veteris inſtrumenti interpretibus διαθήκη vocatur. Etiam hæc verba *Gen. 15. percuſſit cum eo fœdus*, quod eſt inter duos actum, quæ ſic in Hebraico verbotenus ſonant, כרת את אברם ברית Græci LXX. verterunt διέθετο τῷ Ἀβραὰμ διαθήκην; *diſpoſuit cum Abrahamo diathecam.*

12. At hac voce *teſtamentum*, *æque*, imo frequentius ſignificatur; Imprimis in novo inſtrumento, ubi *diſpoſitio*, quæ fuit olim fœdus, eſt jam vere teſtamentum. Non potuit igitur aliter Græce, quam ut id quod cum veteribus & cum novis fidelibus actum, una eademque voce διαθήκης exprimeretur, manente in rebus ea diverſitate, quam

quam Deus illis impreſſit, ut olim eſſet fœdus, hodie ſit teſtamentum.

13. Ergo *δύο διαθῆκαι*, ſunt duæ *diſpoſitiones*, quas Deus ſuper iisdem bonis, diverſo tempore modoque fidelibus adminiſtravit; Ut vero teſtamentum *utraque* dicatur, nec res, inquam, fert, nec in textibus objectis indicatur; non utique ſanguinis effuſio, quam in priore *diſpoſitione* adhibitam Moſes refert & Apoſtolus obſervat *Hebr. 9.* peculiare teſtamentum arguit, quia Moſes diſerte ſanguinem *fœderis*, inter duos contracti appellat: Et Apoſtolus ideo ſanguinem reſperſum monet, ut hæc diſpoſitio mortem teſtatoris typice repræſentaret.

14. Nullo modo etiam liquet, materiam utriusque diſpoſitionis eſſe diverſam. Probatum eſt antea, cum Patribus & cum Abrahamo fœdus initum eſſe ſuper bonis teſtamenti adhuc clauſi, cujus ſententia illis obſcure ſignificata eſt; factam eſſe *προκύρωσιν*, *confirmationem præcedaneam* teſtamenti, cujus acceſſio fuit, pignus terræ Chanaanis; minime hoc quidem fœdus novum; non magis quam hypotheca humanis contractibus adjici ſolita per ſe negotium facit. *Διαθήκη προκεκυρωμένη εἰς Χριστὸν*, *ad Gal. 3.* Præconfirmatio, *Teſtamenti in Chriſtum*, non potuit eſſe de aliis bonis, quam in ipſo Teſtamento comprehenſis, & poſt mortem Teſtantis, palam factis.

15. Hæc uti cum Abrahamo inita erat, ita *renovata* eſt apud Sinai, *ἐγκεκαίνισθαι*, inquit Apoſtolus *d. ad Hebr. 9. cap.* Proinde nihil illic in ſumma, quam cum Abrahamo geſtum fuerat, actum eſt vel agi potuit; major ſaltem adhibita ſolennitas & major intentio ſervitutis cærimonialis, quo reſpectu Apoſtolus *ἐγκαινισμὸν* Sinaiticum per excellentiam novo Teſtamento oppoſuit.

16. Alioqui nihil eſt certius, quam diſpoſitionem veterem, ſive Teſtamentum vetus eſſe æqualem omni tempori, quo clauſæ fuere Teſtamenti tabulæ, id eſt, à prima in Paradiſo promiſſione. Fuit enim hæc ſtatim *προκύρωσις*, ſive confirmatio antecedanea Teſtamenti morte implendi; quod hoc *θανάτου γενομένου*, *morte Teſtatoris obita*, cederet, *εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων*, *in liberationem à peccatis ſub veteri diſpoſitione commiſſis d. cap. 9. ad Hebr. v. 15.* E quibus verbis recte pridem comprobatum eſt, *τὴν πρώτην διαθήκην*, primam diſpoſitionem, ſive *Teſtamentum Vetus*, æque late patere, quam patet retro, virtus ſalutifera mortis Chriſti, id eſt, ad primam usque peccati originem.

17. Quod autem recentior diſpoſitio, ſive Teſtamentum novum, à veteri tam inſigniter diſtinguitur eique tam notabiliter à Prophetis & Apoſtolis præfertur, id non ſpeciei, ſed gradus & modi arguit diverſitatem: Quod iterum melius quam à Paulo ſuggeſta ratione demonſtrari non poteſt.

18. Docet hic Galatas *cap. 4.* inter Veteres & novos fideles ejusdemq; hereditatis participes, id intereſſe, quod inter heredem puerum & adultum, cujus utriusque jus eſt idem; ſed infans quod ad ſenſum fruitionis nihil à ſervo diſcrepat; regitur, manuducitur, cogitur, ut ſervus. Cum primum adoleverit, heredem ſe dominumque eſſe intelligit, libertate gaudet plenâque poſſeſſione, fruitione, gaudio fruitur, ac ita poſterior ſtatus ejus priore tanto præſtantior & excellentior, quanto libertas ſervitio præſtat & præcellit, habetur.

19. Parem ait eſſe rationem veterum novorumque fidelium. Veteres tanquam infantes, etſi heredes, vi teſtamenti promiſſionibus anticipati, *ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου δεδουλωμένοι ἦσαν*, ſub *elementis mundi*, id eſt, terra Chanaanis, eſculentis, potulentis, carnibus, aquis omnique cærimoniarum mole *redacti erant in ſervitutem*.

20. Habebant pædagogum & quaſi dominum, qui tanquam pueros & ſervos manuduceret ac cuſtodiret; qui cuſtos & pædagogus erat lex, ut docet *cap. ſeq.* Paulus, *ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα συγκεκλεισμένοι*, *ſub lege*

 cuſto-

cuſtodiebamur incluſi. Ὁ νόμος παιδαγωγὸς ἡμῶν γέγονεν εἰς Χριστὸν; *lex pædagogus erat noſter ad Chriſtum.*

21. Cohibeat eos, ne in peccata ruerent, convincebat eos peccatorum commiſſorum, inculcabat maledictionem non ſervantibus, eoque ſpectabant fulmina, tonitrua, omnisque terribilis apparatus in ſanctione legis adhibitus:

22. Atque ita *ſervorum inſtar*, coarctati, compreſſi, cum nihil opis in lege, nihil ibi quam onera, minas & diras, *ſtatuta non bona,* offenderent, ad Chriſtum adigebantur, ut ſub moleſtiſſimo jugo ad tempus impleti teſtamenti anhelantes, ægerrimæ bona, quæ multo facilius, hæredirate per mortem teſtatoris delata, contingunt, adipiſcerentur.

23. Sic igitur peccatorum cauſa acceſſit fœderi lex, τῶν παραβάσεων ἕνεκα προσετέθη ὁ νόμος, *Gal. 3. v. 19.* locupletiſſimo ſenſu, univerſo; etſi ad peccatum μοσχολατρείας nullum habeat peculiarem reſpectum; *Adjectus eſt promiſſioni cuſtos & commentarienſis,* cujus eſt φρουρεῖν & συγκλείζειν, *cuſtodire & concludere.* Lex, inquam, ad usque tempus aperti teſtamenti, quo & aperta cuſtodia libertasque proclamata fuit ac præſtita, cum plena perfectaque lætitia & plenius effuſa gratia notitiaque veritatis & vi ſpiritus ſancti.

24. Ex his evidenter liquet, nihil de præſtantia diſpoſitionis novæ ſupra antiquam eſſe dictum, quod hac differentia non comprehendatur. Et tamen ſicut heredis pueri ac adulti jus idem eadem facultas eſt, idem utriq; in teſtamento addicitur & inculcatur, hoc ſolo diſcrimine, quod puer jus ſuum obſcurius intelligit, eoque minus libere pleneque fruitur; Ita veteribus & novis fidelibus eadem facultas delata, denuntiata & inculcata eſt; Bona teſtamenti promiſſionibus ad mortem teſtatoris ſpectantibus confirmata, fuerunt eadem, quæ poſt aperturam teſtamenti heredibus præſtita ab iisque percepta ſunt.

25. Sed aperto teſtamento, neceſſe non eſt, adhiberi ulla imitamenta, quibus implendi teſtamenti modus inſtar umbræ ob oculos figuretur, neque opus eſt prægustatione terreſtrium bonorum, quibus ipſa bona cœleſtia ſine circuitu prægustanda offeruntur, nihilo magis pædagogo & cuſtode dominove, qui nos ad Chriſtum quaſi procul adhuc ſemotum & occultatum, adigat atque conſtringat; cum ipſe Dominus communionem ſui, quæ eſt bonum aperti teſtamenti maximum, realiter offerat ac præſtet; ceſſante difficultate ad eum per tot obſtacula quæ fuerant, enitendi, quæ cum pauci olim perrumperent, multis in medio curſu reſiſtendi pedemque ſtruendi præbuerant cauſam.

26. Directa vero iſthæc gratia longe abundantius in corda hominum immiſſa non modo τὴν χαρὰν τοῦ Χριστοῦ πεπληρωμένην ἐν αὐτοῖς, *lætitiam Chriſti plenam* in iis excitavit, *Joh. 17.* Sed & ſpiritum notitiæ, fiduciæ, amoris Dei, adeoque τῆς υἱοθεσίας, *adoptionis in filios*, in qua ſunt omnia hereditatis jura, latisſime plenisſimeque in eorum corda effudit, ut factum eſſe juxta vaticinium *Jeremiæ cap. 31. v. 31.* teſtatur Apoſtolus ad *Hebræos 8. v. 9. & 10* Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, diverſitatem utriusque Diſpoſitionis antiquæ & novæ eſſe talem, ut ei bene conveniat, quicquid Apoſtolus *d. loco* de utraque diſpoſitione collocat, ſine ſpecifica tamen; ſufficiente & apparente ſola modali differentia.

27. Vulgatum ad hanc ſententiam eſſe præjudicium è recepta Veteris & novi Fœderis, item Veteris & Novi Teſtamenti diſtinctione, è quibus ſaltem duplex fœdus & duo Teſtamenta dari, ſit indubitatum, non ignoramus; At jam quo pacto novi ac veteris appellatio modi non ſpeciei diverſitatem inferat, è Lugdunenſium inſtitutione Profeſſorum, expoſuimus.

28. Revera quod vetus eſt, *Fœderis*; quod novum, *Teſtamenti* voce deſignandum erat. Sed quia Græci uno vocabulo διαθήκης, *diſpoſitionis*, Teſtamentum & Fœdus exprimunt, hinc & veteri & novæ διαθήκῃ, Latini utram-

Digitized by Google

ni utramque vocem adſcripſerunt, ac inde tam veteris & novi fœderis quam teſtamenti fluxit appellatio: cum tamen fœdus & teſtamentum, id eſt, unius & duorum voluntas ſimul conſiſtere nequeant, actusque diverſi & oppoſiti generis contineant.

29. Scimus, hanc rem vulgo ita explicari; ut diſpoſitiones Dei, quatenus ipſius voluntate ſola conſtant, teſtamenta ſint; Eadem fœdera fiant, quando conſenſus & repromiſſio hominis accedit: Sed jam pridem oſtendimus, non quamlibet unius declarationem, ſed *morituri*, ſuper eo quod poſt mortem ſuam fieri velit, eſſe Teſtamentum uſu humani generis & Dei in verbo ſuo; tale vero eſſe unicum duntaxat; probavimus: ut & hoc; Teſtamenti jus fœdere non indigere, nec id in ſucceſſione Teſtamentaria uſu venire, niſi ex poſt facto, quod dicunt, in executione teſtamenti; Proinde illam translationem teſtamenti in fœdus ad acquirendum jus hereditatis cœleſtis, negamus eſſe Scripturariam, vel convenire negotii naturæ exacte conſideratæ.

30. Præterea, ſi diſpoſitio unius Dei eſt illa voluntas æterna de ſalute Electorum, hæc eſt, una & immutabilis, non vetus & nova. Si vero per illam diſpoſitionem intelligitur declaratio in tempore hominibus facta, hæc ſine acceptatione nihil perficit nec ab ea ſeparari poteſt: Juncta autem cum illa, contractus eſt & fœdus, nec teſtamenti rationem ſeorſim habere poteſt.

31. Difficilius forte quam quod de teſtamento diximus, admiſſum iri videtur, quod noſtra tenet ſententia; juxta Chriſti Domini mortem apertumque teſtamentum, non eſſe locum *Fœderi*; nec adeo dari *fœdus novum*, quo jus cœleſtis hereditatis fidelibus delatum vel acquiſitum ſit.

32. Hujus rei ratio & probatio reddita eſt ſub *fin. cap. præced.* deſinens in hac obſervatione, quod ad delationem & acquiſitionem juris hereditarii, fœdus neceſſarium fuerit, antequam teſtamentum valeret: Poſt illud impletum morte teſtatoris, aditionem hereditatis incontinenti per fidem committi, nec amplius uſum aut locum eſſe fœderi *ad jus hereditatis acquirendum*: ſed nihil quam lætum aperti teſtamenti delatæque hereditatis nuntium reſonare per orbem terrarum.

33. Mihi nihil adhuc oblatum eſt, quo vel *teſtamentum* ullum, ante Chriſtum, apertum; vel poſt illum, fœdus contractum doceatur; quo inquam, poſtea, largitionem ſalutis noſtræ per modum conventionis & fœderis diſponi ſtatuendum ſit, quemadmodum id vulgo concipitur, *quaſi teſtator ab herede aliquid exigeret & ſtipularetur, quo præmiſſo, hæreditatem ei relinqueret.* Formula talis ſtipulationis & præmiſſionis nuſquam, credo, reperitur, niſi in modo exequendi, & adminiſtrandi juris teſtamentarii.

34. Videndum igitur, ne non faciendum ſit, ut per conſequentiam fœderum cum veteribus, *in ſubſidium* atque ad anticipandum teſtamenti effectum initorum, fœderalem hanc vitam adhuc inſiſtamus, poſtquam dies teſtamentariæ ſucceſſionis liquidiſſime ceſſit, & hæreditas morte teſtatoris delata cunctis adire volentibus, id eſt, *credentibus* oblata fuit; adeoque, ne non utendum ſit hac ἀκυρολογίᾳ, ut *fœdus* antiquum pro teſtamento, & exitum teſtamenti pro fœdere novo accipiamus.

35. Nam etſi de utroque recte dicatur, illud eſſe viam Domini in ſervando peccatore diverſis temporibus initam, verum tamen non ſit, fœdus & teſtamentum per omnia pari paſſu ambulare, atque ubi teſtamentum eſt, ibi ſimul eſſe fœdus intelligi.

36. Hæc verba, *crede & vives*, quam formulam fœderis poſt mortem Chriſti eſſe volunt, ſi potius cohortatio ad acquirendam hæreditatem modo delatam, quaſi dictum eſſet, *adi hæreditatem & in æternum ea frueris atque potieris*, eaque facultas & voluntas adeundi cum ſpiritu novo, eſt ipſum teſtamenti aperti bonum: quod de vetuſtis temporibus dici non potuit; utpote, quibus illud jus nondum ceſſerat, verum per promiſ-

promiſſiones actusque inter vivos longe moleſtiori & obſcuriore modo repraſentandum fuit, atque repræſentatum ac anticipatum eſt.

37. Denique, promiſſionibus & repromiſſionibus negotium ſalutis apud veteres actum & peractum fuit; Ἐπαγγελίαι, promiſſiones ubiq; de Patribus uſurpantur, *φανέρωσις τέλείωσις; τὸ ναὶ καὶ ἀμὴν, manifeſtatio, conſummatio, res & eventus promiſſionum*, temporibus Chriſti conſtanter & perpetuo adſcribuntur. *Rom. 6. v. 23. & ſeq. 2. Tim. 1. 9. & ſeq. Tit. 1. v. 2. &c.*

38. Tu dices, novum *teſtamentum* fit novum *fœdus*, quando accedit lex Chriſti, jugum ejus, cum promiſſione vitæ & ſalutis ad obedientes, deteſtatio autem & horrenda judicii comminatio adverſus eos qui non credunt in Chriſtum, non amant illum nec obediunt ejus imperiis: dum hæc in mundo ubique prædicantur ac proponuntur, cum pignoribus ſacri Baptiſmi & Cœnæ; dum hæc credentes amplectuntur & *acceptant tum fœdus contractum intelligitur*.

39. At hæc ratio ſic eſt; In præceptis Chriſti, quid eſt quod teſtamento non cohæreat hæredisque officio non æque ac promiſſioni inter vivos conveniat? Comminationes factæ non credentibus, quid aliud ſunt quam exheredationes? quæ non minus quam hæredis inſtitutio ſunt pars teſtamenti, & diris ac fulminibus, etiam à parentibus contra filios non obedientes emiſſis comparantur, vimque dicuntur habere quaſi condemnationis ad mortem; adeoque videndum, ne quicquam in illis ſit, quod contractum, fœdus, aut conventionem inferat, ſacramenta vero ab ipſo Domino Jeſu teſtamento novo adſcribuntur, ejusque ſigilla ſunt. Quod autem & pignora vocantur, inde non ſequitur *eſſe fœdus*, cui accedant: Nam pignora non minus teſtamentis quam contractibus adjici poſſunt.

40. Denique, ita tenemus, delationem & acquiſitionem juris hereditarii, vi mortis Chriſti directe, ſine fœdere, ut poſitum eſt, committi nec obſervantiam teſtamenti proprie contractum eſſe appellandum. Nec conditionem ullam heredibus in teſtamento *Jeſu Chriſti* proponi, cum ipſe conditionem ſalutis acquirendæ unicam, quæ eſt perfecta obedientia, prius impleverit, & nos *δωρεὰν gratis, τῇ αὐτοῦ χάριτι, per illius gratiam* ſervemur.

41. Conditionalis inſtitutio non facit heredes, ſed hereditatis delationem ſuſpendit ab eventu & à præſtatione facti alicujus, quod de efficacia mortis Chriſti neminem dicturum puto. Nec adeo repetemus quod jam conſtat, *fidem non eſſe conditionem inſtitutionis*, ſed aditionem hereditatis, neceſſariam quidem, at non magis conditionem, quam extenſio manus eſt conditio eleemoſynæ acquirendæ.

42. Verum enimvero non eſt nobis animus, negare fœderis uſum & appellationem in nova diſpoſitione teſtamenti aperti; modo non *ad delationem & acquiſitionem juris hæreditarii*, quæ fit unice è teſtamento morte Chriſti confirmato, ſed ad *exequendum* illud, ac *adminiſtrandum* referre contentiſimus; neque tantum id inter executores teſtamenti & heredes profeſſos atque præſumptos, ut ſupra dictum, concedimus; verum etiam inter Deum animamque fidelem, non ut olim, ſcilicet, *conditum*, ſed uſu *exercitum*.

43. Eſt enim prorſus immane diſcrimen inter hæredes Chriſti Domini atque hæredes hominum teſtatorum, in primis in eo conſiſtens; quod hi poſt impletum teſtamentum mortui ſunt & manent, quibuscum nec cogitationes nec verba commutari poſſunt; cum noſter cœleſtis auctor hæreditatis revixerit & in cœlos ad dextram Patris ſui evectus, inde nos verbo ſuo inſtruat, ſpiritu ſuo gubernet ac adjuvet, ut ad finem usque nos digne pro hæredibus geramus & tandem illic ſimus, ubi ipſe nunc eſt. *Joh. 17. 24.*

44. Quod cum nonniſi poſt obitum ex hac vita, infinitis difficultatibus obſepta, futu-

Digitized by Google

futurum ſit, illum divina potentia ſcientiaque ubique præſentem adſiduo contemplamur, ejus opem, imploramus, lapſus noſtros confitemur, emendationem promittimus, ejusque Patri per ipſum nos humillime commendamus; atque nos totos ejus amori obſequioque dedimus ac devovemus: ille nos recipit ſuæque receptionis, per teſtimonium ſpiritus ſancti, certiores reddit.

45. Hoc eſſe, *obligare* ſemet, etiam fœdus inire, ſi quis ita velit, non recuſamus: imo ſi quis exercitium fidei, perpetuum *συνάλλαγμα* dicere velit, *commutationem promiſſionum & repromiſſionum adſiduam*, id æque facile concedemus.

46. Sed jus totum pendet è teſtamento & à morte teſtatoris, ſine ulla fœderis mixtura; verum actualis dominii acquiſitio ejusque exercitium, adeoque teſtamenti juris *executio* fœderali modo adminiſtratur, tam inter Deum, inquam, & animam, quam inter executores teſtamenti & confeſſores, quo pertinet *ὑποταγὴ τῆς ὁμολογίας ὑμῶν εἰς τὸ εὐαγγέλιον. Obſequium confeſſionis noſtræ ſecundum Evangelium. 2. Cor. 9. 13.* non tantum, inquam, externe, ſed etiam reſpectu Dei ipſius animæque hereditatem cernentis. *Jer. 31. v. 33.*

47. Quæ res tamen non eſt, inquam, impedimento, quominus omnem delati & acquiſiti juris hæreditarii cauſam beneficio teſtamenti, ſine pactione fœderis, acceptam feramus; ſecus ac olim, quando teſtamentum nondum valebat & à ſubſidiariis promiſſionibus *ac fœderibus ad* exitum futurum teſtamenti ſe referentibus, neceſſe erat petere ſpem ſalutis.

CAP. V.

FOEDERIS ET TESTAMENTI JUS REVERA NON DISCREPARE, PRESSIUS, ETIAM REMOTIS OBJECTIONIBUS ALIIS, DEMONSTRATUR, ET NATURA SPONSIONIS A CHRISTO FACTÆ EXPLICATUR.

Diſtinctione celebri inter *πάρεσιν* & *ἄφεσιν* ſtatui ſpecificum, non modale duntaxat inter N. & V. teſtamentum, diſcrimen. Sed probatur, antiquos fideles æque perfectè liberatos fuiſſe a reatu peccatorum, quam poſt obitum Chriſti, novos. Removetur objectio à natura ſponſionis, quaſi illa ſupponat, debitorem adhuc ipſo jure obligatum ante ſolutionem. Probatur eſſe genus ſponſionis, quod debitorem perfecte liberat, etiam ante ſolutionem, quæ ſit expromisſio; cujus proprietas & vis huic rei applicatur. Reſpondetur ad loca ſcripturæ, quibus veteres adhuc fuiſſe obligatos, probari videtur. Removentur ea, quæ applicationi expromisſionis hac parte objiciuntur.

1. UNum modo fœdus unumque teſtamentum eſſe, quo jus eccleſiæ fundatum ſit, copioſe demonſtratum eſt. Fœdus idem veteribus præſtitiſſe quod teſtamentum novis fidelibus, nec aliud quam anticipatum teſtamenti vim in fœdere fuiſſe,

 pariter

pariter adſtruximus. Diſcrimen in modo, in gradu claritatis & in frequentiore, nec non languidiore Spiritus ſancti effuſione, denique in œconomiâ cærimoniali poſtmodum abolitâ conſtitiſſe: Jus veterum fidelium per fœdus, idem reverâ fuiſſe, quod novis è Teſtamento ſit, inquam, abunde comprobatum eſt.

2. Haud ita pridem non paulo ſecus inſtitutum eſt cœptumque doceri adſeveratè, *Remiſſionem debitorum è peccatis quæ fidelibus in antiquo fœdere tribuitur, non fuiſſe liberationem perfectam, quia tunc necdum erat facta ſolutio, per quam Deo Creditori verè ſatisfieri potuerit, utpote, quæ demum à Chriſto paſſo præſtita ſit.* Hanc quoque naturam *Sponſionis* eſſe, quam filius Dei ab initio præſtitit, ut ille quidem Fidejuſſor *ſoluturus eſſet*, ipſa tamen debiti *obligatio* peccatoribus, tanquam principalibus & originariis debitoribus *adhuc incumberet. y)*

3. Proinde veteris teſtamenti peccata Deum magis prætериiſſe & diſſimulaſſe, reſpectu ſolutionis futuræ, quam aboleviſſe penitus & extincta voluiſſe: Nec aliter potuiſſe fieri. Unde celebris diſtinctio inter Ἄφεσιν, *remiſſionem abſolutam* & Πάρεσιν, *præteritionem*, hanc veteri, illam novo Teſtamento convenire ſtatuunt. Quâ de re ſuperioribus annis tam crebro diſputatum eſt, ut nihil tritius. Heic tamen loci nova res videri, neque ſane omitti poteſt.

4. Si verum eſt, quod antea probavimus, fœdus antiquum nihil fuiſſe, quam προκύρωσιν & vim teſtamenti anticipatam, idemque Veteribus vi mortis futuræ, mediis promiſſionibus, exhibuiſſe, quod mors ipſa apertique teſtamenti ſententia novis dedit Fidelibus, fieri non poteſt, ut illa vocabulorum Πάρεσεως & Ἀφέσεως diſtinctio reale diſcrimen habeat.

5. Si poteſt etiam doceri, veteribus adſcribi plenam & abſolutam à peccatis atque reatu liberationem, non minus efficaciter, quam de novi teſtamenti temporibus prædicetur, ultro corruit illa diſtinctio. Nos illa breviſſime collocabimus.

6. David ſui temporis fidelibus ἄφεσιν adſcribit *Pſ. 32.* ubi Græci Interpp. ἀφεθῆναι τὰς ἁμαρτίας, οὐ λογισθῆναι, non *imputari.* Ἐξαλειφθῆναι, *Expungi, extingui.* Ῥαντισθῆναι ὑσσώπῳ *expurgari* hyſſopo, Ὥστε λευκανθῆναι ὑπὲρ χιόνα, *ut nive Candidiores fiant*, quod David de ſe occaſione pœnitentiæ, propter adulterium & cædem actæ, adeoque in uſu hiſtorico temporis ante Chriſtum adfirmat *Pſ. 51.* Idem ἱλασμὸν παρὰ κυρίῳ ἕνεκα τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, Expiationem apud Dominum propter nomen ejus, id eſt, Meſſiam memorat *Pſ. 130.* Chriſtus etiam Dominus ante ſolutionem à ſe peractam, non ſemel ἀφεθῆναι *remiſſa, abolita* peccata ponit, ut *Luca* ℣ *11. 47.* Quare & juſtificatio ſimplex veteribus adſcribitur *Rom. 4.* ℣. *3. Jacob. 2.* ℣. *21.*

7. Vix eſt, ut efficaciora dicta ſignificandæ remiſſioni pleniſſimæ in N. T. monſtrari queant. Proinde, cum peccata veterum fidelium propter Chriſtum penitus extincta fuiſſe liqueat, nullus locus ſuperiori diſtinctioni relinquitur.

8. Sed diverſa ſententia verboſior eſt. Neceſſe videtur, ut rationes ejus videamus & removeamus. Primo, non parvam ſpeciem & ὁρμὴν huicce opinioni dedit, conſideratio ſponſionis & ſolutionis nondum factæ ante Chriſti mortem. Qua fieri videtur, ut aliter ſe res habere nequiverit; quam

y) incumberet) *Quæ in hoc capite differit autor, ſynopſin continent eorum, quæ in tractatu* de fœderibus & teſtamentis exercitatione 5. & 6. *fuſius differuerat, niſi quod hic* in n. 1. *clarius oſtendat connexionem hujus doctrinæ cum præcedenti de fœderibus & teſtamentis.*

quam quod ante ſolutionem à Sponſore factam ipſo jure debitum peccatoribus adhuc incubuerit, etſi Deus pater ſe jus ſuum, Sponſoris fide contentus, non executurum declaraſſet. Ac ita *præteritionem*, *πάρεσιν* peccatorum à ſponſore veteribus impetratam; *ἄφεσιν* remiſſionem *nobis* credentibus ab eodem *ſolutione peracta* fuiſſe præſtitam.

9. Neque profecto hæc res aliter explicari poſſet, ſi tantum una ſponſionis ſpecies daretur, qua quis ita alienæ obligationi accedat eamque in ſe recipiat, ut principalis Debitor adhuc obligatus maneat; cujusmodi ſponſio, Fidejuſſio & *Adpromiſſio* vocatur à Juriſperitis.

10. Sed eſt aliud ſponſionis genus, quod vocatur *Expromiſſio & Delegatio*, quà ſponſor alienam obligationem ita in ſe recipit & transfert, ut primus debitor plane perfecteque liberetur, ejusque obligatio citra & ante ſolutionem penitus aboleatur & extinguatur, quemadmodum à nobis in *Tract. de Fœder. & Teſtam. exercit. 5. antea citato* copioſe demonſtratum eſt: & Sponſor ille vocatur *Expromiſſor*, etiam reus pro alio datus, qui non tantum ab alio delegari, ſed etiam ſe ipſum delegare dicitur, *d. Exercit. th. 8.*

11. Quamvis autem Debitor ab omni jure Creditoris per Expromiſſionem liberetur, verum tamen eſt, jus Creditoris manere integrum, adverſus Sponſorem ſive novum Reum. Ut, ſi quod habeat chirographum primi debitoris, id agnitum à novo Reo vigorem ſuum retineat adverſus Expromiſſorem, in quem aut ſtatim, aut tempore conſtituto competit exactio & executio.

12. Solutione autem facta, quanquam liberationi debitoris priſtini, quæ pridem abſoluta fuerat, nihil adjiciatur, hoc tamen novi accedit, quod *ſubſtantia* debiti omnino perimitur & chirographum reſtituitur, aut aboletur. Quo fit, ut debitor etiam majore lætitia quam prius efferatur, jure quidem eodem ſed evidentia majore liberationis, imprimis ſi antea nonniſi obſcure ſponſionis acceptatæ certior factus fuerit.

13. Maxime autem evidens differentia inter ſtatum rei liberati, ante & poſt ſolutionem ſponſoris, quod ad ſenſum & externam ſpeciem, tunc apparet, quando, ſcilicet, debitor liberatus, ante ſolutionem infans, & poſt ſolutionem adultus fuit. Quamdiu erat *infans*, non intelligebat, ſe liberatum eſſe, regebatur ut ſervus; Adultus vidit lytrum antea promiſſum ſolvi pro ſeſe, eoque demum læto nuntio exſultat, pleneque felicitatem ſuam agnoſcit, quam vix antea capiebat; etſi ad jus ipſius liberationis tum revera nihil acceſſerit.

14. Ita ſublata eſt difficultas à natura ſponſionis. Etiam objectio *capite praced.* mota, quod duæ ſint *diatheca*, vetus & nova, melior & deterior; cujus rei ſenſus & heic & ibi ſatis eſt declaratus. Sed videamus, an loca ſcripturæ ſingularia & adhuc intacta non inferant plus quam modale diſcrimen: Hæc enim etſi vulgaria tamen omitti non poſſunt.

15. Ad *Rom. c. 3. v. 23.* ſcriptum eſt, Deum propoſuiſſe Chriſtum *ἱλαστήριον, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων*, propitiatorium per *remiſſionem*, an *præteritionem peccatorum antea commiſſorum.*

16. Non eſt quod dicamus, hæc verba non niſi ad peccata præterita quorumvis fidelium pertinere, nec ad tempus ante Chriſtum eſſe reſtringenda, licet in verbis forte nihil ſit huic ſenſui contrarium, ſed relinquamus hoc ſuo loco.

17. Vocabulum autem *πάρεσις* idem eſſe quod *ἄφεσις* pridem à græcæ linguæ peritis probatum eſt. Nec enim à *πάρειμι*, quod ſignificat *prætereo*, ſed à *παρίημι remitto* derivatur. Si quis urgeat, *τὸ παρίημι* aliquando *prætermittere* ſignificari, in quem ſenſum verba Xenophontis ex Budæo proferuntur, *μηδένα παριέναι εἰς τὴν ἀκρόπολιν*, *neminem transmittere ad arcem*, unde non ſit alienum deducere *τὴν πάρεσιν*, id

quidem

quidem per me & per interpretationem, quam ſequi malim, fieri licet.

18. Ita enim illa vox non ſimplicem denotaret omiſſionem aut diſſimulationem, ſed transmiſſionem motivam, *de loco ad locum*; vel, ſi de hominibus agatur, *de perſona in perſonam*; cujusmodi transmiſſionem exacte convenire noſtræ expromiſſionis inſtituto, è ſuperioribus dictis manifeſtum eſt; utpote, per quam debitum ab originali debitore transmittitur atque transfertur in ſponſorem: Eoque ſenſu nemo negabit, veteribus competere πάρεσιν, per quam liberatio plena perfectaque & ſolutioni æqualis committitur.

19. Sunt, qui hoc ipſum per Hebraismum in ſacris literis frequentem, quo Deus dicitur, *tranſire facere* peccata, videlicet à peccatore in mediatorem, ſignificari intelligunt, quod ſuo merito relinquemus; etſi res ſit veriſſima. Enimvero id utique abunde liquet, iſtum Pauli locum minime factum eſſe, ut vim ἀφέσεως pro antiquis fidelibus tot locis adſtructam auferre poſſe videatur.

20. Ex eadem expromiſſionis natura poteſt reſponderi ad ἀνοχὴν tolerantiam, quæ temporibus antiquis, ut volunt, *ex eodem Pauli ad Romanos* loco, adſcribitur; ſi tamen, quod mihi non liquet, ibi temporum ſit oppoſitio, & non ſimplex indulgentia Dei, adverſus quoslibet electos, nondum ſide mediatorem amplexos, prædicatur.

21. Sed demus, ἀνοχὴν fuiſſe veteribus peculiarem, quænam evidentior eſſe poteſt ἀνοχή, quam quod Deus pro debitore criminali, quem totum exigere & excutere, meritæque pœnæ ſubjicere poterat, ejus loco ſuum filium intervenire totamque in ſe recipere paritur obligationem; quod denique & cum illis ante chirographum ſolutione peremptum, per gratuitas promiſſiones, bona cœleſtia communicavit?

22. Atque hæc eſt ἀνοχή, qua Deus uſus eſt, cum adverſus omnes electos, tum ſpecialiter erga vetuſtos fideles: etiam adverſus omnes, inquam; Fuit enim hæc divina bonitas, cùm peccatores ſolvendo, niſi æternis pœnis, nullo modo eſſemus, tam inexpectatam clementiæ, ſalva juſtitia ſua, rationem inire, qua filius infinita divinæ perſonæ dignitate, tranſitorio ſupplicio temporis infinitatem, cui nos eramus obnoxii, adæquaret.

23. Hæc, inquam, ſive ἀνοχὴ ſive πάρεσις atque bonitas ineſt in expromiſſione, qua ſimul divinæ juſtitiæ, conſenſu Dei creditoris atque ſponſoris, quod toties dictum, pleniſſime ſatisfactum eſt.

23. Plus forte valoris eſt in argumento, quod è Paulo ad *Hebr. 10. v. 18.* peti ſolet; Ὅπου ἄφεσις ἁμαρτιῶν οὐκ ἔτι προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας, *ubi eſt remiſſio peccatorum, ſive perfecta liberatio, ibi nullus eſt locus oblationi pro peccatis:* Atqui ante Chriſtum fuit oblatio. Ergo non fuit tum remiſſio ſive perfecta liberatio.

24. Reſponſio ſimplex eſt; dictum illud Apoſtoli veriſſimum eſſe, de remiſſione ac abolitione debiti ipſius, quod ante ſolutionem ſponſoris adhuc erat integrum, ſupereratque chirographum debiti, quo peccator erat obſtrictus, & quod ſolutione demum corporali peremptum eſſe conſtat. Quamdiu igitur ſupererat obligatio & chirographum debitoris, *uſum habebat oblatio*, quæ nihil erat aliud quam typica repræſentatio mortis Chriſti, ipſum debitum abolituræ & inſtrumentum obligationis reſciſſuræ.

25. Quod recte perceptum nullam relinquit difficultatem in eo loco, qui tractat de hac inductione & abolitione chirographi. Eſt locus Pauli ad *Coloſſ. c. 2. v. 14.*

26. Ἐξαλείψας, inquit, τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν, ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν καὶ αὐτὸ ἦρκεν ἐκ τοῦ μέσου, προσηλώσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ. *Cum deleviſſet chirographum præceptorum contra nos, quod nobis erat adverſum, cruci adfixum ſuſtulit illud è medio.*

27. *Delevit* per ſanguinem, quod erat pretium ſolutionis.

28. *Chiro-*

28. *Chirographum præceptorum*, quod eſt confeſſio delictorum, in exercitio cærimoniarum præſcripto.

29. *Contra nos*, in noſtrum nomen ac onus conceptum.

30. *Quod nobis erat adverſum*, quod pœnam continebat, quam ob peccata commiſſa nos fatebamur eſſe meritos.

31. Si quis ὑπεναντίον velit ita vertere, *ſ. badverſum*; quia non directe contrarium fuerit, haud repugno; Sed neceſſe non eſt, neque verbi uſus adeo id infert, quam etymologia videtur. Chirographum ut conceptum fuit, ita plane adverſum erat nobis; etſi vim ſuam contra nos pridem amiſerat.

32. *Suſtulit è medio*, poſt ſolutionem ſibi traditum abſtulit è manibus ſui patris, ut promiſerat.

33. *Adfixum cruci*, quemadmodum obita in cruce morte demonſtravit, omnibusque deletum chirographum quaſi ob oculos poſuit.

34. Veteres in cærimoniis occupati fideles, ſic animos induxerint ſuos: Hæc dogmata ritusque moleſti commonefaciunt nos chirographi extantis in noſtrum nomen, quo favemur nos eſſe meritos mortem; quod Sponſor, in ſe pœna jam recepta, auferet aliquando è medio. Beati, qui videbunt hoc in tempore, deletum oculisque ſuis expoſitum!

35. Cauſæ fuiſſe abunde, quur Deus hanc chirographi commonefactionem quotidie veteribus, etſi vim ejus contra ſeſe amplius non valere crederent, inculcari voluerit, ex iis quæ ſupra commemorata ſunt, obſervari poteſt. Scilicet, eadem quæ legis univerſæ ratio fuit, ut pædagogus eſſet ad Chriſtum.

36. Quid opus eſt addere de verbis Pauli, *Ὅσοι ἐξ ἔργων νόμου εἰσὶν, ὑπὸ κατάραν εἰσί. Quotquot ex operibus Legis ſunt, ſub exsecratione ſunt: ad Gal. 7. v. 10.* Quaſi Patres antiqui diris ſubjecti fuiſſent. Quis enim non videt, hoc de iis qui ex operibus Legis juſtificationem quærunt, non de fidelibus Vet. Teſtamenti eſſe dictum. Qui cum Legi nunquam per omnia ſatisfaciant, diris ejus, quatenus fide in Chriſtum illis non eximuntur, ſunt obnoxii, ut clarum è textu.

37. Hæc omnia nituntur eo quod diximus, Sponſionem Chriſti non fuiſſe fidejuſſionem ſed expromiſſionem; quæ perſonas debitorum vi obligationis perfectè liberaverit, ipſum vero debitum & Chirographum obligationis ad ſolutionem usque relinquebat integrum.

38. Adplicationem hujus doctrinæ quominus facere liceat, opponunt aliqui, talem expromiſſionem non habere locum in *pœnis corporalibus delictorum*; ſed in illis reatum manere, donec ſolutio corporaliter fiat.

39. Eſt equidem verum, jure Civili non probatam eſſe regulam, ut *quisque membrorum ſuorum dominus* eſſe dicatur, deque ſuo corpore vitaque, more contractuum, diſponat: Sed jure gentium pro patria, parentibus, liberis & conjugibus aut amicis, ſe ad mortem cruciatumque corporis obligare, non modo non incognitum, ſed etiam laudabilibus exemplis celebratum eſt.

40. Eaque res in filio Dei, cujus ad hypotheſin hæc diſputatio pertinet, minus habet dubii; quod in eo ceſſet regula juris, quod Dominus membro vitæque ſuæ nemo dicitur; Chriſtus enim ἔχει ἐξουσίαν θεῖναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, *habet poteſtatem de corpore vitaque ſua diſponendi. Ioh. X, 18.*

41. Neceſſe non erit, ut removeamus objectionem jam præoccupatam; qua delegationem ſive *expromiſſionem*, per quam omne jus creditoris tollitur, nonniſi debitoris voluntate fieri excipiunt: Chriſti vero ſponſionem ignaris peccatoribus eſſe commiſſam.

42. Nam præter quod hæc objectio fidejuſſioni, cui illi non contradicunt, æque adverſatur, probavimus *ſupra*, nihil obſtare, quominus & *delegatio* fiat ignaro debitore, quemadmodum Chriſtus dominus ſe patri ſuo

pro genere humano, ſine ipſius concurſu, præbuiſſe manifeſtus eſt.

43. Non licet adhuc dimittere inſtantiam adverſus hunc liberationis effectum, ante ſolutionem, cujus modo meminimus, & qua Viros Cll. uti videmus; Conſenſu partium fieri poſſe dicunt, ut pecuniarium debitum eo modo aboleatur, *Sed quod oritur ex maleficio, ex rigore juſtitiæ, ante ſolutionem pœna non poſſe relaxari.*

44. Qui ſic inſtituunt, primo nihil proferunt, cur ita ponant, & cur expromiſſio, quæ vim ſolutionis habet, non ſubſiſtat, ubicunque valet ſolutio, quam illi pro delictis alienis fieri poſſe concedunt.

45. Statuunt, inquam, Chriſtum potuiſſe jure pro nobis *ſolvere, ſpondere;* per ſolutionem pœnæ pro alio factam, jus Creditoris & obligationem ex delicto æque aboleri, quam debitum pecuniæ; non negant, hoc à voluntate Creditoris ejuſdemque judicis pependiſſe; eundem id agere potuiſſe, ut ſponſor vel fidejuſſor ſtatim ſolveret, quo liberatio mox ob oculos foret. Igitur ſola dilatio reſtat, qua liberatio perfecta in expromiſſione Chriſti poſſit impediri; per quam tamen nihil in ratione juris & juſtitiæ mutari certum eſt.

46. Mora ſolutionis equidem non mutat reatum, nec eximit obligationi debitorem, ubi nulla fit novi rei ſubſtitutio; ſed qui *hanc* concedit, male connectit, ſi effectum rei a partium voluntate retro poſſe operari neget; ut Liberatio per ſolutionem, ſuo tempore conſenſu creditoris & ſponſoris facta, vi voluntatis ejus effectum in anteceſſum habeat, per actum ſolutioni æquipollentem.

47. Eſt & alia objectio minoris ſubtilitatis; Si Chriſtus in ſe debitum ante ſolutionem plane transtuliſſet, fore ut ſecuta ſolutio non pro nobis, verum pro ipſo, qui jam ſolus debitor erat, præſtita videretur.

48. Eſt cavillatio reſponſionem vix requirens: Sponſor poſt expromiſſionem manet reus pro alio datus, & in hac qualitate non ſuo nomine, convenitur à creditore, hoc modo; *Quando tu pro Cajo te reum conſtituiſti, ajo, te ſolvere debere quod pro Cajo ſpoſpondiſti;* nec aliter condemnatur.

49. Æque parum ad rem facit, quod in Expromiſſione, dicitur ſolutio deficere poſſe, ob inopiam ſponſoris, ſecus ac in ſponſione Chriſti. Quis enim negat, manere diverſitatem, quæ eſt in terminis & accidentibus rerum humanarum; ac in proprietatibus divinis, quod toties dictum eſt? præter quod hæc objectio non expromiſſioni, ſed cuilibet ſponſioni adverſatur.

CAP. VI.

DE SATISFACTIONE CHRISTI.

Uſus obſervationis de propria ſignificatione Satisfactionis. Quinque diverſi ſenſus Satisfactionis, in negotio Salutis humanæ. Unum eſſe rectum, quo ſumitur pro expletione juſtitiæ divinæ præcipientis & punientis. Hanc ſignificationem à Grotio in libro de Satisfactione non eſſe adſertam. Sed eum urgere ſatisfactionem, qua Chriſtus ſolverit minus quam debitum erat. Mortem fidelium temporalem nihil detrahere plenitudini ſatisfactionis. Objectionem eſſe vulgarem, ſed difficilem; quomodo cum plena

plena ſatisfactione concurrere poſſit gratuita remiſſio. De qua & Grotiana ſententia prolixius agitur, ut & de Æquitate Dei erga peccatores.

1. IN doctrina de Liberationibus vox *Satisfactionis* uſitata eſt, de qua nonnulla venerunt in mentem, quæ ſupra dictis cohærere, nec obſervationis indigna videantur. *z*)

2. Quæ autem à nobis de proprietate vocabuli in Juriſprudentia, & niſi fallor, in omni lingua veterum Latinorum, proferentur, nolo quidquam uſui ſcholæ recentioris Theologicæ præjudicare; quod nec periculum eſſe, ne fiat, opinor: verum cautiones, quas inde ſuppeditabimus, ſpero tales fore, quæ nec ipſis inutiles Theologis exiſtimentur; præſertim, quando mihi quidem non conſtat, adhuc ulli ſuboleviſſe, quo pacto vocis hujus prætextu Grotius noſter (ut civilis ſapientiæ præſtantiſſimum auctorem ita appello) in optimâ causâ prævaricatus videatur.

3. Primo omnium ſatis conſtat, Theologos orthodoxos per *ſatisfactionem* Chriſti intelligere, plenam expletionem juſtitiæ divinæ, cum præcipientis tum punientis, quam Chriſtus pro homine peccatore Patri ſuo præſtiterit, juxta illud Pauli; Ὁ Θεὸς κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ, ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν: *Deus condemnavit peccatum in carne filii ſui, ut jus legis in nobis impleretur.*

4. Videamus, an *ſatisfactionis* vocabulum hujus vim ſignificationis eo modo exprimat, ut nulla cautione in intellectu ejus adhibendo opus ſit futurum. De juriſconſultorum uſu latino vocis hujus diverſo, pauca teſtimonia producemus, cum venia lectoris, ita re poſtulante.

5. Cajus in *l. 1. ff. Qui ſatisdare cog. ſatisfacere dicimur ei, cujus deſiderium implemus.* Ulpianus in *l. 9. §. 3. ff. de pignor. act. ſatisfactum accipimus, quemadmodum voluit creditor, licet non ſit ſolutum, ſive fidejuſſoribus, reo dato, ſive pretio aliquo, vel nuda conventione; & generaliter dicendum eſt, quoties recedere voluit creditor à jure ſuo, ſi, ut ipſe voluit, ſibi cavit, videri ei ſatisfactum.* Marcianus in *l. 5. §. 2. ff. Quib. mod. pign. vel hypoth. ſolv. Si convenerit, ut pro hypotheca fidejuſſor detur & datus ſit, ſatisfactum videbitur.* Labeo *l. 14. eod. tit. Mercedis nomine fidejuſſorem à colono accepiſti; ſatisfactum tibi videri exiſtimo.* Marcianus iterum in *l. 49. ff. de Solution. Si acceptum latum ſit, ſolutionis quidem verbum non proficiet, ſed ſatisfactionis ſufficit.* Plura, ſi neceſſe fuerit in promptu ſunt, quæ proferantur.

6. Creditori ex delicto dicitur etiam *verberibus ſatisfieri & ſatisfactum eſſe*, apud Ulpianum in *l. 17. §. 4. ff. de injur. & in l. pen. Si ex nox. cauſ. ag.* ubi, *verberibus de injuria ſatisfit*, plane ut Cicero *lib. 3. in Verr. ſatisfacere ait, eſſe tantum facere, quantum ſatis ſit irato ad vindictam*; quod etiam aliquando fit excuſatione & deprecatione, quomodo Catullum, refert Suetonius, Cæſari

z) videantur) *Nota eſt controverſia orthodoxorum cum Socinianis de ſatisfactione Chriſti. Scripſit & Grotius de ſatisfactione adverſus Socinum. Sed hoc ſcriptum non placuit orthodoxis, unde Ravensbergerus edidit cenſuram libri Grotiani de ſatisfactione. Contra pro Grotio ſcripſit apologiam Gerardus Johannes Voſſius. Autor ſuam ſententiam hic aperit de illa quæſtione, & fere repetit iiſdem verbis, paucis immutatis, quæ dixerat in tractatu de fœderibus & teſtamentis exercitatione ſeptima prioribus ſex ſectionibus. Tota quæſtio theologica eſt, niſi quod illuſtretur ex doctrina Juris de ſatisfactione. Unde eam relinquimus Theologis, neque nos immiſcemus.*

ſari de carmine famoſo *ſatiſfeciſſe*, *Vita ejus cap. 73.*

7. Hinc Pontificii *ſatiſfactionem* vocant pœnitentiæ partem, juxta contritionem & confesſionem: non quod ſatisfactionem velint eſſe plenam expletionem juſtitiæ divinæ, quam Chriſto, ni fallor, adſcribere videri volunt; Sed pro officio & præſtatione peccatoris, quam in meriti aliquam partem nihilominus adſciſcunt.

8. Ex his intelligitur, quando *ſatiſfactionis* Vocabulum de ſalute generis humani per Chriſtum adminiſtrata uſurpatur, ex uſu latino & juridico, non tantum ſignificari poſſe veram & proprie dictam ſolutionem, ſed varias admodum ſpecies aliis alias efficaciores. Primo igitur, cui vere & corporaliter ſolvitur id ipſum quod debetur, huic etiam ſatisfit, quomodo *ſatiſfacere judicato* dixit, opinor, Scævola in *l. 4. §. 1. d. pact.* & hic ſenſus Chriſto paſſo adſcriptus ſine dubio rectus & orthodoxus eſt.

9. II. Qui ſolvit pretio *aliquo* dato, non quod totum debitum exhauriat, ſi tamen creditor contentus eſt, ille *ſatiſfacit d. l. 9. §. 3. d. Pign. act.* Et hic eſt ſenſus, quo Grotius utitur, in rem ſuam, ut mox videbimus.

10. III. Qui nihil corporaliter ſolvit, verum dat reum alium ſive expromiſſorem, qui totum in ſe debitum recipiat ſolus, ille *ſatiſfacit*, *d. §. 3.* hoc ſenſu fidelibus antiquis eſſe conſultum ſuperiori diſſertatione probavimus.

11. IV. Qui dat fidejuſſorem juxta ſe obligatum, ut ipſe, inquam, obligatus maneat, ille ſatisfacit, *ibid.* quo ſenſu qui πάρεσιν opponunt ἀφέσει, Chriſtum pro veteribus *ſatiſfeciſſe* interpretantur.

12. V. Qui acceptum tulit debitum, poſt conventionem de non petendo, ei recte *ſatiſfactum* dicitur, *d. l. 49.* quæ eſt ratio libetationis ſocinianæ.

13. Ex his, inquam, patet, orthodoxos non tantum recte dicere, Chriſtum *ſatiſfeciſſe*, eo quod ſolvit obedientiæ pœnæque debitum, quo peccator erat obſtrictus; ſed etiam quod *expromiſit* pro veteribus ante ſolutionem corporaliter factam.

14. Eos etiam, qui intelligunt, Chriſtum fuiſſe *fidejuſſorem* veterum, manente reatu, donec fiat ſolutio, recte dicere Chriſtum *ſatiſfeciſſe*. Quin & Socinianos, dum volunt, peccatores ſola Dei voluntate liberali eſſe liberatos, eamque Chriſtum acceptilationem impetraſſe, & impleviſſe voluntatem Patris ſui, in ejus executione adminiſtranda, tam latine quam juridice poſſe dicere, quod Chriſtus pro peccatis hominum ſatisfecerit.

15. Enimvero Socinianos ab hac diſputatione ſatis removimus, eo quod neceſſitatem explendæ juſtitiæ divinæ pro noſtri inſtituti ratione demonſtravimus; De fidejuſſionis, an expromiſſionis hypotheſi nihil etiam quod nunc repetatur, poſt ſuperiores diſputationes, ſupereſt.

16. Sed hoc nemo non fatebitur, opus eſſe, ut *ſatiſfactionis* vocabulum diſerte limitetur, caveaturque, ne quid aliud ea, quam expletio divinæ juſtitiæ ſecundum legis exactitudinem, per veram ſolutionem aut ejus expromiſſionem, ante diem ſolutionis cedentem, intelligatur.

17. Quod hæc cautio minus uſquequaque ſit obſervata, facilius Theologis, quam Grotio Juriſconſulto, ignoverim, qui in libro tantopere laudato *de ſatiſfactione contra Socinum ſcripto*, hanc ſatisfactionis laxiorem ſignificationem nimis, ut videtur, cupide ſectatur, nec unquam ſuum lectorem de periculo ambiguitatis illius admonitum, imbuit doctrina, quæ ſi orthodoxam exprimit ſententiam, fallor ego vehementer, etſi falli me cupiam.

18. Eſt enim τῶ πάνυ hæc ſententia: Chriſtum liberaſſe nos, *aliquid pretii dando*, minime quod toti debito ſecundum legis rigorem æquale, ſed quo Deus Pater contentus fuerit, qui reliquum remiſerit, hoc eſt, *dimiſerit* ſine expletione, quod ſit ἀφιέναι, id eſt, miſſum facere, ut docet pag. 66. edit. Londin.

Londin. 1661. Loca ipſa proferemus. Docet, ſatisfactionem Chriſti in eo conſtitiſſe, quod Chriſtus *morte ſuâ MOVERIT DEUM, ut nos à pœna liberaret*, hanc eſſe cauſam redemptionis *cap. 8. à pr.* Lytrum quod ſolvit eſſe tale, quo *MOVETUR quiſquam, ut aliquem incommodo alioquin affecturus eo liberari patiatur d. cap. p. 161. edit. Lond. in fin.* *'Αντίλυτρον eſſe, quo liberator SIMILE QUIDDAM ſubit ei malo, quod ei imminebat, qui liberatur. pag. 165. in fin. Ab hoc debito liberationem nobis Chriſtus impetravit* ALIQUID DANDO *pag. 177.* Sic intelligit, Chriſtum ſatisfeciſſe, quod impetraverit ut *ira Dei placata, ille nobis ſit reconciliatus, pag. 120. 139.* Explicatio in cruce facta Deum *MOVET ad remittendum p. 124.* *Vice noſtra Chriſtum eſſe mortuum, hoc eſt, niſi Chriſtus eſſet mortuus, nos fuiſſe morituros;* quæ videlicet eſt cauſa *ſine qua non*, ut loquimur. Denique, ſatisfactionem Chriſti dictam eſſe, *quia ſolvit aliud quam quod eſt in obligatione d. p. 120.* nuſquam de expletione legali divinæ juſtitiæ quicquam reperitur.

19. Scimus, alios id libenter adoptaſſe, ut admoneant frequentes, ſolutionem Chriſti non eſſe proprie dictam ſolutionem eo quod alius quam verus debitor ſolvit, atque aliud pro alio ſolutum eſt: Sed ego longe malim retinere proprietatem ſolutionis, quam dubietatem *ſatisfactionis*, etſi vocabulum hoc non improbamus.

20. Non deſinit, inquam, ſolutio eſſe vere talis, & propria, quanquam alius pro alio, nec non aliud pro alio ſolvatur. Juſtinianus, *Tollitur autem omnis obligatio ſolutione ejus, quod debetur: vel ſi quis conſentiente creditore, aliud pro alio ſolvat, nec intereſt, quis ſolvat, utrum ipſe qui debet, an alius pro eo. Liberatur enim & alio ſolvente; ſive ſciente, ſive ignorante debitore, vel invito eo, ſolutio fiat. pr. Inſt. Quib. mod. toll. obl.* Idem eſt in *l. 17. C. de Solution.* Quare etſi vere diceretur, Chriſtum aliud pro alio ſolviſſe, non deſineret tamen eſſe vera ſolutio, modo id quod ſolvitur, expleat obligationem.

21. Sed tutius & rectius, opinor, dicemus, Chriſtum *non ſolviſſe aliud pro alio.* Peccator debebat pœnam mortis, Chriſtus luit eam pœnam, peccator pœnam debebat infinitam, Chriſtus eam luit. Diverſitas in ratione infiniti non ſuſtulit *æqualitatem quantitatis*, quæ ad veram & proprie dictam ſolutionem ſufficit *l. 1. in pr. ff. d. Contrab. empt. Verb.* æqualitate quantitatis: *juncta l. 65. §. 1. ff. d. V. O. & d. l. 17. C. de Solut.*

22. Non eſt aliud, inquam, pro alio, quando in alia forma ſolvitur, modo *in eadem quantitate* ſolvatur. Pœna omnis æſtimatio delicti eſt *l. 43. d. Pœn.* Diverſitas perſonarum in generibus pœnæ nullam inducit varietatem, in iiſdem delictis *l. 2. ff. de Term. mot. l. 4. §. 2. ff. de Stellion. l. 28. §. ult. ff. de Pœn.* Quantitas tamen æſtimationis ſemper tenet juſtam proportionem delicti & pœnæ, quod explet veram ſolutionem *dd. ll.*

23. Idem & emptionis, quæ pretio facta ſit, & paſſim de liberatione per Chriſtum inculcatur, efficacia dictat. Nuſquam enim major exactitudo æqualitatis inter rem & pretium, quod ſolvitur, quam in emptione venditione conſpicitur: ἠγοράσθητε τιμῆς *Pretio empti eſtis 1. Cor. 20.*

24. At heic id non agimus, ut expletionem juſtitiæ divinæ, quam præſupponimus, vindicemus: Sed fallaciam in voce & ex vocis uſu demonſtrare in animo erat. Pariterque obicem ponere multorum, ut dicere fas ſit, imprudentiæ, qui Grotianis rationibus, contra Socinianos, omnia tribuunt.

25. In eundem tamen Grotii ſcrupulum impingunt, qui Chriſtum pro morte Naturali fidelium, quatenus hæc eſt pœna peccati, atque adhuc ſupereſt, ſatisfeciſſe negant: Ajunt enim, non eſſe opus, ut ſatisfactio omnem delicti & pœnæ materiam exhauriat, ſi modo à Deo Patre pro ſufficiente accipiatur. Verum hæc res pendet à ſignificatione pœnæ latiori & ſtricta. Nam

Digitized by Google

proprie pœna eſt, *vindicta peccati*, quo ſenſu mors fidelium non eſt pœna, ſed tranſitus ad vitam meliorem. Sed pœna etiã exigitur ab eo qui vindictam non vult, ad emendationem atque ad exemplum, ut *alibi* dictum & dicendum eſt. Hoc ſenſu mors fidelium omnesq; eorum adflictiones etiamnum pœnæ ſunt. In ſatisfactionis autem doctrina prior & ſtricta pœnæ ſignificatio ſola uſum habet, eamque mors Chriſti ſine dubio conſumpſit. Emendationis & exempli pœnæ ad ſatisfactionem non pertinent, ideoque nihil hactenus pleniſſimæ ſatisfactioni per mortem fidelium adhuc manentem detrahitur.

26. Hæc tam liquida tantique veritas momenti difficultatem habet tralatitiæ neque minus ideo difficilis objectionis; quo pacto cum pleniſſima expletione juſtitiæ Divinæ conſiſtere poſſit, quod nos δωρεὰν, τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι, *gratis ſolaque Dei gratia ſervati dicimur*, in ſacris literis paſſim.

27. Grotius in ſatisfactione, quæ non explet debitum, invenire poteſt concurſum τοῦ χαρίζεσθαι gratificandi & ſolvendi; ſed talem nobis admittere religio eſt, nec cavillationibus Socinianis illa refellendis, ſufficit; quia ſemper inſtare poſſunt, ut facit Crellius, liberalitatem gratiamque gratuitam ubique effuſis verbis prædicatam, non ferre ſolutionem vel præſtationem ullius rei, ad remiſſionem, ex parte vel in totum promerendam.

28. Primum & proximum, quod heic in mentem venire queat & proferri ſolet, eſt hoc; Quod Deus, cui peccator homo erat obligatus, hunc impune dimiſerit, aliumque reum debitorem, à quo ſolutio fieret, admiſerit, ad quod ſcilicet, non tenebatur.

29. Quæ res ita quidem veriſſime adfirmatur; ſed & hoc confitendum eſt, illam præteritionem & ſubſtitutionem novi debitoris, à gratuita liberalique remiſſione valde eſſe alienam; quia nihilominus illa tendit ad ſolutionem & expletionem juris, quod Creditori competit, exacte perpetrandam, cui opponitur donatio & liberalitatis exercitio.

30. Creditor quidem reipſa declarat, ſe non eſſe moroſum, nec incommodo debitoris, qui non eſt ſolvendo, gaudere. Sed tamen, dum ſibi præciſe vult ſolvi totum quod debetur, hoc ipſo liberalem gratuitamq; præferre remiſſionem, videndum eſt, ne non ſatis cum natura negotii convenire videatur.

31. Doctiſſimi viri ad hoc ita inſtituunt, ut diſtinguant inter obligationem *realem* & *perſonalem*. Illam, hoc eſt, crimen & pœnam eſſe ſublatam, per ſponſionem & ſolutionem Chriſti; hanc, quatenus debitor in ſua perſona luere debebat, à Deo gratis, ſine ulla ſatisfactione eſſe remiſſam; ut hoc modo pure & abſolute dici queat, peccatorem ab obligatione ſua gratuito eſſe liberatum.

32. Senſus haud dubie pius & orthodoxus eſt in hac reſponſione; Sed incommodum loquendi, quod pars obligationis altera ſine ſatisfactione ſit abolita, ſi non ſit neceſſarium, magis eſt ut evitandum videatur.

33. Atqui obligatio tantummodo perſonalis eſt, nec fieri poteſt, ut res obligetur, aut realis ſit obligatio, quæ eſt *quo perſona obſtringitur*, *neceſſitate dandi vel faciendi.*

34. Equidem in obligationem deduci tam res quam facta perſonalia verum eſt: qui non dedit vel fecit, quod dare vel facere debuit, obligatus eſt ad pœnam lege vel conventione ſancitam: qua præſtita, debitor omni vinculo obligationis, quod eſt mere perſonale, ſolutus & liberatus eſt, ſine ullo veſtigio τῆς ἐνοχῆς *obligationis*, qua perſona ejus ad rem obſtricta fuit.

35. Unde apparet, diſtinctionem obligationis realis & perſonalis tam alienam eſſe à ſignificatione verbi, quam à natura negotii; nec adeo dicendum videri, quod homo peccator ulla ſpecie obligationis, ex parte

parte vel tota liberatus ſit, abſque plena ſatisfactione & ſolutione.

36. Qui tamen hac diſtinctione gaudent, habent inſtantiam, ut ita loquar, ad ejus approbationem demonſtrandam. Dicunt, *aliquid remanſiſſe, quod à peccatore in ſponſorem non potuit transferri; modum ſcilicet pœnæ peccatoribus ipſis infligendæ, quo reſpectu fuerit locus remiſſioni ex mera liberalitate.*

37. Sed reſponſio recta & plana ſit hujusmodi; Modum iſtum pœnæ debitori infligendæ eſſe ipſam obligationem perſonæ debitoris incumbentem, præter quam alia obligatio nulla fuit, quam ſolutione debito æquali aut expromiſſione pari per ſponſorem facta, peremptorie extinctam eſſe jampridem demonſtravimus. Hæc igitur necdum ſuffecerint.

38. Sed explicetur adhuc prius, nodus, quem Socinus & Grotius, *diſpari tamen conſilio*, nectunt; utrum Deus *in* hoc negotio ut *creditor, an ut judex*, denique, an ut *ſupremus Rector* ſit conſiderandus, qua de re nonnihil occupatum eſt antea; ſed res pleniorem meretur expoſitionem.

39. Socinus, Deum habere jus creditoris facile concedit, imo poſtulat, quo inde gratuitam remiſſionem ſine ſatisfactione deducat. Grotius eam χώραν ratione pœnæ in Deo locum habere negat, tam ut Socino melius obſtruat, quam ut *diſpenſationi*, qua minus exactum ſtatuit à Chriſto quam fuit debitum, ſi recte puto, locum faceret. Hæc enim Rectori potius quam creditori convenit.

40. Hac re explicita, dabimus operam, ut quomodo pleniſſimam ſatisfactionem & gratuitam remiſſionem juxta ſe poſitas in executione ſalutis humanæ, ab omni obſcuritatis nubecula liberam concipiamus, pro noſtro captu, explicetur.

41. Ravenſpergerus in *Cenſura libri Grotiani de ſatisfactione*, ad illam quidem interpretationem, qua juſtitiæ divinæ expletio tam notabiliter imminuitur, ambiguitate receptæ vocis, vulgo transmiſſa aut ignorata deceptus, nihil obſervat.

42. Verum, quod *Grotius* Deum ut creditorem negat ſpectandum, ſed ut Rectorem unice vult conſiderari, hoc animadvertit, Deumque triplicem habere χώραν, creditoris, judicis & principis contendit.

43. Quod ad *judicis* à principe ſummo diſtincti perſonam attinet, plus rationis habere videtur *Voſſius* Pater, *in apologia pro Grotio*, cum Deus ut judex ſeorſum à Rectore ἀνυπευθύνῳ, qui ſummam poteſtatem habeat, nullo modo intelligi queat, nec in eo *Grotium* aliud voluiſſe, contendit Voſſius, quam bona fide occupare *Socini* argumentum, qui nihil obſtare demonſtrat, quominus creditor Deus obligationem totam debitori gratis per acceptilationem remittat, ut cuique liberum eſt jure ſuo uti vel non uti; ſecus ac dicendum eſſe liquet, ſi Deus idem ut Rector & juſtitia vindex adſpiciatur.

44. Sed exiſtimo, non poſſe facultatem *creditoris* magis à Deo quam *Rectoris* in hoc negotio abeſſe, Rectoris qui ſimul ſit judex ἀνυπεύθυνος, *abſolute ſummus;* quales ſunt omnes, qui habent vere ſummam & abſolutam poteſtatem.

45. Rationes ſunt hæ; Creditor eſt, *cui ex qualibet cauſa debetur*, ut ipſe Grotius ex juris ratione definit: Atqui Deo ab homine debetur ex cauſa peccati, ut oratio Dominica & diverſa ſcripturæ loca teſtantur.

46. II. Ubi locum habet *ſolutio*, ibi eſt creditor & debitor; Nam ſolutio nihil eſt aliud, quam *præſtatio ejus quod debetur* facta creditori. At in hac cauſa ſolutioni fuiſſe locum, nemo præter Socinum negat.

47. III. ſatisfactio ſupponit creditorem, ut ex locis ſupra ex jure collocatis videmus. Hic eſt ſatisfactio. Ergo creditorem, cui ſatisfactum eſt, intelligi oportet.

48. IV. Qui habet chirographum obligationis adverſus debitorem, is eſt creditoris loco; Atqui Deus habuit chirogra-

phum obligationis adverſus hominem peccatorem *Col. 2. 14.* Ergo.

49. Grotius in eo totus eſt, ut probet, creditorem in delictis alio ſenſu dici non poſſe, quam reſpectu ejus, quod ipſi abeſt à patrimonio. Proprie debiti & crediti cauſam ad patrimonium ſpectare non eſt quod negetur: Verum ut debitoris appellatio ad delicta pœnaſque eorum extenditur, ita Creditoris, quod ei correſpondet, vocabulum, eo ſimiliter produci poteſt & debet; Gajus *lib. 1. ad Edictum*; *Creditorum appellatione non hi tantum accipiuntur, qui pecuniam crediderunt, ſed omnes, quibus ex qualibet cauſa debetur l. 11. d. V. S.* Ita cui *verberibus ſatisfit*, cum aliter ſolvi non poteſt, vel læſus non cupit, eum jus creditoris, ut antea dictum eſt, habere neceſſarium dictu eſt.

50. Sed Grotius, *notandum eſt*, inquit, *vocem* debere, non *ſemper notare relationem inter duas perſonas: ſæpe enim* debeo hoc facere, nihil aliud eſt, quam convenit hoc à me fieri, *ſine reſpectu ad alteram perſonam. Ita debeo pœnam, id eſt, dignus ſum pœna & pati eam teneor, abſolute, non autem relate ad hunc aut illum. Ideo perinde eſt, in qua Republ. ſub quo Rectore aliquis pœnas delicti luat; æquè enim apud omnes liberabitur: quod non ita procederet, ſi, ut aliarum rerum, ita pœnæ certus extaret Creditor. cap. 2. pag. 64.* Ad hæc, noſtra ſic ratio eſt.

51. De uſu vocis *debendi* abſoluto, non eſt quod litigemus, cum in hac hypotheſi non illa vox ſimpliciter & ſola, verum & ſolutionis, & ſatisfactionis vocabula reſpectu Dei, uſurpentur; quin & Deus ipſe Creditor ſtatuitur; *debita veſtra apud Dominum Deum veſtrum 2. Chron. 28. 2. debitores coram facie tua Ezr. 9, 15.* Nec aliud frequentius Chriſto domino comparationis argumentum placuit, quam quod à Deo ut creditore adverſus hominem debitorem, petitum eſt, ad hanc relationem demonſtrandam. *Matth. 18, 23. & ſeqq. Luc. 7, 41. 16, 5. 7.*

52. Verum eſt, jure gentium, delinquentes ubique puniri poſſe, quod objicit Grotius: At hæc hypotheſis Dei atque peccatoris, non recipit comparationem œconomiæ diverſarum gentium, ſed cum unius ejuſdemque civitatis jure conferri debet: Unus enim Rector Deus eſt humani generis; atque ubi una eſt ſumma poteſtas, ibi unam quoque civitatem eſſe notiſſima politicorum eſt doctrina.

53. Atqui in una Republica cives obligantur rectori ſummo ad pœnam, & fiſcus habet jus creditoris, non tantum in *mulctis*, id eſt, pecuniariis pœnis, ſed etiam in corporalibus, quando qui non habet in ære, luit in pelle, *quod ajunt*; quin etiam cum ab initio pœna corpori infligitur, ea nomine Rectoris, ut debita exigitur, & tanquam jus ejus conſideratur. Unde hodieque procuratores generales jus ejus qui ſummam poteſtatem habet, exequi dicuntur, ac ita loquuntur, in ſuis *proceſſibus* cauſarum criminalium.

54. Quin etiam, ex conventione, delinquentes obligati eſſe videntur; quatenus in legem peccant, ad cujus obſervantiam omnes cives pacto obſtricti intelliguntur: quemadmodum in lege 1. *ff. de legibus*, Papinianus legem vocat *communem Reip. id eſt, civium ſponſionem & ſimul delictorum coercitionem*; eoque pertinet Ariſtotelica diviſio contractuum in voluntarios & involuntarios, quæ ſunt delicta, ut explicat Ariſtoteles *l. 5. Nicomach. c. 2.*

55. Nihil autem notius eſt, quam è contractibus obligationem, conſtituere tam Creditorem quam debitorem, quod idcirco etiam in homine reſpectu Dei locum eo magis habebit, quo notius eſt, eum fœdere, ſaltem tacito, ad obſervantiam præceptorum Dei, quod *fœdus operum* vocatur, fuiſſe devinctum.

56. Hinc liquet reſponſio ad hoc Grotii; *Si Deus eſt creditor, ratione pœnæ, debet id eſſe vel ratione juris, quod ex rebus ipſis naſcitur, aut ex jure conſtituto pag. 61.* Sed

Digitized by Google

neutrum dici poſſe contendit. Imo ex re ipſa naſcitur, inquam, i. e. conſenſu, quo Legis obſervantiam peccator recipit, ne de ſupremi dominii ſuæque ſubjectionis juſtiſſima peccatoris conſcientia loquamur.

57. Et quidem hactenus ſatis perſpicue, Deum in exactione pœnæ non modo Rectoris, ſed etiam jus Creditoris habere demonſtratum eſt; qua tamen in re, me non invito fiet, ſi Grotius non tam re ipſa, quam verbis ab hac ſententia diſſidere compertus fuerit.

58. Nam aliquoties ingeminat, Deum non eſſe *proprie* Creditorem in pœnis exigendis, quod ultro conceſſimus; Ut quemadmodum contractus & obligationis vocabula in delictis capitalibus improprie uſurpantur, ita Creditoris & debitoris appellatio hic etiam ſit impropria & analogica, ut in apologis Chriſti domini; ſic jus Dei comparatione pecuniarii debiti, nonniſi improprie & analogice, nec ideò minus efficaciter ſumptum videri, haud gravatè concedimus.

59. Propius ad veritatem accedere videtur, quod habet in his verbis; *Interim non negamus, Deum, qui peccata punit, vel impunita dimittit, recte dici partem offenſam; Sed punire aut impunitum dimittere, ei tribui, qua pars offenſa eſt, negamus. Notiſſimum enim eſt, poſſe aliquid de aliquo dici, quod ei non conveniat, qua tali.*

60. Hactenus bene; quod Deum, qui peccata punit aut remittit, habere duplicem perſonam & jus offenſæ partis atque Rectoris, concedit. Sed non habet rationem negandi, quominus idem qua creditor eſt, pœnam exigere, qua Rector eam infligere dicatur.

61. Bene etiam habet, quod ad objectionem, non poſſe Deum eſſe idoneum judicem *in propria cauſa*, Grotius reſpondet: eam regulam non habere locum in ſummis Rectoribus; tametſi Reges & Principes in terris ultro ſe judicibus ſubmittunt in his, quæ tanquam membra communitatis geſſerunt; idque ideo, ut privati à contractibus cum illis ineundis, minus abſterreantur; cujuſmodi cautioni non eſſe locum in Deo, res ipſa loquitur, eaque de re jam *ſuperius aliquid eſt collocatum*.

62. Quanquam autem illo modo diſſenſus minor eſſe videatur, nihil tamen opus fuiſſe puto tam prolixa diſputatione, ad evincendum, quod Deus in puniendo vel remittendo non habeat σχέσιν Creditoris, quæ nullo modo excludi poteſt, ubi ſolutionis, ſatisfactionis, debiti appellatio, quæ Creditoris relationem neceſſario ſupponunt, frequentatur.

63. Et quicquid *Socinus* urgere poteſt à natura Crediti, nos conjunctione Judicialis officii ſupremi atque juſtiſſimi, cum jure perſonaque Creditoris, æque valide obtinemus, quam Grotius, excludendo jus creditoris conſequi poſſe videatur.

64. Ne dicam, haud procul abeſſe, quia Grotius à jure aut ſimilitudine crediti *κατ' αὐθολκῆς* nimium ſe avertiſſe videatur, ne doctrinam ſatisfactionis ad rigorem juſtitiæ expletricis, quo jus crediti pertinet, referre cogeretur: cum ipſi in animo eſſet, eam ad laxitatem attributricis ſeu diſtributivæ juſtitiæ, quæ Rectoris eſt propria, redigere; qua propter & Rectorem quam Judicem plerumque dicere mavult.

65. Orthodoxi longe tutius, Deum quaſi Creditorem & exactorem debiti ſimulque ut juſtum judicem, quod adtinet ad *Satisfactionis* articulum, conſiderant; cui pleniſſima Redemptoris ſolutio & juris legalis expletio melius & validius, quam ſoli Rectoris officio applicari poſſe manifeſtum eſt.

66. Secundum hoc Rectoris officium, à Creditoris ratione penitus ſeparatum, Grotius actum Dei in accipienda ſatisfactione, conſiderat *in cap. 3.* ut relaxationem, ſive diſpenſationem, quam definit, *actum ſuperioris, quo legis manentis obligatio, circa quaſdam perſonas aut res tollitur;* quatenus non eſſe univerſaliter & ſimpliciter neceſſarium docet, ut *puniatur quivis peccator pœna tali, qua culpa reſpondeat, nihilque obſtare,*

re, quominus Lex hoc ipſum imperans ſit relaxabilis.

67. Quæ cum præcedentibus ex ipſo productis, de ſatisfactione, per quam *aliud*, per quam *ſimile* quid datur, præſtatur, ſatis indicant, quorſum hæc tendant, ſcilicet *ad deſtructionem ſolutionis veræ & ſatisfactionis expletricis.* Quæ, ſi jus creditoris cum officio Judicis ſupremi conjunctum teneamus, longe validius & evidentius urgeri & cuſtodiri poteſt, quemadmodum eam honori divinæ Chriſtique Domini gloriæ expedit urgeri atque cuſtodiri.

68. Speramus etiam, ex hac conjuncta Creditoris & Supremi judicis conſideratione, facilius explicari poſſe, qualis actus ille ſit Dei, quo pœnam pro nobis, qui æternam debeamus, à Chriſto temporariam exigere contentus fuerit, utrum is actus fuerit interpretatio κατ᾽ ἐπιείκειαν, *ſecundum æquitatem*, an diſpenſatio ſive *relaxatio* Legis, & qualis: Nam derogationem Legis non eſſe, facile inter orthodoxos conveneriт. Hæc res cum ex jure petita ſit, etiam heic ſeorſim expendi meretur.

69. Qui judicant, hanc fuiſſe explicationem legis κατ᾽ ἐπιείκειαν hoc fere modo inſtituunt. Ἐπιείκεια, id eſt, *æquitas*, aliter εὐγνωμοσύνη, utraque voce Ariſtoteli aliisque in hoc ſenſu cognita, nihil eſt aliud, quam ἐπανόρθωμα νόμου ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου; *Emendatio legis, quatenus ob generalitatem verborum defectu laborat. 5. ad Nicom. 10.* Lex divina dictat, *qui faciet præcepta legis, vita æterna fruetur, qui non faciet, morietur.*

70. Hæc generalia verba, dubium relinquunt, ajunt, utrum ipſe qui vivet præcepta legis perfecte implere debeat, an vero alterius obedientia pro illo ſufficere poſſit.

71. Eſt etiam dubium, ita pergunt, an neceſſe ſit, ipſum, qui non ſervat legis præcepta, mori, an vero alius pro illo morte defungi poſſit. Genus mortis etiam non eſt expreſſum, ſitne temporarium, an neceſſario æternæ durationis eſſe debeat.

72. In hac generalitate, Deum ἐπιεικείας ſive εὐγνωμοσύνης, *æquitatis* adhibuiſſe judicium, ut ſtatuerit, ſufficere, ſi alius legis obedientiam impleret; alius morte fungeretur, & quidem temporaria; modo talis eſſet, ut iram Dei ferre infinitaque divinitate perſonæ, temporis infinitatem penſare poſſet.

73. Grotius hujusmodi æquitatis interpretationem hic locum habere negat: *Nam,* inquit, *ea interpretatio oſtendit, aliquod factum aut perſonam, ſub legis obligatione nunquam fuiſſe comprehenſam: At vero omnes homines (quippe concluſi ſub peccatum Rom. 11. 32. Gal. 3. 22.) etiam hi, qui liberantur, natura ſunt filii iræ Eph. 2. 3. hoc eſt, obligati legis ſanctione.*

74. Ut hæc Grotii ἐπιείκεια intelligatur, ſciendum, eſt, æquitatem opponi ſtricto juri, τῷ ἀκριβοδικαίῳ, quod Ariſtoteles vocat, & eſt *captatio verborum legis ad rigorem menti legislatoris contrarium.* Cicero *in orat. pro Cæcina*, vocat hoc jus *ſcriptum*, jus *ſummum*, jus *callidum* & *verſutum.* Jus ſcriptum ſequi calumniatoris eſt, inquit, at *boni judicis, voluntatem ſcriptoris*, eamque rem diverſis exemplis illuſtrat. Edictum prætoris eſt, pro *vi dejectu*, ut reſtituantur; verba duntaxat ei, qui *præceps de ſuperiore loco ſit actus*, conveniunt, mens prætoris *omnem vim* notat. Item *Actio eſt*, ait, in præſentem Actorem his verbis; *Quandoquidem te in jure conſpicio, hac actione Appius ille cæcus uti non poſſet, ſi verba &c.*

75. De ſanctione pœnali exemplum eſt in lege; *qua cædi hominis pœna capitis impoſita eſt:* Quid ſi moderamen inculpatæ tutelæ in cæde committenda ſervatum ſit? Verba legis hunc quoque tenent: ſed ex mente legis auctoris, ille ne quidem ab initio ſub pœna capitali comprehenſus fuit.

76. Hujusmodi æquitas eſt propria judicis *l. 8. C. de judic.* qui non debet leges ὁρᾷν λίαν ἀκριβῶς nimis accurate leges inſpicere;

Digitized by Google

ſpicere; ut inde τὸ ἀκριβοδίκαιον exquiſitum juris rigorem eliciat: ſed verba legis duriora, ſecundum mentem & ſententiam legiſlatoris flectere ad humanitatem; hac ratione, quod ipſe legis Auctor eo modo legem interpretaturus eſſet.

77. Sed quando mens legis eſt indubitata, verum ſententia legis eſt dura & ſanctio iniqua, tum judicis partes ceſſant, & ſolus qui ſummam poteſtatem habet, inter æquitatem & jus ſcriptum diſcernere legisque duritiam moderari poteſt *l. 1. C. de legibus.* Hanc ultimam æquitatis ſpeciem non habere locum, in expiatione generis humani, ſatis indubio loco poſitum eſt, cum legem divinam, qua pœna mortis peccatori adflicta fuit, duritiæ nefas ſit arguere.

78. Speciem alteram, cum inferat poſitionem, quod legis Auctor eum, de cujus ſupplicio agitur, ſub pœna legis complecti noluerit, heic etiam non habere locum, Grotio concedendum videtur, quatenus peccatorem ipſum mortem eſſe meritum ſine dubio conſtat.

79. Præterea, non eſt tam obſcura mens legis divinæ, ut ſi judex à principe, legis Auctore, delegatus ſecundum eam ſententiam ferre deberet, ambigere poſſet, utrum alterius obedientia peccatorem à pœna inobedientiæ liberare poſſet, an alio ſe ad pœnam offerente, maleficii reus dimitti poſſet.

80. Judex ſane reddendæ rationi ſubjectus verba legis, delinquenti pœnam imponentis, ita non potuiſſet interpretari, ut alium, quam qui deliquerat, puniret; præſertim, ſi pars offenſa deſideraret, *ut animo ſuo pœna ipſius delinquentis ſatisfieret*, quomodo loquitur Papinianus in *l. 6, §. 1. ff. de ſerv. export.* Recte igitur Grotius, interpretationem κατ' ἐπιείκειαν, ſecundum æquitatem heic locum habere negat.

81. Ipſe igitur ponit hac parte locum habere *diſpenſationem*, quod eſt juris pontificii vocabulum, quo illi in ſatisfactionibus pœnitentiæ relaxandis utuntur: in jure civili ut vox, ita res ipſa ignota eſſe videtur. Nam Cæſares non tantum judices ſecundum leges judicare, ſed & ipſi ex earum præſcripto jus dicere volunt *l. 4. & l. 10. C. de Legib.*

82. Quicquid principi placuit, legis quidem habere vigorem conſtat; at hoc in rebus novis aut veteribus ſcitis interpretandis, non exemptionibus propagandis exercent.

83. Quod ſi in poteſtate principis, relaxare legum rigorem, eſſe dicamus, quod negare non eſt animus; id tamen huic divino ſalutis negotio applicare non licet; quando ſatis conſtat & ſuperius approbatum eſt, Chriſtum τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου, *jus omne legis* impleviſſe & implere debuiſſe.

84. Proinde, non eſt fas hanc rem explicare ex ejusmodi facultate diſpenſandi, qua pœna fuerit admiſſa, *quæ delicto non reſpondeat*, ut loquitur Grotius, & qui legunt ejus veſtigia.

85. Quid tu igitur, dicat aliquis, profeſ res melius; ſi nec abrogatio, nec derogatio, nec obrogatio, nec ſubrogatio legis, neque diſpenſatio *minas legis non implens*, ut rurſus ὁ μέγας, neque tandem interpretatio κατ' ἐπιείκειαν, *ſecundum aliquam æquitatis ſpeciem*, in hoc actu divinæ juſtitiæ verſetur? Nihil è longinquo, nihil quam ex ipſis cauſæ viſceribus petam: vel potius quod aliquoties inſinuatum eſt, repetam.

86. Iſta omnia interpretamenta Deum ut judicem aut Rectorem ſolummodo conſiderant. Conjungendum eſt jus Creditoris, à quo eſt ἀνοχὴ, *facilitas* alium admittendi reum, per quem ſibi plene cum indulgentia moræ ad ſolvendum, ac utriusque per eundem *judicem* applicatione ſatisfiat.

87. Utrumque eſſe in poteſtate creditoris, alium admittere reum & indulgere moram temporis eſt manifeſtum; nec minus, in neutra quicquam eſſe, quod juris implementum vigoremque juſtitiæ minuat.

88. Æquitas eſt judicis ſupremi vel inferioris, diſpenſatio Rectoris abſoluti: Neutra

tra ſanctisſimo negotio poteſt applicari. Innovatione à creditore admiſſa ſupremique judicis officio approbata, concurrit & τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθὲν, *jus legis impletum* & præteritio primi debitoris, ſine ullo juſtitiæ & ſatisfactionis decremento, in qua proinde videtur acquieſcendum.

89. Sed longo ſatis intervallo receſsimus ab eo, quod erat propoſitum, ut exponeremus, quo pacto cum plena ſatisfactione juſtitiæ legalis divinæ conciliari poſſit τὸ δωρεὰν τῇ θεοῦ χάριτι σωθῆναι. *Quod gratis gratiaq. Dei gratuita ſervati* dicimur.

90. Quandoquidem explicatio divini actus circa dimiſſionem peccatoris, quam à jure creditoris officioque judicis ſupremi arceſſivimus, non ſufficere palam eſt, anteaque dictum à nobis; Creditorem, qui hactenus facilitatem demonſtravit ſuam, ut alium pro alio ſolventem admitteret, hac lege tamen, ut novus reus ſibi ad ultimum quadrantem uſque ſatisfaceret, ac ſolveret quod debebatur, longe magnificentius, quam par eſt, loqui; ſi præ ſe ferat, ſe debitori priſtino δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι, *gratis gratiaq. gratuita* remiſiſſe debitum.

91. Laudetur ejus benignitas, quod jus ſuum contra perſonam debitoris, ſecus ac pro vigore juſtitiæ potuiſſet, non ſit executus, verum potius ab unico ſuo Filio pretium, quo non potuit eſſe majus & infinitius, exigere, quam peccatorem meritis adficere ſuppliciis in animum induxerit.

92. Ingens equidem & incredibilis bonitas: ſed pariter immotæ & inflexibilis juſtitiæ, ſupra quam dici poteſt, notabile argumentum, quod obligationem debitoris, qua perſona ejus obſtricta erat, nullo alio modo, quam vera, quam propria debitoque adæquata ſolutione, vel ejus expromiſſione, tolli perimique voluerit; cui rei, in quascunque nos vertamus partes, remiſſio, condonatio, meræque liberalitatis exercitio non poteſt non adverſari.

93. Quid ergo? dic, remiſſionem gratuitam & liberalitatem abſolutam, quæ prædicatur & adſcribitur Deo, non eſſe quærendam in perſona Patris Dei & Creditoris infiniti debiti, cum relatione ad peccatorem eundemque debitorem, ſed aliunde, duplici reſpectu.

94. Primo in CONSILIO PACIS, quo Deus Pater & Filius, adſtipulante Spiritu Sancto, id egit, egerunt, ut homo reus obligatione peccati *gratis, gratiaq. gratuita*, ſine ulla præſtatione, quam ipſi inter ſe conſtituetent, liberaretur.

95. Placet hoc uno alteroque ſimili illuſtrare; Si duo pluresve, quorum unus creditor, aut etiam omnes inæqualibus ſummis, amicum ære alieno preſſum cum minime ſolvendo ſit, liberatum velint; ejusque debitum compenſationibus & præſtationibus mutuis inter ſeſe extinguant, ignaro debitore, eique deinde ſignificent, ipſum eſſe liberatum, nihil obſtare opinor, quominus ille *gratis, gratiaq. gratuita* liberatus ſit, etſi obligatio ejus veris realibusque præſtationibus, inter ſocios beneficii extincta fuerit.

96. Vel pone Patrem Creditorem & ejus filium, quos leges pro uno habent, miſeratione debitoris in extremis anguſtiis conſtituti, rationem liberandi ejus hoc modo inire, ut filius de ſuo peculio ſatisfaciat & plene ſolvat creditori Patri, idque vel præſenti ſolutione, vel fide ſolutionis futuræ habita ignorante debitore conſtituatur.

97. Si Pater deinde Creditor ac Filius debitorem faciant certiorem, tale conſilium à ſe eſſe initum, quo ipſe nulla re data vel præſtita, liberaretur ignorans, exiſtimo, nullam in hac ſpecie difficultatem eſſe, quin & vera ſolutio ſit, quam Filius Patri pro perſona debitoris atque reatu præſtiterit, & quin hoc conſilium Patris Filiique meræ liberalitatis ac miſerationis ſpecimen, ut eſt, ſic etiam appelletur.

98. Non opus eſt applicatione tam præſentis apologi. Conſilium Pacis & ratio illius exequendi EST INTER ILLOS DUOS; modus extinguendi obligationem non

Digitized by Google

non eget conſcientia debitoris. ILLI DUO, ut res fert, hoc adminiſtrant; Debitor ipſe CONSILIUM illud unice, ut beneficium, ut gratioſum & inexpectatiſſimum miſericordiæ ſpecimen conſiderare, magnificare poteſt.

99. Ad patrem ſolum ſe convertens, ut remiſsionem concipere gratuitam res non patitur, ita peccati odium juſtitiæque vim inflexibilem, miſericordiam & φιλανθρωπίαν adorat, quod ut utrique locum faceret, unigeniti Filii ſanguinem in ſolutionis pretium accipere non dedignatus ſit.

100. Ad Filium ſe convertens ſolum, mens fidelis, heic nihil usquequaque, præter bonitatem, miſericordiam, amorem, liberalitatem gratuitamque remiſsionem invenit, amplectitur & admiratur.

101. Atque hic eſt alter ille modus, quo gratuitam remiſsionem liberalemque gratiam adverſus peccatorem demonſtrari poſſe liquidisſimum ac omnibus in conſpicuo eſt. Dominum JESUM eſſe illum, *ὃς ἡμῖν ἐχαρίσατο πάντα τὰ παραπτώματα ἡμῶν*, *qui omnia noſtra peccata nobis condonavit*, ſacræ literæ pasſim declarant, qui nos ſanguine ſuo, tanquam pretio dato, emit ac comparavit ſibique proprios fecit; ac ita nobis liberaliſſimus REDEMPTOR eſt factus.

102. Quando autem & hoc vocabulum è media Juriſprudentia, uſuque populari, quæ ſunt res perpetuo conjunctæ, petitum eſt, non videtur committendum, quin etiam *de Redemptione* nonnihil in medium proferatur.

CAP. VII.

DE REDEMPTIONE.

Emptionis venditionis ſimilitudinem non ſemper in ſacris habere adæquatam analogiam; habere tamen eam in redemptione generis humani. Emptionis, redemptionis, & lytri ſignificatio propria & qualis ea in ſacris literis. Grotium aliter inſtituentem non fuiſſe imitandum. Deo Patri, non Diabolo ſolutum eſſe lytrum. Inſtantiæ Crellii remotæ. Emptionis ſubſtantialia in negotio ſalutis demonſtrantur. Remotæ objectiones. Et Grotius iterum notatus. Aliæ reſponſiones patrum teſtimoniis illuſtratæ. Inde novum argumentum pro liberatione perfecta veterum fidelium deducitur.

1. ENimvero non ſemper emptionis venditionis vocabulum in uſu ſacrarum literarum exhibere contractus hujus *ſubſtantialia*, verum ſæpe notare quamlibet mancipationem & acquiſitionem, cum v. g. *peccato* dicitur homo *venditus*, non eſt recuſandum. *a*)

2. Sed in ratione ſalutis humani generis, tam crebro, tam ſignate inſtitutum emptionis & lytri commemoratur, ut non poſſet non videri ſpecies quædam ἀκυρολογίας, ſi emptionis venditionis ſubſtantialia, quæ dicuntur, more comparationis, heic non invenirentur.

a) recuſandum) *Habes hic repetitionem ſectionis ſeptima exercitationis ſeptima de fœderibus & teſtamentis & mantiſſa illi exercitationi ſubjuncta, pene iisdem verbis.*

3. Emptionem rotundè prædicat Apoſtolus de peccatoribus ſervatis *1. ad Corinth. 6. §. 20.* ἠγοράσθητε τιμῆς, *empti eſtis pretio.* Emere eſt aliquid pro certo pretio ἐμὸν, id eſt, meum facere; Idcirco additur ibi, *nos corpore & animo Dei eſſe,* τοῦ ἀγοράσαντος δεσπότου, Domini ex emptione noſtri. *2. Petr. 2, 1.* Ex eodem fundamento docet in eadem epiſtola, fideles pretio *emptos* à Chriſto, non eſſe quod hominum ſervi fiant, verum illi ſoli emptos, ut domino, ſe mancipatos intelligere debere. *1. Cor. 7. §. 23.*

4. Frequentius alioqui τὸ λυτροῦν καὶ ἀπολυτροῦν uſurpatur, quod eſt *redimere*; & hoc in propria ſignificatione de hominibus ſumptum, denotat, aliquem è manibus hoſtis aut Domini, pretio dato, liberare: niſi quis adhuc magis proprie *redimere* idem eſſe velit, quod *iterum emere*, ut ſervus alienatus hoc ſenſu à domino *redemptus* dicitur ab Ulpiano in *l. 9. §. ſervus 16. ff. de Hered. inſtitut.*

5. Quo ſpectarunt haud dubie, ſi qui ex Patribus, ut refert, Socinus, dixerint, fideles è gentibus à Chriſto *emptos*, ex Judæis ab eodem eſſe *redemptos*. Non opus eſt, ut probem, liberatos ab hoſtibus & ex ſervitute latine ac juridice redemptos dici, quando nihil eſt notius & tritius.

6. Ne de *lytro* quidem, poſt tam frequentes hominum doctorum probationes, id agere ſuſtineo, ut oſtendam, nihil hoc aliud eſſe, quam, ut Ulpianus ait, *quantitatem redemptionis, in l. 15. ff. de Captiv.* Eſt igitur redemptio perſonæ, ita proprie ſumpta, ſpecies emptionis, atque ita fit, ut verum pretium, quo ſervus aut captivus æſtimatur, priori domino hoſtive præſtetur.

7. Hanc eſſe propriam lytri & redemptionis ſignificationem inter omnes conſtat. Quare autem Theologi quidam eximii videntes eam urgeri à Socino, negent eſſe proprie dictam redemptionem, è captivitate & ſervitute, quam Chriſtus obivit, minus animadverto, quam cur *Grotius* eam defugiat.

8. Nam is, cum neget ſolutionem veram & plenam à Chriſto eſſe factam, cavendam ſibi emptionis & redemptionis, in qua pretium rei æquale exigitur, comparationem intellexit. Hinc in *cap.* VIII. ſæpe laudati libri, *nos*, ait, ideo *cauſam redemptionis eſſe mortem Chriſti diximus, quod ea Deum moverit, ut nos à pœna liberaret.* Cur non ideo, quod pretium ad nos liberandos è ſervitute, perſolverit, quo modo paſſim ſacræ loquuntur literæ?

9. An quia deſignari non poſſit, cui pretium ſit ſolutum, ut vult Socinus? Cui vero id alii quam creditori Deo ſolveretur, cui aliter ſatisfactum dici nequit, cui ſe Chriſtus obtulit. *Epheſ. 5. 2.* qui per peccatum factus erat hoſtis (hic autem lytrum accipit) & nos *filii iræ*, quam Chriſtus pro nobis tulit. *Gal. 3. 13. IV. 14?*

10. Diabolus etiam erat hoſtis & dominus, noſque ejus & peccati mancipia; Sed à Deo ſummo Domino juſtiſſima vindicta illi traditi eramus; eoque ſenſu ab illo redempti quoque dicimur; ne propterea Socinus & Crellius, ſi vera ſit redemptio, pretium diabolo ſolutum eſſe oportere cavillentur; etſi Patrum quoſdam illuc, urgendo veram pretii ſolutionem, adactos fuiſſe prædicet Socinus.

11. Origines ita quidem *in epiſt. ad Rom. l. 2. c. 2. Si ergo pretio empti ſumus*, inquit, *ab aliquo ſine dubio empti ſumus, cujus eramus ſervi, qui & pretium popoſcit, quod voluit, ut de poteſtate demitteret, quos tenebat: tenebat autem nos diabolus, cui diſtracti fueramus peccatis noſtris. Popoſcit ergo pretium noſtrum, ſanguinem Chriſti.* Sed aliter Gregor. Nacian. *orat. 42.* ubi magnum hoc quæſitum πολλοῖς παρεωραμένον, *multis neglectum*, ſibi λίαν ἐξεταζόμενον *nimis ſollicite* excuſſum, ſic tamen determinat, ut, Deo Patri in œconomia perſonarum ſolutum pretium eſſe dicendum ſit.

12. Tortori cuſtodibuſque piſtrini, quales erant diaboli, non debetur lytrum, ſed domino, qui captivos tradidit, conſtringendos.

Digitized by Google

dos, donec ad libellam usque ſolutum fuerit.

13. Inſtat Crellius, *Deum non eſſe eum, qui captivos nos tenuerit, & cui pretium ad nos liberandos fuerit perſolutum, inde perſpicuum eſt, quod ipſemet redemtionem hanc fecerit ac procurarit, & pretium illud, quod pro nobis datum erat, impenderit, ὡς ἐποίησε λύτρον τῷ λαῷ αὐτοῦ; qui fecit lytrum populo ſuo, Luc. 1. 68.* Quaſi non ſæpe & inter homines fiat, ut hoſtis aut herus, qui ſervum iratus in piſtrinum tradidit, ad molam (vere molam peccati circumagit animalis homo) placatum adverſus eum animum induat, eique viam quærendi ſuum lytrum ultro aperiat.

14. Exemplum leges noſtræ evidentiſſimum præbent in ſervo ex peculio ſuo redempto *l. 4. pr. & §. 1. ff. de Manumiſſ.* Hoc peculium eſt totum domini, per cujus conniventiam ſervus, qui nihil ſuum habere poteſt, id exercet, *d. l. 4.* Quando igitur, tantum induſtria parſimoniaque ſua collegit, ut pretium ſui inde ſolvere poſſit, hæc eſt vera redemptio; ſervusque talis dicitur *ſuis nummis* redemptus, *d. l. 4. in pr. l. 38. §. 4. d. pœn.* & tamen dominus in rei veritate *facit illud impendium ac ipſe redemptionem procurat*, quod nec Algerienſes aut Tunetani hodie recuſent; ſi quis ſervus induſtria negotiandi, cujus copiam ipſis aliquando faciunt, tantum colligere poſſit, ut pretio redemptionis adæquando ſufficiat.

15. Ex his quoque ſolvitur alia Crellii inſtantia, cum ait; *Chriſtus; quantus fuit, Dei fuit; ideoque nihil Deo dare potuit, quod Dei non fuiſſet.* Servus etſi nihil proprium habere poſſit, verum ipſe cum rebus ſuis domini ſit totus, *ſuis* tamen *nummis* redemptus dicitur, ſicut cum nos ipſos Dei eſſe totos, omnemque terram cum plenitudine ſua Dei eſſe conſtet, tamen & nos & res noſtras Deo tradimus, vetereſque ei ſuas fruges & pecudes obtuliſſe manifeſtum eſt. Præter quod falſum poſtulatum eſt, Chriſtum, quatenus fuit, totum in Patris ſui ditione fuiſſe, etiam alterius naturæ præſtantioris reſpectu.

16. Diverſa ab his eſt objectio Crellii & Oſtorodi, quod nemo ſimul *emptor & venditor eſſe*, rem tradere & acquirere *poſſit*; verum quod *ſervus redemptus in poteſtate ejus à quo venditur, eſſe deſinat*: Atqui homines à Chriſto redempti, *Deo mancipati ſunt, ἠγόρασας τῷ Θεῷ ἡμᾶς, emiſti nos Deo, Apoc. 5. 8.* Ergo non à Deo empti per Chriſtum. Certe eodem reſpectu non poſſunt illa ſubſiſtere, ut è manibus Dei, Deo ſimus empti. Sed hujus quoque difficultatis reſolutio ex inſtitutis veterum peti poteſt. *Vicarius* ſervus in jure Rom. paſſim occurrit, quem Theophilus Paraphraſtes Græcus inſtitutionum juris, vocat, ut eſt, *οἰκέτου οἰκέτην, ſervi ſervum, in §. cum autem inſt. Quod cum eo qui in al. & in §. ſi quis ancillas l. de legat.* Gloſſarium græcum eodem ſenſu *δούλου δοῦλον.* Etiam Joſephus Potipharis ſervus diſpenſator, traditus in cuſtodiam & ſervitutem commentarienſi, potuiſſet redimi è ſervitute ſervi, ut eodem loco apud priſtinum dominum eſſet, ſi Potiphari de crimine præſumpto ſatisfactum fuiſſet.

17. Nos etiam ante peccatum corporibus animiſque Dei fuimus, dein diabolo traditi in ſervitutem, ſed Deo ſubjectam, peccati: per ſatisfactionem Filii Dei, in priorem locum reſtituti ſumus, non tantum ut ſervi, ſed etiam liberi adoptione facti. Nec ita quicquam implicitum eſt in eo, quod è manibus Dei ut Domini ſupremi, ex ſervitute vicarii diaboli redempti pariterque ei reſtituti ſumus.

18. Ex his puto ſatis liquere, nullam fuiſſe neceſſitatem negandi proprietatem redemptionis, quæ ſit pretio captivi aut ſervi, domino perſoluto, ut quibuſdam viſum fuit; nec quibus noſtrum nihil pridem placuit, habuiſſe rationem, hoc argumento probandi, terminos juris in ſcriptura uſurpatos, inde non recipere explicationem.

19. Nec adeo comparatione in alienum

ſenſum uſos eſſe ſcriptores ſacros, quando nos emptos pretio ſanguinis Chriſti dixerunt: quandoquidem *ſubſtantialia*, quæ jure gentium emptioni venditioni ineſſe dicuntur, in hac comparatione reperiuntur. Ea ſunt conſenſus, merx, & pretium.

20. Conſenſus in hac emptione eſt evidens; Pactum Patris & Filii ſuper redemptione generis humani, de quo ſuperius actum eſt. Merx ſunt electi; pretium ſanguis Chriſti.

21. Jam ſi quis opponat, homines non eſſe res venales, pretium emptionis venditionis, nonniſi in pecunia numerata conſiſtere; is in id quod ſæpe diximus, impingeret; comparationes ſemper relinquere diverſitatem inter res ſignificatas & inter res analogiæ adhibitas.

22. Emptionis, pretii, ſolutionis, captivitatis, vinculorum, ſimileſque locutiones ex humano populari uſu ad res ſimiles divinas eſſe translatas, nemo negare poteſt. Crediti, debiti, ſponſionis, ſolutioniſque vocabula ne quidem delictis, ut inter homines, ſine comparationis modo, adſcribuntur. Hoc conſiderandum eſt, in uno tertio analogia concurrat, an omnes termini rerum comparatarum conveniant.

23. Quando quis *ſub peccato venditus* dicitur, analogia in ſolo mancipationis effectu conſiſtit: Sed quando Chriſtus *nos* emiſſe dicitur, idque *pretio* ſoluto, ſecundum præviam *conventionem*, ibi non modo effectus acquiſitionis, ſed ipſa contractus ſubſtantia non minus evidens, quam in propria emptione venditione perſpicitur.

24. Nec ideo, quod Socinus metaphoram ſuam redemptionis enervat ac evanidam reddit, neceſſe fuit, per redemptionem deſignare *liberationem alicujus à quovis incommodo*; quaſi, ne ſcilicet, cogi videamur, translationem & tropum concedere. Metaphoræ non imminuunt rerum ſignificationes, ſæpius intendunt ac evidentiores faciunt, ut panis, potus, manducationis, corporis, captivitatis, pignorum, ſigillorum, pluriumque ſimilium rerum appellationes indicant *paſſim*.

25. Non fuit igitur faciendum, ut Grotium, qui per lytrum intelligit, *rem aut factum quodvis, quo movetur quiſpiam, ut aliquem incommodo alioqui affecturus, eo liberari patiatur*, imitarentur Theologi, potius quam Paulum, qui dicit eſſe *τιμὴν ἠγοράσθησαν, pretium, quo empti ſunt peccatores.*

26. Quibus verbis, etſi impropriis, æqualitas ſatisfactionis expletricis longe melius, quam Grotianis propriis, quæ ad *aliquid aliud, ad ſimile* quid præſtitum tendunt, declaratur.

27. Ille declinandas putavit locutiones, quibus vera & plena ſolutio exprimeretur; nos vero quicquid ad veritatem fidemque plenæ ſatisfactionis demonſtrandam pertinet, enixe retinendum exiſtimamus.

28. Nec tamen, etſi translationem tropicam agnoſcimus, longius à proprietate redemptionis quam res exigat, recedemus. Ideo ad objectionem, quod homo non poteſt eſſe merx emptionis, reſpondere licet; ſane etiam homines utique vendi poſſe, videlicet ſervos, quales eramus electi.

29. Ad alteram inſtantiam, quod pretium emptionis in pecunia conſiſtat, reſpondetur, veriſſimam eſſe, jure gentium, ſententiam illorum, qui nihil obeſſe ſtatuunt emptionis naturæ, quod pretium in aliis rebus, quam in pecunia numerata conſtituatur; modo tale ſit pretium, quod rei valorem, aut in pœnis, quod delicti meritum exæquet; etſi recentior juriſprudentia maluerit hanc vocare permutationem, quæ prorſus ejuſdem juris regulis conſiſtit ejuſdemque eſt efficaciæ cum venditione; quare & Origenes in *Matth. 16. tract. 11.* Redemptionem noſtram vocat *commutationem.*

30. Ex his jam facile conſtat, quid ad Crellii dilemma ſit reponendum; *vel proprie*, inquit, *accipitur vox lytri & pretii, vel improprie. Si proprie; alicui proprie perſolutum eſt hoc pretium, & nulli quidem alii, quam Deo, cui ſatisfactio præſtita à Grotio dicitur.*

citur. Unde conſequitur, Deum id etiam accepiſſe. Ex pretio autem improprie dicto, proprie dicta ſolutio, quæ hic intelligenda foret, colligi haudquaquam poteſt.

31. Forenſia vocabula de rebus divinis ſine aliqua improprietate non poſſunt uſurpari, ſed utcunque impropria, non deſinunt efficaciſſima analogia, rerum ſignificatarum demonſtrare naturam, ut in hoc negotio *ſupra* comprobatum eſt: tametſi improprietas hic adeo proxime ad rem ipſam accedat, ut nihil intereſſe videatur.

32. Ita Baſilius in hoc articulo *homil. in Pſalm. 48.* Εὑρέθη ἓν ὁμοῦ πάντων ἀντάξιον, ὃ ἐδόθη εἰς τιμὴν λυτρώσεως τῆς ψυχῆς ἡμῶν. *Una res inventa eſt, omnibus dignitate æqualis, quæ data eſt in pretium redemptionis animarum noſtrarum.* Auguſtinus in *Pſalm. 95. Tenebantur homines captivi ſub diabolo, & dæmonibus ſerviebant; Sed redempti ſunt è captivitate: Vendere enim ſe potuerunt. Venit redemptor & dedit pretium, fudit ſanguinem ſuum & emit orbem terrarum. Quæritis, quid emerit, videte, quid dederit, & invenite, quid emerit. Sanguis Chriſti pretium eſt. Tanti quid valet? quid niſi totus orbis, quid niſi omnes gentes?*

33. Tam autem proxime ad ipſius pretii dati proprietatem ſacræ locutiones accedunt ut *nobis nihil ſuperfugiendum ſit, quominus* etiam eſſe, cui ſolutum ſit pretium, concedatur; qua incommodi conſequentia, quo orthodoxam ſententiam urgere ſe poſſe callidi homines arbitrantur, id nullius eſſe momenti, jam demonſtratum eſt.

34. Denique, ſi verum eſt, comparationem emptionis & redemptionis, cum liberatione generis humani per Chriſtum facta, ſacris literis commemoratam, per omnia convenire cum emptione venditione jure gentium uſitata; facile nobis venia dabitur, inde novum petentibus argumentum, quo non eſſe faciendum probemus, ut loca ſcripturæ ſacræ, quæ vetuſtis fidelibus remiſſa peccata fuiſſe tradunt, ita accipiamus, ut minus plene perfecteque liberati eſſe dicantur, quam qui poſt ſolutionem Chriſti redemptoris fide illius ſatisfactionem amplexi ſunt.

35. Quia pendet & profluit hoc argumentum è natura Emptionis Venditionis, quam habet inter gentes & quam modo expoſitam dedimus, viſum fuit, ejus hoc loco ſubjicere deductionem.

36. Emptio venditio, quemadmodum in præcedenti exercitatione diximus, perficitur *ſolo conſenſu*, ſimulatque de merce pretioque convenerit, *quamvis nondum pretium numeratum ſit*, ait Juſtinianus ex vetuſtis Juris auctoribus *princip. Inſtitut. de Empt. Vendit.* Sed dominium rei venditæ non aliter transfertur, quam per traditionem.

37. Verum ad hanc dominii translationem requiritur, ut emptor venditori pretium ſolverit, vel alio modo ei *ſatisfecerit*; velut *expromiſſore* aut pignore dato. Quod quanquam cavetur ex lege XII. Tabularum, recte tamen dicitur, *& jure gentium, id eſt, jure naturali id effici*, inquit Cæſar Juſtinianus; atque venditor id ſemper agere creditur, ut ſine pretio merci conveniente, dominium rei ſuæ amittere nolit.

38. Proinde, quotiens is qui vendidit, *fidem emptoris ſecutus fuerit*, dicendum eſt, ſtatim rem emptoris fieri, ſimulatque tradita fuerit, etſi pretio necdum ſoluto, quemadmodum docet Imperator in *§. Vendita vero, junct. §. præc. Inſt. de Rer. diviſ.* Sic igitur eſt ratio juris Gentium. Quando conſenſus de merce pretioque perfectus eſt, ſi venditor emptori fidem habuerit de pretio, (cujus rei liquidiſſimum ſignum habetur, ſi terminus ſolutioni ſit adjectus) tum vendita res & tradita æquè plene redempta videtur & tranſit in dominium emptoris, æque perfecte, inquam, ante ac poſt ſolutum pretium.

39. Applicemus hoc bona cum venia. Deus mediator emit electos antea ſervos, à Patre ſuo; ſic enim eſt comparatio, quâ Spiritus ſanctus ipſemet utitur; quorum pars ei tradita fuit ante ſolutum pretium, verum

fide habita de pretio, terminoque ſolutioni adjecto.

40. Dico, quod pretium aliquamdiu non fuit ſolutum, id non obſtare, quominus ea pars emptorum fidelium, quæ ante ſolutionem tradita fuit emptori Chriſto, æque plene perfecteque redempta, ſervitioque Chriſti acquiſita fuerit, quam qui poſt ſolutionem fuere: Fides habita de pretio pleniſſime pro ſolutione ceſſit.

41. Emptos fuiſſe veteres à Chriſto mediatore, nemo negat; liberatos atque traditos fuiſſe eosdem redemptori nemo negat; fidem de ſolutione pretii Chriſto habitam fuiſſe à Patre nemo negat. Natura emptionis venditionis id infert, ut eo modo ante ſolutionem traditi emptique ſervi & redempti, æque perfecte cedant in dominium *redemptoris* & à ſervitute priore liberentur, quam ſi pretium fuiſſet exſolutum.

42. Etſi conſcientia redemptionis in illis ſervis, quibus ignaris, venditio facta minusque forte perſpicue ſignificata fuerit, in altero caſu dejectior & intricatior, quam ſolutione palam facta eſſe potuerit; quod in electis antiqui fœderis cum recentioribus comparatis ita ſeſe habuiſſe apud omnes in confeſſo habetur.

43. Cum igitur hæc ſit notiſſima proprietas emptionis & venditionis nihilque ſit in literis divinis, quod eam emptioni per Chriſtum factæ, quam eædem literæ ponunt, convenire vetet, recte hujus appellationis argumento probaſſe videmur, quod fideles utriusque temporis antiqui & novi, per emptionem Chriſti eodem jure meritoque redempti & liberati fuerint.

44. Sed nimis longa fuit digreſſio: Redeamus ad inſtitutum preſſius.

CAP. VIII.

DE ECCLESIA VISIBILI EXTERNA.

Cauſa Eccleſiæ Viſibilis, externæ. n. 1 - 5. Quatenus qui in hac reperiuntur, nec ad inviſibilem pertinent, jus habeant à myſtico jure diſtinctum; tam ante quam poſt Chriſtum. n. 6 - 10. Differentia inter utriusque temporis Eccleſiam externam & earum excommunicationes. n. 11 - 16. Cauſa deformitatis Eccleſiæ externæ eamque emendandi ratio. n. 17 - 21. An, ſeparare ſe oporteat ob vitia Eccleſiæ. n. 23 - 34. Catholicam ſive Univerſalem externam non dari Eccleſiam, quæ corpus unum externum efficiat; n. 35. nec eſſe caput unum Eccleſiæ univerſalis externæ. n. 36. Non eſſe divinitus inſtitutam ſubordinationem Eccleſiarum, vel prærogativam plurium in pauciores. n. 37 - 40. Cauſa illius ſubordinationis & prærogativæ, quæ paſſim invaluit; Imperium Civitatis & Conſenſus. n. 41 - 44. Ubi hæ cauſæ ceſſent, ibi ſtatum Eccleſiarum eſſe independentem. n. 45-48. In ſingulis Eccleſiis particularibus jus ſtatuendi de rebus arbitrariis eſſe penes univerſos, niſi jus hoc in unum vel paucos transferat. n. 49 - 51.

1. Jus

Digitized by Google

1. JUs Eccleſiæ inviſibilis, quæ eſt unum corpus ſub capite Chriſto, è Teſtamento ejusdem fundatum, prævia conventione inter Deum Patrem & Filium atque Spiritum Sanctum fidelibus eſſe præſtitum, ſupra intelleximus.

2. Sed ipſa quidem Teſtamenti diſpoſitio occulta fuit, donec à morte teſtatoris, prædicationem per orbem terrarum factam, cunctis gentibus expoſita & ejus bona cum credentibus communicata ſunt.

3. Idem ante mortem Teſtatoris per *Fœdus*, ſive promisſiones acceptatas, adminiſtratum fuiſſe demonſtravimus.

4. Hæ promisſiones ſive *Fœdus illud* primo, & deinceps Evangelii prædicatio viſibilem externamque a] produxerunt Eccleſiam; qua comprehenſi ſunt omnes, qui prædicationi Fœderis aut delatæ hereditatis cœleſtis fidem habuerunt, vel habere ſe profesſi ſunt: quemadmodum *in cap. 1. huj. ſect.* expoſitum eſt.

5. Sicut autem fœdus & prædicatio ad ipſam Teſtamenti diſpoſitionem ſe referebant, nec ab illa diſcrepabant, ita nemo eorum, qui ſe confeſſorum numero aggregabant, quicquam juris ad bona Teſtamenti habere poterat, quam ſi verâ fide membrum inviſibilis Eccleſiæ fieret, legibusque fœderis & Teſtamenti ſatisfaceret.

6. Quæ res tamen impedire non potuit, quin ſimulatores, nec unquam membra corporis myſtici futuri, res externas & ſigna gratiæ, ſine fructu ſpirituali, participarent. Et quia promisſio cœleſtis hereditatis etiam ad liberos pertinebat, cum his quoque ſigna gratiæ externa, quale fuit olim circumciſio, communicabantur, ſalvo divinæ deſtinationis quid de illis aliquando futurum eſſet, arcano.

7. Idem de jure hereditario in terram Chanaanis, ſtatuendum videtur; cum illa, ſicut antea demonſtratum eſt, non fuerit materia Fœderis diſtincti, ſed pignus & typus hereditatis cœleſtis, quo bona ſpiritualia validius & palpabilius illis, pro diſciplina illorum temporum hominumque rudium, inculcarentur.

8. Inde patet, inquam, non habuiſſe verum & proprium jus in Terram *Chanaan* ejusve partem, eos, qui ad ipſam Hereditatem cœleſtem, via qua ibant, pervenire non poterant; etſi ab externa illius Terræ communione, quamdiu Eccleſia externa non ejicerentur, arceri non poterant.

9. Nam quia, ſicut probatum eſt, ex *cap. 15. Geneſeos*, illa terra ſolummodo fuit *hypothecaria acceſſio* Fœderis, quod Deus cum *Abrahamo* de bonis cœleſtibus iniverat, fieri non potuit, ut Pignoris, quo Contractus inter Deum & Abrahamum erat obſignatus, obligatio, latius quam ipſe contractus principalis pateret, uſumque ab illo ſeparatum haberet.

10. Prædicatione Evangelii congregata Eccleſia externa habuit ſimiliter fideles veros & ſimulatores, quibus antequam dejecti & excluſi ſint à Communione Sacrorum, externa ſigna Gratiæ, etſi ad ipſa bona ſignis illis adumbrata nullum jus haberent, nihilo magis negari posſunt, quam improbis Iſraelitis uſus terræ Chanaanis negabatur.

11. Differentia tamen inter externam veterem

a] externamque) *Melius eſt ſi conſideratio theologica diſtinctionis Eccleſiæ viſibilis & inviſibilis relinquatur Theologis, & ſtudioſis juris inculcetur à JCtis, ſub nomine Eccleſiæ viſibilis & externæ venire, in quæſtione de jure principis circa ſacra, cœtum omnem civium, quatenus vivunt in ſocietate colendi Dei ſecundum ritus uniformes, ſive ſit Eccleſia vera ſive falſa. Quid enim opus eſt, quæſtionem de jure principis circa ſacra, jam in ſe ſolutu difficilem per meditationes tam abſtractas de Eccleſia viſibili reddere difficiliorem.*

terem & novam Eccleſiam, *b*) eſt hæc inter alia; quod nova nullum habet pignus terræ vel terreſtrium bonorum, neque tali indiget, eo quod novis fidelibus datum eſt pignus longe nobilibus Spiritus Sancti in cordibus illorum, abundantius effuſi, & quo res ipſa ſine typis & umbris, aperto teſtamento, illis panditur & exhibetur.

12. Hinc ſequitur, excluſionem ab Eccleſia vetere ſecum tuliſſe excommunicationem à jure civitatis, & bonorum, quæ erant in terra *Chanaan*; cujusmodi nihil eſt in excluſione ab Eccleſia, quæ fit inter Chriſtianos, ſecus ac olim erat τὸ ἀποσυνάγωγον ποιεῖν; etſi in quibusdam locis, nominatim in Anglia, non longe hodieque inde recedunt. *c*)

13. Quanto etiam clarior eſt apertura Teſtamenti & evidentior effuſio gratiæ cœleſtis in fideles, poſt ἀνάστασιν Servatoris, tanto majorem quoque peritiam, clariorem ſcientiam & demonſtrationem ſpiritus efficaciorem in his qui novæ Eccleſiæ dant nomen, eſſe debere, quam in iis qui veteri aggregati fuere, conſentaneum eſt.

14. Nec admittendos ad eam, non modo qui doctrinam Evangelii & fidei profeſſionem vita moribusque proſtituunt, ſed nec eos qui civiliter utcumque viventes, è ſtatu naturæ tamen ad interiorem cum Deo conjunctionem traducti non ſunt, etſi fidem profiteantur ac intelligant, indubitatum eſt.

15. Sed quia facultas, illam animorum conſtitutionem diſcernendi, nonniſi è dictis & factis, ut ad excluſionem ſufficiat, exerceri poteſt, uſu venit, ut genus illud poſterius ab Eccleſia externa difficulter excludi queat, nec unquam ſatis, ne quidem in primæva Eccleſia ſecerni potuerit. *d*)

16. Nam ut poteſtas Epiſcopis & Paſtoribus hanc rem ſuo arbitratu & ſecreta æſtimatione judicandi fiat, neque periculum dominationis, nec ipſorum ſæpe Paſtorum imperita ſpiritualis permittit. *e*]

17. Per quam cauſam uſu venit, ut externa

b) Eccleſiam) *Et hæc differentia magis Theologica eſt, quam ad uſum juris Eccleſiaſtici. Planius differentias Eccleſiæ Moſaicæ & Chriſtianæ docet Puſend.* de habitu relig. ad remp.

c) recedunt) *Etſi de jure excommunicandi ad ſequentem ſectionem commodior erit dicendi locus, tamen id hic prænotandum, quod autor talibus aſſertionibus lectoris incauti ingenium præoccupet. Fere enim ſupponit, dum differentiam excommunicationis utriusq; ex differentia Eccleſiæ Moſaicæ & Chriſtianæ deducit, ac ſi jam de juſtitia excommunicationis omnia ſint in confeſſo; cum tamen dicenda inferius oſtendant, & excommunicationem Judaicam haud eſſe à Deo præceptam, & eius introductionem in Chriſtianiſmum pertinere ad arcana Papatus. Interim excommunicationis Anglicanæ nota docet, quam difficile ſit, excommunicationem ita concipere, aut temperare, ut non fiat ſpecies pœnæ civilis. Et forte Angli de excommunicatione Belgica idem obſervant, quod Autor de excommunicatione Anglicana.*

d) potuerit) *Vides, quantis difficultatibus ſe implicet autor, dum politica & juridica ex Theologicis voluit deducere. Parum enim cohæret, homines morum civiliter proborum eſſe excommunicandos, aut à communione arcendos, ſi non ſint interius uncti cum Deo, & tamen hoc requiſitum eſſe impoſſibile, ut in praxin deducatur. Adde tamen etiam, hunc videri eſſe floſculum Theologiæ non ſanioris & ratione utentis, ſed Platonicæ & Pſeudomyſticæ.*

e] permittit) *Sed eadem ratio, & videlicet periculum dominationis & imperitiæ (non quidem ſpiritualis, ſed prudentiæ civilis) urget etiam, ut nullum jus excommunicandi relinquatur paſtoribus ſuo arbitratu exercendum.*

terna Eccleſiæ conſtitutio mirificam ubique deformitatem contraxerit; quæ neque per Reformationem ſuperioris ſeculi, qua dominatio *f*) magis quam ſpiritualis imperitia præſulem ſublata eſt, ceſſavit.

18. Nec adeo ſpes videtur affulgere plenæ hac parte emendationis, niſi *g*) quando viſum fuerit Deo, majorem in populos nomen ejus profeſſos effundere copiam Spiritus ſancti, cujus rei ſperandæ locum vaticinia ſacra multis facere videntur.

19. Quamdiu hoc non fit, & inter ipſos Paſtores plerique à cultu interioris & novi hominis alieni cernuntur, neque ſperari neque fieri poteſt, ut omnes vel major pars eorum, qui ad externam Eccleſiam confluunt, regeniti ſint, & vere membra myſtici corporis Chriſti reperiantur.

20. Nec etiam, ſi verè pii Paſtores quoſdam inter confeſſores fidei cognoſcant, in quibus exiſtiment, non habitare ſpiritum Chriſti, quemadmodum, qui Deum in ſpiritu & veritate colunt, colloquiis & converſatione aliorum, non difficulter homines verè pios à naturalibus diſcernere poſſunt; tamen ſi illos ita convincere nequeant, ut aliis, ad quos eadem cognitio pertinet, idem liqueat, non habent jus illos ab externa communione ſignisque gratiæ, ut antea dictum, excludendi, habetque locum hactenus, quod dici ſolet, *de occultis non judicat Eccleſia.*

21. Idque ita inde ab ipſorum ævo Apoſtolorum videtur obſervatum fuiſſe, quatenus ex eorum qui pariter adſciſcebantur, numero, & è ſtatu Eccleſiarum illius temporis, in Actis etiam & Epiſtolis ſacris expoſito, non obſcure colligi poteſt.

22. Etſi quanto Rectores Eccleſiarum peritiores viarum Domini tum fuerunt, quam deinceps, & quanto major erat vis ſpiritus in Eccleſias effuſa, quam eſt hodie, tanto minor erat diſparitas inter membra Eccleſiæ externæ & inviſibilis, tum temporis, quam his diebus, ut è notis, quas habemus in ſacris literis, & quas ex attenta conſideratione confeſſorum hujus temporis animadvertere licet, intelligi poteſt.

23. Quamvis autem Rectorum imperitiam & oſcitantiam hac parte nemo excuſare poteſt, ſi tamen illorum vel majoris in eccleſia partis culpa indigni ad externos cœtus admittantur, qui ſunt ejuſdem congregationis & errorem agnoſcunt, ideo ab eccleſiæ communione ſeparare ſe non tenentur, imo nec debent.

24. Quia peccata vel indignorum fratrum vel eorum, à quibus admiſſi ſunt, aliis imputari non poſſunt; ſi quidem nullo dicto vel facto talem admiſſionem probaverint, vel eorum, vitia participaverint.

25. Nam quod eosdem cœtus frequentant, eademque ſymbola gratiæ cœleſtis uno loco & tempore percipiunt, non fit ideo, quia probant id, quod prohibere non potuerunt; ſed quia præceptum Dei eſt, ut mortem Domini annuncient, donec ipſe veniat.

26. Neque plus aut arctius ad me pertinet,

X quod

f) dominatio) *Verum quidem id eſt, dum Paſtores ad paupertatem redegimus. Sed tamen cupiditas dominandi non eſt ſublata, ſed potius vitio politicorum irritata, indulgentium paſtoribus, etiam noſtris, poteſtatem excommunicandi vel non practicabilem, vel non niſi cum turbis reip. in actum deducendam.*

g] niſi) *Dic brevius: niſi ex una parte Magiſtratus auferat illud vanum irritamentum cupidinis dominandi, excommunicationem, & ex altera parte Paſtoribus Eccleſia proſpiciat, ut honeſte vivere & familiam ſuam ſuſtentare poſſint. Hoc enim vitium potiſſimum Politicorum eſt & JCtorum, quod ea de re non ſevere admoneant regentes, & paupertatis paſtorum communis non debite miſereantur.*

quod in eodem templo indigni admittuntur, quam quod in illis aliorum locorum eccleſiis idem fiat; quia totum eccleſiæ corpus eſt unum, neque magis illos quam his operam meam adhibui, ſed in utriſque eadem mihi facultas fuit.

27. Sane, ſi poſſum me aggregare cœtui, qui hac parte ſanctius & ſeverius conſulit, *b*) huic me, ſi facultas detur, adjungem potius & adjungere tenebor; ne dignos, & indignos admittere mihi prope *indifferens* haberi videatur.

28. Nec tamen ita cœtus, qui veritatem Dei prædicant, ideo, quod diſciplina remiſſior & diſſolutior habetur, recte negemus, externas eſſe Eccleſias: etenim magnam hac parte latitudinem dari vel eccleſia ſeptem Apocalypticæ doceant, neque gradus perfectionis ſpeciem variare poteſt.

29. Adeo, ut ſi contingat, in aliquo cœtu numeroſo, paucisſimos eſſe veros fideles, ſi tamen verbum Dei pure in eo prædicetur, & liceat ibi Deum colere & celebrare, quemadmodum ipſe præcepit, huic ſe aggregare in eoque commorari licere ſtatuendum ſit.

30. Quippe, communio ſanctorum & ſacrorum eſt qualitas myſtici corporis Chriſti, nec niſi ad vera ejus membra pertinet, in quibus orditur & deſinit, neque vero impeditur ab iis qui corporibus adſiſtunt, animis non junguntur; ſecundum id quod vulgo & recte dicitur; *utile per inutile non vitiatur.*

31. Verum eſt, extare præceptum *de non edendo cum falſis fratribus;* ſed hoc primo de aperte improbis, non de quibusvis inregenitis accipiendum; dein de tali ſocietate menſæ, quam quis adfectet, *i*) vel quæ ab ipſo dependeat; non quæ penitus ab alieno pendeat arbitrio.

32. Communio externa ſacrorum aliter, quam in cœtu Eccleſiæ haberi non poteſt, quam improborum admisſio piis intercipere non debet, cum vera communio nonniſi inter vere fideles committatur.

33. Duntaxat admisſis talibus, quorum impietas probari poteſt, faciendum videtur piis, quibus id grave eſt, *k*) ut hi ad quos ea cognitio pertinet, officii ſui decore commoneſiant, judiciumque piorum non laudantium profanationem ſacrorum, exiſtat. Quo facto, rem Deo committant, *l*) nec, quod homines perverſe conſulunt, ipſos arcere debet à Deo in conventu nomen ejus rite profitentium celebrando.

34. Qui

b) conſulit) *Sed videndum eſt hic ante omnia ne ſub illa ſeveritate lateat ſanctitas hypocritica & monachica. Sane Chriſti diſciplina non ſevera eſt, ſed mitis. Et Chriſtus nunquam præcepit ſeparationem externam ab indignis. Neque cohærent dicta hoc numero cum numeris præcedentibus.*

i) adfectet) *Paucis: loquitur non de comeſtione quavis, ſed de amica & familiari, de agapis.*

k) grave eſt) *Si vere pii ſunt, iis non erit grave, ob rationem* n. 24. & 25. *Si iis grave eſt, quomodo probabunt ſe eſſe vere pios, quomodò probabunt, iſtam veram pietatem ipſis dare licentiam aliis non competentem, rectores admonendi de officio ſuo.*

l) rem Deo committant) *Tutius eſt, absq; illo facto ſtatim rem Deo committere. Et plerumq; illi Zelotæ, qui ferre non poſſunt indignos juxta ſe. & invehuntur in rectores, qui ſecundum ſuum beneplacitum indignos nolunt ſeparare, tali ſpiritu haud ſunt præditi; ut, ſi monita eorum non attendantur, rem Deo committ nt. Quin potius, uti cum rectoribus, ita cum Deo expoſtulant, quod ipſe indignos non ſtatim viſibiliter puniat, aut, ſi modeſti videri volunt, dicunt, ſe admirari diuinam clementiam, i. e. eam ipſis videri parum rationalem. Et ſi ipſi Dei loco eſſent, ſe aliter acturos eſſe, cum iſtis, quos indignos dicunt &c.*

34. Qui aliter conſulunt, ſeque ab eccleſiis non exquiſita diſciplina utentibus, etſi in doctrina cum ipſis conſentientibus ſegregant, ut cœtum ex meris veriſque regenitis colligant, experiendo ſe rem humano conſilio majorem, quæ divinitus ὁρμὴν & vires arcanas expetat, occupare ſentiunt, nec in propoſito ſuo durant.

35. Etſi autem inviſibilis eccleſiæ univerſo mundo ſit unum corpus, quod eſt *univerſitas prædeſtinatorum*, vere catholica eccleſia, ut ex Huſſi ore ſupra intelleximus, ejusmodi tamen unitatem externæ eccleſiæ à Chriſto eſſe fundatam, non liquet, nec ea res, ut jam *ſupra* indicavimus, habet facultatem.

36. Talis unio conſtitui non poterat, ſine imperio unius præſulis aut collegii ſuper omnes eccleſias, cujusmodi poteſtatem ſi Chriſtus Dominus ad ſe repræſentandum in terris, extare voluiſſet, non eſt dubium, quin verbis, ut etat momentum rei, maxime claris & præcipientibus uſus fuiſſet.

37. Qualia nullo modo ſunt ea, quibus uſus legitur ad *Petrum* Apoſtolum, quando laudat ejus confeſſionem de perſona officioque ſuo, cum mentione *Petra*, cui illam adſimilat. Nec etiam ea, quibus ſemel iterumque Paſtoris partes illi demandat: Unde principatum in eccleſias Petro vindicare, vel Petri jus in Epiſcopum Romanum transferre, utrumque manifeſta veritatis & prætextus inopia laborat.

38. Nihil etiam ſimile prodit uſus Apoſtolorum & eccleſiæ primævæ, quicquid de habitatione vel Epiſcopatu Petri apud Romanos, qui mirifice ab actis Paulinis alienus eſt, ſtatuendum fuerit.

39. Habuerunt Apoſtoli miſſionem & Spiritum ab ipſius ore Chriſti, ad omnes gentes: Unde auctoritas illis authentica vivis & mortuis, quod attinet ad ſcripta quæ reliquerunt: ſed auctoritatis hujus ſucceſſores nullos habuerunt.

40. Verum conventus particulares, cum ordine certo docendi & regendi, paſſim condiderunt, quorum alii in alios fuiſſe imperium, vel e multis factam fuiſſe univerſitatem, in qua pauciores voluntatem plurium ſequi deberent, ex inſtituto & tempore Apoſtolorum, præter jus, quod de ipſorum auctoritate θεοπνεύστῳ diximus, minime liquet.

41. Subordinatio eccleſiarum, quæ nunc paſſim obtinet, è duplici cauſa fluxiſſe videtur; E conſenſu membrorum & ab imperio civitatis. Conſenſus habuit uſum, antequam Rectores civitatum fidem profiterentur, quemadmodum ante Conſtantini Magni tempora jam late ſtabilita fuit. *m*)

42. Ratio illam introducendi duplex inprimis fuit. Utilitas colendi fovendique conſenſum fidei & diſciplinæ per omnes eccleſias, & perſuaſio Chriſtianis populis inſinuata, eccleſiam viſibilem æque debere eſſe corpus uno ſub imperio unitum, quam eſt inviſibilis eccleſia ſub Capite Chriſto. *n*)

43. Quæ res effecit, ut imperium illud eccleſiaſticum ſub uno capite, per univerſum orbem terrarum propagaretur & conjan-

X 2

m) late ſtabilita fuit) *Hac videtur eſſe mens Autoris. Subordinatio eccleſiarum, ut ſint ſub Epiſcopo, & Epiſcopi iterum ſub aliis, non incepiſſe quidem ſub Apoſtolis (per dicta n. praced.) Sed tamen ex conſenſu ortam fuiſſe poſt Apoſtolos, & jam diu ante Conſtantini tempora, poſt illa vero usq. ad tempora reformationis conſenſum illum ſapius etiam cauſam ſubordinationi dediſſe.*

n) capite Chriſto) *Prior ratio fere intenta fuit ante Conſtantinum, poſterior poſt eum, ubi Papatus arcana ſua expandit.*

jungeretur. Quod omnem ſuam vim & efficaciam habet ex inveterata perſuaſione populorum, illam eſſe conſtitutionem divinam. *o*)

44. Altera cauſa ſubordinationis manifeſta eſt in iis locis, ubi illa credulitas Populorum recepta non eſt, quemadmodum uſu venit, in hodiernis proteſtantium eccleſiis; qui ſubordinationem ſuam haud aliunde quam ab imperio accipiunt.

45. Idque ab oppoſito ſtatu patet evidentius, in locis, ubi imperium cum eccleſiæ ordinatione non concurrit, eo quod vel improbet confeſſionem, ut in eccleſiis ſub cruce, quas vocant, vel ubi imperium diſcordat, ut in *Friſia Orientali:* Omnes enim iſtæ eccleſiæ ſine ulla ſubordinatione vel univerſitatis conformatione in naturali *independentiſmo* non adfectato conſiſtunt.

46. Unaquæque de ſuis rebus ita, quemadmodum in timore Domini & ex animi ſui ſententia putat faciendum, conſulit, nec una vel plures ſuper alias quicquam juris aut imperii habent, ſalva conjunctione animorum & conſenſione fidei quam profitentur.

47. Quam ut omni meliore modo colant & foveant, non eſt inutile, conventus aliquos etiam ſtatos celebrare, per legatos, in quibus ſe mutuo hortentur & commonefaciant; quales habent Reformati in ea quam dixi Friſia Orientali, ſed abſque vinculo neceſſitatis; ut eccleſiæ, quæ nolunt iis vel intereſſe vel auſcultare, nullo modo ad hoc teneantur.

48. Quod ſi per conventionem mutuam leges aliquas ſanciant, iisque ſe ſubmittant, *obligantur* equidem, ſed animis & dictis tantum, nulla *coactionis* facultate comparata.

49. In ſingulis etiam eccleſiis particularibus, deliberandi & concludendi jus de rebus arbitrariis eſt penes omnia membra, ſalva Presbyteris facultate denuntiandi promiſſiones obedientibus & minas refractariis, ſecundum evangelium.

50. Ut tamen etiam ex conſenſu, vitandæ confuſionis, ſi velint, jus omnium in paucos vel in unum, quod attinet ad ea quæ ſacris literis præſcripta non ſunt, deferre queant: De his enim ipſis nulla conventio, nulla renuntiatio vel translatio fieri poteſt.

51. Denique ſingulis eccleſiis competit jus univerſitatis, quod ad res attinet externas, ſi modo in Civitate non ſint prohibitæ: Tales enim jus *perſonæ civilis*, quam præferunt univerſitates, habere non poſſe manifeſtum eſt, qua de re in loco de *univerſitatibus lib. 2. agendum*.

SECTIO V.

De Jure Summæ Poteſtatis circa ſacra.

CAP. I.

E VARIIS OPINIONIBUS DE JURE SUMMÆ POTESTATIS IN ECCLESIAM UNA ELIGITUR; ET DE EPISCOPATU CONSTANTINI MAGNI.

De

o) divinam) *Huc pertinet controverſia inter Hammondum & Blondellum integris tractatibus agitata, quam hodie reſuſcitat Dodwellus, contra quem diſputavit D. Buddeus.*

De jure ſummæ poteſtatis in eccleſiam varias agitari opiniones. n. 1. 2. Primam eſſe pontificiorum ſententiam, qui totum hoc jus Papæ ſubjiciunt. n. 3. Alteram eorum, qui Presbyteriis omnia vindicant. n. 4-9. Tertiam diſtinguere inter jus eccleſiæ internum & externum, quaſi ex mente Conſtantini Magni. n. 10. 11. Quartam Eraſtianorum, qui nihil quam confesſionem fidei eccleſiaſticis concedunt, poteſtatem omnem imperio adſcribunt. n. 12. 13. 14. Quintam Hobbeſii, a quo nullum jus ſacrum, niſi imperio civili ſubjacens agnoſcitur. n. 15. 16. 17. Ex his media, quæ eſt tertia opinio, præfertur. n. 18-21. Epiſcopatus Conſtantini M. Vera expoſitio, diſcrepans à vulgari, traditur ex Euſebio, probaturque, nihil eum eſſe, quam officium principis in convertendis ad fidem pietatemque civibus extra eccleſiam, hortatu, legibus, exemplo. n. 22-28.

1. POſtquam jus eccleſiæ inviſibilis ex fœdere & teſtamento Chriſti domini latius quam forte neceſſe fuit, & ſtatum eccleſiæ externæ in ſe conſideratæ, quod ſatis ſit, expoſuimus; ſequitur, ut quomodo ſe habeat eccleſia viſibilis reſpectu civitatis, ſub cujus imperio degit, & quid huic juris in illam ſit comparatum, videamus; Aliquid enim id eſſe oportere, jam antea demonſtravimus.

2. Et quidem diverſas ſententias, primam, ut quæque minimum juris tribuit ſummæ poteſtati in eccleſiam, tum eas quæ plurimum ei vindicant, proponemus.

3. Qui magnum Præſulem Romanum colunt, hi ſic omnia ad Eccleſiam ſpectantia pedibus ejus ſubjiciunt, *ut imperantibus nihil relinquant*, nec in his quæ à Deo præſcripta ſunt, nec quidem in regimine eccleſiarum externo; adeo, ut non pauci etiam principes ipſos eorumque imperium *Pontifici* ſubmittant.

4. Alii totum jus ſacrorum pendere docent à collegiis Presbyterorum, tam quæ ſunt in ſingulis eccleſiis particularibus, quam quæ colliguntur è pluribus, ſive una ſeu diverſis ſubordinationis gradibus, ſecundum claſſes & ſynodos, quæ vocantur.

5. Et ex horum ſententia imperantes vix aliter quam è fidelibus ſinguli aut omnino extranei ab hiſce reputantur.

6. Niſi, quod defenſionem eccleſiæ & executionem eorum, quæ Presbyteri decreverunt, *quatenus manum p) requirunt*, imperio civili *committunt*.

7. Ipſas quoque nonnulli imperantium actiones in Reipubl. adminiſtratione cenſuræ Presbyteriorum committunt, atque hi ſunt, quos in Anglia & in Scotia vocant à re ipſa *Presbyterianos*.

8. Enimvero hæc ſententia à priori in terminis quidem, & in eo, quod Pontifici jus toto orbe tribuitur, ſatis late diſcrepat; Genere tamen doctrinæ, quæ ad hunc locum pertineat, quatenus utraq; civili imperio fere tantundem relinquit, haud magnopere ab altera abhorret: Nempe ſicut Ariſtocratica poteſtas particularis differt a monarchia univerſ.

p) manum) *Seu ſtilo communi*, Brachium *ſeculare. In hoc itaq; convenit ſententia ſecunda cum prima, quod utraq; partes capitis clero tribuat, brachii ſaltem ſummæ poteſtati politicæ. Differentiam tradit Autor mox n. 8.*

9. Sunt alii hujus, ut videtur, claſſis ſecundæ, qui Presbyteria repudiant, & ſingulis eccleſiis omne jus ſacrorum vindicant, ita ut omnia membra congregationis id pariter exerceant, *independenter* à Claſſibus & Synodis. Hi ſunt, quos *independentes* & recentiori nomine *congregationales* vocarunt, qui forte propius ad *tertiam* quæ ſequitur, quam ad Presbytericam opinionem referri videntur.

10. Porro *tertia* eſt eorum ſententia, qui *internum* eccleſiæ & ſacrorum jus civili poteſtati negant; *Externam* vero adminiſtrationem ab illa dependere eique ſubjacere volunt.

11. Hujus Autor ſententiæ *Conſtantinus Magnus* laudatur, cujus hac de re convivalem ad epiſcopos ſermonem memorat Euſebius *l. 4. de Vit: Conſtantini M. c. 24.*

12. *Quarto*, ſunt, qui confeſſionem fidei nudam & ſolam eccleſiæ concedunt, ſed poteſtatem animadverſionemque, vel audientiam foris ſe exerentem nullo modo, *niſi à Majeſtate dependentem.*

13. Proinde poteſtatem ejiciendi è communione *eccleſiæ* & arcendi à ſacris, quam prior ſententia ſub internis comprehendit, ſimiliaque, negant eccleſiaſticis, utique ubi magiſtratus ſunt Chriſtiani.

14. Tales ab *Eraſto q*) Helvetio, qui Medicus & Senator Eccleſiaſticus ſuperiore ſeculo fuit Heidelbergæ, vocantur *Eraſtiani*; quorum

q) Eraſti) *Cum Eraſti & Eraſtianorum nomen ut impiorum & ad atheiſmum viam ſternentium hæreticorum per calumniam fuerit ab adverſariis traductum,* (vid. Eraſti explicat. p. 355.) *& Autori etiam Eraſti ſententia male audiat, opus eſt, hiſtoriam controverſiæ paulo diſtinctius tradere. Thomas Eraſtus gente Helvetius, Heidelbergæ Medicus & Senator Eccleſiaſticus oppoſuerat ſe Caſpari Oleviano aliisq; urgentibus introductionem diſciplinæ Genevenſis cum poteſtate excommunicandi. Qua ille ſub Magiſtratibus Chriſtianis nihil opus eſſe contendebat & concionatoribus ſufficere ad poteſtatem clavium exercendam jus denuntiationis, minas & promiſſiones Ŀvangelicas. Ita rem refert Autor noſter* Hiſt. Civil. hic citato loco, *qui etiam addit ea geſta eſſe in Palatinatu Anno 1565. quem annum etiam refert Georgius Hornius* in Hiſt. Eccleſ. p. m. 496. *Sed David Pareus* Hiſt. Palat. p. 299. *ponit Annum 1568. atq; huic inſtituto Oleviani non ſolum politicos pleroſq; reſtitiſſe memorat, ſed duos cumprimis ambitioſos, ut vocat, concionatores Adamum Neuſerum & Johannem Sylvanum; bis autem Thomam Eraſtum haſtas ſubminiſtraſſe ex Academia. Henr. Altingius (unde ſua Hornius bauſiſſe fatetur)* in Hiſt. Eccleſ. Palatina *(public. Francof. 1702. inter monumenta pietatis & literaria virorum illuſtrium) p. 204. etiam memorat Annum 1568. Reſtitiſſe dicit Oleviano ex Conſiliariis Chriſtophorum Probum Electoris Cancellarium, ex Academicis Thomam Eraſtum Medicum; ex Miniſtris Adamum Neuſerum Paſtorem in æde Petrina. Sed ipſe Altingius addit, hos viros non creditos fuiſſe reſiſtere, quod damnarent doctrinam de diſciplina eccleſiaſtica, ſed quod judicarent, illis temporibus non ſatis convenire eccleſiæ, vel illa forma obtineri vix poſſe, Eraſtum vero, ut ex Helvetiis Aquenſem, eo haud leviter motum fuiſſe ait, quod in Helveticis eccleſiis recepta non eſſet. Ita vero deſitum fuit ab inſtituto & de re ipſa diſputari, ut tamen animorum quadam alienatio remaneret. Accidit interea, ut Anglus quidam M. Georgius VVitherus, qui propter rem veſtiariam ex Anglia ferebatur exciſſiſſe, doctoris Theologiæ titulo euperet inſigniri, & D. Boquinio theſes de veſtimentis ac ritibus in Anglia controverſis pro gradu diſputandas pro more offerret. Quas cum legiſſet D. Hieronymus Zanchius, hortatus eſt Decanum D. Boquinum, ne pateretur illis de rebus diſputari in*

Academiæ, pacis & concordiæ cauſa, ne ſcilicet Angli offenderentur. Igitur ejus juſſu Candidatus alias formavit theſes & in his duas de neceſſitate diſciplinæ eccleſiaſticæ & excommunicatione. [THES. XII. Ad ſinceram verbi divini prædicationem & legitimam Sacramentorum adminiſtrationem oportet in Eccleſia gubernationis vigere officium. THES. XIII. Officium autem hoc voco, ut Miniſtri cum Presbyterio, quosvis peccantes, (etiam principes) arguendi, increpandi, excommunicandi, reliquaq; ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinentia peragendi facultatem & habeant, & exerceant.] Inſtituta fuit diſputatio die 10. Junii D. Boquino Præſide. Diſputatum fuit ſatis placide & pacifice. Sub finem diſputationis Eraſtus & Neuſerus conqueſti ſunt, non ſatis temporis ſibi fuiſſe ad opponendum, alioquin multa eaq; gravia adverſus theſes de diſciplina adferre conſtituiſſe. Præſes Boquinus reſpondit, curaturum ſe, ut cras aut perendie denuo diſputetur. Quod perendie ſucceſſit. Ibi ſerio admodum contra diſciplinam diſputatum, ita tamen, ut licet nemini non appareret, commotiores eſſe animos, tolerabilis tamen fuerit diſputatio, & modeſte ſine convitiis peracta. Niſi quod ſub finem proteſtatus eſt Neuſerus, hanc doctrinam ſe oppugnare tanquam repugnantem verbo Dei. Qua proteſtatione offenſi non pauci, nominatim Theologi Academici & cum his D. Doctores Urſinus & Olevianus. Unde Urſinus poſtridie diſputationem illam in Collegio ſapientiæ repetiit, & objectiones præcipuas plenius confutavit. Sic rem narrat Altingius. Ipſe Eraſtus (in præfat. ad explic.) *initio in Theologis id taxat, quod cum ſolliciti fuerint, ne Anglos offenderent, nihilo duxerint, turbare quietem domeſticam propoſitis theſibus iſtis, & potiſſimum de excommunicatione, etiam principum. Cæterum addit, ſe, etſi metuiſſet, decertationem iſtam non fruſtra inſtitutam fuiſſe, ſperaſſe tamen, nihil aliud futuram fuiſſe, quam ordinariam diſputationem quales non ad decidendas controverſias, ſed ad juventutem exercendam inſtitui ſoleant. Itaq; nec ſe aliquid movere voluiſſe, nec propter negotia intereſſe potuiſſe. Hortatum quoq; eſſe alios quas contra diſputaturos vidiſſet, ut majorem haberent eccleſiæ rationem, quam imprudentiæ paucorum. Diſputaſſe tamen nihilominus unum atq; alterum, quos ſi deinde Doctores Academici & una ipſum Eraſtum non vocaviſſent profanos, Satanicos, Diabolicos, turbatores, hoſtes pietatis, fanaticos, tum nil aliud quam ordinariam diſputationem futuram fuiſſe. Ergo tum Eraſtus ut ipſe memorat eod. anno 1568. ſcriptum compoſuit, in quo non optimo obſervato ordine, mentem ſuam propoſuit, & adverſariis ac aliis amicis id communicavit. Altingius vocat ſcriptum prolixum, in quo dicit contendiſſe Eraſtum, excommunicationem nec ex V. neq; ex N. T. probari poſſe, & neminem, etſi ſceleratiſſimum, & in peccatis contumaciter perſeverantem à Cæna arceri poſſe, etſi diverſa ſit doctrina.*

Interim litigium illud Heidelbergenſe pervenerat ad notitiam etiam Theodori Bezæ, qui hactenus Thomam Eraſtum ut virum in ſacris literis diligenter verſatum, & quem ſatis noſſet, egregiam operam ad illius eccleſiæ inſtaurationem nevaſſe, peculiari quodam amore erat complexus. Hic operam dedit literis tum ad ipſum Eraſtum, tum ad D. Olevianum, ut res tota componeretur, Eraſtum quidem precatus, ut ſuam de hac re ſententiam principi & ejus eccleſiæ paſtoribus ediſſe & ſuæ conſcientiæ ſatisfeciſſe contentus, rem hanc totam vel omitteret, vel iis, ad quos judicium ejus rei ſpectaret, decidendam committeret; Olevianum vero, cujus vehementius interdum ingenium eſſe noverat (Conf. Alting. p. 214.) *hortatus, ut, licet cauſam, judicio quidem Bezæ, juſtam tueretur, ab omni tamen intemperie ſibi caveret* (vide Bezam in præfatione ad tractat. de vera excommunicatione.) *Dum vero iſta agerer Beza, afferuntur ad ipſum centum Theſes Eraſti manuſcriptæ*

Scilicet

Scilicet ut Altingius notat, Eraſtus ſcripta ſua electori exhibuit, & inſuper huc illuc in varias Europa provincias transmiſit, ſed ejus adverſarii initio nihil ſcripſerunt, ſcilicet, Altingio judice, ut nollent turbare eccleſiam, & quod judicium & mandatum Electoris expectarunt. Hoc eſt, vel malebant brachio ſeculari uti, vel metuebant, ut brachium ſeculare tum nollet obedire capitibus Eccleſiaſticis. Nam metus turbanda Eccleſia tum attendendus erat, cum alia theſes praſcriberentur Anglo, ne videlicet Theologi Anglicani exardeſcerent. Et pro more tum adverſarii Eraſti alios clanculum inſtigarunt ad refutandum Eraſtum, ipſum nimirum Bezam. Etenim, *ut pergit*, amici, qui Eraſti ſcriptum miſerant, conquerebantur, ſparſas jam illas theſes circumferri & ad Tigurinos fratres miſſas, à quibus non improbarentur. Petebant etiam iidem, idque non inſcio illuſtriſſimo principe, ut ad eas reſpondere ſuſtinerem. *Reſpondit adeo Beza & defendit ſententiam Academicorum contra Eraſtum. Eraſtus contra, theſes ſuas centum aliter ordinavit, & in 75. theſis contraxit, tum & anno 1569. prolixiorem confirmationem ſuarum theſium adverſus Bezam & alios, qui eas oppugnaverant, confecit. Conſtat illa confirmatio libris 6. Nos rubricas ſaltem capitum referemus.* [Libri I. cap. 1. *De excommunicationis definitione.* Cap. 2. *De gradibus ſeu partibus excommunicationis.* Cap. 3. *Defenſio argumentorum, qua contra excommunicationem allata ſunt ex Teſtamento Veteri.* Cap. 4. *Defenſio argumentorum, ex Novo Teſtamento acceptorum.* Cap. 5. *Confutatio argumentorum D. Beza qua pro excommunicatione ex teſtamento vetere attulit.* Lib. II. cap. 1. *De immunditia legis & morum.* Cap. 2. *Confutatio argumentorum, qua pro excommunicatione ex fœdere novo petita ſunt.* Lib. III. cap. 1. *De munere & diſtinctione magiſtratus.* Cap. 2. *De poteſtate Synedrii tempore Romanorum.* Cap. 3. *Refutatio interpretationis Beza verborum Chriſti.* Dic eccleſiæ. Cap. 4. *Defenſio vera interpretationis loci 1. ad Corinth. c. 5.* Cap. 5. *Confutatio Argumentorum pro excommunicatione ex loco Pauli 1. Cor. 5. extractorum.* Cap. 6. *De fermento.* Cap. 7. *Defenſio ſententia Eraſti de fermento.* Cap. 8. *Refutatio argumentorum pro excommunicatione ex privato convictu & II. ad Theſſ. 3. deſumptorum.* Cap. 9. *Refutatio argumentorum aliorum quorundam pro excommunicatione.* Lib. IV. cap. 1. *De Presbyterio.* Cap. 2. *Defenſio argumentorum contra Presbyterium excommunicatorum.* Cap. 3. *Confutatio argumentorum, quibus Presbyterium ſuum aſſeri putant.* Cap. 4. *Utrum Synedrium politicus fuerit Magiſtratus.* Cap. 5. *Confutatio argumentorum pro Presbyterio ex N. T. conquiſitorum.* Cap. 6. *De Presbyterorum electione, ex quibus judicium conſtare debeat, & quando inſtitutum fuerit.* Cap. 7. *Utrum penes Presbyterium fuerit poteſtas excommunicandi?* Lib. V. cap. 1. *De uſu excommunicationis.* Cap. 2. *Confutatio aliorum quorundam argumentorum, qua pro excommunicatione ab aliis excogitata ſunt.* Lib. IV. cap. 1. *Confutatio duorum libellorum latinorum pro excommunicatione.* Cap. 2. *Refutatio alius libelli pro excommunicatione.*] *Interim Theologi Tigurini cautius proceſſerunt, approbantes quidem ſententiam Eraſti, ſed tamen ſuadentes & Eraſto & Beza, ne ſcripta ſua publicarent.*

Ne vero quicquam dubii remaneat Lectori, de approbatione Theologorum Tigurinorum, opus erit ejus rei confirmanda cauſa quadam inſigniora loca proferre. Ita vero ad Eraſtum ſcripſit Bullingerus d. 17. Octobris 1568. Theſes tuas & tractationem de excommunicatione legi, & avide quidem. Dedi legenda D. VVolphio, Lavatero, Hallero, Zvvinglio & imprimis Gvaltero & Simlero &c. Placent illa nobis. Neque enim exiſtimamus negotium Cœnæ Dominicæ implicandum huic negotio. Diu cum Anaba-

Digitized by Google

nabaptiſtis noſtris contendimus hac de re, & oſtendimus, eccleſiam veram poſſe eſſe & dici eccleſiam, quæ excommunicatione hac careat. Rurſus tamen contendimus, diſciplinam eſſe debere in eccleſia, ac ſatis eſſe, ſi ea adminiſtretur a Magiſtratu. Interim nunquam damnavimus eccleſiam Genevenſem, quæ ſuam habet diſciplinam. Nos ſi talem inducere vellemus in noſtras eccleſias, perderemus certo has citius quam ſervaremus &c. Sentimus nos præterea vobiſcum, non facere ad ædificationem eccleſiarum Palatinatus, neque e re vel bono fore principis, ſi talis inſtituatur diſciplina, id eſt excommunicatio, qualem nonnulli volunt. Quos optaremus diligentius apud ſe expendere illud Apoſtoli. Data eſt mihi poteſtas ad ædificationem, non deſtructionem. Ex *prolixiore ejuſdem Bullingeri ad Petrum Dathenum ſcripta epiſtola d. 1. Jun. Ann. 1570. ſequentia potiſſimum noſtro ſcopo inſerviunt.* Ultimis illis tuis ad me datis literis, quereris, quod approbarim Theſes Eraſti contra diſciplinam eccleſiaſticam ſcriptas, quas tu non tantum impias eſſe dicis, ſed inſuper etiam viam ſternere ad Atheiſmum. Vnde me hortaris & obſecras, ut data aliqua occaſione publice teſter, me novas illas theſes improbare. Quod niſi faciam, futurum, ut videar diſſentire à docta illa vetuſtate &c. *Et paulo poſt.* Noſtra eccleſia nunquam diſciplinæ eccleſiaſticæ immiſcuit Cœnam Domini Myſticam. Neque ea de cauſa ab ullo unquam, quod ſciam, impietatis eſt accuſata. Neque habuimus unquam Presbyterium vel talem Senatum eccleſiaſticum, qui examinaverit communicaturos, & ad communionem admiſerit, aut ab ea excluſerit peccatores, illos inquam, qui vel ſuo acceſſu ad Cœnam poſt admonitiones ſerias & graves emendationem vitæ veluti promittunt, & gratias agere pro redemptione totis animis deſiderant. Sceleratos & offendentes eccleſiam alia ratione coercendos eſſe & in viam reducendos arbitramur, qui exiſtimamus & credimus, Cœnam Dominicam à Domino eſſe inſtitutam, non, ut ſit ventilabrum aut cribrum, quo cribrentur aut diſpergantur ab invicem homines, ſed ſynaxin, id eſt, coagmentationem, ſocietatem, communionem & conjunctionem ad colligendos, congregandosque homines peccatores, &c. Hæc ſane non debet tibi, mi frater, nova videri opinio, nuper à nobis inventa cum in ſuperiore Germania inter eccleſias reformatas Tigurina, quæ ſemper ſic ſenſit, facile fuerit & ſit omnium prima, ut quæ anno 1519 plantari cœpit. *Et porro :* Modeſtiam ergo in te, mi frater Dathene, requiro, ne forte non ſine cauſa eam nobis injicias cogitationem, ſi quando poteſtatem conſequamini in eccleſia excommunicandi, fore ut omnes, quotquot per omnia veſtra non approbarint, Atheiſmi ſitis condemnaturi, ac expulſuri ad ipſos usque religionis noſtræ hoſtes truculentiſſimos. Quæ res, quem finem tandem conſecutura ſit, & quam graves inde turbæ & omnium ordinum convulſiones ſint exorituræ, res & tempus ipſum docebunt. Si meliora conſequantur, libenter vanus fuero vates Interim puto ſollicitudinem illam meam non eſſe impiam, & de nihilo conceptam. *Deniq, circa finem :* Neque putes, nos ira eſſe dementes, ut hic omnia ad rigorem illam Genevenſis eccleſiæ exigere & revocare velimus &c. Nam ut in alienas eccleſias nullum nobis ſumimus imperium, ita ſane, ſi qui in ſuis eccleſiis, quarum ratio illis rectius, quam nobis perſpecta eſt, aliquos citra turbam & querelis à Cœna per diſciplinam ſuam ſplendido cum fructu excludunt, id judicio eccleſiæ ipſorumque fidei permittemus. Interim vero nos plurimas ob cauſas neque Cœnam Domini gratulatoriam diſciplinæ eccleſiaſticæ immiſcemus, neque diſſimulamus rogati, palam profiteri, (ſi modo nullum præſens

periculum jam aliquos exerceat,) melius videri, nobis, talem excluſionem omittere, quam exercere, ſi videlicet periculum ſit conturbationis, ſchiſmatisque, atque adeo eam plus eccleſiæ obfuturam quam profuturam.

Atq; ſic quidem tum ex parte Eraſti & Bezæ lis de excommunicatione ad tempus quievit. Inter Theologos vero, referente Pareo & Altingio res magna animorum contentione & acerbitate diu gerebatur, cum Olevianus quidem principis gratia alios premere, Neuſerus vero aura populari propter Svevicam quandam ſvavi loquentiam, plurimum pollere videretur. Tandem eum habuit eventum, ut Adamus Neuſerus depoſitus à Paſtoratu & precibus ſolum matutinis adhibitus, livore ac furiis ſtimulatus, quo tantam contumeliam ulciſceretur, arcanis blaſphemiis tunc in Tranſylvania graſſantibus clanculum ferendis cum Sylvano & duobus aliis miniſtris conſpiraret, donec in comitiis Spirenſibus Anno 1570. res tota innoteſceret, & Sylvanus quidem capitis ſupplicium adiret, Neuſerus vero bis fuga elapſus abjecto palam Chriſtianiſmo ad Turcas deficeret. Rem fuſe narrat Altingius. (d. l. p. 206. ſeq.) *& adjecta inſuper ſunt acta contra Sylvanum ac Neuſerum in iſtis monumentis virorum illuſtrium* p. 318. usque ad p. 344.

Etſi vero Altingius (p. 211. ſeq.) *refutationem calumniæ, quaſi doctrina Reformatorum magiſtra ſit Arianiſmi & Muhametiſmi fuſius tractet, eadem tamen calumnia notatus etiam fuit Eraſtus, acſi de Arianiſmo eſſet ſuſpectus, qui & propterea [referente eodem Altingio* p. 210.] *per annos complures ad ſacram ſynaxin admiſſus non fuit, donec tandem edita plena, ſolidaq; declaratione, ſe limiter diſciplinaria controverſia egreſſum non eſſe, eccleſiæ Heidelbergenſi rurſus reconciliatus eſt anno 1575. Gibertus Voëtius* (Part. 3. Polit. Eccleſ. lib. 4. tract. 4. c. 1. p. 937.) *ex epiſtola quadam Eraſti ſequentia excerpit ad hanc calumniam pertinentia.* Scis enim, quam ſcelerate nebulo ille, Olevianus, ejusdem criminis reum me facere tentarit, cum a nullo errore & peccato in omni mea vita alienior fuerim. Vix puto vivere ullum hominem, qui minus me de articulo Trinitatis ſancte unquam dubitarit &c. *Sed non obſtante iſta reconciliatione prævaluiſſe Heidelbergæ adverſarios Eraſti iſtud argumento eſt, quod Anno 1581 Eraſtus Heidelgerga abierit Baſileam, ibiq; fere ſexagenarius Profeſſoris munus ſuſceperit, ubi & anno 1583. mortuus eſt. [Freheri Theatrum ex Melchiore Adami] Quare nec mirandum, quod a vivo Eraſto oppugnatio excommunicationis nunquam fuerit publicata, cum eius manuſcripti ſaltem communicatio cum quibusdam amicis & inimicis ei tantam invidiam & perſecutionem excitaverit. Quin imo, quicunq; ejus ſcripti poſt mortem Eraſti editor fuit, ex metu potentiæ diſſentientium non auſus eſt nomen vel ſuum, vel loci ubi impreſſum eſt, aut Typographi addere.*

Prodiit tamen Pesclavii apud Baocium Sultaceterum Anno 1589. *in forma quarta majore, ſub titulo:* Explicatio quæſtionis, utrum Excommunicatio, quatenus religionum intelligentes & amplexantes, a Sacramentorum uſu propter admiſſum facinus arceat; mandato nitatur divino, an excogitata ſit ab hominibus Autore Clariſſ. Viro, Thoma Eraſto, D. Medico. Opus nunc recens ex ipſius Autoris autographo eruitum, & in lucem prout moriens juſſerat editum. Ad operis calcem adjectæ ſunt clariſſimorum aliquot Theologorum Epiſtolæ partim ad ipſum Autorem ſcriptæ, partim ad alios, quibus ſuum rogati de hac re judicium ac ſententiam profeſſunt. *Continet illa explicatio ut jam ſupra monitum 75 theſes. quibus ipſe Eraſtus præfationem præmiſit, poſt auctam ejus perſecutionem confectam, ut appareat, eam diu hanc editionem eſſe meditatum. Narrat enim in ea rem geſtam, ejusq; initium & progreſſum.*

Præ-

Digitized by Google

Pracipua jam ſupra excerpſimus. Memorat autem porro, quod primo ſcripto prafationem pramiſerit, in qua diſſentientes rogaverit, ut, ſi errare eam deprehenderent, ab errore eum liberarent ſed tali modo & loco, ut & ipſi liceret ſua interpretari & iniuſte damnata juſte tueri. Sed rem caruiſſe effectu, cum ii, quos antea amiciſſimos ſibi putaverat, hoſtes ipſi repente facti fuerint, adeo ut ne alloquio quidem dignati ſint amplius, quamvis nec dicto nec facto eos unquam laſerit, ſed optime de iis mereri ſemper ſtuduerit. Neque quieviſſe adverſarios, ſed, poſtquam ſe per magiſtratum fruſtra viderent tentaviſſe, Theſes ex ſtudioſorum manibus extorquere, aliud fuiſſe auſos, & ſub ſpecie legum nullibi extantium petiiſſe, ut quemadmodum Theologi in dogmata & jura aliorum nihil tentent, ita etiam aliis Profeſſoribus mandaretur, ut à Theologorum ſchola abſtineant; quaſi reliqui Theologia ſtudium negligere ſimiliter deberent, uti ipſi Medicina, Philoſophia, linguarum & Juris ſtudia non curant. Objectum etiam ipſi fuiſſe, quaſi quid dedecens ſuam perſonam fecerit theologica tractando, forte, quia ſine mercede veritatem inquireret, nam ſi ſtipendio conductus Theologica docuiſſet, tum ſecundum ipſos nihil ſe feciſſe à munere & officio ſuo alienum &c. Subjuncta etiam eſt Theſibus Eraſti confirmatio earum contra Bezam & alios, cujus indicem capitum & librorum jam ſuperius dedi. Epiſtolas ſubjunctas quod attinet, ſunt illa Bullingeri & Gvalteri, Theologorum Tigurinorum tam ad Eraſtum quam ad ipſum Theodorum Bezam & Petrum Dathenum adverſarios Eraſti. In epiſtola ad Bezam adhortantur illum, ut turbas non moveat contra Eraſtum, & rationes perſpicuas reddunt, cur partes Eraſti non poſſint derelinquere & ad diſſentientes tranſire.

Vivebat adhuc Beza, cum iſta editio tractatus Eraſtiani prodiret. Et cum adeo vel ob epiſtolas illas Theologorum Tigurinorum ad ipſum publicatas, vel ob alias plurimas cauſas editionem illam agre ferret, edidit ſtatim anno ſequente 1590 Geneva in eadem forma quarta aliud ſcriptum cui titulus: Tractatus pius & moderatus de vera excommunicatione & Chriſtiano Presbyterio, jam pridem pacis conciliandæ cauſæ Cl. V. Th. Eraſti D. Medici, centum MS. theſibus oppoſitus, & nunc primum cogente neceſſitate editus, Theodoro Beza Vedelio Autore. *Scriptum ipſum Beza videre non licuit. Vidi tamen ejus prafationem in MS. paternis excerptam, ex qua illa obſervo. 1. Bezam ibi de Eraſto loqui, tanquam de viro egregio & amico ad mortem usq; Eraſti 2. Narrare ſeriem rerum geſtarum fere eodem modo ut Eraſtum, ſaltem narrationi Eraſti non contradicere. 3. Non negare Bezam literas à Theologis Tigurinis ita ad ipſum ſcriptas eſſe, ſed damnare ſaltem earum publicationem. 4. Bezam ſaltem publicaſſe [ut etiam ex titulo apparet,] illud ſcriptum ſuum, quod Eraſtus jam refutaverat in confirmatione theſium ſuarum ſimul publicata, eum in finem, ut dicit, ut eo cum publicata illa refutatione Eraſti collato, Chriſtianus Lector utramq; ſententiam tanto facilius expendat. 5. Cur vero ad refutationem Eraſtianam non reſponderit juvat ipſius Beza verba adducere:* Si quis autem erit, qui refelli quoque à me debuiſſe hujus refutationis argumenta exiſtiment, aut qui ab iis refutandis id circo abſtinuiſſe me clamitent, quod mihi firmæ reſponſiones deſint: iſtos quidem nihil moror, hoc unum captante Satana *&c.* ut *&c.* ſcriptitandis apologiis creſcant diſcordiæ *&c.* Ab illis autem peto, primum, ut me in ea nunc civitate & Eccleſiæ verſantem, quam tantum bellica tempeſtas premit, aliis *&c.* rebus animum totum intendere non mirentur. Deinde ut me jam pridem iſtarum concertationum pertæſum *&c.* patiantur vel partes iſtas minus occupatis relinquere, ſi fuerit opus, obeundas, vel tacitum expectare,

donec &c. lites omnes iſtæ communi aliquo legitimo Eccleſiarum conventu decidantur, vel mihi denique ſeptuageſimum primum jam annum in terris peregrinanti portus ille beatæ quietis pateſiat. Etſi enim nunquam veritati tuendæ ſum defuturus, atque adeo, ſi forte penitus fuerit opus, ad hanc quoque refellendam refutationem acceſſurus, nunquam tamen id faciam, niſi ſumma coactus importunitate, & ita quidem, ut, quam Eraſto vivo, quantumvis a me diſſentienti amicitiam exhibui, mortuo quoque præſtem, & rem ipſam nudam proſequar. [*b*] *Indicat Beza, ſcriptum Eraſtianum* Londini *vel in alia Anglia civitate fuiſſe editum a quodam* Caſtelvetro, *qui nomen ſuum ſub anagrammate* Sultaceteri *occultare voluerit. Unde conjectari licet, iſtum Caſtelvetrum prænomen* Jacobi *geſſiſſe, quod ſimiliter ſub anagrammate* Baocii *latet. Quæ hactenus ex præfatione illa Bezæ arnotavimus, docebunt, quid ſentiendum ſit de* Guberto Vœtio [*in loco ſupra citato*] *qui poſtquam Eraſti verba ex epiſtola quadam allegaſſet*, [*in quibus Eraſtus ita loquitur:* De excommunicatione ea ſcripſi, quæ certo ſcio, nullus homo unquam confutabit. Tentarunt enim Beza, Galli omnes docti, ſed fruſtra tentarunt, & pudet eos refutationum ſuarum; pudebit magis, cum reſponſiones meas legerit, imo abdere ſe cogentur, niſi frontem prorſus habeant meretriciam] *ſubjungit judicium, Thraſonicas ampullas vocando eam fiduciam Eraſti in ſcripto ſuo, addens:* ſed reſponſiones illas poſt obitum Eraſti demum editas Beza Anno 1590. edito ſcripto ſic examinavit, & hiſtoriam huius belli diſciplinaris in præfatione ſic explicuit, ut omnibus ſtudio partium non abreptis ſatisfactum fuerit.

Benbellona de Godentiis, ſive Bartolomeus Gericius, Conſiliarius Anhaltinus, in ſuſcitabulo pro principibus (part. 2. c. 14. p. 131.) *de iſto ſcripto Eraſti ſic judicat:* De qua infelici excommunicatione eccleſiaſtica, ut vocant, & de inquiſitoria autoritate, qua plurimi hodie clerici affectibus ſuis nimium indulgentes, ſub ſpecie honeſtæ diſciplinæ & cenſuræ Eccleſiaſticæ valde maxime abutuntur, quid porro ſentiendum ſit, conſule elaboratisſimum tractatum celeberrimi viri D. Thomæ Eraſti, archiatri olim Palatini, quem præcipui noſtro tempore Theologi ſuis calculis approbarunt, & alii in aliis regnis viri eruditi & veritatis amantes ſummis laudibus extollunt &c. *Ludovicus etiam Molinæus* [*quem patris quidem degenerem filium vocat Leydeckerus* in notis ad G. Hornii hiſtoriam eccleſiaſticam p. 497. *ſed cujus tamen ut V. Cl. & Profeſſoris hiſtoriarum Oxonienſis honorificam mentionem facit Hoornbeekius* in ſumma controverſ. p. 785.] in Parænesi ad ædificatores imperii in imperio *hunc Eraſtum defendit & celebravit ſummis laudibus, ut magnum Theologum, tum Philoſophum & operum naturæ ac artis ſagaciſſimum indagatorem, cui cum Grotio plus fidei tribuendum ſit in hoc articulo, quam Theologis, qui animum non imbuerunt cognitione omnium diſciplinarum & ſcientiarum.*

Opus fuit, hiſtoriam ſcripti Eraſtiani paulo prolixiorem tradere, ut ſciant ſtudioſi, cum Eraſtianorum ut hæreticorum nomen audiunt communiter traduci, quid ea de re ſentire debeant, præprimis cum iſte tractatus Eraſti ſit valde rarus & in manibus pauciſſimorum reperiatur.

quo-

quorum ſecta a *Colemanno* Londinenſi Concionatore in Anglia renovata turbas ibi, & in Scotia dedit, ut dixi *r*] Hiſtor.Civ. *tom.* 3. *ſect.* 9. *c.* 4. *n.* 5.

15. Denique *Hobbes*, & ſi qui ſunt *Hobbeſiani*; quicquid religionis aut juris Eccleſiaſtici in hoc mundo eſſe queat, id omne ad Imperium Civitatis pertinere contendunt.

16. Ipſum quoque jus [& hoc vel inprimis] ſtatuendi de dogmatibus fidei Chriſtianæ, nulla re excepta, niſi hac una, *quod Jeſus ſit Chriſtus Dei*.

17. Reliqua credendi capita, quæ in Eccleſiis proponuntur, *non eſſe fidei, ſed obedientiæ*. In quibus ſi erretur, Imperantes non ſubjecti rationem reddere debeant. *Hobb. de Cive cap.* 18. *§.* 6. *&* 14.

18. Ex his ſententiis eligere aliquam aut improbare, ei, qui in univerſum excuſari mallet, juris duntaxat ſcientiam profeſſo, grave & anceps neque temere tentandum videtur.

19. Faciendum tamen eſt, quando & operis inſtitutum & exempla aliorum & neceſſitas refutandi pernitioſa principia, id nobis imponunt; Si quid errati obrepat, veniam Jurisconſulti *s*] haud gravate ſperemus.

20. Extrema vitabimus, ſequemur *ὑπόθεσιν* ex omnibus mediam, loco tertiam, quæ Conſtantino Magno adſcribitur, ſano ſenſu intellectam. *t*)

r) ut dixi) *Sed quæ ibi dixit Autor deſumta videntur ex Hornii hiſtoria eccleſiaſtica ſæpius citata* p. 498. ſeq. *unde & alii repetere ſolent. Sed cum Hornius ſit Eraſtianorum adverſarius, & alibi ea de re nihil inveniam, non poterit exactum judicium de illa controverſia dari. Id ſaltem noto, Eraſti & Colemanni cauſam in eo valde diverſam eſſe, quod Eraſtus regimen iſtud eccleſiaſticum per excommunicationem exercendum noluerit introduci Heidelbergæ, Colemannus vero in Anglia id egerit, ut regimen illud Presbyteriis Anglicanis quod hactenus exercuerant, adimeretur.*

s) Jurisconſulti) *Sed cur ita timide? Annon ad JCtos pertinet tractare controverſias de officio miniſtrorum eccleſiæ erga principem, item de jure principis circa ſacra & actiones miniſtrorum eccleſiæ etiam in ſacris? Annon jus eccleſiaſticum eſt nobiliſſima pars juris publici? An tractatio juris publici ad alios pertinet quam ad JCtos? Si JCti non vindicabunt jura ſummæ poteſtatis, quis vindicabit? An illi, qui eadem oppugnant? An Medici? An Philoſophi? Ergo cordate agamus, qui JCtorum nomine utimur, & ſine metu aut reſpectu perſonarum veritatem defendamus.*

t) ſano ſenſu intellectam) *Sed hæc limitatio multum habet in receſſu. Quis enim eſt iſte ſanus ſenſus. Quilibet, qui jura principum oppugnant, ea diſtinctione Conſtantini Magni utuntur, & quilibet eorum putat ſe ſanum ejus afferre ſenſum. Sequentia docebunt, quam obſcura ſit illa diſtinctio, & quantis ambiguitatibus obnoxia. Unde eam ut obſcuram jam rejeci* in diſſert. de jure principis circa adiaphora. *Nam docens ex regulis bonæ methodi ab iis ſtudio abſtinet, quæ propter obſcuritatem obnoxia ſunt variis explicationibus. Ergo rem ipſam non improbo, ſed modum docendi Habet princeps jus circa ſacra, circa actiones miniſtrorum, etiam ſacra agentium. Sed non debet princeps miſcere officium Doctoris & Principis tanquam diſtinctiſſima. In quæſtione de excommunicatione ſentio non tam cum Eraſto, quam cum Theologis Tigurinis, eam non eſſe introducendam, ubi nondum introducta eſt, ob rationes eorum ſupra excerptas. At ubi jam introducta eſt, & obtinet, nec poteſt ſine colliſione loco moveri, cum iisdem Tigurinis contra Colemannum ſtatuo, eam retineri poſſe, modo miniſtri eccleſiæ nihil hic agant invitis magiſtratibus & Conſiſtoriis, quibus magiſtratibus præſident.*

21. Neque enim adhuc ſatis explicatum videtur, u) quomodo *Conſtantinus* ſuam diſtinctionem τῶν εἴσω καὶ τῶν ἔξω τῆς Ἐκκλησίας, *rerum quæ intra & extra Eccleſiam* ſunt, intellexerit, quod operæ pretium eſt indagare.

22. Euſebius *loco ſuperius citato* narrat, Conſtantinum lege vetuiſſe, idola poni in templis, in eoque totum fuiſſe, uti poſſet σύμπαντας ἀνθρώπους εὐσεβεῖς κατεργάσασθαι, *omnes homines facere religioſos.* In eum finem juſſit omnes, qui in Imperio Romano eſſent, celebrare dies, *quibus nomen a Chriſto inditum eſſet;* etiam Sabbatha, in memoriam eorum, quæ Chriſtus illis diebus egiſſet, inprimis vero ſalutiferam diem lucis ſive Solis, omnesque dies Chriſto cognomines appellavit κυριακάς, *dies Dominicos*, milites quoque ſuos docuit, oculis, manibus ad cœlum elatis (quo habitu ſe ipſum in nummis, qui hodieque ſuperſunt, effingi voluit) preces Deo & Chriſto dicere, quarum formulam ipſe concepit iisque præivit, w] ut apud *Euſebium* videre licet; denique feſtis diebus πάσῃ ῥώμῃ ψυχῆς καὶ σώματος θείας ἱεραφαντείας ἐτελεῖτο; *totis animi & corporis viribus ſacros cultus exercebat.*

23. His præmiſſis, ita pergit Euſebius, Ἔνθεν εἰκότως αὐτὸς ἐν ἑστιάσει ποτὲ δεξιούμενος ἐπισκόπους, λόγον ἀφῆκεν, ὡς ἄρα καὶ αὐτὸς εἴη ἐπίσκοπος. *Hinc non immerito ipſe in convivio recipiens aliquando Epiſcopos, adſeruit, ſe quoque Epiſcopum eſſe,* ὧδέ πη αὐτοῖς εἰπὼν ῥήμασιν ἐφ' ἡμετέραις ἀκοαῖς; *hic fere ipſis verbis nobis audientibus, utens,* Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τὸ ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην. *Sed vos quidem eorum, qui* vel quæ *ſunt in Eccleſia, ego vero eorum qui,* vel quæ, *ſunt extra Eccleſiam Epiſcopus à Deo conſtitutus eſſe videor.*

24. Addit Euſebius, ἀκόλουθα δὲ τῷ λόγῳ διανοούμενος, τοὺς ἀρχομένους ἅπαντας ἐπεσκόπει, προὔτρεπέ τε, ὅσηπερ ἂν ἡ δύναμις, τὸν εὐσεβῆ μεταδιώκειν βίον. *Secundum hæc dicta, cogitans quid facto opus eſſet, ut epiſcopum* x] *ſe geſſit erga omnes ſubjectos, impellens eos, quantum poterat, ut religioſam vitam inſtituerent.*

25. Ex his palam eſt, quomodo Conſtantinus ſuum Epiſcopatum iis quidem verbis acceperit, ſcilicet, *de officio* y] *boni Principis in convertendis ad reſipiſcentiam, fidem pietatemq;*

u) videtur) *Ergo ipſe Autor hic agnoſcit obſcuritatem diſtinctionis inter poteſtatem internam & externam, quod ſufficit.*

w) præivit) *Scilicet antecedentia hæc Autor refert, ut velit probare, curam Conſtantini in convertendis ad reſipiſcentiam, fidem, pietatemq; civibus ſuis.* (vid. n. 25.) *Sed alibi oſtenſum, ſigna hæc & bona Conſtantini opera parum probare Conſtantini Chriſtianiſmum, tantum abeſt, ut probent officium boni principis in convertendis aliis. [Vid. Tom. I. Obſ. Sel. Hallenſ. obſ. 24. §. 6. 7. 14. 15. 17. 18. 19. & omnino §. 32. 33. 34. 35.*

x) ut Epiſcopum) *In hoc jam erravit Conſtantinus, quod regale majeſtatis circa ſacra titulo indecente juris epiſcopalis inſignverit, cum epiſcopi ſint ſubditi.*

y) de officio) *Hoc vult Autor. Etſi communiter dictum Conſtantini occaſionem dederit diſtinctioni inter jus & poteſtatem eccleſiaſticam internam & externam, atq; communiter etiam ſtatuant, illam diſtinctionem à Conſtantino ipſo eſſe prolatam,* (vid. n. 11. & 20.) *tamen ſi mentem Conſtantini inſpicias accuratius, non locutus eſt de jure & poteſtate externa principis, ſed de officio & obligatione principis extra eccleſiam.* (per dicta hoc n. & ſeq.) *Nos duo hic obſervamus. 1. per ea quæ Autor hoc n. & ſequentibus differit, ſatis illuſtrari, quam obſcura ſit & ad docendum minus apta diſtinctio illa inter poteſtatem internam*

Digitized by Google

temque civibus ſuis, extra Eccleſiam, hortatu, legibus, exemplo. z]

26. Non igitur de his quæ penitus extra Eccleſiam & ab hac aliena ſunt, ut volunt, qui jus Principum circa ſacra nullum agnoſcunt; neque de actionibus externis duntaxat, ut *τὰ ἐντὸς interna*, ſint animi ſenſa, quæ non ſint materia Imperii, ut Grotius vult in *d. tract. c.* 3.

27. Neque tandem de regimine Eccleſiæ externo, ſicut vulgo putant, & putavit Cl. *Vedelius in erudito libello de Epiſcopatu Conſtantini Magni*; nec etiam contra Paganos ſolos, *ut deſtrueret eos*, ſicut *Perronius Cardinalis in ſermonibus Pithœanis*, loquitur, *pour les deſtruire, comme l' Empereur dit nommement*, ut *Cæſar nominatim loquitur*, inquit; Ubi? Non uſus eſt illis verbis, neque ſimilibus, etſi verum eſt, idololatriam ab eo fuiſſe abolitam.

28. Magis eſt igitur, ut Euſebio, qui ſermoni interfuit occaſionemque hujus dicti ſcivit, de mente *Conſtantini* credamus. Prorſus ut eodem modo ſuum acceperit Epiſcopatum, quo Impp. Theodoſius & Honorius in *Epiſt. ad Marcellin.* ubi; Neque *enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis conſiliis ordinamus, niſi ut verum Dei cultum orbis noſtri plebs devota cuſtodiat.* Et Auguſtinus; *In hoc*, ait, *Reges, ſicut eis divinitus præcipitur, Deo ſerviunt, in quantum Reges ſunt; ſi in regno ſuo bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam quæ pertinent ad divinam religionem.* contr. Creſcent. *lib. 3. c. 51.*

CAP. II.

SENTENTIA ELECTA DE JURE SACRORUM CONFIRMATUR ET EXPLICATUR.

Nihilominus tenendam eſſe diſtinctionem inter jus regendi Eccleſiam internum

---

nam & externam, cum ipſa locutio Conſtantini, in qua fundant hanc diſtinctionem, qui ea utuntur, tot expoſitionibus ſit obnoxia. 2. Interim tamen diſtinctionem inter jus & officium principis, inter poteſtatem ejus & obligationem diligenter eſſe inculcandam Studioſis. Nam hæc duo uti, valde differunt, ita communiter tamen ſolent confundi, intantum, ut quemadmodum Pontificii, dum jus principiis circa ſacra prædicant, ſub nomine juris nil niſi obligationem & onus intelligunt, ſic & eandem confuſionem committant Doctores Proteſtantes, qui in doctrina de jure principis circa ſacra papizant. Nam ſi eorum jus, quod principi tribuunt, reſolvas, nil remanet quam poteſtas aut potius officium exequendi decreta Cleri, uti jus brachii ad caput relati potius onus eſt, quam jus.

z) exemplo) *Uti ſequeſtrata illa diſtinctione inter poteſtatem externam & internam, noſtra parum intereſt, ſenſum aq; obſcuræ illius locutionis Conſtantinianæ exacte inquirere, ſed potius totam hanc litem Autoris in medio relinquimus, ita potius notamus, ſi iſte fuit ſenſus Conſtantini, uti Autor hic περιφράζει, non bene intellexit officium boni principis, ſed potius omnia miſcuit.* Hortari *eſt officium Doctoris* [*tam intra templum quam extra templum, id enim nomine eccleſiæ hic intelligitur*] *non principis.* Leges *ferre principis eſt, non Doctoris.* Exemplo *praire non eſt officium principis, ut qui ſupra leges eſt ſed Doctoris. Aut ſi principis etiam eſt, non eſt officicium, ut principis, ſed ut Chriſtiani.*

Digitized by Google

num & externum, in hunc modum, ut ea quæ Deus determinavit & ad ſuum judicium immediate pertinere voluit, Imperio civili non ſubjaceant, ſecus ac illa, quæ aliter ac aliter ſe habere poſſunt. n. 1-6. niſi quædam externa eiusmodi ſint, ut interna quoque Eccleſiæ jura involvant aut impediant. n. 7. Talia vero, quæ aliter atque aliter ſe habere poſſunt, eſſe multa. n. 8. Porro jus circa externa non competere ſaltem Rectoribus ſi ſunt membra Eccleſiæ, ut Vedelius putat n. 9. ſed & infidelibus n. 10-15. Igitur docendum eſſe, quænam Deus neceſſario exigat n. 16. & quæ aliter atque aliter habere ſe poſſint. n. 17. Immutabilia Dei præcepta eſſe vel naturalia vel revelata. Illa dictamine rationis rectæ, n. 18-23. hæc autem dictamine Spiritus Sancti, quod è ſacris probatur, indubitata fieri; n. 24-40. quorum neutrum imperiis ſubjectum eſſe humanis. n. 41-45.

ETſi vero Conſtantinus Epiſcopatum ſuum iis verbis ita non intellexerit, ut regimen externum Eccleſiæ ſignificarent, nihilo ſecus tamen id ipſum ſibi competere ſemper alias ſenſit, neque deſtitit ipſo actu exercere, quemadmodum vel ſola Concilii Nicæni hiſtoria, quæque deinde ſecuta ſunt, edocere poſſunt. a)

2. Ejusmodi autem regimen externum ad ſummam poteſtatem pertinere, probamus b) hac ratione; Quod ſumma Poteſtas omnia

a) poſſunt) *In Concilio Nicano quadam jura principis exercuit Conſtantinus, qua poſtea per arcana Cleri in controverſiam vocata ſunt. Sed an omnia jura principis circa ſacra exercuerit & cuſtodierit, an non potius nimia in Clerum indulgentia occaſionem dederit ad ſtabiliendum Papatum, alia quaſtio eſt hic non tractanda.* Conf. interim d. obſ. 24. Tom. I. & obſerv. 8. Tom. II.

b) probamus) *Mallem, ut Autor melius obſervaſſet leges bona diſputationis. Non eſt quaſtio an regimen externum pertineat ad ſummam poteſtatem. Nam hoc nec pontificii negant, regimen illud externum explicantes in favorem ſuum & prajudicium principis. Sed an in diſciplina, jus majeſtaticum circa ſacra tradente, retinenda ſit diſtinctio inter jus regendi eccleſiam internum & externum. Uti ipſe Autor quaſtionem forma verat in ſummariis hujus capitis ab initio. Hic ante omnia debuiſſet Autor explicare, quid intelligatur per jus regendi externum, quid per internum. Externum quidem ideo, quia varia ſunt expoſitiones hujus juris & regiminis externi, quarum nullam Autor approbat.* (vid. c. præc. n. 26 & 27. *niſi forte Vedelii, quamvis & hunc non ſequatur in omnibus* vid. n. 9. hic) *Ergo debuiſſet diſtincte explicare in quo ſignificatu vocem poteſtatis externa ſupponat, & quomodo ea accurate à poteſtate interna differat. Nunc Autor ea omnia una voce,* cjusmodi, *vult expedire, quaſi ſufficiat definitioni. Regimen eccleſia externum,* eſt ejusmodi *regimen, quale exercuit Conſtantinus Magnus. Internum ideo, quia principalis quaſtio eſt, an detur vel dari poſſit* regimen *internum, quod ſit ejusdem generis cum* regimine *externo. Ius internum, poteſtatem, internam ſano ſenſu nemo negabit miniſtris eccleſia. Regimen internum non ſine improprietatis nota indulgebit extra partes poſitus. Regimen*

Digitized by Google

omnia *c*) rerum hominumque (de actionibus, non de animi ſententiis loquimur) in civitate, ſuo Imperio complectitur, ut jam pridem demonſtravimus, *exceptis iis, quæ vel nominatim* a deferentibus imperium ei ſubducta ſunt, vel quæ Deus *ſpecialiter* ab hominibus exegit, & immediate ſuo ſolius *d*) tribunali addixit.

3. Cujus generis non omnia, quæ ad Eccleſiam pertinent & ab Eccleſiaſticis aguntur, eſſe, clarum & indubitatum eſt; quia multa aliter eſſe poſſunt, ſicut ipſa re actuque alibi ſunt, alibi non ſunt, alibi ſunt aliter, ſine controverſia.

4. Quæ autem Deus ſine medio & expreſſe poſtulat, ea non poſſe aliter ſe habere manifeſtum eſt, ſiquidem *neceſſaria* ſunt; quod autem *neceſſe* eſt, ejusmodi eſt, ut ſine eo res *nec eſſe* poſſit.

5. Igitur has poſitiones, quod omnia in Civitate, præſertim quæ ad univerſos ſpectant, *e*) ſummæ poteſtati abſolute conſideratæ

---

proprie eſt imperii ſpecies, imperium coactionem externam involvit. Hoc ad miniſtros eccleſiæ non quadrat, ipſo Chriſto dehortante VOS AUTEM NON SIC. Debuiſſet igitur ante omnia oſtendere Autor, quomodo illud regimen eccleſiæ internum & externum ita explicari poſſint, ut non inde naſcantur duæ poteſtates in una civitate ſibi mutuo non ſubjectæ, quam poſitionem ipſe A. dicit repugnare principiis Politicis infra c. 5. n. 2. *Quod dubium quomodo ſolvi poſſit, non video. Plura contra regimen illud internum differui & ad dicta ſcripturæ eum in finem adducta reſpondi* in vindic. jur. majeſt. circa ſacra §. 17-21. & Part. 3. triplic. vind. German. p. 32-52.

c) omnia) *Igitur potius manemus in illa opinione, diſtinctionem inter poteſtatem internam & externam plane non quadrare ad doctrinam exponendam de jure principis circa ſacra, idq; ob duas rationes* (1) *quia perpetuum eſt litigium inter diſſentientes, utrum id, de quo controvertitur pertineat ad poteſtatem internam, an externam, cum nulla data fuerit regula hæc duo accurate ſecernendi, nec ubiq; dari poſſit. Ita v. g. quando quæritur, an princeps poſſit Iudæos cogere, ut audiant conciones Chriſtianorum? dubium eſt, an res pertineat ad regimen externum, an ad internum. Ita dubium eſt, an jus definiendi controverſias Theologicas pertineat ad jus externum an internum? Ita circa excommunicationem in eo conſiſtit petitio principii, quod communiter eam ad interna referant.* (vid. c. præced. n. 13.) *Alibi latius ea de re actum.* Vide diſſert. noſtr. de jure principis circa Adiaphora §. 8. & notas ad diſput. Theologi Lipſienſ. de jure decid. controv. Theol. p. 66. ſeq. & p. 85. (II) *quia tota doctrina abq; illa diſtinctione commodiſſime poteſt explicari. Quomodo? Ea regula quam hic tradit Autor. Princeps poteſt omnia, quæ non ſunt excepta. Ea uſi pariter fuimus ut fundamento, in quæſtione de jure principis circa adiaphora* d. §. 8. *Fructus hujus methodi eſt, ut defenſoribus jurium principis circa ſacra non incumbat onus probandi, ſed adverſariis. Præſumtio enim eſt pro regula, & exceptionem allegans, eam probare tenetur. Ita uno ictu cadunt mille difficultates, quas alias ſubire deberent defenſores jurium principis, ſi ipſis probandum eſſet, iſtud jus pertinere ad regimen externum, non internum.*

d) ſolius) *Igitur, qui in quæſtione de jure circa ſacra actionem aliquam miniſtrorum eccleſiæ vel etiam aliorum ſubditorum dicunt exemtam eſſe ab imperio debent probare, vel illam actionem nominatim exemtam eſſe ab imperio in ejus collatione, vel Deum actionem illam imperio adverſam ſpecialiter præcepiſſe ac ſuo tribunali* (1) *ſoli, &* (2) *immediate addixiſſe. Ex his ergo fundamentis probabimus vel pro Autore vel adverſus eum ſine diſtinctione inter regimen eccleſiæ internum & externum.*

e) ad univerſos ſpectant) *Neſcio, quid Autor per hanc limitationem intenderit. Sane e-*

ratæ ſubjiciantur, ita ut juberi prohiberique poſſint, & rurſus, quod ea, quæ Deus neceſſario exigit ſuæque cognitioni ſine medio reſervat, humanis imperiis mutari nequeant, facile, puto, impetrabimus.

6. Scilicet eo ſenſu, quo Ambroſius, *ea quæ divina ſunt*, inquit, *imperatoria poteſtati ſubjecta non ſunt. T. 3. ad Marcellin. ſor. epiſt.* utrumq; membrum Bohemicæ Confeſſio eccleſiæ expreſſit *art.* XVI. *Verbo Dei præcipitur, ut omnia ſummis poteſtatibus per omnia ſubdantur, in his tamen quæ DEO ejusq. VERBO NON ADVERSANTUR.*

7. Haud tamen defugimus limitationem quorundam; Niſi *f*) quædam externa ejuſmodi ſint, ut interna quoque eccleſiæ jura involvant aut impediant, nam talia magis eſt, ut pro internis & immutabilibus *g*) habenda

---

nim & actiones ſingulorum ſubſunt imperio civili. Quodſi forte reſpexit ad res, quæ ſunt in dominio ſingulorum, notum tamen eſt, quod & ea ſubſint imperio principis, etiam ex ſententia eorum, qui alias dominium eminens negant.

f) niſi) *Pertinet hæc limitatio non ad* n. præced. 6. *nec ad regulas generales illas* n. 2. & 5. *à nobis approbatas, ut, quæ nullam diſtinctionis inter externa & interna mentionem faciunt, ſed ad verba initialia* n. 2. *& propoſitionem, quod regimen externum ad S. P. pertineat. Limitatio hic eſt, niſi externa involvant aut impediant interna, vel quod idem eſt, niſi concurrat regimen externum cum interno. Sed vide quæſo, quam turbida iterum fiant omnia, quam primum methodo docendi perſpicua rurſus immiſcetur diſtinctio illa inter externa & interna. Et conſidera ſimul, quid interſit eorum, qui ea diſtinctione utuntur, cur pro ea tanquam pro aris & focis pugnent.*

g) & immutabilibus). *id eſt ut externa, ſi ex parte ſint interna, non dependeant à regimine eccleſiaſtico. Et hanc limitationem non defugit Autor, ſed admittit, cum tamen in hac ipſa limitatione lateat totus abuſus diſtinctionis inter interna & externa, cujus ope Clerus Pontificius principes privavit imperio tantum non omni. Nam age videamus. Initio contradictorium eſt, externa ejusmodi eſſe poſſe, ut interna involvant. Quia externorum & internorum ſpecies ſunt oppoſitæ. Mixtura vero ſpecierum oppoſitarum habetur pro monſtro. Deinde, ſi maxime daretur mixtura ejusmodi externorum & internorum, tum tales ſpecies nec externa eſſent, nec interna, ſed mixta, adeoque jure & effectu à reliquis peculiari deberent gaudere. Et adeo ſuſpectum eſſe debebat Autori, quod in caſu talis mixturæ ſemper ea referenda ſit ad jura internorum. Sunt mixturæ variorum graduum. Et nihil magis rationi convenit, quam, ut, ſi res mixtæ ad claſſem alterutram rerum referendæ ſint, ex quibus mixtura facta eſt, id fiat ad claſſem illam, ex qua potior mixtura facta eſt, juxta vulgatum, à potiori fit denominatio. Jam vero ſecundum diſſentientes caſus ejusmodi mixti ad interna ſunt referendi, ſi modo aliquid interni* involvant. *Porro ſuſpecti eſſe debebant Autori in illa limitatione termini* involvere, *aut* impedire. *Junguntur hic iterum oppoſita & contradictoria: Quæ interna involvunt, non impediunt: quæ impediunt non involvunt. Et tamen contradictoria hæc debent habere unum eundemque effectum. Res mira, ſed à diſſentientibus aſtute adhibita, ut occultarent abſurditatem doctrinæ. Recte Autor dicit infra* c. 5. n. 2. *cavendum eſſe tanquam ſcopulum hanc poſitionem, quod in una civitate ſint duæ poteſtates ſibi mutuo non ſubjectæ. Docent & diſſentientes ſæpe eadem. Et tamen illa diſtinctio inter externa & interna ad nihil aliud inventa eſt, quam ut duæ illæ poteſtates ſecernerentur & ſtabilirentur. Ne tamen ſic appareat abſurdum illud politicum, quod Autor* d. l. *ex duabus illis poteſtatibus fluere notat, additum eſt ab inventoribus diſtinctionis canon, quoti-*

Digitized by Google

benda ſint. Exempla proferri non vidimus, *b*) ſi qua ſint, *i*) ea vel hac interpretatione vel è ſequentibus occupatum iri confidimus.

escunq; concurrat & collidatur regimen externum & internum, aut quoties contradicant hæc duo regimina ſibi invicem, ita ut unius decretum alteri adverſetur, aut ejus executionem impediat, *toties externum debere cedere interno. Ne tamen abſurditas illa politica, (quod ſic reges ſubjicerentur clero) quæ ex hac doctrina ſequeretur, ſtatim innoteſceret, loco termini* impediendi, *adhibitus fuit terminus* involvendi, *ut quoties poteſtas externa* involvat *internam, toties negotium pro interno tanquam ſemper potiore habendum eſſe. Vides ergo, quod in hac ipſa limitatione lateat arcanum totius Papiſmi; id eſt, quod, quotiescunq; Rex & Papa ſibi contradicant, toties Rex cedere debeat Papæ, ita Papa caput factum eſt. Quodſi conveniant, Papa manſit* caput *& regibus* brachii *gloria relicta fuit. Et hæc tamen non ſenſit Autor, vir alias perſpicax & eruditus! Res prope non credibilis, niſi ipſe hic numerus rem ita factam eſſe claro doceret. Nec eſt, quod dicas, apud nos non ſermonem eſſe de jure Papæ, ſed de jure presbyteriorum. Nam ita differet ſaltem modus ſubjectionis intuitu principum, per ea, quæ ipſe Autor obſervavit* cap. præced. n. 8.

b) non vidimus) *Ergo eo magis mirandum, quod Autor admiſerit hanc limitationem, quam ſaltem confuſe & exemplis haud illuſtratam concepit. Neq; extat ea in prima editione.*

i) ſi qua ſint) *Et hoc indicio eſt, Autorem non diſtincte & claro iſtam limitationem concepiſſe, cum de exemplis limitationis, an quæ ſint, dubitaverit. Neceſſe autem eſt, horum exemplorum plurima eſſe, cum ſuppoſuerimus, in illa limitatione latere arcana totius Papiſmi politice conſiderati. Ergo dabimus ſaltem nonnulla. Docent illi, qui diſtinctione inter interna & externa utuntur,* prædicationem verbi & adminiſtrationem ſacramentorum, *uno verbo,* cultum divinum *pertinere ad* interna *eccleſiæ. Iam, etſi notorie* matrimonia *ſint negotia civilia, adeoque ad externam regimen ſpectare debuiſſent, aſtute tamen Clerus papalis inde fecit* ſacramentum, *& ſic à poteſtate ſeculari exemit, tanquam negotium externum, internum jus eccleſiæ involvens. Contractus haud dubio ſunt actus ad interna eccleſiæ non pertinentes. Juramenta ſunt acceſſoria contractuum ex regulis juris naturæ & civilis, iisdem adeo juris regulis comprehenſa, quæ doctrinam de contractibus regit. At Clerus Pontificius docuit: in* Iuramento *cum ſit invocatio nominis divini, juramenta pertinere ad* cultum Dei, *adeoq; ad interna eccleſiæ, & ſic ad ſe traxit omnia negotia civilia, poſtquam in omnibus negotiis civilibus prius uſum frequentiſſimum juramentorũ canonibus ſuis, leges civiles abrogantibus, introduxiſſet &c. Sed afferamus etiam exempla ex noſtris eccleſiis, de reliquiis eheu! Papiſmi teſtantia. Regulariter ordinare tempus & locum cultus divini, conſentientibus omnibus, pertinet ad externum regimen eccleſiæ. Jam princeps præcipit miniſtro eccleſiæ, ultra tempus ordinarium cum tædio audientium concionanti, ut conſuetum tempus obſervet. Miniſter eſt inobediens. Ad inobedientiam palliandam quærit refugium in limitatione. Prædicare verbum pertinere ad interna. Adeoq; hic externum regimen involvere interna eccleſiæ aut impedire velle, adeoque hic interna habenda pro immutabilibus. Addere ſolent, cathedram eccleſiaſticam eſſe officinam Spiritus ſancti, quæ non ſubſit legibus civilibus. Ita memini, cum in vicina civitate ante aliquot annos ob copiam communicantium, dies non dominici etiam deſtinarentur ad uſum communionis, & miniſterium eccleſiaſticum loci, id ſciens & ta-*

8. Quod autem multa ſint talia in Eccleſiaſticis, quæ aliter aliterque ſe habere queant, ut verbo Dei non adverſentur, ex *infra* dicendis manifeſtum fiet, eaque omnia Imperio Civitatis, eo quo diximus argumento, ſub iſta limitatione tamen, ſubjecta videntur.

9. Nec utimur ea ratione, qua D. Vedelius in *d. tract. de Epiſc. Conſt. M. paſſim*, aliique *k*] vulgo utuntur; quod Poteſtates Chriſtianæ plerumque ſint Eccleſiæ membra, & quidem præcipua; *Nam agimus de jure, quod Summæ Poteſtati, qua tali, adeoque etiam infideli competit.*

10. Eccleſiæ Membro, utcunque præcipuo, quatenus pars totius eſt, nihil juris, quam è conſenſu Eccleſiæ adſcribi poteſt. Eminentia poſſet quidem eſſe ratio ſuaſoria & probabilis, ad ejusmodi jus è conſenſu acquirendum, ſed per ſe nihil ad eam rem confert.

11. His conſentaneum eſt, non morari nos argumentum, quod alii objiciunt; *Si poteſtas Civitatis habeat regimen Eccleſiæ, oportet hoc habeat, vel ut poteſtas, vel ut membrum Eccleſiæ*; non priore ſenſu, *ajunt*, quia *tunc etiam infidelibus adſcribendum eſſet, quod abſurdum ventur*; non *poſteriore, propter rationem modo à nobis collocatam.*

12. Jam diximus, externum *l*) regimen eccle-

---

cente, ſed non jubente Conſiſtorio, introduxiſſet, auſum fuiſſe quendam pro concione diſertis verbis defendere, non eſſe in arbitrio magiſtratus politici, iſtud inſtitutum ſine conſenſu miniſterii abrogare, quia adminiſtratio Sacramentorum pertineat ad internum eccleſiæ regimen. Quantas turbas in Marchia dederit iſte prætextus de involutione juris interni eccleſiæ in quæſtione de moderando elencho inter Lutheranos & Reformatos, adhuc in recenti memoria eſt, & ſcripta Papizantium Theologorum prudentiſſimo inſtituto ſe opponentium adhuc loquuntur. Exorciſmum fatentur omnes Lutherani eſſe rem indifferentem, i. e. quæ ſecundum doctrinam Autoris aliter atque aliter habere ſe poteſt, adeoque deberet pertinere ad jus externum. Sed quantæ turbæ in Saxonia ortæ fuerint, cum Elector jus illud externum aliquando exercere vellet, ex hiſtoria eccleſiaſtica notum eſt. (vide Arnold. l. 16. c. 32. n. 22. ſeq.) *Et notus eſt Canon, quibus utuntur: adiaphora deſinere eſſe talia, quamprimum princeps circa ea citra conſenſum miniſtrorum aliquid vult ordinare. Qui quam abſurdus ſit, alibi* (in diſſert. de jure princip. circa adiaphora) *eſt oſtenſum. Sed, ſi iſta limitatio valet, nihil abſurdi ſubeſt, idem enim eſt ac ſi dicerent; pertinere adiaphora, tanquam involventia jus internum eccleſiæ ad regimen miniſtrorum. [ut caſu exorciſmi involvit adminiſtrationem baptiſmi] Talia vero non ſubeſſe regimini externo, ſi per id decreta miniſtrorum impediantur &c. Notabilis eſt Puſendorffii locus* in append. ad librum de habitu relig. ad remp. p. m. 198. *qui duobus verbis inutilitatem diſtinctionis in externa & interna oſtendit:* Obſervandum, *inquit*, ſæpe numero externa tam arcto nexu internis jungi, ut, ſi de iſtis aliter exponatur, quam nexus iſte requirit, interna quoque non poſſint non alterari & convelli. Cum autem Adrianus [*Hutinus, & cum eo Autor noſter*] interna poteſtate principis ſubducat, externa quoque religionis eidem obnoxia eſſe nequeunt, quatenus cum iſtis indivulſo nexu junguntur.

k) aliique) *Et inter eos Puſendorffius* de monarchia papali §. 5. & ſeq. *ubi ſæpe jus circa ſacra cum iſtis reſtringit ad principes Chriſtianos, quæ doctrina non poteſt cohærere, ut ſæpius monui & oſtendi in lectionibus ad iſtum Puſendorffii libellum. Atq; iſtam inconvenientiam hic probe obſervavit Autor.*

l) externum) *Si modo terminum* externi *& hic & in n. ſeq.* 13. *omittas, in reliquis conſentimus Autori.*

Eccleſiæ pertinere ad Summam Poteſtatem, ſive Principem qua talem, etſi ab Eccleſia alienum, vel infidelem, aut mulierem vel infantem: nec abſurdi imputationem extimeſcimus, ut ex *ſequentibus* intelligetur.

13. Nunc ſufficit dixiſſe, jus illud externum eſſe partem, ut in ſcholis loquuntur, *potentialem* ſummi Imperii, nec ab eo ſeparabilem; proinde, cum hoc ipſum infidelibus, feminis, infantibus competere poſſit, nihil inſolens dixerit, qui jus illud Eccleſiaſticum iisdem tribuit.

14. Raro equidem uſu venit, ut Imperantes à fide alieni ſe rebus Eccleſiæ, quam pro tali non agnoſcunt, miſceant; Si tamen ita inſtituant, ut ſæpe fit in Eccleſiis, quæ permittuntur, etſi non probentur, idem jus illis quod ejusdem fidei Regnantibus competit, eſſe tribuendum, ratio dictat.

15. Adeo, ut Patriarcha Græcus ex ordine Clericorum ejusdem nationis, à Turcico Imperatore conſtitutus, pro illegitimo non magis ſit habendus, quam qui olim à Chriſtianis Imperatoribus electi fuerant; & Synodi Gallicanæ quondam à Rege Pontificio Reformatis conceſſæ nihilo minus habuere juris, quam qui à Principibus aut Ordinibus Reformatis alibi convocatæ fuerunt.

16. Porro ad approbationem ſententiæ, quam ſuſcepimus, duæ res explanandæ ſunt. Prima, quænam ſint ea, quæ Deus neceſſario exigit, ſuoque tantum judicio vult eſſe obnoxia.

17. Dein, quæ res ad ſacra pertinentes, non ſint ejus naturæ, verum abeſſe aut diverſimode ſe habere queant. *m*]

18. Neceſſaria Dei præcepta ſunt vel *naturalia* vel *revelata*. Naturalia, de quibus actum *ſect. 1. cap. 2.* ſunt ea videlicet, quæ neceſſitatem aut turpitudinem habent moralem.

19. Nam ejus rei diſcretionem non habemus ex ſola informatione vel exemplis aliorum, ut quidam inutiliter volunt *n*) [*reſpice ad ſect. 1. cap. 2. n. 14. & ſeqq.*) ſed Deus cordibus noſtris, quod indubitato ſentire queamus, eam inpresſit.

20. Hoc eſt, *φύσει τά τοῦ νόμου ποιεῖν, ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις*, *per naturam facere quæ legis ſunt; opus legis inſcriptum cordibus.* *Ὁ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε*, *Deus ipſis manifeſtavit*, quæ omnia Paulus de gentibus adſerit, *1. & 2. ad Rom.*

21. Et Plato, noviſſe hoc diſcrimen *εὐθὺς γενόμενον ἡμῶν ἕκαστον*, *quemque noſtrum ſimul ac natus*, id eſt, ſimul ac nativa ratione uti poteſt *lib. 8. de Legib.* adſirmat. Et Plutarchus, *ταυτόν ἐστὶ ἕπεσθαι Θεῷ, καὶ τὸ πείθεσθαι λόγῳ*, *Idem eſt, Deum & rationem ſequi*, quod de neceſſariis naturæ præceptis accipiendum; nam in probabilibus *o*] fallit.

22. Neceſſaria igitur naturæ præcepta, conſcientiam generis humani ita obſtringunt, ut imperio Civitatis nullam mutationem recipere posſint, obſtante majori Imperio divino.

23. Ita Rex Ægypti obſtetricibus imperabat, Hebræorum infantes maſculos interficere; Non paruerunt, *quia Deum timebant*, additur ratio: Jus enim Naturæ & ejus auctor Deus hominem ſcilicet innocentem necidare vetabant.

24. Sequuntur revelata Dei præcepta; & hæc

m) habere queant) *Sed de his ubi egit Autor? Sane in hoc capite agit de iis quæ Deus neceſſario exigit ex jure naturæ, in capite ſequente de iis quæ exigit ex revelatione. Sed excuſari poteſt ex obſervatione* lit. c. *quia illa quorum hic ſit mentio pertinent ad regulam. Ergo opus ſaltem eſt, ut de illis diſtincte doceamur, quorum meminit in n. præced. tanquam pertinentibus ad exceptionem.*

n) inutiliter volunt) *Sed vide notam noſtram* lit. s. ſupra p. 7.

o] probabilibus) *Vide ſupra Autorem* ſect. 1. c. 2. n. 25. ſeq.

hæc ſunt, quæ Deus benigne, ſalva juſtitia ſua, ad ſalutem corrupti & perditi generis humani, *per filium ſuum* procurandam, miniſterio *Prophetarum & Apoſtolorum* manifeſtavit, *& ſacris utriusque fœderis libris comprehenſa ſoluit.*

25. Quorum capita credimus à Deo eſſe, *p*) non ex auctoritate cœtus præſentis fidelium, quem *Eccleſiam* vocamus; Neque ex hiſtorica fide miraculorum, quibus olim in terris eadem obſignata leguntur.

26. Quoniam efficacia rationum illarum fundamento auctoritatis humanæ carere non poteſt, in eamque reſolvitur, ita, ut credulitas magis quam certa fides eſſe videretur.

27. Neque etiam ſolis nitimur indiciis & argumentis veritatem ſanctimoniamque Scripturæ ita perſuadentibus, ur naturali quoque rationi convincendæ ſufficere posſint.

28. Nam etſi revera talis φανέρωσις εἰς πᾶσαν συνείδησιν, *demonſtrativa ſu ad omnem conſcientiam*, ut Apoſtolus ait, *2. Cor. 5. 2.* inſita ſit myſteriis Chriſtianæ confesſionis, cujus quoque rejectæ pœnas dabunt reprobi, tanquam ἀναπολόγητοι, *1. ad Rom. 20.* certum tamen eſt, quod ſola ratione naturali in rebus fidei, fidere non liceat, *1. ad Corinth. 2. v.* 14. cum rationes iſtæ tot dubiis & cavillationibns impiorum obnoxiæ ſint, ut amplius aliquid opus ſit ad plenam certitudinem, quam πληροφορίαν ſacræ literæ vocant, animis inradicandam.

29. Quid ergo tandem? Quod Hobbes cum ſupercilio negat *c. 18. §. 5. & 14.* id nos adſerere, quatenus Chriſtiani ſumus, non eſt quod pudeat, nec verebimur, ne idcirco *Apoſtata rationis*, ut ille amat loqui, eſſe videamur.

30. Si dixerimus, largiri Deum vere credentibus *teſtimonium Spiritus ſui*, quo de veritate eorum quæ ſacris literis ad ſalutem ſuam neceſſaria continentur, certi, intimaque πληροφορίᾳ ſint adſeverati.

31. Illa eſt ἀπόδειξις πνεύματος καὶ δυνάμεως, *demonſtratio ſpiritus & potentiæ.* Τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ θεοῦ, ἵνα εἰδῶμεν, *&c. Spiritus qui ex Deo eſt, per quem intelligamus quæ a Deo ſunt &c.* ὁ Θεὸς ἡμῖν ἀπεκάλυψε διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ, *quæ Deus nobis detexit per ſpiritum ſuum;* eamque facultatem Paulus opponit τοῖς πειθοῖς καὶ διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις. *Perſuaſoriis & eruditis humanæ ſapientiæ rationibus: 1. ad Corinth. 2. v. 4. 9. 12. 13.*

42. Αὐτὸ τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν, *Ipſe ſpiritus ſuum teſtimonium jungit ſpiritui noſtro, ep. ad Rom. 8. 16.* Qualis ſpiritus? ἐν ᾧ κράζομεν, Ἀββᾶ ὁ πατήρ, dixerat *v. 15. & Gal. 4. 6. per quem vociferamur, Abba Pater*, quod non eſt ratiocinationis, ſed Θεοῦ βίας, ut ſic loquar. Hoc eſt *ſigillum* & *pignus* fidei, quam ſequitur ἀῤῥαβὼν ἐν ᾧ πιστεύσαντες ἐσφραγίσθητε, *pignus per quod, cum credideratis, obſignati eſtis: 1. ad Epheſ. 13. 14.* Omnia convenienter promisſioni Servatoris ad finem mundi duraturæ. *Joh. 14. v. 26. & 16. v. 13.*

33. Ex quibus liquet, eſſe illam de qua loquuntur Dominus & Apoſtolus, ejusmodi gratiam, quæ non ſaltem comitetur & adjuvet naturalem judicii vim, ut capita fidei recte apprehendat; *quod tamen omnino quoque præſtat.*

34. Sed inſuper, quæ a rationali demonſtratione ac apprehenſione, nec non rectæ conſcientiæ gaudio plane & perſpicue diverſa totoque genere diſtincta ac evidenter ſine medio mentibus affuſa eſt.

35. De qua Calvinus loquitur, cum ita ſcribit, *Unde ſtatuimus, fidei notitiam certitudine magis quam apprehenſione conſtare.* Et paulo

p) à Deo eſſe) *Quæ hic ſequuntur usque ad finem capitis, parum ad quæſtionem de jure principis circa ſacra pertineat, ſed ad novam digresſionem ſectionis ſequentis, & magis Theologica ſunt, quam juridica aut politica.*

paulo ante; Johannes teſtatur, inquit, fideles ſcire, ſe eſſe filios Dei & ſane certo ſciunt; *ſed divinæ veritatis perſuaſione confirmati magis, quam rationali demonſtratione edocti: lib. 3. inſt. c. 2. §. 14.* non quod ratiocinationem ſcripturis convenientem ſummus ipſe ratiocinator excludat, verum quod hac ſola, fidei certitudinem abſolvi non putet. *q*)

36. Plura id genus undique proferri poſſent, ſi dubium eſſet, Chriſtum non ita deſeruiſſe gregem ſuum, ut cum eo prorſus non communicet amplius occultas, mirabiles, ineffabiles & veras in corde revelationes, ſicut olim *Synodus Arauſic.* apud *Voſſ. de Pelag. in præf.* loquebatur.

37. Fruſtra exceperis, quod imaginarium eſſe queat hoc teſtimonium; ſiquidem & *πρoσκαίροις ad tempus, nec vere credentibus* aliquid ejusmodi evenire dicitur.

38. Cum enim conſiſtat teſtimonium illud in *πληροφορίᾳ*, id eſt, certitudine animique perſuaſione penetrantiſſima, ſcrupulus de veritate fallaciave non cadit in illos.

39. Præter quod minime deſunt rationes, quibus ludibria mentium paſſionesque animi ferventiore motu ſpirituum animalium concitatæ, vel impoſturæ geniorum à ſanctis moribus diſcerni queant.

40. Enimvero ad alios hujus rei argumento convincendos hanc obſervationem non eſſe idoneam, facile conceditur: neque pro ſe quiſquam hodie ulterius eam extendere poſſe videtur, quam ad ſummam ſalutis per Chriſtum partæ, inque ſacris perſpicue traditæ; quod ad divinitatem totius ſcripturæ cuilibet conſcientiæ adprobandam amoliendumque enthuſiaſmum ſufficit.

41. Ἀλλὰ τὶ μοι ταῦτα; *Quorſum hæc nobis?* Ad id quod propoſitum erat; ſi certitudo ſcripturæ ſacræ & ſumma credendorum divinitus præſcripta, in cordibus noſtris efficaci teſtimonio Dei obſignetur, palam eſt, *fidem nullo quam ſolius Dei judicio imperioque eſſe ſubjectam. r*)

42. Idque non modo quod ad illam ſummam regulam attinet, *Jeſus eſt Chriſtus Dei*, ut *Hobbes* vult, ſed reſpectu omnium, quæ in ſcriptura traduntur, *s*) ſiquidem ea Deum habet auctorem, qui omnem ſuam voluntatem

---

q) non putet) *In priore editione Autor alium paragraphum inſeruerat, neſcio an hic ex incuria omiſſum, an ſtudio expunctum, unde eum hic adjiciemus.* Eodem ſenſu, *inquit*, Spanhemius P. poſt alios & juxta omnes ſcribit, præter motus *ordinarios* Spiritus hodieque ſæpe dari motus *extraordinarios, lumen & inſpirationes extraordinarias, nec eſſe quenquam fere pium qui tales non perſentiſcat in corde ſuo*, eosque a motibus enthuſiaſtarum ait diſcrepare, quod hi diſcedant à declaratione Spiritus in verbo ſcripto, eique ſæpe contrarientur, contra quam inſpirationes piorum. *Diſputat. 20. §. 7. 8. 16.*

r) eſſe ſubjectam) *Ego vero nullam vel exiguam puto eſſe utilitatem in quæſtione de jure ſacrorum hypotheſin illam de teſtimonio Spiritus unico criterio veritatis ſcripturæ. Ad hoc enim, quod religio non ſubſit imperio imperantis, etiam ſufficit hypotheſis diſſentientium, & videlicet rationi plus tribuentium in deducenda divinitate ſcripturæ, quam Autori juſtum videbatur.*

s) traduntur) *Sed nec extenſio hypotheſeos illius ad intellectum ſingulorum locorum in ſcriptura contentorum proderit in quæſtionibus de jure circa ſacra & religionem, ſed potius oberit. Ut ecce, eſt ſubditus qui bona fide ſibi perſuadet, Deum in novo fœdere prohibuiſſe uſum omnem juramentorum, eo trahens dictum Chriſti:* Ego autem dico vobis, ne juretis omnino. *Magiſtratus exigit ab eo juramentum. Ille non vult præſtare prætendens religionem. Quid jam juvabit illa doctrina Autoris. Si enim & magiſtra-*

tem à ſingulis fidelibus vult percipi & impleri, quod hi certo norunt, etſi non *omnia ſingulaq; pari certitudine perſpiciant. t*)

43. In univerſum igitur, quicquid ad internum jus conſcientiæ *u*) pertinet, ſeu naturale ſive revelatum, cum immediate ſubditum ſit Deo, ipſius duntaxat juſſio prohibitioque in illis ſpectari debet; ideoque nulli imperio civili vel eccleſiaſtico quicquam juris eſt in illis vel prohibendis vel augendis vel mutandis. *w*)

44. Hoc etiam poſt alios dictat Confeſſio Belgica, dum ait; *Cuncti homines, cujuscunq; ſint dignitatis vel conditionis ac ſtatus, legitimis Magiſtratibus ſubjici debent & eis in omnibus obſequi & obedire QUÆ VERBO DEI x] NON REPUGNANT.*

45. Plane ſi hoc regimen internum Chriſti, quo ipſe caput ſingula membra corporis ſui myſtici verbo & ſpiritu regit, ab externo, quod homines vario arbitratu inſtituunt, bene diſcerneretur, *y*) non toties Papa vel Presbyteria pro Imperio Regis Jeſu ſpirituali, ſuas conſtitutiones arbitrarias inculcarent.

CAP. III.

---

tus & ſubditus in diſſenſu circa explicationem dicti Christi provocet ad internum teſtimonium Spiritus ſancti? Quis erit eventus? Aut ergo in expoſitione ſcripturæ non eſt diſſenſus, vel eſt. Si non eſt, nec opus illa hypotheſi de origine certitudinis illius conſentientis. Si eſt diſſenſus, provocatio ad internum teſtimonium Spiritus S. ſine criterio alio litem nunquam tollet. Adde quod Autor ipſe n. 40. *fateatur ad alios convincendos hanc obſervationem non eſſe idoneam.*

t) perſpiciant) *Et hæc limitatio tollit uſum obſervationis illius in præſenti materia, ſi contradicentes provocent ad certitudinem. Quænam enim certitudo jam alteri debet cedere. Ut taceam hanc limitationem eſſe obſcuram, & contradicere verbis paulo præcedentibus,* reſpectu omnium quæ in ſcriptura traduntur.

u) jus conſcientiæ) *Res ipſa, ſi in ſenſu ſano intelligatur ſe habet rectiſſime; Sed illa provocatio ad conſcientiam aut conſcientiæ jus iterum non eſt apta ad docendum aut ad definiendas quæſtiones de jure principis circa ſacra. Nam primo notum eſt, quod Clerus Pontificius arcana ſua politica, quibus invaſit imperium civile, & conſtitutiones ſuas abrogantes leges civiles ſub provocatione ad conſcientiam vel ſub larva fori conſcientiæ occultare laboraverit. Huc pertinet liber Johannis Valeri cui titulum fecit:* Differentiæ inter utrumque forum, judiciale videlicet & conſcientiæ. *Secundo notum eſt, dari conſcientiam erroneam, & ſæpiſſime in quæſtionibus controverſis de jure ſacrorum ex utraq; parte provocari ad conſcientiam. Quis igitur hic judex erit, utra conſcientia recta ſit, utra erronea.*

w) vel mutandis) *At hoc modo via aperitur omnibus arcanis papiſmi. Ita notum eſt in controverſia de moderatione elenchi, inobedientes provocaſſe ad conſcientiam. Ita alibi oſtendi, ſub hoc prætextu in regno Sueciæ quosdam potentiſſimo regi controverſum feciſſe jus diſponendi circa ſolennia ſepulturæ. Vide Diſſert. de jure principis evangelici circa ſolennia ſepulturæ §.* 26. ſeq.

x) verbo Dei) *Id eſt diſerte aut per aperte rationabilem conſequentiam contrariam disponenti. Ergo vides, illam confeſſionem Belgicam non ad jus aliquod internum, nec ad teſtimonium Spiritus ſancti, nec ad conſcientiam in caſibus dubiis & controverſis provocare.*

y) bene diſcerneretur) *Sed quomodo bene diſcerni poteſt, cum Autor ipſe non fuerit auſus, iſta criteria, quibus diſcretio facienda eſt, perſpicue tradere, cum ipſe Autor fateatur* n. 7. *quædam externa involvere interna, & nos ibi in notis monſtraverimus, talia eſſe plurima,*

CAP. III.

QUO USUS SENTENTIÆ PRIORIS EXPONITUR.

Ex ſacris proprie dictis, primo, confeſſionem fidei ad intrinſecum jus conſcientiæ pertinere, n. 1. quæque ad cultum Dei præterea ſpectant; n. 2. jus quoque clavium n. 3-8. & Doctores ſtatuendi. n. 9-12. Circa illa tamen omnia, verti jus civilis poteſtatis, modo, quæ divinitus præſcripta, non mutentur. Specialiter, quid poſſit majeſtat circa fidei confeſſionem, n. 15. 16. Quid faciendum, ſi de capitibus fidei non conveniat. n. 17-23. Quid ſummæ poteſtati liceat circa cultum divinum. n. 24-30. Modum gubernandi eccleſias videri externum, proinde imperio ſubjectum; n. 31. 32. 33. idem forte de electione Paſtorum, ſub cautionibus certis, n. 34-40. Perſonas & res eccleſiaſticorum non eximi imperio civitatis. n. 41. 42. 43. Bona tamen eccleſiarum alienari non poſſe ab non poſſe ab imperantibus. n. 44-50. Quo ſenſu principes dici poſſint capita eccleſiarum. n. 51. Quid juris habeat princeps, qui a civibus ſuis, in rebus ſacris diſſentit. n. 52-61. Errores juris Romani n. 62. 63. 64. Summa repetita hactenus dictorum. n. 65-68.

1. QUæ ex naturalibus præcepta ſint immutabilia, honeſtate morali quemque ſatis conſcientia docet. Hoc capite ſaltem de ſacris proprie dictis agendum. Pertinet igitur ſine dubio ad jus illud internum *Confeſſio fidei*, quæ ex ſacris literis petenda eſt, & cujus ratio ſoli Deo debetur: Quam proinde imperium civile nec imperare nec prohibere poteſt, *ut religio imperari non poteſt*, *Caſſiod. lib. 2. ep.* 27. Bernhardus, *Suadenda fides non imperanda. ſerm. 66. in Cant.*

2. Huic cohæret *facultas exercendi Conventus fidelium*, eo numero, qui ad excitandam religionem credentiumque communionem ſit neceſſarius, *z*) cum ejus rei præceptum à Deo in verbo ſuo expreſſum extet, *a*) atque à fidelibus ſemper, invitis etiam poteſtatibus mundi, hæc facultas exercitia fuerit. *b*)

Aa 3. Eo-

Ergo ſecurius eſt ſi maneamus in regulis generalibus n. 2. & 5. *abſq; diſtinctione inter interna & externa.*

n. 2. *z*) neceſſarius) *Sed nimis generale ac obſcurum hoc eſt, & parum aptum ad docendum. Quantus enim numerus hic requiritur? Sane Chriſtus promiſit, quod ubi duo vel tres in ejus nomina ſint congregati, velit eſſe in medio illorum. Adde omnino ea, quæ docet Pufendorffius* de habitu relig. §. 3. ab init.

a) extet) *Mallem ut id ab Autore fuiſſet adductum, ut alias facere ſolet.*

b) exercita fuerit) *Nec hæc aſſertio ita ſimpliciter & crude ſumta dubitationis omnis eſt*

3. Eodem ſpectat judicium de fugiendo illorum conſortio, qui fictam fidei adſeverationem morum improbitate detegunt.

4. Nam ratio unionis inter fideles & metus contagionis è peccatis ad internum jus conſcientiæ pertinet, *& à Chriſto Apoſtolisq. paſſim inculcatur.*

5. Hinc ſequitur, *jus clavium* quod dicitur, eſſe mere eccleſiaſticum, & à cœtu fidelium contra cujuslibet homines conditionis, ſibi aggregatos, recte exerceri; non tantum denuntiando minas & promiſſiones Evangelicas, ſed etiam excludendo indignos à communione ſacrorum. *c*)

6. Non quod juris aliquid coactivi, vel jurisdictionem, ut volunt, conſiſtorialem ha-

---

expers. Nam quod tempora Apoſtolorum attinet, non ſine ratione Pufendorffius d. l. §. 39. *duas cauſas aſſignat, cur Apoſtoli non legantur veniam prædicandi Evangelium & plantandi eccleſias à magiſtratibus petiiſſe. Unam, quod in imperio Romano collegia religionis cauſa fuerint libera & licita. Alteram, quod Apoſtoli autoritate ejus, cui in reges imperium eſt, miſſi fuerint. Adde Autorem* infra c. 5. n. ult. *Quod tempora Apoſtolos ſequentia attinet, dubiam Autoris aſſertionem reddit pulcher locus Plinii in Epiſtol. ad Trajanum* lib. 10. epiſt. 97. p. m. 894. ſeq. Affirmabant, hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ vel erroris, quod eſſent ſoliti, ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto, quaſi Deo dicere ſecum invicem, ſeque ſacramento, non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed, ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent; quibus peractis morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſusque coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium; quod ipſum *facere deſiiſſe poſt edictum meum*, quo ſecundum mandata tua hetærias eſſe vetueram. *Adde notas variorum* ibid.

n. 5. *c*) ſacrorum) *De priore nullum eſt dubium. At quod poſterius attinet, deſidero dicta ſcriptura clara & perſpicua. Incipit enim hic quæſtio de jure excommunicationis ſolis eccleſiæ miniſtris independenter à magiſtratu concedendo. Supra* c. 1. n. 13. *dixit, hanc poteſtatem ab Autoribus ſententiæ, quam ſequitur, ſub internis comprehendi. Hic vero non audet dicere, jus clavium (eo extenſum) eſſe* mere internum, *ſed dicit ſaltem eſſe* mere eccleſiaſticum. *Cur tam variæ? An quia ſenſit, in excommunicatione latere omnino poteſtatem effectus externos & civiles producentem? Quod vero Autor hanc aſſertionem vult deducere ex* n. 3. *ad id reſpondeo, plane diverſa eſſe* fugere & fugare, *Quod eam aſſertionem in* n. ſeq. *temperat, intelligendam eam eſſe, de ſubductione, eandem habet reſponſionem; aliud eſſe, ſe* ſubducere *alicui; aliud acceſſum alteri interdicere, eumque excludere. Igitur rationes non ſunt obſcuræ, cur in quæſtione de jure excommunicandi ab Autoris ſententia recedam, idque abſque conſenſu, directione, & imperio ſummæ poteſtatis in republica fieri nequaquam debere, [ubi jam receptum eſt] ſtatuam, ubi vero non eſt receptum, id non eſſe introducendum arbitrer. Ut tamen & aliis eadem appareant, in fine ſectionis hujus adjiciam excerpta triplicia. [1] Summaria capitum quorundam ex Ludovici Molinæi Parœneſi ad ædificatores imperii in imperio. Nam & hic Autor in paucorum manibus eſt. Quoniam tamen & hic pariter uti Eraſtus communiter male audit, exhibebo. [2] Epiſtolam Theologi Tigurini Rodolphi Gvalteri anno 1570. ad Theodorum Bezam ſcriptam. [3] Excerpta ſummaria ex Johannis Seldeni libro de Synedriis Hebræorum. Salvo tamen ubique melius ſentientium judicio. Adde ſupra dicta* ad cap. 1. hujus ſectionis lit. q. *& Autorem* in inſtit. hiſtor. civilis Tom. II. lib. 2. ſect. 1. c. 21. §. 8. p. 426. ſeq. & ſect. 2. c. 16. §. 8. ab initio p. 561.

habeant a poteſtate Reipubl. independentem, ſed quatenus ſe illis duntaxat, quos ſciunt eſſe pollutos, ſubducunt, ipſisque ſeparationem illam inſinuant.

7. Quam ad rem neceſſum eſt, competere *eccleſiæ* aliquod jus cognoſcendi de moribus, & conſequenter eosdem cœleſtium rerum gratia pronuntiandi indignos.

8. Idque etiam ratione doctrinæ; d) non quod eam alii imperare queant, ſed denuntiare poſſunt diſſentientibus, ſe non poſſe cum illis habere cultum eundem & ſigna communis gratiæ, quamdiu ita ſentire ſe profitentur, ut in ſummam doctrinæ ſalutaris impingere videantur.

9. Denique, Doctores ſibi & rectores, qui in omni cœtu ſunt neceſſarii, præponere poſſunt eccleſiæ, ſicut eos præpoſuerunt ſibi Apoſtolicæ, non volentibus etiam imperatoribus civitatis, in qua degebant. *e*)

10. Primos ipſe Chriſtus Dominus ſpeciali mandato inſtructos miſit, ad omnes populos, qui rurſus alios ſingulis locis conſtituerunt aut creari curaverunt, adhibitis etiam ritibus certis, quibus ſurrogatio miſſionis primæ & divinæ ordinationis auctoritas adumbrata *f*) fuit, idque manu illorum, qui prius eo modo conſtituti fuiſſent.

11. Res tamen hæc adeo neceſſarii uſus non eſt *g*) ut tametſi in aliquo cœtu fidelium non poſſit haberi talis ſurrogatio per ejusmodi manum, eccleſia tamen, quæ eſt cœtus quilibet in nomine Domini congregatus, debeat eſſe deſtituta paſtoribus; ac ideo, qui Spiritu & dotibus ad paſcendum & docendum neceſſariis inſtructus ab illo cœtu adſcitus eſt, quominus pro Paſtore vel Doctore legitimo habeatur, nihil obſtare videtur, & firmat promiſſio Domini Jeſu, in medio cujuslibet fidelium congregationis ſeſe adfuturum.

12. Hæc, inquam, omnia, ignaris quoque & invitis imperantibus, fieri poſſe conſentaneum eſt, ſicut ab Apoſtolis primisque Chriſtianis ex mandato Domini contra voluntatem imperatorum inſtituta ſunt.

13. Quamvis autem hæc & ſimilia eccleſiæ ab imperantibus adimi & interdici nequeant, inde tamen non ſequitur, nullas in his rebus eſſe partes ſummæ poteſtatis, quæ eſt in quaque republica.

14. Nam generaliter verum eſt, ſummas poteſtates habere jus exercendi quoslibet actus jurisdictionis imperiique in ſuos cives & eorum actiones, omniaque dirigendi, quæ ad conſtituendum augendumque *h*) Dei cultum pertinent; modo nihil, inquam, derogent iis, quæ à Deo determinata ſunt.

 15. Ut,

n. 8. *d*) ratione doctrinæ) *Sed neſcio, quomodo hac aſſertio cohareat cum traditis* n. 1 *An miniſterio major poteſtas competet, quam magiſtratibus?*

n. 9. *e*) degebant) *Sed vide quæ modo notavimus* lit. b. *Eadem monenda ſunt ad* n. 12.

n. 10. *f*) adumbrata) *Ergo umbra quid ſimile habuit, ita ut Apoſtolis plus juris competierit, quam miniſtris ordinariis, ut Autor ipſe loquitur* infra cap. 5. n. ult.

n. 11. *g*) non eſt) *Ergo & hac monere debebant Autorem, hoc caput non pertinere ad jus internum eccleſiæ invito magiſtratu exercendum. Nam ſupra* c. 2. n. 16. *ipſe notavit, ad illam claſſem ſaltem ea pertinere, quæ Deus neceſſario exigat.*

n. 14. *h*) augendumque) *Unde cadit aſſertio Autoris vel dubia redditur, quam poſuit* cap. præced. n. 43. *nulli imperio quicquam juris eſſe, in illis, quæ ad jus conſcientiæ pertinent vel prohibendis, vel* augendis, *vel minuendis. Hic vero neſcio cur de* auctione *ſaltem cultus externi & religioſi ſeu ceremonialis [nam de eo Autori ſermo eſt] loquatur. Eadem enim eſt ratio* diminutionis. *Nam cultus novi fœderis illis augmentis ceremoniarum non habet opus. Et alibi ex ipſa Auguſtana Confeſſione deduximus, principem Evan-*

15. Ut per partes eamus, *i*) primo, quod ad fidei confeſſionem attinet, ſi hæc imperantibus ad animum pertinet, jus habent ea, quæ vero cultui numinis adverſantur, impediendi & puniendi. *k*) Sic Ezechias amovit excelſa, fregit ſtatuas, excidit lucos, ipſum etiam ſerpentem æneum à Moſe factum, cui adolebatur, comminuit 2. *Reg.* 18. Joſias *l*) comburi juſſit idolis conſecrata, lucum incendit, altaria & excelſa idololatrica deſtruxit. 2. *Reg.* 23. Nebuchodonozor *m*) membratim diſcerpi juſſit eos, qui Hebræorum Deo maledicerent. *Dan.* 3. 29.

16. Nec tantum in Atheos & Idololatras anim-

---

gelicum magis ſollicitum eſſe debere de minuendis ceremoniis, quam augendis. Vide diſſert. de jure principis evangelici circa ſolen. ſepult. §. 23.

n. 15. *i*) eamus) *Id mirum, cum Autor in ſingulis partibus hactenus recenſitis oſtenderit concurſum magiſtratus, cur idem etiam non fuerit executus in capite de excommunicatione, cum tamen in excommunicatione concurrentes effectus externi & civiles, ſint multo evidentiores, quam v. g. in fidei confeſſione.*

k) puniendi) *Sed obſtant dicta* n. 1. *& graviter obſtant, quia hic nulla oſtenditur reſponſio, nec facile oſtendi poteſt. Unde Autor non debuiſſet hic conjungere diſtinctiſſima, impedire vero cultui adverſa, & punire. Pertinet omnino ad principem, proſpicere, ut in republica floreat doctrina vera circa cultum Dei, & ut adverſantia eidem removeantur, ex regulis prudentiæ. Competit etiam principi jus reformandi in ſano ſenſu. Sed ſi ſuadenda fides eſt, non imperanda, iſta omnia non fieri debent per coactionem, multo minus per pœnam. Ipſe Autor faſſus eſt* cap. 2. n. 2. *imperium non pertinere ad animi ſententias, & intuitu actionum excipienda eſſe, quæ ſint exempta à ſummo imperio, & quæ Deus ſpecialiter ab hominibus exigat, & immediate ſuo tribunali reſervet. At religio fuit ante civitates, nec civitates propter religionem inſtitutæ ſunt, nec cives in conſtitutione civitatis voluntatem ſuam circa religionem voluntati ſummorum imperantium ſubmiſerunt.* Puſend. de hab. relig. §. 5. 6. *Et, ut ipſe Autor loquitur* hic n. 1. *religionis ratio ſoli Deo debetur. Adde, quod hæc aſſertio approbet perſecutiones Gallicas & ſimiles propter religionem. Cum enim quilibet prætendat, ſuam religionem eſſe veram & orthodoxam, in ſenſu Juridico i. e. in definiendis quæſtionibus de jure circa ſacra, non alia eſt definitio perſpicua religionis veræ, & orthodoxæ, quam quod ſit religio dominans. Etſi in ſignificatu Theologico res plane ſe habeat aliter. Ergo Autor hanc theſin ſuam probare debuiſſet vel ex ratione naturali, vel ex evidentibus dictis ſcripturæ ſacræ. Sed neutrum fecit, ſed adducit ſaltem exempla, quæ non probant, ſed ſaltem illuſtrant.*

l) Joſias) *Nec tamen multum illuſtrabunt etiam exempla allata. Nam ad exempla Ezechiæ & Joſiæ regeri poteſt: A ſtatu Theocratico ad ſtatum reliquarum rerumpublicarum non recte inferri. Religionis & reipublicæ judaicæ plane diverſa eſt ratio ab aliis rebuspublicis, præſertim à Chriſtianis. Ibi enim religio erat immixta ſtatui, & idololatria erat crimen proprie dictum læſæ majeſtatis.* Puſend. d. l. §. 9. ſeq. *Deinde etſi hæc omnia in republ. judaica ita ſe habuerint, non legitur tamen Ezechias & Joſias punivisse idololatras, ſed tantum nutrimenta idololatriæ ſubduxiſſe.*

m) Nabuchodonozor) *Hujus vero regis exemplum non magis probat rem dubiam, quam ſi quis ejus exemplum, quod apud Danielem præcedit, allegaret* Dan. 3. v. 5. & 15. *Deinde aliud eſt punire maledicentes Deo diverſæ religionis, aliud punire colentes diverſam religionem. Nullus cultus divinus natura ſua infert maledicere diis diverſæ religionis. Ad-*

Digitized by Google

animadvertere poſſunt, ſed & omnes, qui evidenter ſecus, quam fert publicus eccleſiæ conſenſus, docere inſtituunt, cohibendi atque coëtcendi jus habere videntur. *n*) Quemadmodum recepto in eccleſia Sacroſanctæ Trinitatis dogmate, imperatores nequis de ea publice contendere audeat, ſanciverunt, *tit. C. de Summa Trinit. & fid. Cathol. & ut nemo de ea publice contendere audeat o*)

17. Quod ſi de conſenſu eccleſiæ, ſuper aliquo dogmate, dubitetur, partes utrinque, ad ſilentium, vel ad certos terminos de controverſiis adigi poſſe videntur, utique ad tempus, & per modum *proviſionis* quam vocant: Diviſiones interim molientibus pœna pro modo commiſſi ſtatutâ. *p*)

18. Donec deciſio ab iis, qui numero in eccleſia prævalent, interponatur; ſiquidem in hoc mundo alius controverſiarum exitus non datur. *q*) Sed judicandi per ſe de rebus divinis facultatem, proque ſuo judicio

impe-

---

eoque hoc exemplum non repugnat dictis n. 1. *nec adeo probat, quod Autor probare volebat.*

n. 16. *n*) videntur) *Tolerari & hoc poteſt, ſi recte explicetur ſed ſub declaratione modo* lit. l. *dicta. Id tamen non placet, quod & hic Autor loco declarationis & probationis, iterum ſaltem exemplum producat.*

o) audeat) *Omnium minime vero poſſunt adduci ad ſtabiliendam definitionem de jure circa ſacra exempla ex conſtitutionibus ſacris juris Juſtinianei. Rem latius expoſui* Tom. II. obſ. ſel. 8. & Tom. 3. obſ. 18. & 19.

n. 17. *p*) ſtatuta) *Et hac explicatione opus habent. In hoc caſu princeps juſte imperat diſſentientibus tolerantiam mutuam aut moderationem circa elenchum; ſed formulam proviſionalem credendi aut docendi, quale erat interim illud Auguſtanum de anno 1548. excedit arbitrium & poteſtatem ſumma poteſtatis. Et forte hac etiam eſt mens Autoris, per ea quæ ſtatim ſequuntur* in n. ſeq.

n. 18. *q*) non datur) *Sed cur non daretur; ſi diſſentientes ſe mutuo tolerent. Igitur varia hic monenda.* [1] *Supponit Autor, intereſſe reipublicæ ut controverſiæ definiantur. At hoc erat prius probandum. Ad intereſſe reipublicæ i. e. ad tranquillitatem externam promovendam nihil facit definitio controverſiarum quarumvis ſpeculativarum. Aliæ enim definiendæ etiam eſſent per pluralitatem votorum, aut deciſionem unius, controverſiæ logicæ, metaphyſicæ, phyſicæ, morales, medicæ, juridicæ. Sed cum hoc appareat cuilibet, eſſe abſurdum, cur non abſurditas etiam apparet circa definitionem ſpeculationum Theologicarum.* [2] *Si controverſiæ theologicæ ſunt definiendæ eo modo, quo commode exitus inveniri poteſt, commodius forte erit, eligere unum hominem eruditum, & ad hanc deciſionem præparatum, quam definire per pluralitatem votorum. Nam definitio controverſiarum per pluralitatem votorum ſaltem in collegiis neceſſaria eſt, non ubi uni negotium eſt commiſſum.* [3] *Si vel maxime controverſiæ Theologicæ eſſent per pluralitatem votorum definiendæ, non apparet ratio, cur id non æque fieri poſſet per majora vota politicorum extra partes poſitorum, quam per pluralitatem miniſtrorum eccleſiæ. Accedit, quod* [4] *hæc aſſertio non cohæreat cum doctrina Autoris. Docuit, externa pertinere ad magiſtratum & politicos. At infra* c. ſeq. n. 30. ſeq. *recte docet, illam poteſtatem omnem eſſe externam & a civitate dependentem, ubicunque major numerus ſuffragiorum pauciores obliget.* Adde notas noſtras ad diſſertationem Theologi Lipſienſis de jure decidendi controverſias Theologicas, & tractatum Germanicum Dn. Brenneiſenii de ead. materia. Puſendorffium de hab. relig. §. 36. 37. 38.

Digitized by Google

imperandi eccleſiis earumque Doctoribus, quo pacto capita religionis controverſa tractare debeant, habere non videntur, quicquid hac de re prolixe Grotius *r*) *in ſuo tractatu* contendat, *c. 5. 6. 7.*

19. Nam hæc res pertinet ad ipſam fidei Confeſſionem, quæ ad verum jus internum a poteſtate civili alieniſſimum pertinet: addito, quod antea diximus; Chriſtiano magiſtratui (vocis uſu ad ſummam poteſtatem producto) non plus competere, quam magiſtratui infideli, cui ſane tale jus congruere non poteſt.

20. Porro, juxta conſenſum eccleſiæ, poteſtas edicta condere & leges, quibus concordia ſervetur, ipſique eccleſiæ Doctores pareant, præſcribere poteſt.

21. Convictis aut conſenſu reliquorum ſuperatis ſeparatiſque, tantum libertatis ſeorſim dabit, quantum expedire judicabit; Quæ res ad conſcientiam cæterorum, quibus integra cauſa manet, ſpectare non videtur. *s*)

22. Quod ſi inferiores publicæ quieti non ſint adverſi, nec aperte blaſphemi, *t*) pœnis nec corporalibus neque pecuniariis mulctari poſſe videntur.

23. Nec quidem ob cœtus modicos ſacrorum cauſa duntaxat celebratos; niſi contra ſchiſmaticos ſecus videatur; maxime, ſi diſcrimen adeo modicum ſit, ut contumaciæ quam religioni res propior videatur.

24. Alioqui jus celebrandi ſacrorum communionem & divini cultus, civili poteſtati non eſſe obnoxium *antea diximus.*

25. Quemadmodum nec eſt cenſura & animadverſio morum atque doctrinæ; unde nec appellandi facultas ad ſummam poteſtatem harum rerum cauſa datur, cum appellatio ſupponat imperii ſubordinationem. *u*)

26. Quod tamen non impedit, quominus imperanti advertere liceat, ne quid enormitatis hac occaſione committatur, neve ſub prætextu religionis aut cenſuræ factiones inimicitiæque exerceantur.

27. Præterea, modus & tempus aliæque circumſtantiæ exercendi illa jura, hoc eſt, eden-

r) Grotius) *Quod Grotius non omnia accurate definiverit, non mirandum, quia is ex primis fuit, qui in hac materia, aſtu Cleri Pontificii, obſcurata glaciem fregit. Interim ſi Grotii ſententia nihil valet, nil valet etiam prior pars hujus numeri, nam & Grotius ſuadet principi, controverſias definire per miniſtros eccleſiæ.*

n. 21. *s*) non videtur) *Mitigatur hoc pacto paululum iniquior aſſertio prior* in n. 18. *ne nimis indulgeat arcanis papiſticis, alias ſub ea ſe occultantibus. Nam eum præcipue in finem, invenit papatus definitionem controverſiarum per pluralitatem votorum, ut iſti per illam pluralitatem victi, & nequaquam convicti, tanquam infames ejicerentur è republica.*

n. 22. *t*) aperte blaſphemi) *Aperte blaſphemus eſt, qui blaſphemat id, quod ipſe pro Deo habet, non quod alius, in ſenſu videlicet juridico, & quatenus blaſphemia conſideratur ut crimen pœna humana coercendum. Ad omne crimen enim requiritur proæreſis ſeu dolus. Unde cavendum ab arcanis papatus, etiam hoc in aſſerto ſe occultantibus, qui pro blaſphemis habent omnes, qui ab idololatria papiſtica & adoratione panis ac ſanctorum abhorrent, & ſuperſtitionem hanc vivis coloribus depingunt, æſtimantes videlicet blaſphemos non ex hypotheſi illorum, ſed ex ſua.* Conf. Autorem cap. ſeq. 4. n. 27.

n. 25. *u*) ſubordinationem) *Et hic contrarium verius eſt. Ipſe Autor concedit* n. ſeq. *imperanti animadvertere licere, ne ſub prætextu religionis aut cenſuræ factiones inimicitiaq; oriantur. Ergo ſemper appellare licebit, quia omnis cenſura morum & doctrinæ à Clero ſuſcepta talis eſt. De cenſura doctrinæ vide jam notata* ad n. 18. *De cenſura morum aſſertionem noſtram fuſius deduximus peculiari diſſertatione* de judicio ſeu cenſura morum.

Digitized by Google

edendi confeſſionem fidei, inſtituendi conventus atque cenſuram, adeoque tota ratio gubernandi cœtus credentium, non eſt ita proprius Eccleſiæ, ut Summæ Poteſtati hac parte nihil juris aut inſpectionis ſit comparatum.

28. Huc ſpectant Leges, quæ Baptiſmi ac Sacræ communionis canonem elata voce, ut à populo exaudiatur, pronuntiari jubent: *Nov. 137. c. 6.* Quæ vetant, ſacra myſteria in privatis domibus peragi: *Nov. 58. & 131. c. 8.* Ne laici Litanias, id eſt, ſupplicationes publicas, niſi præſentibus Clericis, celebrent: *Nov. 123. c. 32.* Ne presbyter fiat minor annis XXX. *d. Nov. c.* 13. Ne quis Epiſcopus abſit ab Eccleſia ſua, niſi Summæ Poteſtatis conſenſu, & ne ſic quidem diutius anno: *d.* *Nov. c. 9.* & id genus alia *paſſim.*

29. Denique, in omnibus hæc poteſtas Civilis exerceri poteſt, quæcunque conſenſu Chriſtianorum, ſalva religione fideique concordia, ſacriſque literis *aliter ac aliter habere ſe poſſunt.*

30. Infinita enim ſunt, de quibus in literis ſacris nihil per omnia certum & immutabile conſtitutum legitur. Quæ autem in illis primitus obtinuiſſe leguntur, hodie pleraque nuſquam exacte ſervantur. w]

31. Inter quæ eſt, regiminis Eccleſiaſtici ratio, quæ hactenus à ſumma poteſtate præſcribi poſſe videtur, quatenus nihil a Domino prohibitum inſtituatur, *ut toties dictum.*

32. Multo magis in conſiliis & conciliis Præſulem, Legatos Reipubl. adeſſe, tam juris quam politices ratio permittit, & ſæpe numero poſtulat.

33. Proinde & illis, quæ ad jus externum ſpectant, à collegiis presbyterorum ad Poteſtatem civilem appellari poſſe manifeſtum eſt.

34. Facultas eligendi *Doctores* rectius quidem x) omnino cœtui fidelium ipſi tota relinquitur: Nec tamen ad internum & inſeparabile jus conſcientiæ referendum videtur.

35. Modo non admittantur, quam qui à peritis rerum ſacrarum idonei ad docendum ſint judicati; Omnibusque poteſtas conquerendi reſiſtandique libera detur.

36. Quibus ſervatis, conſcientiæ ſatis conſuli nec abſurdum vel impium eſſe videtur, jus eligendi ab Imperantibus immediate vel per alios exerceri.

37. Sicut enim hæc res certo modo in ſacris literis definita non extat, ita nec eodem modo à populis Chriſtianis obſervata fuit: nec enim populus ſemper univerſus elegit, ſæpe à certis Patronis fiunt electiones, alicubi à paucis Ariſtocratice; quod non tantum modo, ſed etiam ſpecie à populari electione diſcrepat. Etſi etiam Senatus

n. 30. w) ſervantur) *Non ſaltem de facto hic loquitur Autor ſed & de jure, eo videlicet reſpiciens, quod in ſtatu hodierno, & ubi principes Chriſtiani præſunt imperio, non omnia ſint redigenda ad ſtatum primævarum eccleſiarum Chriſtianarum ſub perſecutionibus ante tempora Conſtantini.* Conf. Puſend. de hab. relig. §. 39. 40. & de Monarch. papali §. 10. 11.

n. 34. x) rectius quidem) *Sed & hoc dubium. Nam verum quidem, multis abuſibus ſubeſſe electionem Doctorum, quæ fit à politicis, ſive Aulicis, ſive Patronis eccleſiæ. Sed propterea non fit rectius, ſi tota electio reliquatur cœtui, computatis idiotis & vilioribus quibusvis. Nam primo iidem, ſi non majores abuſus hic erunt timendi. Deinde praxis oſtendit, ut ſi res eo perveniat, ut totus populus dicatur electionem debere perficere, revera plebs nomen ferat, electio vero ſit apud eccleſiam repræſentativam, ſeu clerum,* (conf. modo n. 37) *ſed & hi ſunt homines. Et adeo parum intererit, an is fiat paſtor, qui ducit ſcortum epiſcopi vel canonicorum, & ita in reliquis.*

Digitized by Google

natus Eccleſiaſtici repræſentare dicantur Eccleſias totas, illa tamen repræſentatio in pleriſque populis non includit dependentiam à populo, cujus idcirco jus in Senatum privativè coll:tum eſt.

38. Quod hoc aliisque modis immutari poteſt, hoc ad ea quæ divinitus præſcripta ac immutabilia ſint, referri non poteſt.

39. Si tamen usquam, heic verum eſt, quod antea occupavimus, uſu venire poſſe, ut ejusmodi ſint merita circumſtantiarum, quibus jura ſpecialiter non determinata divinitus, eo modo à poteſtatibus Reipubl. tractentur & obtrudantur, ut per conſequentia in perfectam prohibendi rationem incidant, ipſumque jus *eſſentialiter*, ut loquimur, eccleſiæ competens evertant. Cujus rei à prudenti dijudicatione ſingularium dependet exiſtimatio.

40. Jam ſi ipſum eligendi jus, poſitis illis temperamentis & requiſitis, penes civitatis rectores eſſe poteſt; jus approbaudi perſonas electas facilius ab iisdem exerceri poteſt: Et quidem ſicut electio fit ab iis, quibus id jus competit, non redditis rationibus; ita nec cauſæ quicquam eſſe videtur, quare nec approbatio, quæ eſt pars ab electione decerpta, eodem modo fieri poſſit.

41. Cæterum, perſonas & bona eccleſiaſticorum imperio civili nullo jure ſubduci extra controverſiam collocamus; Ut & publicis *præſtationibus* ac *pœnis* propter commiſſa legum ſine dubio ſunt ſubjecti.

42. Etiam ut ob malos mores, cauſa cognita, non tantum ſtipendio, quod è publico capiunt, *ſed è munere docendi certo & ſtato loco privari poſſint, non æque y) charactere & jure prædicandi Verbum Dei.*

43. Unde quibus certo loco interdictum eſt concionari aut agere, hos non prohiberi evangelium alibi in eodem licet imperio prædicare, ſtatuendum eſt.

44. Bona quoque eccleſiæ in uſus reipubl. poteſtates convertere non poſſunt; Nihilo magis quam res cujusque privati. z)

45. Quia eccleſiam eſſe cœtum à civitate diſtinctum, ſecus ac vult *Hobbes*, nobis indubitatum eſt, & ex dictis jam liquet.

46. Quatenus tamen reſpublica & eccleſia aliter ſervari nequit, aut ob cauſas valde pias, alienari poſſunt; Quoniam ad tales uſus illa bona vel maxime comparata eſſe videntur.

47. Bona autem corruptæ eccleſiæ, modo chri-

n. 42. *y*) non æque) *Sed cur non & hoc. Sane ſi princeps poteſt interdicere, ne doceat certo loco, & nemo debet docere, niſi a principe vocatus vel confirmatus, etiam a certo loco excluſus, excluſus etiam eſt à reliquis, uti Profeſſor depoſitus etiam characterem profeſſionis & jus profitendi publice amiſit. Scio quidem aſſertionem Autoris conformiorem eſſe praxi in quibusdam locis, etiam Proteſtantium, ubi paſtores depoſiti etiam efficaciter exercent functiones eccleſiaſticas quasvis, etiam copulationes ſponſorum & ſponſarum. Sed ſcio etiam, illam doctrinam non eſſe rationabilem, quia totum ejus fundamentum conſiſtit in hypotheſi irrationabili, de indelebilitate characteris ſacri, deducta ex alia hypotheſi de ſacramento ordinis, quam & ipſam ut irrationabilem & juri divino difformem rejecerunt eccleſia noſtræ, unde & rejici debuiſſet concluſio ex illa hypotheſi deducta.* Conf. diſp. noſtr. Lipſ. ultim. §. ult. *Unde jam & propoſitio Autoris in* n. ſeq. *ex hactenus dictis erit emendanda.*

n. 44. *z*) privati) *Sed nec hoc convenit cum propoſitione* n. 41. *Et potius invertimus. Uti non obſtante dominio cujuscunque privati princeps vi dominii eminentis bona privatorum poterit in uſus Reip. converte, ita multo magis bona eccleſiæ vi dominii eminentis convertere poterit vel in uſus reipublicæ ſacros, vel ſeculares. Latius ea de re actum* in ſuperr. diſſert. inaugurali de natura bonorum ſeculariſatorum.

do chriſtianæ, dicata, *licet addito fine ſuperſtitioſo*, fuiſſe, & manere eccleſiaſtica, etſi profeſſio religionis emendata fuerit, dicendum putamus.

48. Perinde nec in hoc caſu talia bona ab imperantibus diſtrahi, vel in uſus profanos converti poſſunt, ſed vitio ordinationis ſublato, in religioſos uſus pioſque converti debent, qua de re locus agendi *inferius a)* occurret.

49. Cæterum, quando facienda ſit alienatio, ſi unquam facienda, *b)* ejus rei civile judicium eſt, neque per ſe, id eccleſia poteſt decernere, cujus membra tantum habent uſumfructum eorum bonorum. *c)*

50. Si quoque princeps *univerſum* hoc ſuum jus externum in aliud collegium aliamve perſonam ſingularem epiſcopi, ſuperintendentis aliove titulo transferre velit, exercitio tenus, poteſt equidem; modo nihil ei tribuat, quod à corpore credentium ſeparari non poſſe diximus.

51. Ex his & quæ ſimilia ſunt, poteſt colligi, quonam ſenſu principes *capita eccleſiarum* dici queant; Solum jus externum huic titulo, ſi bonus eſt, *d)* facultatem tribuat, oportet; quo rectius omnino principes abſtinent, quemadmodum in Anglia cum *VVilhelmus* Rex ibi nuper inauguratus eſt, abolitum fuiſſe accepimus. *e)*

52. Cæterum, eſſe liberum ſummis poteſtatibus, diſſidere à cultu recepto, non minus quam privatis, res ipſa loquitur:

53. Nec ideo cives principi aut optimatibus

---

n. 48. *a)* inferius) Lib. 2. ſect. 4. cap. 3. n. 23. ſeq. & n 36. ſeq. *Tu vide diſſert. citatam, ubi ſimul illis, quæ Autor hic* n. 46. 47. 48. *aſſerit, ſatisfactum eſt.*

n. 49. *b)* unquam facienda) *Id eſt determinatio cauſarum, ob quas eccleſiaſtici bona eccleſiæ alienare poſſint.*

c) bonorum) *Hoc vult dicere: Bona eccleſiæ ſunt quidem in dominio eccleſiæ* per n. 44. *Sed ſinguli habent ſaltem uſumfructum. Verum hæc ratio non probat, quod eccleſia non poſſit decernere cauſas alienationis, ſed probat ſaltem, quod ſingula membra non poſſint decernere. Nam id de rebus quarumlibet univerſitatum verum eſt, quod ſinguli non poſſint, alienare, univerſi poſſint. Igitur ſic dicendum. Uſumfructum bonorum eccleſiaſticorum non habent ſingula membra eccleſiæ, ſed ſaltem Clerus. Proprietas autem pertinet ad totam eccleſiam, etiam laicos, inter quos princeps eſt præcipuus. Et deinde agitur hic de determinatione cauſarum per modum legis. At legislatio non ad eccleſiam pertinet, ſed principem. Unde nullum dubium, quamdiu Eccleſia Chriſtiana erat ſub regimine infidelium, bona eccleſiaſtica potuiſſe alienari ex conſenſu ſolius eccleſiæ, computato tamen populo, ſeu Laicis.*

n. 51. *d)* bonus eſt) *Et cur non eſſet. Solus Chriſtus equidem eſt caput eccleſiæ inviſibilis, vel in ſenſu Theologico. At eccleſia viſibilis quia eſt ſocietas & univerſitas quæ eſt in republica, & princeps eſt caput reipublicæ, erit etiam caput eccleſiæ, uti v. g. Profeſſorum Theologiæ & reliquorum collegiorum Academicorum, aut Univerſitatum & Academiarum. Nec ægre ferre poteſt hunc titulum, niſi vel Papa, qui prætendit eſſe caput eccleſiæ univerſale, vel papizans, & qui eccleſiæ loco unius capitis optat capita innumera.*

e) accepimus) *Res non eſt impoſſibilis. Sed Thomas ſum non credo, niſi probationem videam. Omiſſum fuiſſe titulum illum in inauguratione vix credibile eſt, ſed tamen citius concipi poteſt. At abolitum eſſe, nemo ſibi perſuadebit, niſi probationes videat omni exceptione majores, qui penſitabit conſequentias hujus abolitionis.*

tibus obſequium negare poſſunt, quod de ſacris aliter quam prævalens populi ſui multitudo ſentiat.

54. Quod tamen lege fundamentali aliter conſtitui poſſe, ſicut in Anglia & Scotia nuper conſtitutum eſt, dubitari non poteſt.

55. Quin imo jus habere ſummas poteſtates, ſymmyſtis ſuis publicum cultus exercitium permittendi, *in univerſum quidem f)* indubitatum videtur.

56. Quin & jus prohibendi aliter ſentientibus, ne publicos, *g)* ſolennesque conventus habeant, ne majoris corporis unionem ſtabili regimine forment, habere videntur.

57. Sed ne omnino conveniant, ne Doctores ullos habeant, ne libros legant, ne Deum ſuo more colant, id abſciſſe prohiberi nequit. *h)*

58. Quoniam hæ res ſine medio pertinent ad neceſſariam conſcientiæ adminiſtrationem, quæ non eſt ſubjecta imperio.

59. Multo minus *i)* externis pœnis ob hæc noviſſima ſævire licet, quia ſanctio, quæ pars legis eſt, non poteſt habere locum ubi lex ipſa ceſſat.

60. Sed interdicere civitate heterodoxos, ſalvis vita atque fortunis, ſi expedire judicet, eum poſſe exiſtimaverim. Quoniam hoc præmunimenti adverſus propagationem potius, quam ſupplicii rationem habere poteſt.

61. Etiam ut effectus aliqui juris publici illis præcludantur, velut, ne munera publica ſinguli, ne cætus eorum è teſtamentis capiant, ſimiliaque, decernere nihil vetat; cum his rebus fides & cultus Dei non prohibeantur. *k)*

62. Excedunt hunc modum juris Romani ſanctiones, non in eo quod hæreticis adimunt privilegia religioni conceſſa *l. 1. C. de Haret.* nec quidem in hoc, quod nullla ipſis loca publica ad exercendos cultus permittunt, ſed ea Catholicis donant *l. 3. eod.* Verum quod omnes eorum conventus ſub graviſſimis mulctis prohibent *l. 3. §. 1. eod.* Quod omni commercio illis inter vivos & mortis cauſa interdicunt *l. 4. §. 2. & ſeqq. eod.*

63. Imo

n. 55. *f)* quidem) *i. e. in toto regno. Nam minor dubitandi ratio eſt, de uſu aulico, ubi princeps eccleſiam ſuam quaſi domeſticam habet.*

n. 56. *g)* publicos) *Imo & ne privatos, per notata* ad n. 2. hujus capitis.

n. 57. *h)* nequit) *Non conſultum eſſe hac prohibere concedo, ſed multa fiant inutiliter, qua non fiant injuſte. De eo,* ne omnino conveniant, *jam actum* ad n. 2. ne Doctores habeant *de eo dictum* ad n. 9. 10. 11. & 34. Lectio librorum *puto efficaciter prohiberi poteſt, quia lectio librorum non eſt pars eſſentialis cultus divini. Et ſi exempla illuſtrant, habes in hunc uſum* l. 3. §. 1. & 3. C. de fide Catholica. *Porro ſi princeps non poteſt prohibere* ne diſſentientes Deum ſuo more colant, *non poteſt etiam pohibere cultum publicum, quia & hic pertinet ad mores* cujusque *populi Deum colentis quemcunque. Alia quaſtio eſt de modo probibendi. Si princeps probibeat ſub conditione honeſta emigrandi, non habent adeo de quo conquerantur ſubditi; & princeps talis ſibi ipſi magis nocet & ſuo territorio, quam ſubditis iſtis. At ſi nolit emigrationem concedere & inſuper probibeat ſub pœna gravi ea, de quibus hic agit Autor noſter, crudelitas eſt, praſertim ſi pœna capitali probibeat, uti de lectione librorum eſt in* d. l. 3.

n. 59. *i)* multo minus) *Ergo mallem tollere n. 58. Autoris, & theſin* n. 57. *conſiderare ut quaſtionem cum diſtinctione reſolvendam ex* n. 59. ſeq.

n. 61. *k)* prohibeatur) *Recte. Unde inconvenienter, ubi princeps talia facit, etſi non perſequatur diſſentientes, imo ubi non ſolis omnia privilegia & munera indulget, ſubdito.*

63. Imo hæreſin faciunt crimen *l*) publicum, etiam mortis ſupplicio ſubjiciendum, ſaltem de Manichæis & Donatiſtis *d. l. 4. & 5. eod.*

64. Communes autem hæreticos etiam nimis rigide diſtinguunt, dum ita ſtatuunt; *Hæreticorum vocabulo continentur, & latis adverſus eos ſanctionibus ſuccumbere debent, qui vel levi argumento à judicio Catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deviare l. 2. §. 1. eod tit.* Quid ex ratione juris publici vere faciat hæreticum, videbimus alibi *m*) an definiri poſſit.

65. Ex his omnibus judicare licet, utrum eccleſiæ præſulibus competat legiſlatio, competat juriſdictio circa ſacra; an ſummæ poteſtati illud potius tribuendum. Poſterius affirmatur, quatenus nihil (*hoc toties repetendum*) in his quæ à Deo præfinita ſunt, mutatur.

66. De rebus intrinſecus ad ſacra pertinentibus, nemo mortalis habet jus ferendi leges, quia in hiſce jus ligandi conſcientias Deus ſibi ſoli reſervat; denuntiatione, *n*) quæ miniſterium eſt, commiſſa duntaxat verbi miniſtris.

67. Tamen etiam περὶ τῶν ἔξω, de rebus quæ aliter habere ſe poſſunt & circa ordinem rerum ſacrarum utiles ſunt, eccleſiaſtici recte canones faciunt; quorum ea vis eſt, quam præſtare queant cœtus, qui ἀναγκαστικῇ *coactiva* facultate carent, ita ut proprie vim obligandi à poteſtate civili accipere debeant, a qua etiam abrogari poſſunt.

68. Quemadmodum & reliqua eccleſiis uſurpata, quæ ad ſimilitudinem juriſdictionis aut legiſlationis accedunt, haberi videntur ex ſpeciali, aut generali delegatione ſummæ poteſtatis, *ſicut ex principio hujus doctrinæ ſemel ſtabilito*, colligi poteſt.

CAP. IV.

DE MONITIS QUIBUSDAM ET CAUTIONIBUS PRIORIS SENTENTIÆ.

Jus ſummæ poteſtatis circa ſacra triplici modo variatum: pro bono & æquo, pro jure, quod eſt deterius, pro eo quod tantum obligat ad patientiam, & hoc quouſque ſe extendat. n. 1-12. Intelligendum autem illud & omne jus ſacrorum de poteſtate vere ſumma & ſine præjudicio legis Reipubl. fundamentalis. n. 13-16. In ſeditioſos gravius conſulendum. n. 17. 18. Non diſtingui in hujus juris exercitio, inter recte vel ſecus ſentientes de ſacris; n. 19-22.

rum eccleſia vocatur eccleſia preſſa. Ubi æque inconvenienter vocatur eccleſia florentiſſima ubi opibus & honore abbundat. Quæ res indicio eſt, multas adhuc ſupereſſe reliquias Papatus.

n. 63. *l*) crimen) *Gaudeo, quod Autor & hunc papiſmum legum Romanorum agnoverit. Expedivi rem plenius* in diſſert. An hæreſis ſit crimen. *Turbæ & murmura, quæ occaſione hujus veritatis propalatæ ortæ ſunt, confirmant obſervationem ultimam notæ præcedentis.*

n. 64. *m*) alibi) infra lib. 3. ſect. 2. c. 5. n. 30.

n. 66. *n*) denuntiatione) *Sed adde notam* ad n. 5.

n. 19-22. tamen ad aperte impias opiniones vel ad blaſphemos non extendendum, ſed hos gravius coërcendos, n. 23-29. Ubicunque major numerus ſuffragiorum pauciores obligat, illam eſſe poteſtatem externam & à civile poteſtate dependentem. n. 30-40.

1. PRæcedentis capitis poſitiones magni res momenti paucis verbis complectuntur, rationibus ſingularum à fundamentis ab initio adſtructis & connexione rerum pendentibus.

2. Sed obſervandæ ſunt cautiones quædam, ad rigorem quarundam poſitionum, qui forte quibusdam ineſſe videbitur, vel ſi quid *alicubi* deſit, ſupplendum.

3. Primo, repetenda eſt in memoriam diſtinctio juris *o*) in *capite primo* collocata, quod jus non modo ſignificet bonum & æquum, ſed etiam facultatem ad aliquid habendum vel agendum, etſi non recte ſemper exerceatur, quod fit bifariam.

4. Poteſt enim aliquis exercere ſuum jus male quidem, ſed ita tamen, ut nulli faciat injuriam, vel quod ſuum eſt auferat, qualis

n. 3. *o*) juris) *Etſi non male ſe habeat hoc primum monitum Autoris, forte tamen adhuc clarius res evadet, ſi diſtinguamus ex* cap. primo ſect. 1. *inter jus naturæ & politicam. Scilicet non confundendæ ſunt in articulo de poteſtate principis circa ſacra quæſtiones juris cum quæſtionibus de utilitate. Multa enim ſunt, quæ juſte facere poſſumus, & facimus tamen parum utiliter, ut exemplo prodigi hic Autor declarat* n. 4. *Ergo & quæ hactenus de jure principis circa ſacra diſſeruimus, ſive convenienter cum aſſertis Autoris, ſive ab eo diſſentientes, intelligenda ſunt ſaltem de quæſtionibus juris. Cave igitur ne putes, nos ea omnia, quæ diximus à principe juſte poſſe fieri, pro talibus haberi, quæ ſuadenda ſint principi. Declarabimus mentem noſtram, ut res magis evadat perſpicua, aliquot exemplis. Primum eſto ex* n. 60. *capitis præcedentis, ubi Autor aſſeruit, poſſe principem interdicere civitate heterodoxos. Id eſt, ſi hoc faciat, ipſis non facit injuriam. Cæterum an conducat, & annon melius ſit tolerare diſſentientes, ut fit in Belgio, plane alia quæſtio eſt ad politicam pertinens, adeoq; hic non tractanda, ſed reſervanda ſuo tempori & loco in diſſertatione* de prudentia legislatoria. *Alterum exemplum eſto exorciſmus. Hunc ſupra aſſeruimus tanquam rem adiaphoram juſte à principe poſſe abrogari. Sed haudquaquam ſuademus, ut id ſemper & ubiq; fiat. Imo putamus, parum prudenter egiſſe eos, qui iſtam abrogationem ſuaſerunt v. g. Chriſtiano I. Electori Saxoniæ. Adde exemplum tertium, quod ex hypotheſi eccleſiæ Proteſtantis utrimq; minus dubii habere debet. Eccleſia Pontificiorum matrimonium habet pro ſacramento, adeoq; non poteſt non benedictionem ſacerdotalem habere pro requiſito eſſentiali matrimonii legitimi. Contra Proteſtantes matrimonium negant eſſe ſacramenmentum, adeoq; ſtatuunt, benedictionem ſacerdotalem non eſſe neceſſitatis ſed honeſtatis, ut ordo aliquis ſit in eccleſia & republica. At res quæ ad ordinem pertinent, & honeſtatem, non ad regulas juſti ſed decori ſaltem reſpicientem, ſunt adiaphora, & ſubſunt imperio magiſtratus. Et adeo juſte poterit benedictio ſacerdotalis abrogari à magiſtratu Chriſtiano, uti etiam in Belgio matrimonia quarundam ſectarum, quæ ibi tolerantur, fiunt absq; benedictione ſacerdotali per confirmationem ſolam magiſtratus politici.* Conf. Autorem infra lib. 2. ſect. 1. cap. 3. n. 18. 19. *Sed valde imprudenter ageret, qui vellet conſulere cuilibet magiſtratui evangelico, ut benedictionem ſacerdotalem abrogaret.*

Digitized by Google

qualis eſt *p*) qui prodige donat & ſuum jactat.

5. Poteſt etiam fieri, ut aliquis alteri faciat injuriam & tamen jus habeat hactenus, ut illum obliget ad ferendum vel patiendum, quomodo pater jus habet filium nihil mali meritum verberandi, ut is reverberare non debeat.

6. Triplex ille juris uſus in hac etiam materia de jure ſummæ poteſtatis circa ſacra diſcerni poteſt. Nam quod Ezechias, quod Joſias, quod Conſtantinus, quod Carolus Magnus aliique religioſi principes circa res ſacras egerunt, ad primi ſenſus *q*) exempla referendum nemo negabit.

7. Rurſus, quando ſummæ poteſtates errantibus ſectis prærogativam dignitatis in publico & ſolenni cultu, in præmiis & commodis externis tribuunt, hoc eſt quidem jus, quo uti poſſunt, ſed male ſumptum & exercitum, *r*) nihil tamen ſuum auferunt orthodoxis, quia tales externæ prærogativæ à Deo eccleſiis neceſſario addictæ non ſunt.

8. Si poteſtas ſumma nolit eccleſiæ concedere certam methodum habendi conſiſtoria vel claſſes aut ſynodos, nec electionem Paſtorum & Doctorum ſuorum, ſed ipſis præponat quos velit aut certis hominum ordinibus id permittat, ſervato quem ſupra diximus modo,

Breviter: Ea quæ juſte fieri poſſunt, & tamen ſi fiant, ſaltem occaſionem evidentem dant turbis in republica; eorumq; omiſſio vel plane non nocet Reipubl. vel minus nocet illis turbis, ea prudenter omittuntur. Omne quidem quod injuſtum eſt, eſt inutile. Sed non vice verſa omne inutile eſt injuſtum, nec ex oppoſito omne juſtum eſt utile. Multa enim licent, id eſt juſta ſunt, quæ non conducunt, ut ipſe Apoſtolus monuit.

n. 4. *p*) qualis eſt) *Adde etiam, qualis eſt qui inhumanus quidem eſt & durus, non tamen alteri facit injuriam, ob dicta Autori* n. 8.

n. 6. *q*) primi ſenſus) *Sc. ex* n. 3. *ad claſſem eorum, qui laudabiliter fecerunt. De Ezechia & Joſia diximus* ad n. 15. cap. præced. lit. l. *quæ hic ſunt repetenda. De Conſtantino M. etiam jam quædam notavimus* ad cap. 2. n. 1. & 2. *Adeoq; mallemus ab hoc exemplo abſtineri. Eadem eſt ratio Caroli M. Vixit ille in ſatis craſſis Papatus tenebris, etſi non in craſſiſſimis, quæ poſtea videlicet magis magisq; auctæ ſunt, usque ad tempora reformationis. Etſi igitur Carolus in pluribus non ita craſſe ſenſerit de articulis religionis Chriſtianæ, ac hodienum in multis locis eccleſia pontificia, neſcio tamen, an multum profutura ſit religioni evangelicæ comparatio illa temporum Caroli M. cum temporibus ſubſequentibus & hodiernis. Edidit quidem anno 1670. Chriſtianus Nifanius Theologus Lutheranus* oſtenſionem, quod Carolus M. in quamplurimis fidei articulis formaliter non fuerit papiſta. *Sed quid prodeſt hoc religioni Evangelicæ utrum Carolus M. fuerit materialiter an formaliter papiſta? Quid prodeſſet religioni noſtræ, ſi ea non melius reformata eſſet, quam fuit tempore Caroli M. Oppoſuit ſcripto Nifaniano, quamvis ſero, anno 1700. Nicolaus Schaten Jeſuita* Diſcurſus Hiſtorico-Politico-Morales de vita Caroli M. *Bœcleri, ni fallor, in* Muſæo *judicium eſt de ſcriptis Salmaſii & Miltoni, illum bonam cauſam male, hunc malam cauſam bene egiſſe. Vereor, ne de utroq; ſcripto memorato idem ſint judicaturi, qui extra affectus ſunt poſiti. Ad noſtrum ſcopum pertinet ex tractatu Schateni* libri 2. cap. 1. & 4. *in quibus probare intendit, quod Monarchia & Hierarchia eccleſiæ Catholicæ à Carolo M. credita & aſſerta fuerit, item, quod jus circa ſacra, ut principem, qui Catholicæ, quæ dicitur, religioni eſt addictus, decet, nequaquam exercuerit. Unde patet, quod intendimus, tutius ab iſto exemplo Caroli M. abſtineri.*

n. 7. *r*) exercitium) *Adeoque pertinet ad exemplum prodigi* in n. 4.

do, jus quidem hoc eſt, ſed ejus generis, quod ſecundo loco poſuimus. *s*)

9. Si vero *poteſtas ſumma* res ſuas eccleſiis adimat ejusque bona in uſus profanos convertat, hoc quidem eſt ejusmodi jus, quod eccleſiam obliget ad patientiam; ſed tamen injuriam facit eccleſiæ & aufert ei quod plene perfecteque ipſius eſt. *t*)

10. Quod magis eſt, ſi ſumma poteſtas confeſſores veritatis opprimat & ſuppliciis perſequatur, equidem, facit injuriam eccleſiæ, nec tamen hactenus non habet jus, quo Chriſtiani fideles ad patientiam teneantur.

11. Ita Petrum Chriſtus, ita Petrus alios inſtituit, non eſſe gladio contra perſecutiones utendum; fugere, dolere, flere, gemere permiſit, *aliter nec debeo nec poſſum reſiſtere*, ait Ambroſ. *adverſ. Aux. Matth.* XXVI. 25. 1. *Petr.* II. 19. Nec aliter notiſſima veterum Chriſtianorum diſciplina tulit.

12. Vocat hanc Petrus *Gratiam, pati mala propter conſcientiam; d. v.* 19. quia Deus hanc humilitatem & patientiam ſua ſpirituali gratia renumeratur: Cum ex adverſo, qui armis veritatem defendunt, feroeiam à Chriſti Spiritu valde alienam, quin & feritatem animis induere ſoleant.

13. Secunda admonitio, prioris erit limitatio; Quæ de jure Sacrorum & de non reſiſtendo poteſtati Reipubl. diximus, ea de poteſtate vere ſumma, non de principibus, qui magis primi, quam ſummi ſunt, neque de his qui cum ordinibus populi imperium pariter habent atque exercent, accipienda ſunt. *u*)

14. Nec etiam præjudicant ei, quod inquaque republ. lege fundamentali de religione receptum & conſtitutum eſſe queat.

15. Quominus enim qui partem imperii, vel legum, quæ fundamentales dicuntur, cuſtodiam habent, jus ſuum æque pro religione, quam pro aliis facultatibus exerceant, non obſtat illa humilitas & patientia à Chriſto inculcata ſectatoribus ſuis.

16. Nec enim de nihilo eſt, quod idem juxta ſimplicitatem columbæ, viperinam commendat prudentiam, ut quisque jure ſibi comparato, ad amoliendas quoque religionis cauſa factas injurias, uti poſſit; quemadmodum Paulus Apoſtolus aliquoties haud ſegniter inſtituit.

17. Sequens admonitio eſt, de ſeditioſis, qui vere ſint tales, prætextu vel defenſionis vel zeli in cauſa religionis demonſtrati; modo hæc calumnia, quemadmodum ſæpe fit, non impingatur ſinceris & intrepidis veritatis & pietatis confeſſoribus.

18. Quominus autem qui fere ſeditionis, ſacro prætextu, rei fuerint, pœna ſeditioſis impoſita teneantur & adfici poſſint, nulla dubitandi ratio eſt.

19. Monendum & hoc; Quemadmodum in jure civitatis circa ſacra non diſtinguimus, cujus ſententiæ de fide ſint hi, qui tenent ſummam poteſtatem, ita quod ad externi juris effectus attinet, non diſtingui, utrum cives, contra quos ſumma poteſtas illud ſuum jus exercet, recte vel ſecus de fide ſentiant.

20. Atque ideo pontificios Rectores idem jus habere in eccleſias Proteſtantes, quod principes aut optimates Proteſtantium habent in eccleſias pontificiorum, aliasque diverſum ab his qui præſunt civitati, de ſacris ſentientes, omnino ſtatuendum eſt.

21. Etſi enim proprium jus ad veritatis con-

n. 8. *s*) poſuimus) *Ita videlicet, ut pertineat ad exemplum hominis duri & inhumani quod in nota* ad d. n. 4. *ſupplevimus.*

n. 9. *t*) ipſius eſt) *Adeoq, pertinet ad tertiam claſſem* n. 5. *ſed adde tamen dicta ſuperius* ad cap. præced. n. 44. ſeq.

n. 13. *u*) accipienda ſunt) *Unde deducitur juſtitia belli religionis cauſa à principibus proteſtantibus adverſus Carolum V. & Ferdinandum II. ſuſcepti.*

Digitized by Google

confeſſores ullo modo coarctandos, nullum eſſe poteſt, quia tamen hoc incertum, & quæque ſumma poteſtas eſt judex in cauſa ſuorum & propria, non poteſt ea res a veritate vel falſitate ſententiarum ſuſpendi.

22. Quare etiam Orthodoxi æquo animo ferre debent, ab errantibus in fide ſuperioribus ſuis eadem, quæ orthodoxi reges & principes in errantes exercent, & rurſus hi non debent in errantes uſurpare plus juris, quam *ſupra* poteſtati civili in eccleſiam competere diximus.

23. Quod tamen in infinitum extendi non debet, ut etiam ad eos qui Deum ejusque verbum & Chriſtum agnoſcentes, ad ſententias tamen unanimiter à Chriſtianis damnatas & impias deficiunt.

24. Talibus enim non modo civitate, ne veniant, interdici poteſt, ſed etiam, dum ibi ſunt, omnibus ſacrorum cauſa conventibus, idque mulctis aut corporalibus pœnis vel exilio ſaltem, interdici poteſt. *w*)

25. Maxime, ſi audaciam & impudentiam addant impietati, adeoque blaſphemi ſint, *x*) quos Deus in verbo ſuo puniri voluit; nec magiſtratus, ut fieri videmus, civilis commodi cauſa illos ferre deberent.

26. Quo reſpectu *Calvinus* de Serveto ſcripſit, *y*) eum ſola *modeſtia* ultimum ſupplicium redimere potuiſſe; ſi ut alius in quadam curia impietatis accuſatus, nihil aliud præ ſe tuliſſet, quam ſe in *ſimplicitate* cordis ſui ita credere de Chriſto Domino & Spiritu ſancto, quemadmodum Servetus & Socinus præiverunt.

27. Qui enim hoc modo loquuntur, pro *blaſphemis* haberi non poſſunt, etſi tales ſint eorum ſententiæ, quas doceri nullo modo permittendum ſit.

28. Multo minus ad Atheiſmum deficientes vel unicam modo ſubſtantiam agnoſcentes, ferendi videbantur, etſi hucusque libertatis nimiæ ſtudium in quibusdam locis indulgentiam provexit.

29. Sed ratio juris divini & humani flagitabat, ut contra ejusmodi defectores, vetus ſeveritas ſupplicii non modo corporalis, ſed etiam quæ jure Dei ſtatuitur, capitalis exerceretur. *z*)

30. Poſtremo velim hoc mihi, ad eorum quæ

n. 24. *w*) interdici poteſt) *Sed repete hic ea quæ notavimus* ad cap. præced. n. 15. 57. & 59.
n. 25. *x*) blaſphemii ſint) *Repete hic* notata ad cap. præced. n. 22. *& adde hic* n. 27.
n. 26. *y*) ſcripſit) *Res facti eſt, quam hic diſcutere noſtri inſtituti haud eſt. Interim addantur Autores citati ab Arnoldo* in Hiſt. German. de hæreticis lib. 16. c. 33. n. 4. ſeq.
n. 29. *z*) exerceretur) *At hoc non convenit cum* n. 27. *& illis quæ notavimus conformiter Autori* ad d. n. 21. c. præced. *Ergo reſpondendum eſt ad rationem Autoris, quam hic &* n. 25. *urget, ſcilicet mandatum Dei in lege Moſaica. Videre debuiſſet Autor, an lex illa ſit moralis, an pure forenſis. Pro ultima generis lege nos habemus, non ſolum quia omnes determinationes pœnarum ſunt poſitivæ, ſed &, quia blaſphemus in Rep. Moſaica, ubi Deus quaſi viſibiliter & ut Rex imperabat, committebat crimen læſæ Majeſtatis proprie dictum, (ut ſimiliter de idololatra notavimus ſupra* ad n. 15. cap. præced.) *Et memini, Iudæum quendam, videntem, quod Chriſtiani blaſphemos ſecundum legem Moſaicam capite puniant, admiratum id eſſe, & interrogaſſe, an etiam igne cremarent filias pontificum ſcortatrices ſecundum legem Moſaicam? Cum vero id negaretur, quæſiviſſe Judæum, cur, ſi hanc non obſervarent, obſervarent tamen illam de pœna blaſphemorum. Et revera latet arcanum politicæ papalis, à paucis obſervatum, quod etiam Autorem fefelliſſe videtur. Cordatiores in ipſo papatu videbant, durum eſſe, ob minimum diſſenſum à judicio Cleri homines alias innocentes & honeſtos, ut maximos nequam, ſub ſpecie criminis hæreſeos tractare velle.* (Conf. Aut. c. præced. n. 63. 64.) *Aſtutiores ergo ex Clero*

Digitized by Google

quæ dicta ſunt & ſequentur adſtructionem, concedi: quod, ubicunque *pluralitas* ſuffragiorum valet ad obligandos pauciores, illa poteſtas ſit externa, ideoque dependens à poteſtate civili ſuprema. *a*)

31. Nam in his, quæ Deus præſcripſit & certo modo definivit, non poteſt habere locum prærogativa ſuffragiorum, ſed quisque tenetur ad rationem conſcientiæ & obedientiæ ſuæ hac parte Deo reddendam.

32. Tu dices; inde non ſequitur, quod pluralitas ſuffragiorum in rebus à Deo non definitis a ſumma poteſtate pendeat, cum poſſit oriri & orta videatur è conſenſu eccleſiarum.

33. Verius enim eſt, eccleſiam in externis non habere plus juris, quam tenet univerſitas ſummæ poteſtati ſubjecta, nec hactenus plus juris habet, quam aliud ullum corpus aut collegium habere poteſt, ut JCti docent & habebimus in loco.

34. Unde ſequitur, conſiſtoria claſſes & ſynodos, ſine conſenſu ſummæ poteſtatis, nec conſtitui nec haberi aut exerceri poſſe; quia vis eorum in prærogativa numeri prævalentis & obligatione paucicrum ad parendum pluribus, conſiſtit, ne de coactione, quæ tota civilis eſt, dicam.

35. Inſtantia moveri poteſt ab eccleſiis independentibus, quales primitus ſunt omnes, ut antea diximus, in quibus obtinet pluralitas ſuffragiorum, & tamen non egent conſenſu ſummæ poteſtatis.

36. Reſpondetur, in externis & à Deo non præ-

Papali id ſentientes, dixerunt, ſe non tractare diſſentientes ut hæreticos, ſed ut blaſphemos. Blaſphemiam autem eſſe omne id, quod ex hypotheſi doctrinæ Cleri tale eſſet. Poſtquam hoc Laicis perſuaſum fuit ſemel, tum facile fuit Clero, in omnes, leviſſime etiam à ſe diſſentientes ſævire, non quidem ut hæreticos, ſed ut blaſphemos. Hoc enim pacto primo ut blaſphemi fuere puniti, qui ex ſimplicitate cordis ſui talia crediderunt, quæ ex hypotheſi doctrinæ orthodoxæ blaſphema fuerunt, etſi ipſi talia credentes pro blaſphemis non deberent haberi, ex principiis juris ſupra ad d. n. 22. c. præced. *additis, & ex propria confeſſione Autoris* n. 26. 27. hic. *Imo etſi doctrina diſſentiens in ſe nihil contineret, quod blaſphemiam, etiam ex hypotheſi Cleri dominantis, oleret; tamen ex iſto levi diſſenſu ope ſophiſticæ ſcholaſticæ tot fecerunt fallaces & fraudulentas conſequentias, ut ſaltem ex iſtis conſequentiis blaſphemias extorquerent, fruſtra proteſtantibus contradicentibus illis, quibus tales conſequentiæ affingebantur. Vis exemplum illuſtre arcanorum papatus etiam in eccleſia Proteſtante. Quis diſſenſus levior unquam fuit in religione, quam qui eſt inter Reformatos & Lutheranos. Et tamen quanto furore agitatus fuit ille, potiſſimum tempora belli tricennalis. Quid non egerunt illi, qui Reformatos ex pace religioſa volebant excluſos, & qui extirpare illos cupiebant ex imperio Germanico? Quæ ſcripta non ſunt edita, & quæ conſequentiæ odioſæ ex doctrina Reformatorum non ſunt formatæ, quas omnes contortiſſimas eſſe etiam ex ipſis Lutheranis agnoſcere multi ſaniores? Horreſco referre ſaltem titulos blaſphemos de Deo Calvinianorum, ſaltem ut Reformatos blaſphemiæ arguerent. Ergo, cum in illis ſcriptis Autores ſatis indicarent, ſe Reformatos pro blaſphemis habere, ſimul ſatis indicarunt, quid vellent, ſi poſſent, cum reformatis agere, ex hypotheſi illa, quam hic Autor incaute immiſcuit, blaſphemos ex jure divino eſſe capitaliter puniendos. Unde patet quid interſit religioni veræ, tales doctrinas ſubdole ſe inſinuantes, caute evitare.*

n. 30. *a*) ſuprema) *Hoc monitum Autoris elegans & utile eſt ad multa arcana politica Cleri papalis detegenda. Etiam quæ ipſe Autor non obſervavit.* Vide notata ad n. 18. cap. præced. lit. q.

præſcriptis etiam tales eccleſias nihil eſſe, quam univerſitates, ac ita ſummæ poteſtati ſubjectas. In ſpiritualibus autem pluralitas ſuffragiorum nullius conſcientiam obligare poteſt ad faciendum; Ad patiendum poteſt. *b*)

37. Poſtremo, reſpondebimus ad rationem, quæ ſæpius objecta eſt; per hanc conceſſionem ſummæ poteſtati in eccleſiaſticis externis factum, impediri emendationem eccleſiæ tantopere neceſſariam; cujus ne quidem initium fieri poſſe, quamdiu ipſa non habet manus liberas eccleſia, queruntur.

38. Ad hanc objectionem mea ſic eſt ratio. Præcipuum emendationis officium verſari in exemplis & hortamentis ad pietatem & ſanctitatem, qua parte nihil impedimenti à politicis expectandum eſt.

39. Quæ vero præceptis & facultate coactiva reformatio elaboratur, in animis à ſanctitate alienis, ad quam politica auctoritate opus eſſe poteſt, hac communicatione poteſtatis externæ minime tollitur.

40. Imo ſi maxime eccleſia libertate gaudeat deſiderata, uti nunc quidem ſe res habet, magis ad augendam potentiam quam ad mores ſuo reformandos eam adhibituros eſſe præſules, multa probabile reddit experientia De vero reformationis eccleſiaſticæ principio, *alibi c*) adhuc agetur, *d*)

CAP. V.

QUO REFELLUNTUR DIVERSÆ OPINIONES IN EXCESSU PECCANTES.

Ex eo, quod antea dictum, ſub imperio civitatis comprehendi omnia, quæ divinitus non ſunt determinata, evincitur, n. 1-5. Pontifici Romano in externis nihil eſſe juris perfecti, n. 6-11. neque Presbyteriis. n. 12-17. An

 cen-

n. 36. *b*) poteſt) *Imo nec ad patiendum. Nam ſi injuſta patiatur, imo & , ſi juſta pati debeat, & nolit pati, ſemper poteſt renunciare cœtui illi independenti & recedere, ſine laſione famæ aut ſine periculo minuendæ rei familiaris. Uti id licitum erat in primæva eccleſia Apoſtolica, quamdiu negligebatur ab imperantibus ejus cura.*

n. 40. *c*) alibi) infra lib. 3. ſect. 3. cap. 4. n. 25. & quæ ibi citat loca hiſtoriæ civilis.

d) agetur) *Si quis hoc caput cum priore editione conferat, deprehendet multa in illa adhuc ab Autore meticuloſius fuiſſe ſcripta, ubi hic cordatior eſt. Hinc & omiſit hic paragraphum alias non omittendum, qui extat* in cap. 27. prioris editionis, *& finalis eſt.* Si tamen, *inquit*, ne ſic quidem (*id eſt, adjectis declarationis loco iſtis monitis, de quibus in hoc capite tractat*) evitari potuit, quin aliquid hac parte minus probandum exciderit nobis, id moniti, haud gravate emendabimus. Tu vide, ſis, epiſtolam Reverendi Clariſſimique Viri Johannes van der VVeyen ad Eliezerem pag. 160. & ſeq. ubi poteſtatem ſacrorum è veris ſuis principiis docte valideque educit. Adde quæ ſcripſit hac de re acute amicus noſter D. Adrianus Houtuyn JCtus Haga Batavus Polit. Gener. in not. ad §. 63. *Forte tamen etiam omiſit nunc allegationem Joh. van der VVeyen, quia lis ipſi cum hoc nata erat de ratione & ſcriptura, & quia forte hic a n.* 30. ſeq. *talia docuerat, quæ à traditis per VVeyenum ſunt aliena. Forte puduit Auto-*

Digitized by Google

cenſura eccleſiaſtica poſſit exerceri in rebus ad regimen civitatis ſpectantibus, quod adfirmatur, ſed caute. n. 18-29. Examinantur rationes eorum, qui plus juris eccleſiæ in rectores civitatis eſſe volunt. n. 30-44.

1. EX fundamento diſtinctionis inter externum internumque regimen eccleſiæ, quam ut caput ſuperioris doctrinæ poſuimus, patet, *e*) quid de reliquis à media recedentibus ſententiis, exiſtimandum ſit.

2. Cavendum eſſe, tanquam ſcopulum hanc poſitionem, quod in una civitate ſint duæ poteſtates ſibi mutuo non ſubjectæ, quæ jus habeant, externas civium actiones regendi; quando nihil diſſolvendo regimini paratius eſt, *f*) ut è ſupra dictis & re ipſa facile conſtat.

3. Excepto ſemper, quod Deus aut in cordibus hominum inſculpſit, aut in verbo ſuo præſcripſit: cujus obligatio ſupra humanæ poteſtatis imperia *g*) tantum eminet, quantum Deus eſt ſupra ipſos imperantes.

4. Idque ſine metu conflictus in civitate; quia Deus ſua præcepta non modo cum paſſiva obedientia conjunxit, ſed hæc etiam à regimine civili toto genere diſtant.

5. Si vero circa eccleſiam non pauca *h*) vertantur, quæ imperio civitatis ſubduci nequeant, quemadmodum probavimus, perperam earum rerum poteſtas ſive coactiva ſive obligativa duntaxat, alii extra civitatem conſtituto adſcribitur.

6. Quare pontifex Romanus, ſi maxime eſſet vicarius regni, quod Chriſtus habet in terris, ut nimium procul abeſt à vero, tamen nihil haberet juris, niſi in his quæ Deus ſuo ſolius judicio addixit, & quæ ad regimen animarum per verbum & ſpiritum, pertinent.

7. At jus imperii nullo modo neque directe neque per conſequentiam, conceſſo licet illo vicariatu, adficere poſſet, *i*) quia toto genere diverſum eſt ab his, quæ Deus certo modo præſcripſit nec aliter habere ſe poſſunt.

8. Atque adeo in omnibus iis, quæ *præcedenti capite* enumeravimus, imperio cujusque

---

rem commendationis doctrina Hutini, poſtquam Puſendorffius huic, in appendice ad tractatum de habitu religionis, multos errores oſtendit, cui, quod ſciam ab altera parte nihil fuit reſponſum.

n. 1. *e*) patet) *Nos vero, uti diſtinctionem illam, ob exiguum uſum & magnum abuſum, rejecimus; ita hic ſaltem annotabimus, quomodo abſque ea longe felicius poſſint refelli ſententiæ excedentes.*

n. 2. *f*) paratius eſt) *Facile cum Autore conſentimus.* Adde Puſendorff. de monarch. pap. §. 5. ſeq. *Sed utinam Autor hanc poſitionem ipſe in prima editione caviſſet, aut poſtquam eam cautelam huic ſecunda editioni inſeruit, obſervaviſſet, quænam doctrinæ erronea ex illa deberent expungi. Sic enim non inſeruiſſet nova huic editioni papizantem aſſertionem,* ſupra cap. 2. n. 7. *Imo ſic totam diſtinctionem inter poteſtatem eccleſiæ externam & internam expunxiſſet, tanquam ad nihil aliud inventam, quam ad ſtabiliendas in una civitate duas poteſtates ſibi mutuo non ſubjectas.*

n. 3. *g*) imperia) *Ergo etiam ſuper imperia cleri, qui etiam ſunt homines, ut omne imperium effectus viſibiles habens eſt humana poteſtas.*

n. 5. *h*) non pauca) *Dic potius* (ob regulam cap. 2. n. 2. & ibi notata,) omnia, *quæ à contradicentibus non oſtenduntur evidenter eſſe excepta.*

n. 7. *i*) adficere poſſet) *Ita vero iterum corruit uſus diſtinctionis inter regimen* externum

que Reipubl. obnoxius eſſet, nedum ut cives vinculo ſubjectionis, quod immani temeritate audet, *k*) cujusvis prætextu rationis, exſolvere poſſet.

9. Quare quicunque in terris homo ſe contenderet habere jus delegatum in ejusmodi rebus à Deo præſcriptis & limitatis, ille tamen non deſineret, in cæteris, *l*) quæ diſpoſitioni imperantium relicta ſunt, cujusque imperii rectoribus eſſe ſubjectus.

10. Sed hujus rei argumentum conſtat immenſa diſputatione, qua dudum alii pleniſſime demonſtrarunt; in iis, quæ Deus præſcripſit & expreſſit, nullum eſſe vicarium imperantem in mundo, ſed denuntiandi miniſterium hactenus verbi præconibus eſſe demandatum. In his vero quæ Deus indefinita reliquit, Papa non poteſt habere plus juris, quam ſinguli imperantes ei concedere volunt; quorum ſane conſenſu illius in eccleſiaſticis imperium hactenus legitimum fieri poſſe, de jure quidem non eſt dubitandum.

11. Ergo ſufficit, quod *ſupra m*) oſtendimus, univerſalem eccleſiam viſibilem totius terræ nullam unquam fuiſſe nec eſſe; proinde nec ejus præfectum in mundo dari poſſe, niſi ex ejusmodi conſenſu ſingulorum.

12. Propius à vero abeſt altera ſententia de Presbyteriis, quorum ſaluberrimus eſt uſus; Modo non nimium ad ipſa quoque jura imperii poteſtas eorum, obtentu regendi conſcientias, extendatur; Cujus rei ſpecimen in *Belgica* Leiceſterano tempore, neque minus poſtea, luculentum habuimus à magna Britannia. *n*)

13. Certum eſt, nihilo plus juris habere Presbyteria, quam ipſe cœtus credentium, à quo jus ſuum, ad curanda, quæ multitudine commode adminiſtrari nequeunt, adipiſci debet, habent.

14. Proinde cuncta, quæ ſummæ poteſtati circa ipſam eccleſiam competere diximus, eadem ſine dubio adverſus Presbyteria inſtitui poſſunt.

15. Imo ſtabilis & legitimus ordo, habendi conſiſtoria, exercendi audientiam & diſciplinam lege certi collegii, omnemque eccleſiam gubernandi, ſine venia & auctoritate ſummæ poteſtatis, conſtitui atque teneri non poteſt; multo minus Diœceſium Provinciarumque conventus generales.

16. Quia talis ordo non poteſt probari nominatim à Deo imperatus & eccleſiæ eſſe præſcriptus; unde manet ſub iis, quæ à diſpoſitione ſummæ poteſtatis pendent, modumque ab ejus arbitrio accipiunt.

17. Ad hujus igitur ſententiæ exceſſum referemus eos, qui negant, imperantibus in ejusmodi rebus quicquam negotii eſſe cum eccleſia; qui vim putant ſibi fieri, cum legati politici conventibus eorum interſunt; quando ſummæ poteſtates decreta Synodalia

& internum, *quia regimen internum prætendit imperium in illis, quæ interna vocat, & hactenus ſummam poteſtatem non ut caput, ſed brachium conſiderat.*

n. 8. *k*) temeritate audet) *Sed hoc jus non antea uſurpabit, niſi poſtquam principes & Laici reliqui Clero jus excommunicandi concedebant. Tolle jus excommunicandi, tolles immanem illam temeritatem. Pone illud jus, & poterunt, qui id tranquille exercent, absque ulla temeritate & hæc audere quæ Autor hic notat. Et tamen Autor hæc non vidit.*

n. 9. *l*) in cæteris) *Hic iterum Autor plus indulget pontifici quam par eſt. Si enim pontifex in prioribus haberet jus delegatum à Deo, in illis non eſſet ſubjectus imperii rectoribus. Si non eſſet ſubjectus, eſſet ad minimum par. Et ita darentur duæ poteſtates in una civitate ſibi mutuo non ſubjectæ, contra monitum* n. 2.

n. 11. *m*) ſupra), Sect. præced. c. 8. n. 35. ſeq.

n. 12. *n*) Britannia) Adde Autorem inſt. hiſt. civ. T. 2. l. 2. ſect. 1. c. ult. §. 8. p. 425-428. & ſect. 2. c. ult. §. 7. 8. p. 560. ſeq.

lia negant eſſe leges, niſi à ſe confirmentur; qui gloriæ ſibi reputant, quod imperia poteſtatum, de non concionando certis locis & temporibus, audent contemnere; quæ ingerunt in conſilia principum, bellique & pacis negotia ſuæ quoque cenſuræ eſſe putant, & id genus alia multa, nimis uſu atque opinionum conflictu nota.

18. Quod tamen in re non eſt, ut intactum relinquere poſſimus argumentum cenſuræ eccleſiaſticæ, quæ tam late patere videtur, quam materia peccandi, cui nihil exemptum, ex iis, quæ cauſam præbere queant, iram Dei membris eccleſiæ denuntiandi & pertinacium conſortio abſtinendi. *o*)

19. Unde fluit excommunicatio, & inde tanquam ex fonte derivata eſt omnis pontificum Romanorum *p*) & inter Proteſtantes, poteſtas Presbyteriorum, vel contentio de illa: Quamvis hæc equidem comparationis cum papa cauſa nullo modo nominata velimus.

20. Non eſt tam facilis, dialectica ad illam objectionem reſponſio, quam eſt improbare conſequentiam inde profluentem, *q*) quod Papa vel Presbyteria hoc modo ſe poſſunt & ſæpeſoliti ſunt ingerere in omnia civilium poteſtatum conſilia & actiones ad regimen publicum ſpectantes. Sed ita habendum eſt;

21. Primo è fundamentis antea poſitis ſtatui debet, Presbyteria, claſſes, ſynodos, vel ullum hominem aut corpus alios repræſentans, qua tale, nihil juris habere contra ſummas poteſtates, à quibus dependet vel dependent, ut *ſupra* demonſtratum eſt.

22. Sed verbi divini miniſtri habent jus denuntiandi minas Dei contra peccatores eccleſiæ membra, non modo ut videtur, ob privata, ſed etiam ob publica *r*) maleficia; nuſquam enim diſtinguitur; ſub hac cautione.

23. Si delicta ſint manifeſta & indubitata: Nam in dubio pro ſumma poteſtate præſumen-

n. 18. *o*) abſtinendi) *At cenſura forma & eſſentia non conſiſtit in denuntiatione & fuga paſſiva, ſed in excluſione activa unde repetimus jam notata* ad cap. 3. n. 5. ſeq. item n. 25. ſ.

n. 19. *p*) Romanorum) *Mirum, quod Autor cognoverit illam veritatem, ab excommunicatione dependere omne imperium pontificum Romanorum, & quod tamen pro jure excommunicandi tam ſtrenue pugnaverit.* Confer. modo dicta ad n. 8.

n. 20. *q*) profluentem) *Vidit Autor illam objectionem, adeoq; ad illam hic voluit reſpondere ſed parum logice. Senſus eſt. Objicitur nobis: Ex jure excommunicandi ſequi totum papatum politicum. Ergo jus excommunicandi non eſſe adſtruendum. Reſpondet: ad hanc obiectionem non poteſt dialectice reſponderi, ſed tamen neganda eſt conſequentia. Quot hic latent inconvenienter dicta? Initio, ſi non poteſt dialectice reſponderi, nec poteſt negari conſequentia; nam conſequentiæ negatio eſt reſponſio dialectica. Deinde dubii ſenſus eſt illa conſequentiæ negatio, an intelligatur in hac objectione negatio majoris an minoris. Si majoris, negatur evidentia ſenſualis. Quis enim aſſereret, inter evangelicos veram eſſe propoſitionem, ex qua deducuntur arcana papatus. Si minoris, ipſe Autor ſibi contradixit. Nam in* n. præced. *ipſe hanc conſequentiam faſſus erat.*

n. 22. *r*) publica) *i. e. quæ fiunt à principe, non à privatis. Ita enim vox publici ex oppoſitione privatorum ſupponitur. Denuntiationem concedo iræ divinæ, excluſionis ab externis ſacris, quam Autor admiſcet* n. 26. *nego. Et ea de re me refero ad peculiare meum reſponſum juridicum de illa quæſtione ante annum publicatum. Debet etiam denuntiatio illa iræ divinæ eſſe privata non publica. Neque enim Nathan annuncians iram Dei Davidi id faciebat in concione publica. Et quod ab aliis Prophetis factum eſt, cum inſtinctus eorum fuerit ordinarius, ad regulam non pertinet.*

mendum; nec inquiſitio vel examen in negotia Reipubl. Presbyteris aut ullis non Rectoribus permitti poteſt.

24. Et quia pro manifeſtis ſæpe habentur, quæ omnino delicta non ſunt, tutius ſacrorum miniſtri illa cenſura omnino abſtinere videntur.

25. Quemadmodum in Belgio uſu venit, inita cum Hiſpanis pace Monaſterienſi, quam aliqui concionatores publice, ut perfidam in Gallos & impiam deteſtabantur; quod extante palam fœdere Gallico & pace contraria manifeſtum videretur; cum tamen optimo jure defendi potuerit, ut *alibi* demonſtratum eſt *Hiſtor. Ciò. tom. 3. l. 1. ſect. 5. n. 3. & ſect. 7. c. 7.* ac etiam *in hoc opere* comprobabitur.

26. Si vere manifeſtum ac indubitatum ſit, non modo jus denuntiandi principibus iram Dei, ſed etiam, ut abſtineant externis ſacris, id inquam, denuntiandi ſcil. facultas Presbyteris negari non poteſt, *s*) qua ratione factum illud notum *Ambroſii* contra *Theodoſium* defendi poſſe videtur. *t*)

27. Modo abſit omnis conatus Presbyteriorum, miſcendi ſe regimini publico, *u*) detrahendive quicquam juri vel auctoritati imperantium, nedum ſolvendi populum obſequii lege, duntaxat paſſivi, nequidem in iis ipſis rebus, quas improbant; contra quam Papa ſibi arrogat, nec Presbyteria ſemper caverunt.

28. Nam jus illud denuntiandi eſt mere cœleſte, *w*) à tenore politici regiminis alieniſſimum, quod ideo imperantes, licet impie aliquando agant Presbyteri, quovis modo tueri & populis ſimul obedientiam inculcare debent

29. Ex his intelligitur, eccleſias independentes quæ dicuntur, non habentes conſiſtoria, claſſes & ſynodos, hac in parte à cæteris non diſcrepare; quando diximus omnes, adverſus ſummas poteſtates, aliud nihil habere juris, quam quod Chriſtus verbi ſui miniſtris & eccleſiæ membris immediate mandavit, denuntiandi & evitandi *x*) communionem peccatorum.

30. Sed majorem eſſe eccleſiæ poteſtatem in ipſas poteſtates ſummas probari ſolet, primo ex illo communi dicto, *imperatorem eſſe intra eccleſiam, non ſupra*; quod Grotius verum eſſe ait de eccleſia catholica, id eſt, inviſibili, quæ ſub uno capite terreno nunquam fuit, nunquam erit, *Tr. de imp.* §. *P. circa ſacra cap. 4. n. 3.*

31. Nobis etiam *y*) de viſibili eccleſia particulari verum eſſe videtur, eo ſenſu, quem diximus; ſcilicet, quod ad jus denun-

n. 26. *s*) non poteſt) *Scilicet propter dicta* cap. 3. n. 5. & 25. *juncto* n. 22. hic. *Nos vero negamus propter ea quæ jam ad dicta ioca annotavimus.*

t) videtur) *Bene quod Autor factum hoc Ambroſii defenſione indigere putet, (cum alii contra aſſertionem Autoris ex hoc exemplo velint probare,) ſed cum aſſertio Autoris cum ratione fuerit hactenus rejecta, cadit etiam facti hujus defenſio.*

n. 27. *u*) publico) *At hæc conditio ad moraliter aut politice impoſſibiles referri debet, ex iis, quæ ipſe Autor faſſus eſt modo* n. 19.

n. 28. *w*) cœleſte) *ſcil. denuntiatio iræ divinæ. At denuntiatio, ut debeant abſtinere à ſacris externis, mere terreſtris eſt, & terreſtram ſapientiam pro fundamento habet, ac effectus mere externos & civiles.*

n. 29. *x*) evitandi) *Sed nunquam etiam Deus juſſit evitare communionem cum peccatoribus in ſacra ſynaxi, ut jam Tigurini Theologi ſupra adducti & inferius adducendi agnoverunt.*

n. 31. *y*) etiam) *Nobis vero breviſſima via eſſe videtur, ſi negetur plane veritas illius dicti communis, utpote quod nullum alium Autorem habet, quam Clerum papalem.*

Digitized by Google

nuntiandi miniſtris datum & jus evitandi communionem in ſacris, quæ conſenſum impietatis arguere poſſet, attinet.

32. Quod ſi poteſtas, non obſtante illa denuntiatione, tamen ingerat ſe eccleſiæ; non eſt jus aliquid faciendi, *z*) quo id de facto impediatur, eccleſiæ: nec inde metuenda contaminatio, quæ nonniſi voluntaria eſt.

33. Sicut etiam miniſtri, ſi quis eorum, cui denuntiatum erat, ut ſacris externis abſtineret, obtrudat ſe, non eſt jus prehendendi & duci illum jubendi.

34. Sed hoc à poteſtate civili ſola proficiſci debet adeoque implorandum eſt; miniſtrorum duntaxat negativa facultas eſt. *a*)

35. Ut tamen extraordinarios impetus miniſtrorum; *ſicut ejus, qui manum talis indigni, panem ſacrum contrectantis, arripuit ipſoq; facto impediit;* in bonam partem libenter interpretemur, *b*) juris id tamen eſſe non putemus.

36. Eſt alia objectio ex illo celebri loco *Jeſaia Propheta*, qua pontificii gaudent. *Reges demiſſo in terram cultu ipſam adorabunt, pedumq; ipſius pulverem lingent. c*) Quæ verba Grotius *d. loco* de Chriſto Domino accipienda reſpondet, quod à literali ſenſu alienum videtur.

37. Forte nihil erret, qui figuram illam de humili agnitione fidei in eccleſia, poſt Chriſtum à regibus ipſis facienda intelligat, vel vaticinium de ſtatu eccleſiæ externo, qui nondum extiterit, & quem aliquando futurum, ut impii infra eccleſiam dejiciantur, multi & multa probabile reddunt, in his verbis agnoſcat.

38. Huc etiam pertinet, quod apud eccleſiaſticos ſcriptores aliquando reperitur; *Servire*

---

n. 32. *z*) faciendi) *Scil. hoc etiam arcanum papale eſt, quod Autor forte non obſervavit. Cum Clerici in papatu imperium quærentes ſint activiſſimi, & ſuperos ac inferos moveant ad obtinendum finem; ſi videant ſe nihil obtinere poſſe, volunt perſuadere Laicis, quod eccleſia ſe habeat mere paſſive. Si excommunicantes habent poteſtatem excludendi aliquem à ſacris cum effectu, habebunt & cum effectu adverſus principem. Nam in ſpiritualibus nullus eſt reſpectus perſonarum. Cum ergo ipſe Autor fateatur, excluſionem cum effectu non competere excommunicantibus, pertinebit ad poteſtatem externam non internam.*

n. 34. *a*) facultas eſt) *Imo hoc iterum eſt pallium papiſmi, tribuendi Clero negativam facultatem. Nam ſubſequens excluſio activa per magiſtratum facienda vel dependet à libera voluntate magiſtratus, vel non dependet, ſed neceſſario facienda eſt. Si prius, excommunicatio pertinet ad poteſtatem externam, & Clerici hic ſaltem conſiderandi ſunt ut miniſtri magiſtratus. Si poſterius, [quod etiam ſentientes cum Autore volunt.] tum magiſtratus eſt nudus executor Cleri, & quod tum Clerus per magiſtratum facit, id ipſe feciſſe intelligitur, ac conſequenter eorum facultas non eſt duntaxat negativa. Adde quod Autor ipſe tribuat miniſtris facultatem denuntiandi, ut aliquis abſtineat à cœna & excluſionem,* cap. 3. n. 5. & hoc cap. n. 26. *ſed talis denuntiatio & excluſio ſunt facultates activæ.*

n. 35. *b*) interpretemur) *Verum, ſi iſte impetus extraordinarius eſt illegitimus, ut Autor fatetur, cur non ſcapham vocamus ſcapham. Sane per Dei gratiam non vivimus in medio papatu, ubi album eſt nigrum & nigrum eſt album.*

n. 36. *c*) lingent) *Quicquid ſit de ſenſu hujus dicti, cujus genuinam explicationem Dn. Theologis relinquimus, id patet, torturam hujus dicti ad quæſtionem præſentem etiam pertinere ad arcana papiſmi. Nam pontificii hoc dicto ideo gaudent, quia inde deducunt oſcula pedum pontificis. Ergo caute deberent procedere miniſtri eccleſiæ, in applicatione illius dicti ad principes evangelicos.*

vire reges eccleſiæ; Nam ſervire eſt utilitati alterius conſulere, quomodo regnum *ſervitus* dicitur. Tiberius apud *Sueton. c. 25. Dixi & nunc & ſæpe alias P. C. Principem, quem vos tanta & tam libera poteſtate inſtruxiſtis, ſenatui SERVIRE debere, & univerſis civibus ſæpe, & plerumque etiam ſingulis.*

39. Moventur etiam loca quædam ſcripturæ ſacræ, in quibus Presbyteris adſcribitur *regimen*, & fidelibus ſingulis *obedientia*. Sic 1. *ad Timoth.* 5. v. 17. Presbyteri regentes. De obedientia Paulus XIII. ad Hebr. v. 17. *Parete ducibus veſtris & obtemperate illis.*

40. Quale vero ſit illud regimen & an quicquam detrahat iis, quæ ad imperium civitatis pertinere diximus, ex iiſdem aliiſque locis colligendum eſt.

41. Seniores bene regentes ab Apoſtolo vocantur Πρεσβύτεροι καλῶς προεστῶτες, *Seniores bene præſidentes, præeuntes*; Nam προΐστασθαι eſt primum habere locum. Ad Hebræos ſunt hæc verba. *Πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις καὶ ὑπείκετε. Τὸ πείθεσθαι eſt dicto audientes eſſe, ὑπείκειν, cedere*, non *opponere ſe. In 1. Theſſal.* 5. v. 12. *προϊσταμένους ὑμῶν καὶ νουθετοῦντας, præpoſitos vobis & admonentes vos.*

42. Prohibetur à Chriſto τὸ κυριεύειν & *ἐξουσιάζειν, dominari & imperare, Lucæ* XXII, 25. *Κατακυριεύειν τῶν κλήρων, dominationem in eccleſiam exercere* 1. *Petr.* v. 3. Nec eſt Chriſti regnum hujus mundi, id eſt, externum, ſed internum & ſpirituale, quod paſſim ingeminatur.

43. Regimen igitur illud magis habet *ſuadendi auctoritatem, quam jubendi poteſtatem*, qualia regna dari Tacitus Auctor eſt. Vel ſi inferatur neceſſitas, hæc eſt ejuſmodi, qualem *nuntii, præcones, legati*, quæ nomina verbi miniſtris tribuuntur, inferunt, de rebus à Deo mandatis & in ejus verbo definitis.

44. Quanquam Apoſtolos immediate à Deo miſſos & ſpiritu ejus indutos habuiſſe plus juris, antea diximus, ut eorum declarationes haberent neceſſitatem in rebus à Deo ſpecialiter non definitis. Quo pertinet illud Pauli, Ἐγὼ λέγω, οὐχ ὁ κύριος, *non Dominus, ſed ego dico* 1. *ad Cor.* VII. 12. *Δοκῶ δὲ κἀγὼ πνεῦμα Θεοῦ ἔχειν, puto autem & me ſpiritum Dei habere* v. *ult.*

CAP. VI.

QUO REFELLUNTUR SENTENTIÆ IN DEFECTU PECCANTES.

Sententia Eraſtianorum, cenſuræ vim, eccleſiæ negantium refellitur, n. 1-5. & Hobbeſii rationes, quod omne religionis negotium ad imperantes ſpectet, refutantur: ubi & de cauſa fidei ſupernaturali & de methodo philoſophandi Hobbeſiana, obiter n. 6. ad finem.

1. SUperſunt duæ poſteriores ſententiæ, in defectu laborantes, quarum prior eſt eorum, quos *Eraſtianos* dicunt, qui eccleſiæ nihil juris quam docendi officium, ſine ullo vigore diſciplinæ aut animadverſione, concedunt. In qua ſententia quid deſideretur, ex his quæ ſuperius dicta ſunt, intelligi poteſt.

2. Jus enim præcludendi *d*) à communione

n. 2. *d*) præcludendi) *Quæ hic repetit Autor ſunt mera contradictiones contra ſententiam Eraſti, toties refutata, non refutationes. Debuiſſet Autor referre rationes Eraſti eaſque refutare. Jam cũ id non fecerit, videtur librũ Eraſti tanquam rariorem, ne quidem inſpexiſſe.*

Digitized by Google

one fidelium, eos, qui de fide male opinantur doctrinæque profesſionem moribus proſtituunt, credentium cœtui non poſſe negari, nec conſequenter ejusmodi cauſas cognoſcendi, exiſtimamus.

3. Nihil equidem coactionis, tantum jus evitandi & abſtinendi eſſe penes eccleſiam ultro concedimus; ſed audientiæ, notionis & pronuntiandi jus ſine confuſione ſalvaque eccleſiæ integritate ab illa facultate excludi non poteſt.

4. Quin dolendum, quod hæc res, etiam ubi in uſu eſt, pene redacta ſit ad imitamentum civilis cenſuræ, qua homines intra terminos vulgaris modeſtiæ, tolerabili ſaltem modo, contineantur.

5. In cæteris Eraſtiani fere eadem tradunt, quæ noſtra ſententia tenet, ſcilicet omnia, quæ à Deo præſcripta non ſunt, eſſe in dependentia civili. Adde quæ dicta *ſupr.*

6. Sequitur, quinta *Hobbeſii* ſententia, qui omnem ſacrorum & religionis cauſam imperio ſubjicit; Quæ etſi facilius cæteris, improbatur, eſt tamen operæ precium audire aliquas hominis, ſubtilisſimi habiti, rationes.

7. Has ego potisſimum tres reperio, quarum primam ipſius verbis collocamus *ex Cap. 19. de Cive* §. 18.

Tantum juris Cives in imperantes tranſtulerunt, quantum potuerunt.

Atqui potuerunt transferre jus decernendi modum, quo Deus honorandus ſit.

Ergo & tranſtulerunt

8. Sed propoſitionem hujus argumenti ſæpe refutavimus: Nec minus adſumptionem eſſe falſam, ex iis quæ dicta ſunt apparet.

9. Siquidem modus Dei honorandi in ſacris literis à Deo præſcriptus eſt; qui nullo humanæ voluntatis arbitrio mutari poteſt.

10. Quo autem facilius inferat, Dei colendi modum eſſe humani arbitramenti, his verbis in rationem alteram ſe effundit; *Sanctitatem & fidem non ſupernaturaliter hominibus inſpirari, ſed ſtudio & ratione naturali duntaxat acquiri Cap. 12.* §. 6.

11. Qua de re ſectione *ſequenti* dicturis haud opus eſt heic latius egredi; Niſi quod opus eſt cautione, ne quis putet, hæc male à nobis imputari *Hobbeſio*, quoniam in locis citatis agat *de regno naturæ*. Verum ſi cui hoc incidat, is ad ſequentia reſpiciat, ubi idem *Hobbes* judicium de ſupernaturalibus & verbo revelato fidemque & ſanctitatem naturæ viribus tribuit, ac à ratione pendere docet.

12. Item quod *Cap.* 16. §. 16. jus admittendi libros ſacros pro verbo Dei, jus interpretandi ſcripturas, ab auctoritate regum in vetere teſtamento pependiſſe contendit, idemque de his, qui Chriſtianis imperant, modo ſint Chriſtiani, tradit *in Cap.* 17. §. 17. & 28.

13. Ex quibus palam eſt, eum nihil hac parte diverſi ponere inter ſtatum naturæ & revelationis, ſed duntaxat, quod vult, hoc eum probare per partes.

14. Quin imo contrariam opinionem inter fundamenta ſeditionum periculoſisſima refert, Auctoresque illius ſuaſi convicio, Apoſtatarum rationes increpat.

15. Hinc colligit, in cauſa fidei, ut in aliis omnibus inſtitutis, quæ ſunt ἐφ᾽ ἡμῖν, ſi quid certi ab univerſa civitate ſervandum, hoc à ſummo imperio eſſe præſcribendum.

16. Ad hæc autem, noſtra ſic eſt ratio; Non eſſe admodum in homine Chriſtiani notainis inſolentem hanc animi ſententiam, neque raram, licet indignam.

17. Nec eſt quod miremur ita colligentem, ſi *fides & ſanctitas ſupernaturaliter hominibus infundatur*, nihil eſſe cauſæ, *cur non ſit propheta quisquis vere Chriſtianus eſt*; etſi in hac conſequentia nihil non ſit verum,

18. Mirari potius liceat, quamobrem *Hobbes* caput ſummum doctrinæ ſacræ, quod *Jeſus ſit Chriſtus Dei*, ab imperio civili exceptum voluerit.

19. Nam ſi fides naturali ſtudio duntaxat acquiritur, hoc ipſum, in quo ſumma fidei con-

Digitized by Google

conſiſtit, ex eadem cauſa proficiſci oportet.

20. Quicquid autem à cujusque rationibus & arbitrio pendet, hoc in poteſtatem civitatis vult eſſe translatum. Quid ni igitur hæc credulitas, an aliquis & quis ſit *Chriſtus cæleſtis?*

21. Scilicet, pudor eum retinuit, ut ſaltem non traderet, populum cogi poſſe ab imperantibus ad Muhamediſmum. Quod tamen ex ejus doctrina tam clare ſequitur, quam quod eſt manifeſtisſimum.

22. Unum obiter, ad id, quod *idem Hobbes* urget, ſententiam de cauſa fidei & ſanctitate ſupernaturali, hoc ſcilicet incommodo; *ſi vera eſſet*, inquit, *non video, quare rationem fidei noſtræ reddere juberemur, aut quare non unusquisq, quid faciendum ſibi ſit, ex propria potius inſpiratione, quam ex præceptis imperantium aut recta ratione æſtimaret.*

23. Facillima ad ineptam objectionem reſponſio eſt; Scil. rationem minime excludi ab his, qui in rebus fidei neceſſariis lumen ſpirituale prædicant; Neque enim dogmata, quæ ratione non perceperint, ſibi dicunt revelari.

24. Proinde nihil ex illis eſt, cujus non rationem reddere poſſint & debeant è *ſcripturis*, apud eos, qui in divinitate ſcripturæ acquieſcunt. Obſignatio & perſuaſio ſpiritualis nihil *ad alios* pertinet; ſed ejus lapis lydius hic eſt, *ſi cum literis ſacris conveniat.*

25. Quod autem ad facienda fugiendaque attinet, ex communi dictamine rationis, ea maxime ad honeſtatem moralem adeoque ad dictamen rationis ſpectant; Quæ tamen nihilo magis ad nutum imperantium mutari poſſe diximus, renitente quamlibet incaſſum *Hobbeſio.*

26. Quem nunc videmus, quo fine in operis initio dixerit, *nihil eſſe fas & nefas, bonum aut ſceleſtum, niſi quatenus à lege civili pro tali habetur, ut cap.* 3. notavimus.

27. Scilicet, ut non modo conſcientiam in revelatis, ſed etiam in naturalibus imperio civili ſubjiceret.

28. Poſtremo, *tertia* ex Hobbeſianis rationi paucis faciendum ſatis; Scilicet, ex noſtra ſententia duplex in una civitate imperium ſtatui.

29. A quibus contingat more humani ingenii, contrarios canones, præcepta contraria populo injungi.

30. Exiſtimamus, ſi termini à nobis antea poſiti & ſtabiliti cuſtodiantur, quam minimum ab hoc incommodo periculi futurum. *e*)

31. Nihil quippe in iis eccleſiæ adſcribitur, quod imperium coarctare posſit, imo huic etiam contra illam forte plus adſcripſimus, quam boni principes & poteſtates attendum arbitrentur, nec metuenda colliſio præceptorum, modo imperantes in jus Dei non invadant.

32. Neque nos reſiſtendi facultatem populo ob religionem preſſo damus, niſi quatenus jure communi, quod in *ſect.* 2. *cap.* 3. dictum & *inferius* dicetur, competere posſit.

33. Eat *Hobbes*, ſuamque doctrinam atheiſmi nota tam bene liberet, quam noſtra ſeditionis abſolvi poteſt.

34. Incidit adhuc unum axioma Hobbeſianum, quod ex ſupra dictis ſolvi quidem poterat, evolutum tamen non eſt, monituque dignum videtur, ut ad jus ſummæ poteſtatis univerſæ pertinens.

35. *Cognitionem de bono & malo ſpectare ad ſingulos, ſeditioſa*, inquit, *oratio eſt, Cap.* 12. §. 1. Alibi explicatius, & quidem, ait, *illa quot rebellionum cauſa fuit, qua docetur, imperata regum juſta an injuſta ſint, cognitionem ad privatos pertinere? Vid. cap.* 6. *n.* 9.

n. 30. *e*) futurum) *Sed hactenus in notis à nobis oſtenſum, explicationem Autoris illud dubium non tollere, ergo Hobbeſius in hoc articulo ſine cauſa vapulat.*

Digitized by Google

c. 9. cap. 11. *n.* 6. *in fin. Lebiat Cap.* 13. 19.

36. Si de conſiliis publicæ adminiſtrationis loqueretur, parum abeſt, quin admitti poſſet, *imperata regum exequenda civibus eſſe, non interpretanda.*

37. Idem de iis quæ per facultatem dominii eminentis aut voluntate civitatis mutari & ex nefariis licita fieri poſſunt, judicandum.

38. Sed in univerſum, ut Hobbes poſtulat, intellecta ſententia, ne exceptis quidem moraliter neceſſariis aut voluntati divinæ repugnantibus, intolerabilis eſt.

39. Utique, ſi de turpitudine meritisque cauſæ manifeſto conſtet; Nam alioqui in dubio pro civitate præſumendum eſſe facile conceditur, quemadmodum de cauſis belli à Republ. ſuſcepti, de quibus vid. Grotius *l.* 2. *c.* 26 *§.* 3. & 4.

40. At ille nullam admittit exceptionem, quod nobis admittere religio eſt.

41. Commentum, quod honeſtum & turpe, bonum & malum ſit juris civilis, pridem refutavimus.

42. Nec alterum ei prodeſt figmentum, eſſe illud peccatum non obedientis, ſed imperantis.

43. Aliter ſcriptura & notiſſima generis humani conſcientia dictat, ut refutatione ſit indignum.

44. Quicquid autem diximus de iis quæ à Deo præſcripta non ſunt in verbo ſuo, vel in cordibus hominum, eſſe videlicet illa imperio civitatis obnoxia, de animorum ſententiis minime, verum de actionibus externis intellecta volumus.

45. Enim vero cogitationes ne quidem de rebus naturalibus & indifferentibus ad imperantes ullo modo pertinere poſſunt, verum declarationes & expoſitiones ejusmodi ſententiarum publicæ prohiberi poſſunt, iisque interdictis parendum eſt à civibus; *etſi libertas moderata in hoc genere laudabilis eſt.*

46. Iſta ſunt, quæ *Hobbes* ſe non differere, ſed computare, ſed demonſtrare ſcribit, aliosque juris & politices magiſtros omnium ſeculorum in alia omnia deſcendentes vehementer contemnit.

47. *Quaſi nemo eorum qui hanc materiam tractarunt, commodo uſus ſit docendi principio; ſe filum rationis inveniſſe*, ait, in *ipſis dubitandi tenebris*, unde ſe gloriatur *in lucem evaſiſſe clariſſimam.* Ita ſcribit *in præfat. tract. de cive & in epiſt. dedicat.*

48. At ex his tenebris quam lucem eduxerit, videmus, Rempubl. adeo immanem, ut monſtrum potius quam civitas videatur; Portentoſius quam illud hominis fuit, ex cujus latere alius homo enaſcebatur; cum quo ille regnum, in quo populus aliquid juris retinet, *alicubi*, comparandum cenſet.

49. Aut ego vehementer fallor, aut dicam ei grandem ſcriberent dubitationis magiſtri, *κανονίας τῆς σκεπτικῆς*, vel in eo, quod minime vacuus præjudiciis ad meditationis ſuas acceſſerit.

50. Dum haud obſcure nec uno loco indicat, indignationem atrocium in *Anglia* & in *Scotia* turbarum, quibus ſpeciem juris brutina & nimis Presbyterica dogmata neotericis crebro adoptata circumdabant, ſe ad alia omnia excogitanda fuiſſe compulſum.

51. Id uti ageret, ne unquam populus juſtam adverſus reges belli gerendi cauſam habere poſſe diceretur. Quod ſe conſecuturum deſperabat, ſi quicquam pubilici privatique, ſacri aut profani ſummæ poteſtati ſubtraxiſſet.

52. Proinde in omni meditationis curſu hanc ſecutus videtur *cynoſuram*, ut imperantium poteſtatem ubique faceret infinitam.

53. Quod cum repugnare conſenſui gentium & communi rationi videret, principiis opus ſibi fore animadvertit inuſitatis, quæ præjudicio adſtructa habuimus.

54. Cum autem religio plurimum ad ſummam rempubl. habeat momenti, præcipuum operæ

Digitized by Google

operæ pretium in eo fore putavit, ſi quam longiſſime à principiis adhuc inter Chriſtianos traditis recederet.

55. Non conveniebat ejus hypotheſi, pontificiorum ſententia, qui principium auctoritatis ſacræ ſcripturæ fideique Chriſtianæ referunt ad eccleſiam; ſi quidem ita poteſtas à rectore civitatis in cauſa religionis, quæ tantos ciet populorum motus, diverſa ſtatuitur.

56. Non poterat etiam placere ſupernaturalis cauſa perſuaſionis de religione, quia ſic homines latam nimis materiam regnantium imperiis divinam opponendi auctoritatem, & provocandi ad illud Apoſtolicum, Deo magis obediendum eſſe, quam hominibus, haberent.

57. Denique nec à rationis dictamine, ſumma religionis & auctoritatis, ſi omnem contradicendi materiam civibus hac parte, præcidere vellet, collocari poterat; cum ille fons effuſæ libertatis, infinitæ regnantium poteſtatis adverſiſſimæ futurus eſſet. Ergo novam, ut vidimus, omniumque revera abſurdiſſimam inivit rationem.

58. Qua re factum eſt, ut nobis hic locus aliquanto latius exequendus videatur. f)

---

n. 58. f) videatur) *Nobis vero ſcriptorum Eraſti raritas & rationes* ad c. 3. n. 5. lit. c. *indicata perſuadent, ut ea, qua ibidem promiſimus excerpta triplicia huic ſectioni per modum appendicis ſubjungamus.*

Excerpta ex Ludovici Molinæi, Hiſtoriarum Profeſſoris in Academia Oxonienſi ſynopſi operis cui titulus: Paræneſis ad ædificatores imperii in imperio, cap. 11. usque ad 15.

De natura poteſtatis internæ, clavium, ligandi, ſolvendi, claudendi, aperiendi. De dignitate paſtorum. Vox poteſtatis in Novo Teſtamento nunquam ſumitur pro poteſtate eccleſiaſtica judiciaria, ſed ut plurimum pro poteſtate interna convertente homines ad fidem. De natura regni Dei. Quid claves? quid ſolvere, ligare? quatenus Deus ligat aut ſolvit in cœlis, quod ligatum aut ſolutum eſt in terris per miniſterium verbi. Citantur teſtimonia patrum, confeſſionum, & virorum doctorum inter reformatos. Probatur loca Matthæi 16. v. 19. & cap. 18. v. 18. eſſe parallela, nec de jurisdictione aut poteſtate eccleſiaſtica loqui. Eorum explicationem peti ex Joh. 20. v. 23. Poteſtas interna ſe exerit per miniſterium latenter & citra coactionem ab extra. Nec Chriſtus nec Apoſtoli jurisdictione coercente & compellente uſi ſunt. De flagello è funiculis. Paſtorum functio aut munus nihil unquam jurisdictionis habuit, quod poteſtati uni, & externæ non eſſet ſubordinatum. Quatenus Chriſtus dederit clavem ſcientiæ & authoritatis paſtoribus? poteſtas excommunicandi non pertinet ad poteſtatem clavium CAP. XI. p. 195.

Excommunicatio melius concordat cum placitis pontificiorum, quam cum moribus & praxi reformatorum. Excommunicatio ab ethnicis, à quibus ad Judæos, qui demum uſurparunt eam tempore civitatis ſub Ezra & Nehemia. Quo tempore cœpit diſciplina confœderata, cujus lex præcipua fuit excommunicatio. Neque excommunicatio fuit in uſu libera republica, nec ante legem: Nec ullo tempore ante Chriſtum quisquam à ſacris fuit excluſus propter vitam impuram. Quid

cetith, nidelni, cherem, &c. Fuerunt judaica forenſia. Excommunicationis nullus uſus tempore Chriſti nec Apoſtolorum, nec ab eis imperata. Munditiea legalis non moralis requiſita ad eſum paſchatis; nec illa erat hujus typus. Judas admiſſus fuit ad celebrationem paſchatis & ſ. cœnæ. Quod euchariſtia non ſucceſſerit paſchati, ut ſacramentum alteri correſpondens. Jubet Paulus, ut digne accedatur; ac nullum indignum arcet à communione. Expoſitio cap. 5. 1. Corinth. quid traditio ſatanæ? probatur inceſtum una tantum cenſura notatum fuiſſe; & verba tollite, &c. non intelligenda de excommunicatione. De commentis miraculorum ad excommunicationes. Evertuntur præſidia ex 1. Corinth. 10. de eſu idolothytorum, & ex cap. 2. 1. Corinth. tum ex illis locis quibus S. Paulus utitur vocabulo anathematis. CAP. XII. pag. 259.

Continuatio progreſſus excommunicationis non videtur in uſu fuiſſe tempore Clementis Romani, ſed paulo poſt introducta cum diſciplina confœderata, cujus vinculum fuit, tum mutuum ſacramentum, tum Deo datum; cujus teſſera eſſet fractio panis in Euchariſtia. An Victor tulerit ſententiam excommunicationis? Quis uſus excommunicationis tempore Irenæi, Tertulliani & Cypriani? Quid hic velit per abſtentos? erat excluſio à conventu: ejus uſus & abuſus crevit cum myſterio iniquitatis; cui promovendo contulit doctrina euchariſtica perperam explicata, tradita, imo abſcondita, & tandem in idolum verſa, ritibus ex ſuperſtitione judaica & ethnica in diſciplinam Chriſtianorum & celebrationem euchariſtiæ accerſitis, & efficacia ſacramentorum ſupra modum celebrata, etiam ab ipſis patribus. Quo ſenſu euchariſtia ſit myſterium? quæ ſit formalis ratio euchariſtiæ? Qui fructus? ſeveritas graduum diſciplinæ injunctæ pœnitentibus ut excommunicationem corroboravit, ſic myſterium iniquitatis promovit, dum paſtores & Epiſcopi ſibi per eam imperium ædificant, & ex abdito venerationem intendunt De Ambroſio & Monacho excommunicante Theodoſium. Tyrannis excommunicationum; Quæ tamen non obſtiterunt, quo minus Romani imperatores chriſtiani judicium ultimum de ea ad ſe traherent, aut ipſæ poteſtates ſub pontifice idem jus ſibi vindicarent. VVincklevus omnem in eccleſiæ excommunicationem damnavit. CAP. XII. pag. 310.

Firmamenta pro excommunicatione ex Matth. 18. com. 15.16.17.18. & 19. evertuntur. An perinde validis ſcripturæ locis fulcitur excommunicationis locus ac cæteri theologiæ loci communes? de natura jurgii com. 15. & 16. quid Dominus intellexerit per vocabulum Eccleſiæ, com. 17. an Synedrium Judæorum, Synagogam, an arbitros vel collegium trium virorum, an Judices ſeculares, an vero paſtores Evangelicos? de illis, qui per Eccleſiam intelligunt rempublicam. De verſione Bibliorum Caſtellionis, tum Junii & Tremellii. De aliis, qui per Eccleſiam volunt intelligi Conſiſtorium presbyteriale, ut Calvinus & Beza, quorum expoſitiones expenduntur. Nec in V. nec in Novo Teſtamento vox Eccleſiæ eo ſenſu ſumitur, quo volunt intelligi Matth. 18. Georgii Gilleſpii expoſitio ventilatur. Quis ſenſus verborum, ſit tibi ethnicus, &c. probatur, nullam ſententiam excommunicationis latam in partem lædentem; nec ethnicum & publicanum intelligendum de excommunicatis. Hiſce verbis, ſit tibi ethnicus &c. Dominus remittit partem læſam ad judices ſeculares. Locus Cæſaris lib. 6. de B. G. in ſpeciem parallelus contextui Evangelico, excommunicationem presbyterialem potius infirmat, quam corroborat. An comma, quæcunque ligaveritis &c. intelligendum eſt de excommunicatione? an tractat diverſam materiam à ſermone qui præcedit? etiam pars læſa & privatus quiſque ligat. Quin-de-

decim argumentis ex ratione petitis docetur, excommunicationem eſſe figmentum humanum, & à recta ratione abhorrere; nec niti loco Matthæi; quæcunque ligaveritis, &c. ventilantur, quæ a reverendo cœtu Theologorum Anglorum allegantur pro poteſtate excommunicandi paſtoribus & eccleſiis affixa. De excommunicatione habita à fratribus Anglis congregationalis diſciplinæ. Nihil commune habet cum excommunicatione presbyteriali; nec fundari in commate, quæcunque ligaveritis, &c. creditur ab eis, ſed in jure naturæ & gentium, à quibus non longe abeſt Amyraldus. CAP. XIV. p. 348.

Quibus authoribus, & qua occaſione excommunicatio introducta fuit in orbem reformatum? id potiſſimum factum eſt authore Calvino, magno viro, & nunquam ſatis laudato. Lutherus ante Calvinum revocare ſtuduerat, ſed irrito conatu. Bucerus recipiendam non cenſuit. Melanchtonis ſenſa ea de re. Illyrici vani conatus, ut excommunicationem reduceret. Calvinus primus Author conſtituendi conſiſtorium & jurisdictionem eccleſiaſticam contra morem receptum in helveticis eccleſiis, unde exortæ lites, tumultus & perpetuus conflictus & concurſus inter ſenatum eccleſiaſticum & politicum. Nunquam ea jurisdictio, & is ſenatus ſeorſim potuit conſiſtere Genevæ; nam ſemper Magiſtratus Genevenſis ſibi vendicavit ſummum & ultimum judicium & imperium circa ſacra. Id probatur exemplis, ex vita & epiſtolis Calvini petitis. Narratio de Alexandro Moro. Quomodo diſciplina Genevenſis, & ejus tradux excommunicatio ſe in Galliam, Belgium, & Britanniam diffuderit. De Andrea Melvino, qui primus intulit in Scotiam cum diſciplina Genevenſi perpetuum poteſtatum & judiciorum conflictum. De excommunicationis ſententia lata in exercitum Ducis Hamiltonii: eccleſiæ reformatæ in Gallia optimo jure, licet non divino, diſciplina ſua reguntur. Probatur, quod in nullum uſum excommunicatio presbyterialis obtineat inter illas eccleſias, quæ vivunt ſub Magiſtratu Orthodoxo. Quando excommunicatio cœperit in Palatinatu, & quatenus? CAP. XV. p. 408.

Epiſtola Rodolphi Gualteri
ad
Theodorum Bezam

Ex Tractatu Eraſti de excommunicatione pag. 375. ſeq.

Diutius fortaſſis, quam par fuit, tuum de excommunicatione ſcriptum apud me detinui, ſed condonabis mihi clariſſime & obſervande in Chriſto frater hanc moram, cujus cauſas multas adducere poſſem, niſi & tua humanitas mihi perſpecta eſſet, & tu ipſe ſcires, quam multa præter expectationem negotia, incidant iis, qui in eccleſiæ miniſterio conſtituti ſunt, quæ illos non ſinunt, pro ſuo arbitrio atque inſtituto agere. Acceſſit his, quod eodem fere tempore, quo librum tuum accepimus, ſuam quoque ad illum reſponſionem miſit D. Eraſtus, quam quia tum tuis omnia conferre oporteret, non ita brevi tempore lectio utriusque abſolvi potuit. Et quia tum hæc mihi cognitu neceſſaria videtur, in tanta ſententiarum varietate utrumque ſcriptum avide legi, rationes, quæ utrinque afferuntur expendi, & de re ipſa pro mei ingenii modulo non indiligenter cogitavi, quod & alii quidam ex noſtris fecerunt, imprimis

 autem

Digitized by Google

ſta reconciliari cupiat. Nam qui dixit, ſit tibi tanquam publicanus & ethnicus, idem fratri peccatori ſeptuagies ſepties remittere jubet. Quo præcepto eccleſiam quoque adſtringi, non opinor negabitis: Siquidem illic de excommunicatione agi pergetis contendere. Cur enim eccleſia, quæ ſolis Chriſtianis conſtat, rigidior ſit in vindicandis injuriis, quam ſingulos eſſe deceat? Aut qua ratione illa adhuc alienum ducet a familia domini, quem ipſe paterfamilias in gratiam recepit? Velimus nos exemplum adduci, quo probetur, Deum peccatores ad ſe converſos, & veniam petentes non abſque omni mora recipere. Annon publice in patrem, in fratrem primogenitum, in totam domum, deniq; in ipſos cœlos peccaverat filius ille prodigus? An non ſcandalum domi foriſque dederat? Reverſo tamen & ſcelus confitenti mox ignoſcit pater, dignitati priſtinæ filium reſtituit, annulo reconciliationis reſtitutum ornat, & propter illum mactari vult vitulum illum ſaginatum, ut convivium paret, quo tota domus ſimul cum illo gaudeat? Cur ergo nos diutius arceamus eos à læto illo & ſalutari epulo Eccleſiæ, qui eandem cum illo confeſſionem edunt? cur ſatisfactiones præterea novas exigemus? At periculum eſt inquis, ne qui pœnitentiam ſimulent. Fateor. Num vero periculum hoc evitabimus, ſi totos annos à communione arceantur? Hypocritam certe impium nulla temporis mora emendabit. Nec eſt, quod nos falli metuamus, dum Dei patris manſvetudinem imitamur. Hypocritæ ſuo periculo nos fallent, ſibi ipſis judicium edent & bibent, nos extra culpam erimus. Te autem rogo, mi frater, an non ipſi quoque falli poſſumus, & eum Zelo inconſulto à Cœna excludere, quem vere converſum ipſe Chriſtus jam ſuo corpore & ſanguine paſcere dignatut? Quam vero indignum hoc fuerit, ei triſtitiam novam parere, quem Dei filius in ſe gaudere vult? Qua ratione rigorem eum excuſabimus, ſi eum rejiciamus, quem Dominus noſter ulnis expanſis complectitur? Hic certe periculum eſt, ne ſervi illius nequam ſocii deprehendamur, qui heri in ſe clementiam expertus, conſervum ſuum durius tractarit. Et cum conſtet, Joannem abſque curioſiori examine ad baptiſmum admiſiſſe omnes qui ſe pœnitere dicebant, Apoſtolos item mox baptizaviſſe eos, qui fidem in Chriſtum profitebantur, non videmus, cur à Cœna repelli debeant, qui fidem eandem nobiſcum profeſſi ſunt: peccato autem aliquo Eccleſiam offenderunt, cum qua nunc in gratiam redire cupiunt.

Iſta certè, quæ infinitis exemplis tam veteris quàm novi Teſtamenti probari poterant, nos movent, ut privatum illud examen, quo quiſque ſe ipſum probet, ſecundum Pauli præceptum, ſufficere putemus iis, qui ad domini menſam volunt accedere. Nam ſi quid præterea voluiſſet fieri Apoſtolus, magna erat illud præcipiendi occaſio, cum ex profeſſo de legitimo Cœnæ uſu diſſereret apud eos, qui innumeris erroribus atque vitiis polluti ipſam quoque horribili uſu prophanarant. Sed vidit procul dubio, quam periculoſum ſit, aliorum conſcientias rimari velle, quando nihil facilius eſt, quam ſeverius in alios animadvertendo ſanctitatis majoris exiſtimationem venari: & ſæpe tentationum lineis metiuntur per importunos illos cenſores, qui conſolatione potius ſublevari & confirmari debebant. Ideo in hac ipſa cauſa graviter monebat, videndum eſſe, ne à Sathana occupemur, cujus machinationes nemo Chriſtianus ignorat.

Quæ de Presbyterio in Eccleſiis conſtituendo ſcribis facile admittimus illic ubi Magiſtratus non eſt Chriſtianus. Nam oportet eſſe aliquos, quorum authoritate in officio contineantur, qui ad peccandum procliviores ſunt, ne Religio exterorum ludibriis

dibriis exponatur. Sub Chriſtianis autem Principibus cura iſta iis commodius & tutius committi videtur, qui ad Reipubl. gubernacula ſedent: & neſcio, quam tuto novi Magiſtratus posſint creari, quia multa ſequantur incommoda, quæ nunc recenſere longum foret. Hoc tamen diſſimulare non poſſum, in Palatinatu nulla prius ſcandala tam atrocia incidiſſe, quam ea ſunt, quæ Seniorum illic conſtitutorum culpa acciderunt. Et quis obſecro, eos poſthac feret correptores, qui ſceleratisſimum hominem Siculum ſodomitam, & eundem peſtilentisſ. calumniatorem impune elabi pasſi ſunt, ne ad judices legitimos traheretur. Putarunt enim, lentius procedendum eſſe, ut ipſi ejus cauſæ cognitores eſſe poſſent. Hac ratione profecto illos mihi excuſavit homo Italus ſibi probe notus, & vir bonus, cum exemplum illud ei objicerem. Quid vero eſt magiſtratus partes ſibi vendicare, ſi hoc non eſt? Eſt equidem inſatiabilis hominum ambitio, & rari inveniuntur, qui poteſtate ſibi data non inſolentiores fiant. Et ſi veteres hiſtorias evolvamus, maxima & nocentisſima Eccleſiæ ſcandala ex Epiſcopis & reliquis miniſtris enata fuiſſe patebit. Quod ipſum nunc in Germania quoque fieri videmus inter Lutheranos ſuperintendentes, qui nimia poteſtate armati nihil non licere ſibi putant. Quid vero de iis, qui Heydelbergæ hanc cauſam agunt, ſperare posſimus, ſatis nos una hæc audacia admonet, qua ſuæ ſententiæ ſubſcribere nolentes atheiſmi accuſant, & eos quidem viros in quorum fide, doctrina, moribus nemo bonus aliquid unquam deſideravit. Quod ſi ergo novam in Eccleſiis tyrannidem his principiis ſtabilire poſſe metuimus, quis non abſque cauſa id timere dicet? Quod autem alias ſcripſi, non obſtamus nos, quo minus ſuo ſenſu fruantur, qui illa diſciplinæ forma ſe utiliter uti poſſe vident. Hoc ſaltem monemus, ne eundem calceum omnium pedibus induere, vel potius obtrudere conentur, nevè ob rem adhuc controverſam, & cujus eadem formula ubique conſtitui non poteſt, Eccleſias abs ſe invicem divellant, & novas concertationes texendo, lætum communibus hoſtibus ſpectaculum præbeant.

Bene mi obſervande frater facturos nos putavero, ſi cauſam hanc totam ſilentio poſthac premamus, ne in publicam oſtentationem erumpat, qua de re, cum nuper D. Bullingerum ad te ſcripſiſſe ſciam, ego prolixior eſſe nolo. Nihil fraterna charitate atque concordia Eccleſiis utilius & ſalutarius accidere poteſt. Eam nos vobiscum colemus, quoad vitam Deus dederit, & de nobis omnibus idem vobis pollicemur. Si quid liberius abſque me ſcriptum videbitur, tuæ humanitatis illud acceptum feres qua fretus ſic mihi agendum putavi. Dolor nobis vehementer urbem veſtram peſtis flagello in dies magis ingraveſcenti affligi, & præ aliis triſte nobis fuit auditu, optimum & clarisſimum fratrem D. Remundum periclitari, aut etiam ad dominum jam nunc commigraviſſe. Illum quidem ſi jam hac vita defunctus eſt vere beatum vivere, & miniſterii ſui, in quo fidelisſimus fuit, præmia percipere ſcimus, at eccleſiam membro utili & neceſſario orbatam eſſe non poſſumus non dolere &c. Deus pater miſericordiæ & conſolationis vobis omnibus adſit Eccleſiæ & Scholæ noſtræ miſereatur, teque imprimis mi humanisſime Beza & frater obſervande ſervet ad ſui nominis gloriam, & ſtudiis tuis benedicat. Amen. Tiguri 3. Auguſti 1570.

Excer-

Excerpta ex Seldeno de Synedriis Ebræorum *lib. 1. cap. 7. ſeq.*

Excommunicatio eſt pœna, tam Gentilibus, quam Judæis, ante & poſt Chriſti adventum in carnem uſitata. De Druidibus ſeu ſacerdotalibus veterum Gallorum jam Julius Cæſar [*lib. 6. de Bello Gallico*] notavit, quod, ſi vel populus vel ſinguli, eorum decretis ſe ſubmittere noluerint, eos excommunicaverint, id eſt ſacris interdixerint, & quod hæc pœna pro maxima fuerit habita, dum tales interdicti pro contemptoribus Deorum & maxime ſceleſtis fuerint habiti, cum quibus nemo fuerit converſatus, ſed quos, & eorum alloquium omnes fugiſſent, ne contagio eorum infecti ſibi ipſi accerſerent malum, imo ne jus quidem talibus infamibus fuiſſe dictum, nec admiſſos eſſe ad honores & officia. (Seldenus *c. 10. p. 285.*)

Mores Græcorum & Romanorum intuitu excommunicationis videri poſſunt apud eundem (*d. c. 10. p. 274. ſeq.*)

Judæos quod attinet, putarunt quidem viri eruditi, quod excommunicatio apud illos uſitata fuerit pœna juſſu divino per Moſen inſtituta, vi cujus excommunicati inter alia etiam ex templo fuerint extruſi, nec ad cultum divinum admiſſi. Sed oſtendit tn. Seldenus (*c 7. junct. cap. 11. & 12.*) magno cum labore & judicio, quod excommunicatio hæc Judaica non antiquior ſit captivitate Babylonica, & propterea neque ex mandato divino neque à Moſe inſtituta, ſed hac occaſione orta fuerit. Cum Judæi in captivitate Babylonica nulla jurisdictione in ſuos fuerint præditi, ſed ſub judicibus Ethnicis fuerint, convenerunt inter ſe, ad coercendam populum, & ad Seniorum autoritatem conſervandam, ut excommunicatio inter ipſos loco deficientis jurisdictionis introduceretur. Cum igitur totum hoc negotium pactis & conventionibus inniteretur, & excommunicati ſponte ſe ſubmitterent pœnæ excommunicationis, nec de ea apud judices ethnicos conquererentur, etiam ipſi judices ſeu magiſtratus Judæorum hanc excommunicationem tolerabant. Poſt captivitatem Babylonicam Judæi equidem excommunicatione non amplius indigebant, dum poſt adeptam libertatem cum exercitio reliquorum regalium etiam regale jurisdictionis & puniendi invitos recepiſſent, interim tamen ea tanquam conſuetudo radicata fuit retenta.

Conſtitit vero apud Judæos excommunicatio non in eo, ut ſacerdotes præ reliquis, eam impoſuerint cæteris Judæis, aut, ut excommunicati expulſi fuerint ex templo & cultu divino interdicti, ſed potius licitum fuit, ex certis atque à Seldeno recenſitis cauſis, ut partim quilibet ſeipſum, partim tam privati, quam Conſiſtorium Judaicum alios peccatores potuerint excommunicare. Fuit autem excommunicatio illa duplex, major & minor. Minor infamabat ſaltem excommunicatum, ita ut nemini ex eccleſia, excepta uxore & liberis ad ſpatium 4. ulnarum illi appropinquare, aut prope illum ſedere licuerit. Quod ſi excommunicatus ſe emendaret, & intra triginta dies abſolutionem quæreret, liberabatur ab illa infamia & in integrum reſtituebatur. Eo non facto repetebatur excommunicatio minor & emendatio ejus aliis 30. diebus expectabatur. Quod ſi & tum pertinax eſſet, procedebatur ad excommunicationem majorem ſub clangore tubarum aliisque ſolennitatibus publicatam, quæ excludebat reum à conſortio omni humano (exceptis paucis, deſtinatis ad porrigendum ei cibum & potum ſed valde mediocrem) & pro ratione circumſtantiarum bona ejus fiſco eccleſiæ addicebat, ut adeo excommunicatio hæc major in multis conveniret cum Ro-

manorum interdictione aquæ & ignis. Quemadmodum vero intentio utriusque banni erat pertinaces adigere ad emendationem ac pœnitentiam, & abſolutionem quærendam, ita propter hanc finem etiam moris erat, ut, qui morerentur in excommunicatione minore vel majore, non lugerentur, nec honeſte ſepelirentur, ſed acervus lapidum ignominiam denotans imponebatur eorum ſepulcro. Ex quibus omnibus conſtat, Judæorum excommunicationem non magis fuiſſe pœnam ſpiritualem ad emendationem internam hominis tendentem, ac aquæ & ignis interdictionem Romanam, præſertim cum rationes 24. ob quas excommunicari ſolebant peccantes (recenſitæ à Seldeno de *J. N. & G. ſec. diſcipl. Hebr. l. 4. c. 8.*) ſatis declarent, quod pœna hæc fuerit dictata delictis in vita civili & quotidiana occurrentibus, & ad ſuſtinendam autoritatem Rabbinorum & Seniorum ſuorum.

Unde jam facile intelligitur eſſentia excommunicationis Chriſtianæ, utpote quæ nullam aliam habet originem, quam excommunicationem Judæorum. Hoc ut melius intelligatur, intererit, excommunicationem Chriſtianam conſiderare ſecundum tria tempora (1) ſub Chriſto & Apoſtolis, (2) poſt mortem Apoſtolorum usque ad tempora Conſtantini, 3. à temporibus hujus imperatoris.

Tempora Chriſti quod attinet, præſupponendum, Chriſtum non veniſſe, ut tolleret legem Moſaicam ſed potius ut adimpleret, neque adeo præcepiſſe, ut primi Chriſtiani abſtinerent à ceremoniis Judaicis, ſed potius ipſum Chriſtum & Apoſtolos, quamvis non amplius coacte, Judaicas ceremonias obſervaſſe. Atque id etiam poſt aſcenſionem Chriſti ſic fuit obſervatum, præſertim cum intra primum ſeptennium ab aſcenſione præter Judæos & Proſelytos nemo Chriſtianæ religioni accederet, vel ſuſciperetur, & cum adeo eo tempore nondum Chriſtianorum nomen eſſet in uſu, ſed fideles communi Judæorum, in fideles & infideles diviſorum, nomine venirent. Quoniam igitur nullibi legitur, quod Chriſtus vel ejus Apoſtoli ratione excommunicationis Judaicæ quicquam novi diſpoſuerint, quin potius ex Epiſtolis Paulinis & hiſtoria eccleſiaſtica appatet, primos Chriſtianos inter Apoſtolos, imo etiam Apoſtolos ipſos vel uſurpaſſe excommunicationem, vel certe de ea tanquam re uſitata locutos eſſe, inde apparet, Chriſtianorum primorum excommunicationem ſive majorem, ſive minorem nullam eſſe aliam quam Judaicam, atque adeo neque excluſiſſe excommunicatos à cultu divino vel uſu cœnæ (uti & hoc inſuper vel exemplo Judæ conſtat) neque jus infligendi ſolis Apoſtolis vel Epiſcopis aut Presbyteris competiiſſe. Similiter & quod abſolutionem à banno attinet, retentæ fuere ceremoniæ Judaicæ.

Porro cum poſtea Ethnici per Paulum adducerentur ad Chriſtianiſmum, continuatæ fuere etiam ceremoniæ inter Chriſtianos uſitatæ, quamvis cum majori libertate, quam ante adventum Chriſti. Nec ullibi legitur, quod ab illo tempore viventibus Apoſtolis in materia excommunicationis & abſolutionis quicquam fuerit mutatum, quod alterationem induceret excommunicationi Judaicæ, aut diſtinctionem inculcaret inter excommunicationem Judaicam & Chriſtianam. Hæc omnia latius probat ac deducit Seldenus *d. lib. 1. cap. 8. integro & cap. 13. pag. 340. ſeq. item à pag. 349. ad pag. 366.*

De temporibus poſt mortem Apoſtolorum id notandum, eo tempore templum Jeroſolymitanum, (in quo hactenus convenerant Judæi pariter infideles ac fideles i. e. Chriſtiani) à Tito fuiſſe deletum; Judæorum infidelium & Chriſtianorum odium mutuum, quotidie creviſſe, præcipue cum tempore perſecutionum quandoque Judæorum infidelium mores non turbarentur; itidem Chriſtianos à Judæis variorum criminum

falſo

falſo accuſatos fuiſſe. Ergo ab illis temporibus communio Judæorum & Chriſtianorum rituum magis magisque diminuta fuit, in tantum, ut & excommunicatio inter Chriſtianos hactenus Judaica multas alterationes paſſa fuerit, tam quoad perſonas excommunicantes, quam quoad modum excommunicationis & abſolutionem ab eadem. Quamvis autem initium harum alterationum certo determinari nequeat, præcipue tamen temporibus Irenæi, Tertulliani & Origenis ea alteratio fuit obſervata.

Primo inceperunt interdicere excommunicatis cœtum ſacrum & communionem S. Cœnæ, & adeo mutarunt definitionem majoris & minoris excommunicationis, ita ut, cum minor appellaretur, ſi quis templo & S. Cœnæ excluſus eſſet, in majore vero ipſi inſuper excommunicato interdiceretur converſatio cum omnibus Chriſtianis, & ipſe certis formulis ſatanæ traderetur.

Neque hoc ſolum propter facta inhoneſta, ſed & ſi quis in quacunque cauſa juſſui præſulum non obtemperaſſet, ſed pertinax fuiſſet.

Inceperunt etiam illis temporibus excommunicationem appellare gladium ſpiritualem, cum Chriſtiani tum inter Ethnicos omni carerent jurisdictione; & bannum tamen hoc eccleſiaſticum introduxiſſent (ad imitationem Judæorum in captivitate Babylonica) inter ſe pactis & conventionibus, eoque loco pœnarum capitalium uterentur. Conveniebat vero hic gladius ſpiritualis in multis, cum maxima & media capitis diminutione Romanorum, (quæ & ipſa mors civilis vocabatur,) & cum ea affines habebat effectus.

Inceperunt etiam illis temporibus Presbyteri ac Epiſcopi ſoli excommunicare atque excludebant reliquos, qui alias in excommunicatione judaica admittebantur.

Inceperunt porro, ut majus pondus & authoritatem conciliarent negotio, perſuadere reliquos Chriſtianos, quaſi excommunicatio à Deo in veteri teſtamento fuiſſet mandata, & à Chriſto ac Apoſtolis iſtud præceptum in N. T. fuerit repetitum, cum tamen evidens ſit tortura dictorum ſcripturæ eum in finem allatorum, quemadmodum etiam multi homines ſancti & pii illorum temporum agnoverunt ac probarunt, mutationes has in excommunicatione pariter eſſe inventum humanum, uti totam præcedentem excommunicationem Judaicam.

Tandem alterabatur etiam abſolutio. Cum enim in excommunicatione Judaica abſolutio denegeretur nemini qui promittebat emendationem, tum multæ difficultates & gradus pœnitentiæ varii ſunt excogitati ad mortificandos excommunicatos, hoc ipſo vero & propter varias iteratas contumelias excommunicatis illatas, excommunicatio Chriſtiana qualitatem pœnarum vere temporalium & humanarum accepit. Seldenus *c. 6. integro & c. 13. p. 144. ſeq.*

Sub regimine Conſtantini M. liberatis à perſecutionibus Chriſtianis, & ſub clypeo imperatorio degentibus, excommunicatio etiam illa ſummum culmen attigit, quamvis non ſubito ſed pedetentim à ſeculo ad ſeculum.

Summatim illa incrementa ſic concipi poſſunt. Quoad ſolennitates, cum apud Judæos excommunicatio fieret adhibito tubarum clangore, apud Chriſtianos ea fiebat accenſis cereis & lampadibus, & adhibito ſonitu campanarum: Utebantur certis formulis in majore & minore excommunicatione, ſæpe maxime thraſonicis & blaſphemis, quaſi Clerus Deo & Angelis pro lubitu imperare poſſent. Torquebantur iterum miſerrime dicta ſcripturæ ad perſuadendum populum, quaſi clero ſub ſpecie poteſtatis ſpiritualis data ſit poteſtas deſpotica & abſoluta faciendi quod vellent. Incipiebant jam ſeculo quarto & quinto imperatores & reges excommunicare, nec parcere

Digitized by Google

mortuis. Excommunicabantur mures, glires, inſecta, aves, etiam res inanimatæ, ut libri. Incipiebant excommunicatione uti etiam in actionibus pure ſecularibus, ut ſub ſpecie poteſtatis ſpiritualis acquireretur omnis poteſtas temporalis. Defendebantur jura cleri magna circumſpectione, ne Laicus admitteretur ad excommunicationem activam, ſed ut hic gladius ſpiritualis, qui gladium temporalem jam ſatis obtuſum reddiderat, maneret in manibus Cleri. Et quamvis ex documentis antiquiorum temporum probari poſſit, excommunicationes etiam à Laicis, imperatoribus nimirum & regibus factas eſſe, ſolent tamen defenſores jurium clericalium documenta illa ſic exponere, quaſi hæc omnia à principibus tanquam ab executoribus & brachiis ſecularibus eccleſiæ & Cleri facta fuerint. Nec amplius pudebat, excommunicationi, quæ & origine ſua erat pœnæ civilis ſpecies, adſcribere effectus pœnæ civilis, dum Auguſtinus *quæſt. 39. ſuper Deuteron.* id fateretur. *Hoc nunc agit*, inquit, *in eccleſia excommunicatio, quod agebat tunc* (tempore legis Moſaicæ) *interfectio.* Ex iſta vero hypotheſi ſua ſponte fluebat, ut, quemadmodum mors omnia jura ſolvit, ſic etiam excommunicatus omnia jura perdat. Hoc vero ſuppoſito, neceſſario ſequebatur concluſio, quod etiam reges & imperatores excommunicati conſiderari debeant, acſi eſſent depoſiti.

Igitur prætenſa illa pœna ſpiritualis, quæ nonniſi effectus ſpirituales debebat producere, abyſſus & vorago evadebat, omnia jura ſecularia principum Chriſtianorum degluriens. Ut vero Laici omnes excœcarentur, ne viderent dolum ſub excommunicatione latentem, varia fingebantur miracula, dum verbi cauſa perſuadebantur, acſi cadaver hominis excommunicati non antea potuiſſet igne in pulverem redigi, donec à Clero abſolutionem impetraſſet, item acſi canes non comederent carnem, quas homo excommunicatus tetigiſſet. Seldenus *cap. 10.* ubi hactenus dicta latius probat & demonſtrat.

SECTIO VI.

De principio cognoſcendi divinitatem ſacræ ſcripturæ & fidei Chriſtianæ.

CAP. I.

QUO STATUS CONTROVERSIÆ, QUÆ EST HAC DE RE, FORMATUR.

Connexio cum præcedentibus. n. 1. 2. Quod fides non habeat cauſam vel notam in animis credentium ſupernaturalem, hoc eſſe, πρῶτον ψεῦδος omnium, qui fundamenta Chriſtianiſmi convellere ſtudent. n. 3. Contrariam opinionem fuiſſe communem in eccleſia Reformata. n. 4. 5. Pajoni Galli hypotheſes adverſæ n. 6-10. Et aliorum, potiſſimum Carteſianorum. n. 11-14. Occaſio & hiſtoria diſputationis hac de re, quæ cauſam dedit huic digreſſioni ejus-

ejuſque termini. n. 15-19. Quam connexionem hæc habeant cum doctrina de Jure Civitatis. n. 20-28. Comparatio *Pajoniſmi* cum oppoſita nobis ſententia. n. 29. ſeq.

1. PErſuaſionem de fide Chriſtiana non eſſe præſcripti vel arbitramenti humani, ſed Dei ſolius imperio ſubjectam, inter alia inde *ſupra* evicimus; quod immediate ex inſtinctu divino generetur, & ſimili immediato Spiritus ſancti teſtimonio in fidelium cordibus obſignetur.

2. *Hobbes* autem ut refelleret hanc perſuaſionem, quod fides imperio ſummarum poteſtatum ſubjecta non ſit, omnium primo faciendum putavit, ut ſententiam de immediata infuſione cœleſti, quæ cauſa ſit fidei & de teſtimonio Spiritus illam fidem obſignantis refelleret ac irrideret, qua de re *ſuperius* cœptum in hunc locum plenius examen diſtulimus.

3. Haud temere quicunque Chriſtianæ fidei myſteria & ſcripturæ ſacræ auctoritatem convellere ſtuduerunt, hinc ab annis quinquaginta, aliunde initium duxere, quam ut veterem de immediata Spiritus ſancti operatione, tam in generanda quam in obſignanda fide, doctrinam ſubverterent ac eluderent, ut poſt *Hobbeſium inſtituit Spinoſa* in *præfat. tract. Theol. Polit. & Auctor præfat. in Op. ej. poſthum.* aliique deinde plures etiam inter Proteſtantes ipſosque Reformatos. g)

4. Quorum alioquin hæc eſt notiſſima doctrina, magno conſenſu à principibus reformationis tradita & inculcata; *Fidem in his qui verbum Dei perceperunt, efficaci virtute Spiritus ſancti in cordibus electorum immediate produci, eamq; productam evidente Spiritus ſancti teſtimonio confirmari.*

5. Quod tamen ejusmodi eſſe, ut minime παρὰ τῶν μὴ λαβόντων, *nec niſi ab expertis* intelligi poſſit, literæ Dei, ut *infra* videbimus, teſtantur. Unde factum, ut paulatim ingenioſiſſimi quique, verbis quidem primorum reformationis auctorum inſtiterint uſique ſint, interpretationes vero dederint tam obſcuras & vagas, ut rem pleriſque ſuſpectam redditam poſtremo totam negandam putaverint.

6. Quos inter in Gallia noviſſime fuit *Ludovicus Pajonus* Aurelianenſis eccleſiæ miniſter, multæ vir eruditionis & acuminis in diſputando, ut adverſus pontificios ſæpe & in hac ipſa controverſia abunde probavit, ut colligere datum eſt, *è Commentario ejus MS.* quem ſynodo Gallicanæ exhibitum aliquando inſpiciendum mihi dedit Nobilis & Reverendus Theologus *D. de Hauteconre*, Theologiæ in noſtra Academia Profeſſor digniſſimus.

7. Pajoni igitur hypotheſes præcipuæ fuerunt hæ. I. *Mentem hominis, utpote rationalem, non poſſe moveri, niſi impreſſione rationali.*

8. II. *Illos, qui præter rationem aliquid operationis extraordinaria, in mente credentium agnoſcunt, eſſe enthuſiaſtas.* h)

n. 3. g) Reformatos) *Ergo vitandum hoc extremum. Sed vitandum & alterum ei oppoſitum, ejurandum eſſe uſum rectæ rationis ei, qui vere Chriſtianus fieri velit, quo uſi ſunt perpetuo, qui arcana papiſmi ſub prætextu pietatis ſenſim ſtabilire voluerunt. Latius ea de re egi nuper* in præfatione ad verſionem Germanicam Grotii. *Hac enim hypotheſis recta via ad Enthuſiaſmum & Theologiam Pſeudo myſticam ducit. Commendandæ valde ſtudioſis meditationes Cl. Lokii de Enthuſiaſmo*, lib. 4. de intellectu cap. 19.

n. 8. h) enthuſiaſtas) *Ergo eo melius notetur noſtra hypotheſis ex Cl. Lockio: Eos eſſe Enthuſiaſtas, qui rationem omnem ejurandam eſſe volunt.*

9. III. *Corruptionem hominis & impotentiam ad recipiendam fidem, eſſe habitualem acquiſitam, quæ ſuo ſenſu originalis quidem dici poteſt, verum tamen ſanabilis ſit, vi rationum & motivarum, ut loquitur, quibus mens noſtra moveatur & excitetur.* Cl. Spanhemius *Controv. pag.* 320. *ſeq.*

10. Denique, in hoc omnia deſinunt, impotentiam credendi Evangelio eſſe à deſidia, præjudiciis & adfectibus, quibus vitiis auxilio divino deterſis, vim mentis puram & nitidam cogitationibus ſufficere defæcatis, ad accipiendam rerum divinarum perſuaſionem, per attentam ratiocinandi methodum. Immediatas autem ſpiritus operationes ceſſare jam penitus, nec adeo mentes hominum amplius adfici immediate.

11. Hanc ſententiam apud Belgas increbuiſſe vidimus, ab eo tempore, quo in Theologiam perrupit methodus ratiocinandi è principio univerſæ dubitationis ad viſionem certitudinis æque infallibilis, quam Deus eſt verax & fallendi neſcius.

12. Proinde ſic eſſe habendum; Veritatem religionis Chriſtianæ aliter quam methodo ratiocinandi adſtrui non poſſe; Tali, videlicet, quæ docet, omnibus exui præjudiciis, dubitare de omnibus, rerumque ideis bene ac attente inter ſe collatis & comparatis, è dubitationum tenebris evadere in lucem claram, & induere conſcientiam liquidiſſimæ veritatis, ut noſter Hobbes prælvit in *præfat. de Cive.*

13. Cum autem perſuaſio de divinitate ſacræ ſcripturæ cum prima veritate religionis Chriſtianæ conjuncta ſit, iisdem non dubitare viſum eſt, auctoritatem ſcripturæ ſacræ, quod ad ejus agnitionem attinet, unice pendere ab eadem methodo ratiocinandi.

14. Hæc res inprimis agitata eſt hinc ab annis fere triginta, occaſione diſſertationis, cujus inſcriptio fuit; *Philoſophia ſcripturæ interpres*; quam inter alios refellit Vir Clariſſimus, *i*) ita, ut non minus clare & diſerte immediatas Spiritus ſancti operationes in mentibus fidelium dari negaret, quam is, quem refutabat, nec minus veterani Theologi in ipſum, *k*) quam in adverſarium ejus inveherentur.

15. Dehinc uſu venit propius ad nos, *l*) ut in quadam diſputatione inaugurali, propoſitæ fuerint hæ theſes; *Divinitas ſcripturæ, m*) *qua omnis ejus auctoritas nititur, aliunde, quam ex ratione, adſtrui non poteſt*

16. Unde colligebatur, eſſe flagitium erroris, ita putare, *ſi ratio aliud quid nobis dictaret,*

---

n. 14. *i*) Clariſſimus) *Ludovicus VVolzogen* in tractatu cui titulus: de ſcripturarum interprete. Ultraj. 1668. in 12.

k) in ipſa) *v. g. Johannis Brown* VVolzogius cauſæ proditor ſeu libelli Ludov. VVolzogen de ſcripturarum *interprete* examen Amſtel. 1670. in 8. *Reineri Vogelſangii* reſponſio ad præfationem VVolzogii, quæ legitur ante judicia variorum Theologorum. Sylvæ-Ducis 1671. in 8.

n. 15. *l*) ad nos) *Hiſtoriam originis controverſiæ ex ipſius Autoris libro de concurſu rationis & ſcripturæ, fuſius exponunt collectores Actorum Eruditorum* ad annum 1687. p. 405. ſeq. *Progreſſus ejus & ſummaria contenta variorum libellorum ab utraq. parte editorum peti poſſunt ex* Tomo 6. *Bibliothecæ univerſalis* p. 422 - p. 504.

m) ſcripturæ) *Ego doctrinam de concurſu rationis & revelationis in articulis fidei & in ipſa cognoſcenda divinitate ſcripturæ ſic concipio. Duo ſunt lumina, quæ Deus homini dedit ad acquirendam felicitatem, naturæ ſeu rationis, & ſcripturæ ſeu revelationis. Utrumque eſt donum Dei, adeoque neutrum contemnendum vel ſequeſtrandum. Nec unum cum altero miſcendum. Ratio recta data eſt ad dignoſcendum bonum & malum ad utilitatem hujus vitæ. Revelatio ad ſecernendum bonum & malum ad felicitatem futuri ſeculi. Sed in-*

ſtari, quam ſcriptura, huic, videlicet ſcripturæ, *potius eſſe credendum. n)*

17. Addebatur uſus rei, *ſi quis bene ſervet methodum ratiocinandi, huic licere ſecure philoſophari & de cætero in utramque aurem otioſe dormire,* freto hac certisſima regula, *Veritati à ſe perceptæ nullam veritatem fore contrariam; modo in his, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, ob reverentiam S. ſcripturæ,* ſi quid in ea veritati per rationem repertæ, contrarium ineſſe videretur, *examen repeteretur.*

18. In has poſitiones, cum mea, per occaſionem, oppoſitio impacta fuiſſet, easque

par

---

tuitu utriusque felicitatis ratio & revelatio ſibi non erant opponendæ ſed vel co- vel ſubordinandæ. In rebus ad felicitatem hujus vitæ pertinentibus ratio eſt inſtrumentum ordinarium, revelatio extraordinarium. In rebus ad felicitatem alterius vitæ revelatio Spiritus S. eſt principium cognoſcendi ordinarium in intellectu, & movens etiam ordinarium in voluntate; ratio vero non eſt principium extraordinarium, nec adeo movens, ſed inſtrumentum ſerviens revelationi, non in explicandis myſteriis revelationis, ſed in ſecernendis falſis revelationibus, mentientibus revelationes Spiritus S. item in ſuppeditandis regulis bonæ & rationabilis interpretationis, ac denique in ſuppeditandis argumentis, myſteria revelationis non demonſtrantibus, ſed illuſtrantibus, quod ea rectæ rationi non repugnent. Ex dictis ſequitur. Rationem & ſcripturam ac revelationem Spiritus S. ſibi nunquam eſſe adverſas nec ſibi contradicere, cum differant ut lumen naturale & ſupernaturale, non contra naturale.

n. 16. *n)* credendum) *Uti tota hac ſectio oſtendit, hanc præcipue theſin occaſionem dediſſe toti huic controverſiæ, ita ex hactenus notatis conſtat, cauſam non ſubfuiſſe, ut inde tantum litigium oriretur inter viros eruditos, ſed potuiſſe rem brevibus componi. Rem ita expono: Quæſtio:* Si ratio aliud quid nobis dictaret, quam ſcriptura, utra ſit ſequenda? *vel ſupponit posſibilitatem antecedentis, vel negat. Si ſupponit, ſupponit impoſſibilia, quia ratio recta & ſcriptura, ut modo dictum, nunquam ſibi contradicunt, & conſequenter quæſtio eſt indefinibilis, quia non entis nulla ſunt prædicata. Si non ſupponit, ſed caſus dabilitatem habet pro impoſſibili, quæſtio eſt ſtulta & plusquam domitiana, cum de non ente quærat. Porro ille, qui aſſerit* errare eum, qui dicat in caſu contradicentis ſcripturæ & rationis, ſcripturæ potius eſſe credendum, *duplicem poteſt ſenſum intendere. 1. quod error conſiſtat in eo, quod ſcriptura præferatur rationi, cum potius ratio ſit præferenda ſcripturæ. 2. quod error in eo conſiſtat, quod talis rationem & ſcripturam poſſe ſibi contradicere ſupponat. Fateor, adverſarios Autoris noſtri prima fronte, ſi verba ſpectes juncta cum antecedentibus, videri intendiſſe ſenſum primum. Sed tamen ea conjectura tanta non eſt, ut eos haud admittat ad declarationem, ſe ſumſiſſe verba illa in ſenſu ſecundo, in quo nulla eſt abſurditas. Ita vero ſe expoſuerunt diſſentientes (vid. Biblioth. univerſ.* Tom. 6. p. 464.) *quod nihil aliud intendant, quam, quod ſcriptura & ratio ſibi invicem non debeant opponi. Ergo Autor in hac explicatione potuiſſet acquieſcere. Denique, qui theſi præcedenti contradicit, vel id facit ex ea ratione, quod Autor theſeos videatur partim contradictionem rationis & ſcripturæ admittere, partim ſuppoſita ita contradictione primas partes rationi contra ſcripturam dare, cum tamen in rebus ad fidem pertinentibus ratio ancilletur ſcripturæ; vel contradictionem ſuam fundat in admisſione posſibilitatis, quod ſcilicet ſcriptura & recta ratio ſibi contradicere poſſint, & quod tum ſcriptura ſit præferenda rationi. Prior, ex noſtro judicio recte contradicit, poſterior parum convenienter, cum ſuppoſita, ut fieri decebat, impoſſibilitate talis contradictionis, neutra prælatio vera eſſe poteſt, per dicta. Prior ſententia noſtra eſt, quam ſi ſecutus fuiſſet Autor, credimus, quod paucioribus verbis totum negotium*

par lectiſſimum Theologorum *o*) doctiſſimi viri ſuas feciſſent, redactus ſum ad eam neceſſitatem, ut ſententiam, quæ adhuc magis orthodoxa erat habita, contra illorum rationes, tueri oportuerit.

19. Qua in re, ut invidiam alienæ profeſſionis invaſæ amoverem, ita conſulendum putavi, ut poſitiones meas in *libris de jure civitatis* adverſus Hobbeſium hac de re collocatas, & ex parte *ſuperius* repetitas, mutatis mutandis excerperem, & præſenti quæſtioni applicarem, donec ulterius provecta diſputatione, liber *de ratione ſcripturaque* ſingularis in eam rem editus eſt in lucem.

20. Quod jam olim in hiſce libris de Jure civitatis compendio ſcriptis, uſu venit tractari, quod ad refutanda Hobbeſii noxia principia non poteſt omitti, ſpero Lectori non diſpliciturum, ſi in hac iterata & ampliori editione eorundem librorum, plenius exequamur.

21. Non paulo tamen brevius, quam *Hobbes* in ſuo *de Cive* tractatu, excurrit in res Theologicas; cujus adeo exemplo hanc digreſſionem apud æquum Lectorem facile me tuiturum exiſtimavi.

22. De ipſa re, primo ſententiam à nobis defenſam, mox eam, quæ ab aliis adſtructa fuit, collocabimus, dein noſtram probabimus & oppoſitam refellemus, omnia breviter & perſpicue; remiſſo Lectore, ſi cui libet, ad librum ea de re ſcriptum *& deſignatum*.

23. Nos tenemus, divinitatem ſcripturæ ſacræ & ſimul veritatem fidei Chriſtianæ perſuaderi Auditoribus electis, vi Spiritus ſancti mentibus ſpeciali gratiæ cælitus adfuſa, juxtaque verbum illis inſinuata.

24. Auditionem & Rationem eſſe cauſas inſtrumentales, ſine quibus perſuaſio non ſedeat animis; ſed inſtrumenti modum non obſtare quominus efficiens cauſa fidei, cœleſtis immediata ſit ac inreſiſtibilis, etſi voluntaria & cum ratione conjuncta.

25. Diximus adhuc, fidem animis receptam teſtimonio Spiritus ſancti in fidelibus obſignari, idque teſtimonium a fide ratione percepta realiter eſſe diverſum atque diſcretum.

26. Diſſentientes, qui methodum dubitandi & per omnium rerum dubitationes, conſcientiam certitudinis infallibilem colligendi hac etiam in re ſequuntur, Deum ita faciunt auctorem fidei, ut ratio ſit unicum principium cognoſcendi divinitatem ſacræ ſcripturæ & quæ cum ea conjuncta eſt, veritatis Chriſtianæ.

27. In mente nihil eſſe, quam ratiocinationem, nec aliud quicquam in ea dari poſſe contendunt; Sed cauſalitatem cœleſtem eſſe voluntatem Dei, & decretum, quo ſic homo ratiocinetur, ut è dubitatione, collectione & comparatione idearum concludat, divinitatem ſcripturæ & veritatem fidei Chriſtianæ.

28. Teſtimonium vero, quo nos fidem ratione perceptam obſignari diximus, & quod ratiocinatione vere & actu diſtinctum eſſe putamus, è verbo Dei, id ille omnino negant, & fidenter enthuſiaſticum eſſe declarant.

29. Præterea, ſicut iiſdem, quam è Pajano ſupra habuimus, hypotheſibus indigent; ita non ceſſarunt, easdem in adſtructione ſententiæ ſuæ, licet occultius aliquando proferre atque connectere cum ſuis poſitionibus, quas alioquin, ut in *prædicto libro ſect. 3,*

expedire palpabiliter potuiſſet, quam nunc, uti dilapſus eſt in poſteriorem ſententiam. Hoc eſt judicium noſtrum de tota hac controverſia. Unde jam facile nobis erit, ad id declarandum vel confirmandum ſubinde pauciora & breviora annotata dare.

n. 18. *o*) Theologorum) *D. Johannes van der Wayen & D. Johannes Alexander Roel.* Act. Erudit. d.i. p. 406.

Digitized by Google

ſect. 3. c. 9. & ſeqq. demonſtratum eſt, ſtabilire non potuiſſent *p*)

30. Quanquam autem hujus rei diſceptatio parum nos jucundis inflixerit commiſſionibus, quominus tamen hanc hypotheſin derelinquere, & eandem in hoc loco penitus omittere poſſimus, religio facit, altoque animo quod dicere fas ſit, concepta veritatis conſcientia,

31. Si cui volupe non ſit, animum his rebus in inſtitutione doctrinæ civilis advertere, ſuo arbitratu ad ſequentem ſectionem tranſire poteſt. Videamus igitur rem ipſam αὐτῶν παθῶν, καὶ πανηγυρίας.

CAP. II.

QUO VERUM PRINCIPIUM COGNOSCENDI DIVINITATEM SACRÆ SCRIPTURÆ ET VERITATEM RELIGIONIS CHRISTIANÆ, PROBATUR ESSE LUMEN INFUSUM A RATIOCINATIONE DISTINCTUM.

Principium cognoſcendi divinitatem S. ſcripturæ eſſe revelationem internam Spiritus S. probatur è primis Reformationis auctoribus, n. 1-5. è Patribus, n. 6. è Carteſio, n. 7. & imprimis ex ipſis ſacris literis, n. 8. 9. maxime è Paulo *1. Corinth. 2.* n. 10-12. qui locus inducitur ad explicationem, variis argumentis inde deductis; revelationem illam internam à ratione eſſe diſtinctam, n. 14-23. idque aliorum collatione locorum illuſtratur & confirmatur. n. 24-31.

n. 29. p) potuiſſent) *Ex relatione Bibliothecæ univerſalis* T. 6. p. 472. *Hermannus VVitſius, qui partibus Autoris acceſſit, ita format ſtatum controverſiæ. Dicit partes in illis articulis convenire, 1. Dictamen rectæ rationis non poteſt eſſe falſum, 2. Peccatum valde debilitavit perſpicaciam intellectus, & ſoliditatem judicii, 3. idque in tantum, ut ratio recta ſit certis finibus incluſa, quos egredi non valeat quantum etiam conetur, 4. lumen naturæ & revelationis non poſſunt eſſe contraria, quamvis poſterior nos longius videre efficiat, quam prior. Aliud enim eſt ſuperare, aliud deſtruere aliquid. 5. Uti ſcriptura, ſuppoſito, quod ſit divina, non poterit aliquid continere contradicens rationi rectæ, ita etiam aliis nihil perſuaderi, aut fides de eo excitari poteſt, quod illi rationi ſit oppoſitum. 6. Revelatio ſupranaturalis habet ſua criteria divinitatis, & ad acquiſitionem hujus cognitionis opus eſt ratione vel facultate cognoſcendi. Igitur totam diſputationem in eo conſiſtere 1. per quæ principia, vel notiones probari debeat divinitas revelationis. 2. An ratio ſatis diſpoſita ſit, ut poſſit ſola & per ſeipſam ſibi perſuadere & alios convincere de divinitate revelationis per concluſiones ex illis principiis deductas? An vero ratio adjumento habeat opus? Quale ſit hoc adjumentum? & quomodo operetur? Etſi vero VVitſius diſtinctius longe & convenientius monitis noſtris formaverit ſtatum controverſiæ ac Autor fecit, non tamen potuit effugere, quin pars diſſentiens tale de eo formaverit judicium, quod ejus tota diſputatio ſit inanis, & quod vel poſt multas ambages tandem conveniat cum diſſentientibus, vel ſibi contradicat vel obſcure loquatur, ut nequeat intelligi.* Bibl. univ. d. l. p. 492.

Digitized by Google

1. Eſt equidem ex interioribus Theologiæ capitib9 hic articulus, ejusmodi tamen, ut omnes Chriſtianos ejus bene certos eſſe oporteat. Ideoque & alias hæc res à noſtri ordinis hominibus tractata fuit, & ad refellendas Hobbeſii rationes hic eſt neceſſaria. Quid autem eſt illud principium?

2. Eſt id, ex *quo unicuique noſtrum conſtat, ſcripturam ſacram, quam habemus, eſſe vere divinam.* Hoc enim eſt proprie quæſitum hujus loci, non quodnam ſit principium earum veritatum, quæ in ſcriptura continentur, quod ipſam eſſe ſcripturam non negatur; utique in his quæ ratio ſine ſcriptura nullo modo ſcire poterat.

3. Pertinet igitur quæſtio, non tam ad ſingula religionis capita, quam ad ſummam fidei Chriſtianæ & agnitionem divinitatis ſacræ ſcripturæ in univerſum. Ut tamen certum ſit, quæſtionem de ipſis fidei capitibus ab illo quæſito ſeparari non poſſe. Nam qui per rationem inquirere vult, an ſcriptura ſit divina, non debet ſubſiſtere in notis quibusdam generalib9 è ſtylo & à ſcriptoribus deſumptis, & quibusdam rebus in ea contentis, ut ſunt miracula & vaticinia; ſed omnia, ſaltem præcipua dogmata, excutere debet, an ea ſint ejusmodi, ut Deo & ratione digna videri queant. Sed maneamus in priori quæſito; quodnam ſit principium cognoſcendi divinitatem S. ſcripturæ.

4. Ponamus igitur illud principium; Eſt nihil aliud, quam *revelatio interna Spiritus ſancti, qui fideles per interiorem afflatum docet in cordibus ſuis, iisque efficaciter perſuadet, ut firmiter credant, ſcripturam, quam habemus in libris Propheticis & Apoſtolicis eſſe vere & indubitato verbum Dei.*

5. Utraque Theſis conſtat verbis Polani in *lib. 1. Syntagm. c. 16.* qui in hac re conſentientes habet omnes primævæ Reformationis auctores, nominatim & præ cæteris Calvinum, ut in *d. lib. ſect. 2.* demonſtratum eſt, quæ huc omnia transſcribere nihil attinet.

6. Idem Patres magno conſenſu; Baſilius *in Pſalm. 115.* Πίςις inquit, ἡ ὑπὲρ τὰς λογικὰς μεθόδυς τὴν ψυχὴν εἰς συγκατάθεσιν ἕλκυσα. Πίςις ὐχ ἡ γεωμετρικαῖς ἀνάγκαις, ἀλλὰ ἡ ταῖς τῦ πνεύματος ἐνεργείαις ἐγγινομένη *Fides quæ ſupra methodum ratiocinandi trahit animum ad conſenſum; fides, quæ non geometricis demonſtrationibus, ſed efficacibus Spiritus ſancti operationibus ingenerata eſt.* Idem ex Chryſoſtomo & Juſtino Martyre converſionis ſuæ hiſtoriam memorante *d. loco* oſtendimus.

7. His auctoritatibus unum addam ex recentioribus *Carteſium*, qui receptam inter omnes Chriſtianos hac parte ſententiam ſequutus, cum alibi, tum *Reſponſ. 2.* ita ſcribit; *Ratio formalis propter quam fidei adſentimur, conſiſtit in lumine quodam interno, quo à Deo ſupernaturaliter illuſtrati, confidimus, ea quæ credenda proponuntur, ab ipſo eſſe revelata, & fieri plane non poſſe, ut ille mentiatur: Quod omni naturæ lumine certius eſt, & ſæpe etiam propter lumen gratiæ, evidentius.*

8. Hæc eſt illa vis Spiritus, quem Chriſtus à Patre ſuo mittendum & omnia ſuos electos edocturum promiſit *Joh.* XIV, 16. oppoſitus carni & ſanguini, id eſt, naturæ & rationi naturali, ut idem Dominus ad Petrum, cui à Patre ſuo inditam adfirmabat notitiam ſui.

9. Hæc eſt illa trahendi vis, ſine qua Chriſtus ipſe prædicans verbum, fidem facere non poterat, Ἐὰν μὴ ὁ πατὴρ ἑλκύσῃ αὐτόν. *Niſi Pater illum traheret*, & mentem aperiret ad ſpiritualia clauſam *Act.* XVI, 14. Hujusmodi immediatam operationem, cum adflatu ignoti ortus, ſed validisſimi effectus adſerit Dominus *Joh. III. 8.*

10. Hæc eſt eruditio ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, *in demonſtratione ſpiritus & potentia*, quam fidelibus ὁ Θεὸς ἀπεκάλυψε διὰ τῦ πνεύματος αὐτῦ, ἵνα εἰδῶμεν, *detexit Deus per ſpiritum ſuum, ut cognoſcamus 1. Corinth. 2.*

11. Unde autem ille Spiritus, eſtne aliquid in homine novi, an vero fuit in mente, prius; ut ſaltem derectus videatur? Imo *accepimus illum,*

illum, iuquit Apoſtolus, in cordibus noſtris *d. c. 2. §. 12.* Ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ εἰς τὰς καρδίας. *Emiſit Deus Spiritum filii ſui in corda fidelium* ad *Gal.* IV. 6.

12. Illum Spiritum emiſſum ſicut Chriſtus opponit carni & ſanguini, ſic Apoſtolus eum ſpiritui hominis opponit, quem etiam vocat Spiritum mundi *d. c. 2. §. 10.* & manifeſto docet, Spiritum illum emiſſum & in ſolis fidelibus habitantem aliquid eſſe diſtinctum à ſpiritu hominis, eique ſuperadditum *d. c. 2. §. 10.*

13. Spiritus autem hominis ſine dubio eſt ratio, *q*) ſive mens rationalis, ὁ ἐν αὐτῷ, *ipſi congenitus, qui novit ea quæ ſunt in homine, §. 11.* id eſt, qui cogitat & ſcit quod cogitat: hoc autem non eſſe mentem, nemo negabit.

14. Jam ſatis ita clare; ſed res plane meretur, ut aliquanto preſſius demonſtremus, Spiritum cordibus fidelium à Deo immiſſum, eſſe facultatem fidelibus infuſam, ab ipſa mente diverſam, etſi in mentem agat & vim ſuam exerat atque exerceat. Rationes quibus id evidentisſimum eſt, ſunt hæ;

15. Quæ diverſis nominibns in eodem homine diſcernuntur, ac inter ſeſe opponuntur, ea ſunt in rei veritate diverſa; Spiritus ſanctus in corda fidelibus immiſſus diverſo nomine ſeparatur à mente, eique opponitur. Ergo.

16. Major eſt evidens, ex eo, quod nomina reperta ſunt ad res ſignificandas. Poteſt quidem una res habere diverſa nomina; ſed cum duo nomina ſibi mutuo opponuntur, non poteſt fieri, quin res iis ſignificatæ ſint diverſæ.

17. Minor eſt in *d. §. 11. & 12.* Τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἐν αὐτῷ, *Spiritus hominis, qui eſt in ipſo.* Καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ & *Spiritus qui eſt ex Deo*, quem eſſe in eodem homine docet illic, & liquet ex eo quod additur, ἵνα εἰδῶμεν, *ut cognoſcamus* §. 12.

18. II. Argumentum: Quod eſt in homine quovis per ſe, hoc differt realiter ab eo, quod certis hominibus immittitur. Atqui, ſpiritum Dei accipiunt in corda immiſſum fideles: Mens autem ſeu Spiritus hominis eſt in omnibus per ſe; & jam oſtendimus *ſupra* utramque propoſitionem.

19. III. Argumentum: Spiritus, qui in eodem homine diverſos habent effectus & diverſas res cognoſcunt, illi, qua ſpiritus & realiter à ſe invicem differunt. Atqui Spiritus hominis ſive mens & Spiritus Dei diverſas res cognoſcunt. Ergo.

20. Major patet, quia cognoſcere proprium eſt Spiritus, & proinde ubi diverſi ſunt cognoſcentes, ibi Spiritus oportet eſſe diverſos. Minor eſt in *d. cap. 2. §. 10. 11. & ſe* jam expoſiti.

21. IV. Argumentum. Quorum unus alterum reddit certiorem, unus alteri conteſtatur, hi plane diverſi ſunt; quod eſt ejusmodi, ut aliter concipi nequeat. Atque vera eſt adſumptio, Ergo.

22. Probatur adſumptio è *d. §. 12.* Ἐλάβομεν τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ, ἵνα εἰδῶμεν τὰ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν. *Accepimus Spiritum, qui ex Deo eſt*, immiſſum in corda noſtra, *ſuperius*, ut *cognoſcamus ea, quæ Deus* nobis largitus eſt. Cognitionem iliam à mente percipi, non negabunt; ſed habet illam mens à ſpiritu, qui à Deo menti additus eſt, ut textus loquitur.

23. Idem probatur ex *ad Romanos 8.* Τὸ πνεῦ-

n. 13. *q*) ratio) *Sed tamen videntur dicta, quæ ſpiritum opponunt carni & ſanguini, aliquando per carnem & ſanguinem & ſimilia intelligere rationem etiam rectam, ut in myſteriis ſupernaturalibus, aliquando rationem ſaltem corruptam, ut in negotiis moralibus. Applicatio relinquenda Dn. Theologis. Hæc obſervatio tamen fuit neceſſaria, quia Autor perpetuo miſcet rationem rectam & corruptam, quod non poteſt niſi confuſam tractationem quæſtionis producere.*

Digitized by Google

πνεῦμα ὃ ἐλάβομεν συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν. *Spiritus quem accepimus, conteſtatur Spiritui noſtro r)* v. 16. Sunt duo *Spiritus*, quorum alter cum altero cogitationes communicat.

24. Hinc qui unum modo ſpiritum, id eſt, mentem ſolam habet, vocatur ψυχικὸς, animalis; quia nihil habet quam ψυχὴν, animam rationalem.

25. Qui vero alterum accepit Spiritum menti ſuæ adjunctum & ſuperadditum, Πνευματικὸς appellatur ab Apoſtolo *d. cap. 2. v. 14. 15.* Nec veremur abſurdi imputationem, ex eo, quod duo principia cognoſcendi in uno homine fideli intelligimus, ab his qui mentem nihil aliud quam cogitationem eſſe dicunt.

26. Non magis quam à Theologis Reformatis, quorum primicerius hoc modo loquitur, *Verbum Dei non faciet fidem in cordibus hominum, niſi idem Spiritus, qui loquutus eſt per os Prophetarum, intret in corda noſtra*. Calvin. 1. *Inſt. c. 7. n. 4.*

27. Atque hoc eſt internum *lumen*, de quo paſſim ſacræ literæ & Interpp.

28. Inde refellitur ſententia VVolzogii, in *tract. contra libr. de Philoſ. Script. interpr.* quæ nunc eſt eadem Virorum Clariſſimorum. *Internum lumen*, verba VVolzogii, *nil poteſt utique aliud eſſe quam mens expurgata, quæ deterſo ſqualore peccati* affectibus ſcilicet & præjudiciis, ut alias loquitur, *jam inſtar ſpeculi recipit diſtinctiſſime rerum objectarum imagines s)* Quam ſententiam alter Cl. Virorum ſicut olim erat, merito falſam eſſe probavit *in libro contra VV.* & è duplici fidelium ſpiritu ex Paulo evidenter refellitur.

29. Hoc lumen internum Johannes Apoſtolus vocat χρίσμα ἀπὸ τοῦ ἁγίου, *unctionem à ſancto*, ὃ ἔχετε καὶ οἴδατε πάντα, *quod habetis, & noſtis omnia Ep. 1. c. 2. v. 27.* Et mox, τὸ χρίσμα ὃ ἐλάβετε ἀπ' αὐτοῦ, μένει ἐν ὑμῖν. καὶ οὐ χρείαν ἔχετε, ἵνα τις ὑμᾶς διδάσκῃ. *Unctio quam accepiſtis ea manet in vobis, nec opus eſt, ut quiſquam vos doceat.* Pergit: Τὸ αὐτὸ χρίσμα διδάσκει ὑμᾶς περὶ πάντων καὶ ἀληθές ἐστι *Eadem unctio docet vos de omnibus, & eſt vera verſ. 27.*

30. Habet igitur unctio illa vim docendi, & eſt principium cognoſcendi, quo vult Apoſtolus uti Fideles, adverſus eos, qui in errorem illos inducerent. Ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν περὶ τῶν πλανώντων ὑμᾶς. *Hæc ſcripſi de his, qui vos in errores inducunt.*

31. Atque hiſce dictis ſatis conveniens eſt, quod ſupra è Carteſio protulimus, *Lumen illud internum omni naturæ lumine certius eſt, & ſæpe etiam evidentius.* Cui dicto & ſimplicitati Apoſtolicæ utinam ſectatores ejus, poſtquam in eccleſiis noſtris tantum fecere numerum, ſtare voluiſſent; neque ſe illis, qui ex diverſo principio & negatione luminis illius ſupernaturalis, à ratiocinatione diſtincti, pleraque fidei myſteria eluſerunt, aggregaſſent.

CAP.

---

n. 23. r) noſtro) *Probe notetur hic locus. Ex eo enim confirmatur ſententia noſtra, quod etiam in ſpiritualibus ratio non ſit abjicienda, ſed ſubordinanda revelationi.*

n. 28. s) imagines) *Sed jam velim ſcire, an magna differentia ſit inter hanc aſſertionem, & eam quæ eſt Autoris in n. 14. quod Spiritus ſit facultas à mente diverſa, etſi in mentem agat & vim ſuam exerceat. Video quidem, VVolzogio lumen internum eſſe mentem* expurgatam *à Spiritu, Autori eſſe Spiritum* expurgantem *mentem. Sed an hæc differentia tantos motus & diſputationes meretur?*

CAP. III.

QUO PROBATUR: RATIONEM NON ESSE PRINCIPIUM COGNOSCENDI DIVINITATEM S. SCRIPTURÆ.

Ponitur, & limitatur, anthitheſis, quod Ratio ſit unicum in ſacris cognoſcendi principium. n. 1-3. Rationem intelligi, ut eſt in homine; hanc vero eſſe corruptam. n. 4-9. Proinde non poſſe principium eſſe cognoſcendi in ſacris, quod iterum è Paulo probatur: n. 10-16. vel qui ſic ſtatuunt, eos mentem ſtatuere oportere in facultatibus ſuis incorruptam. n. 17-20. Auctores verbi divini nunquam provocare vel remittere auditores ſuos ad rationem; quod fieret, ſi ratio eſſet principinm. n. 21. 22. Quin ratiocinationes turbare magis animas fideles. n. 23. 24. Abſurdum videri, quod unum idemque ſit principium cognoſcendi regenitorum & irregenitorum. n. 25. Nec qui ratione præ cæteris excellunt, primos eſſe in fide Chriſti amplectenda, ſed contra magis; quod iterum à natura principii alienum ſit; n. 26. idque iterum è Paulo n. 27. 28. & Juſtino Martyre illuſtratur. n. 29-34.

1. EX his, quæ dicta ſunt, evidentisſime patet, illius dicti falſitas; *Divinitatem ſcriptura ſacra aliunde non conſtare quam ex ratione:* Tranſeamus ad deſtructionem ſententiæ huic ſuppoſitæ, qua *ratio dicitur eſſe principium & quidem* unicum *cognoſcendi divinitatem* ſacræ *ſcriptura*; ut hæc *aliunde* nullo modo adſtrui poſſit.

2. Si hoc tantum vellent, non poſſe in diſputando cum aliis, iisque perſuadendo divinitatem ſcripturæ, aliunde quam à ratione *t*) peti argumenta, non eſſet quo illis adverſaremur.

3. Sed hoc repudiant, & diſerte nec aliis nec ſibi de ſcripturæ divinitate conſtare poſſe, *aliunde quam ex ratione*, contendunt, idque vult altera propoſitio; *Si quid ſcriptura diverſum à ratione dictet, illam huic non eſſe præferendam* nec poſſe præferri ſine flagitio, ut loquitur theſis Virorum Cl.

4. Quomodo autem Ratio ſumatur, etſi id minime dubium ſit, tamen ut monendum ſit, faciunt auctores novi. Nam ſe non niſi de ratione recta veraque loqui, non de *corrupta*, quod vocabulum de ratione nonniſi contradictorie, prædicari poſſit, proteſtantur.

5. Nos per rationem intelligimus, *ſim-*

 peri-

n. 2. *t*) à ratione) *Ergo ſi hoc concedit Autor, concedit etiam, rationem ſuo modo etiam eſſe principium unicum. Nam qui dicit aut concedit, in diſputando argumenta peti debere à ratione, is rationem agnoſcit argumentorum principium. Qui concedit non poſſe aliunde quam à ratione peti argumenta is concedit rationem eſſe principium unicum. Ergo tota lis eſt circa æquivocationem* principii *& adeo magis metaphyſica, quam Theologica.*

percipiendi & judicandi de rebus per proprias rerum ideas; ipſorum verbis hactenus utimur, ita *ſicut illa facultas eſt in mente humana, poſt lapſum primorum Parentum.*

6. Nec aliter illi poſſunt; Etenim, quando agunt de principio cognoſcendi, ex quo nobis aliisque de ſcripturæ divinitate conſtare queat, manifeſtum eſt, eos rationem non ſumere in abſtracto, ſed ut eſt in quovis homine, quales nunc alma natura producit.

7. At hi ſunt omnes corrupti, *u*) non tantum in corpore, ſed in mente vel maxime, id eſt, in ejus facultatibus, quæ cæcæ & mutæ ſunt in ſacris, ut ſtatim videbimus.

8. Sed illi corruptionem mentis non conſtituunt in ejus facultatibus, ſed in transverſario affectuum *w*) præjudicio, adeoque in actibus & habitu inde contracto; quam corruptionem ſi recte mens attendat ac intendat ſe, detur evitare vel ſuperare; maxime

---

n. 7. *u*) corrupti) *His vero dolemus lapſum Autoris nimis gravem & ſenſibilem. Rationem non eſſe principium unicum in rebus fidei, non eſſe primarium ſupra diximus & hactenus facile conſentiremus Autori. Eſſe aliquo modo principium ſed inferioris dignitatis v. g. inſtrumentale & ſupra aſſeruimus, & modo Autor* n. 2. *videtur indulſiſſe. Videmus etiam Theologos hic non contradicere. Spanhemius* in Elencho controv. p. 635. *in tractatione hujus ipſius quæſtionis monet, non confundenda eſſe diverſiſſima: Rationem eſſe poſſe judicem falſi, contradictorii, quod ut rationis univerſaliſſimis principiis repugnat, ſic nec revelatum unquam fuit, v. g. in materia transſubſtantiationis, ubiquitatis carnis Chriſti, ſanctorum in cœlo invocandorum &c. Aliud vero eſſe, ſi rationem quis velit ſtatuere judicem, &* normalem *quidem veri revelati, quod* ſupra *illius Sphæram longiſſime evectum eſt. Si in his terminis manſiſſet Autor, bene ſe res haberet. At nunc vult, rationem omnem ejurari tanquam corruptam, nunc ab uno extremo in alterum cadit. Diſtinguunt diſſentientes inter rationem rectam & corruptam. Autor negat diſtinctionem poſſe habere uſum, quia ratio in abſtracto ſit ſaltem recta non vero in concreto, quia omnes homines ſunt corrupti. Tot fallacia quot prope verba. Nolui credere Biblioth. univerſ. p. 464. referenti, quod Autor, ut tollat vel rejiciat declarationem diſſentientium, dicentium ſe id ſaltem intellexiſſe, quod ratio & ſcriptura ſibi non deberent contradicere, protulerit hanc diſtinctionem inter rationem in abſtracto & concreto conſideratam. Sed nunc cogor credere his oculis meis. Ex plurimis quæ Autori reponenda hic ſunt, opponemus ſaltem præcipua. Si ratio in abſtracto eſt recta, neceſſe etiam eſt ut ſit aliquando ſaltem in concreto, imo in omni concreto, vel certe in plurimis. Quomodo enim poſſet abſtrahi ſi in nullo eſſet concreto? Porro abſtracta dicuntur illa, quæ ſunt in plurimis, vel omnibus individuis, e. g. rationalitas, & riſibilitas ab homine. Uti enim à potiore fit denominatio, ita & abſtractio, ut nigredo a corvo &c. 2. Rationem in concreto eſſe in omnibus hominibus & in univerſum corruptam, ut non poſſit eſſe ullo modo principium veritatis, contradicit doctrina Autoris alibi poſita de imagine numinis poſt lapſum non extincta ſed imminuta, & ſuo modo adhuc recta,* vide cap. 1. hujus libri n. 9-14. *3. Hinc merito unus ex adverſariis Autori quærenti: Ubi eſt recta ratio? Annon noſti, noſtram rationem eſſe corruptam? reſpondit, Eſt in homine &c.* vid. Bibl. Vniverſ. p. 493. *4. Senſiſſe videtur iſta Autor. Inde non dicit hic omnis* ratio *corrupta eſt, ſed omnes* homines *corrupti ſunt. At vero hoc omnium maxime diſplicet. Si ex negligentia id factum, & ſic evidenter ſtatus controverſiæ fuit mutatus, ea ſupina eſt, & vix tanto viro condonanda. Si ex propoſito, profecto hic dolus vix merebitur ad bonos referri.*

n. 8. *w*) affectuum) *Sed nec hæc aſſertio indiſtincte eſt rejicienda, ſi per affectus intelligan-*

Digitized by Google

xime divino adſpirante auxilio, quod hactenus agnoſcunt; ut tamen menti, id eſt, facultatibus ejus nihil accedat, aut adfundatur ullo adflatu immediato.

9. Proinde ſic oportet omnes ſtatuere, quemadmodum inſtituunt, qui rationem principium cognoſcendi divinitatem ſcripturæ faciunt, rationem, id eſt, vim mentis percipiendi & judicandi volendique non eſſe corruptam in ſua facultate; Alioqui dicere non poſſent, quod corruptum & cœcum & mortuum eſt in ſpiritualibus, eſſe principium cognoſcendi divinitatem ſcripturæ ſacræ.

10. Ideó nobis id primi argumenti loco eſt. Quod ineptum & cœcum & mortuum eſt in ſpiritualibus, id non poteſt eſſe principium cognoſcendi x) res divinas. Atqui mens hominis, ſive ratio ſicut in eo nunc eſt, in ſpiritualibus inepta, cœca & mortua eſt. Ergo.

11. Nota ſunt loca, è quibus cæcitas & impotentia hominis in ſpiritualibus probatur: Princeps eſt ille Pauli 1. *ad Corinth. 2. v. 14.* ψυχικὸς ἄνθρωπος, inquit, *Animalis*, mentalis *homo.* Quis? *Qui nihil habet εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου, quam ſpiritum hominis.* id eſt, mentem ratione præditam, ut dixerat v. 11.

12. Quid ille? *οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ καὶ οὐ δύναται γνῶναι, non recipit ea quæ Spiritus Dei ſunt, nec ea poteſt cognoſcere.* Ne putes, eum duntaxat recipere non poſſe ſpiritualia, propter adfectus y) & præjudicia, vel actum & uſum pravum. *Non poteſt*, non habet illam facultatem.

13. Quid ita? Jam dixerat, Τὰ τοῦ Θεοῦ οὐδεὶς οἶδεν, *εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ, Res divinas nemo cognoſcit, niſi ſpiritus Dei*, quem illi non acceperunt; Sunt duæ facultates oppoſitæ, Spiritus hominis & Spiritus Dei; quod hic docet, ille non novit, nec ſcire poteſt, quia ſolus Dei Spiritus, quem fideles acceperunt, illa cognoſcere poteſt.

14. Fruſtra igitur hunc locum detorquent & pervertunt, qui pati non poſſunt, ut mens humana dicatur in ſuis facultatibus percipiendi, judicandi & volendi eſſe corrupta; Nihil clarius eſt inde, quam opus eſſe novo principio cognoſcendi, priusquam homo ſola mente rationali præditus ſpiritualia cognoſcere queat.

15. Hinc fit, ut ſint *αὐτῷ μωρία*, res ſpirituales *ei ſtulta* videantur; quia ſpiritus hominis, id eſt, ratio non eſt facta ad ſpiritualia; Non poteſt adſequi id, quod ſolus Dei ſpiritus *ἡμῖν ἀπεκάλυψε*, fidelibus detexit; iterum Paulus v. *10.*

16. Ita ſummus ratiocinator Calvinus hunc locum *παραφράζει*. *Animalis homo non poteſt percipere ea quæ Spiritus Dei ſunt, quem vocat Animalem? Nempe, qui naturæ lumine nititur. Quid ita? An quia per ignaviam negligit? Imo etiam ſi enitatur, nihil poteſt, quia ſcilicet ſpiritualiter dijudicantur. Quid iſtud ſignificat? quia humana perſpicaciæ penitus abſcondita per ſolam ſpiritus revelationem pateſiunt, adeo ut pro ſtultitia ducantur ubi ſpiritus Dei non elucet.* Et mox. *Quid volumus? Pronunciat Apoſtolus infatuatam à Deo ſapientiam hujus mundi & nos ſcilicet acumen ei tribuemus, quod ad Deum & cæleſtis regni*

tur voluntas hominis, ut fieri debet, & ſenſus ſit, corruptionem in moralibus pariter & ſpiritualibus primario in mente afficere cor ſeu voluntatem, (nam & ſcriptura ideo ſæpiſſime cordis mentionem injicit) intellectum in ſpiritualibus magis deficere, & inſufficientem eſſe, quam corruptam, aut ſi corrumpatur, id fieri à corruptione cordis &c.

n. 10. x) cognoſcendi) *Normale & principale, concedimus, inſtrumentale & interpretativum, negamus.*

n. 12. y) affectus) *Sed alibi tamen ſcriptura ſacra ſatis perſpicue indicat, tenebras intellectus oriri a tenebris cordis, ſeu adſectuum.* vid. Epheſ. 4. n. 18. junct. Rom. I, 21.

Digitized by Google

gni adyta penetrare poſſit? Faceſſat à nobis tanta vecordia. lib. 2. Inſt. c. 2. n. 20.

17. Hoc igitur primum contra principium rationis in ſacris argumentum, dat locum alteri; Quod hæc ſententia, de *non aliunde* quemadmodum oſtendimus, egeat iſta hypotheſi fundamento Chriſtianæ religionis adverſa, *mentem in facultate ratiocinandi adhuc eſſe integram*; nec niſi in affectibus & præjudiciis adeoque in uſu & actu & habitu inde producto conſiſtere corruptionem.

18. Qua interpretatione, ſola pars hominis bruta, quæ carne & ſanguine conſtat, infecta labe primæva ſtatuitur, ea parte, quæ maxime hominem facit, intacta, & imputationis peccati originalis ratio tollitur.

19. Cum ſatius foret, ſi labes in utraque hominem conſtituente parte non ſederit æquabiliter, ita ponere, viſcera curſumque ſanguinis & ſpiritum animalium, unde fere affectus, nihilo ſecus ſe habere nunc, quam in creatione prima, *z*) ſed mentis imperium, quæ corporis ad honorem amoremq; Dei ſervitio uti deberet, eſſe diminutum, judicio in ſacris atq; ſpiritualib9 extincto & intermortuo.

20. Quod ſi mens hominis in ipſa ratiocinandi facultate corrupta ſit, *a*) manifeſtum eſt, eam non eſſe principium cognoſcendi res ſacras. *b*) Atqui prius eſt certisſimum Chriſtianæ religionis fundamentum, inquam. Ergo plana conſequentia. Idque ſequens & tertium eſt argumentum.

21. Quartum alienis verbis collocabimus; *Ad quod principium Deus nuſquam nos remittit in verbo ſuo, quo etiam Chriſtus ejusq; Apoſtoli in confutandis falſis dogmatibus nunquam uſi ſunt, id principium fidei & religionis Chriſtianæ c) eſſe nequit. Atqui ad rationem humanam nunquam nos remittit Deus, nunquam etiam Chriſtus ejusq; Apoſtoli eo uſi ſunt. Major evidens eſt per ſe, quia dogmata fidei & religionis non traduntur aut adſeruntur absq; veris propriisque principiis. Veritas minoris confirmatur ſecundum utrumq; membrum, ex omnibus divinis revelationibus in utroq; teſtamento, quibus Deus doctrinam religionis hominibus patefecit.* Verba *Altingii Theol. elencht. pag. 37.*

22. Idem Calvinus; *Summa*, inquit, *ſcripturæ probatio paſſim à Dei loquentis perſona ſumitur; non jactant Prophetæ & Apoſtoli acumen ſuum neq; inſiſtunt rationibus l. 1. inſt. c. 7.* Rurſus; *Adeo autem heic conſternatur & deficit humana perſpicacia, ut primus in domini ſchola proficiendi gradus ſit, ab ea deficere; nam ea, ceu objecto velamine impedimur, quominus adſequamur Dei myſteria, quæ non revelantur niſi parvulis. lib. 3. c. 2. n. 14.*

23. Hæc nos ad quintum manu ducunt argumentum, quod verbis Baſilii hac de re agentis comprehenſum ſic habet; Οἱ λογισμοὶ παρασαλεύουσι τὴν ἀσθενῆ διάνοιαν καὶ θορυβοῦσι, καὶ ἀποδεῖξαι σαφῶς οὐδὲν ὧν λέγουσιν, ἰσχύουσιν, ἀλλὰ τοὐναντίον ποιοῦσι, ταράσσουσι μᾶλλον καὶ ζόφου πληροῦσι καὶ ἀπορίας πολλῆς. *Ratiocinationes infirmos animos quatiunt & turbant, nec quicquam eorum, quæ dictant perſpicue demonſtrare poſſunt, ſed contrarium efficiunt, perturbando magis & caligine atq; dubitatione multa implendo, ad 1. Cor. cap. 2.*

24. Ratio-

---

n. 19. *z*) prima) *Atqui hoc nolim dicere. Si viſcera, ſanguis, ſpiritus animales, & adfectus hodie ſunt, ut in creatione prima, vel hodie affectus vitioſi non ſunt, niſi ab adſuefactione, vel ſi labem originalem habent, ut habent, hac labes etiam adfuiſſet in creatione prima, quod etiam falſum eſt.*

n. 20. *a*) corrupta ſit) *Scilicet per tenebras cordis, ut modo dictum.*

b) res ſacras) *Niſi poſt illuminationem cordis & purgationem affectuum.*

n. 21. *c*) Chriſtianæ) *Primarium, & ut Spanhemius loquitur, normale; concedo, inſtrumentale & ſecundarium; nego. Hinc inculcatur in ſcriptura ſacra, quod noſtra religio debeat eſſe rationalis.*

Digitized by Google

24. Rationem hujus rei ſupra ex Apoſtolo intelleximus, quod nulla ſit inter rationem & ſpiritualia proportio vel convenientia. Calvinus inde, *ſcripturam demonſtrationibus aut rationibus ſubjici fas non eſt.* Iterum *Præpoſtere faciunt, qui diſputando contendunt, ſolitam ſcripturæ fidem adſtruere. lib. 1. Inſt. c. 7. n. 5.*

25. Sexti argumenti loco, prudens lector non neget hoc eſſe poſſe, petitum ex abſurdo, quod rationales noſtri nullo modo defugiunt; Inter principium cognoſcendi res naturales & artificiales fideique myſteria nihil eſſe diverſi in homine. Nec aliud eſſe principium, quo irregeniti veritates divinas percipiunt, quam quo vere fideles eaſdem cognoſcunt, quod ad principium, inquam cognitionis & perſuaſionis attinet. Etſi enim ipſis hac parte nihil abſurdi, nihil quod gloriæ Dei ſit adverſum, ineſſe videatur, ſecus tamen omnes vere pios in animum inducere certum & compertum eſt, atque è ſupra dictis infraque dicendis intelligetur.

26. *Septimum* argumentum ejuſdem ſupra laudati verbis addemus; *Si ratio humana eſt principium religionis Chriſtianæ, qui perſpicacia & acumine ingenii & judicii accuratione excellunt, religionem Chriſtianam facilius capient, cupidius amplectentur, plenius intelligent conſtantiusque retinebunt. Conſequens eſt falſum, repugnans ſcripturæ & experientiæ.* Ergo. Henric. Alting. *d. l.*

27. Hujus rei locuples Auctor eſt Paulus in 1. *ad Corinth. c. 1. & 2.* ubi de gratia agit, *ὅτι ἐπλουτίσθητε ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει, quod locupletati erant in omni cognitione* v. 5. c. 1. Sed quali? *Ἀπεκδεχόμενοι τὴν ἀποκάλυψιν Ἰησοῦ Χριστοῦ, accepta foris,* hoc enim eſt, *ἀπεκδεχέσθαι, revelatione Jeſu Chriſti*; Non uſum ſe *ὑπεροχῇ λόγου ἢ σοφίας,* neque *πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, non excellentibus & ſuaſoriis humanæ ſapientiæ rationibus,* quas provocat & rejicit; *Ποῦ σοφὸς, ποῦ συζητητὴς; Ubi ſapiens, ubi diſputator?*

28. Quid ita Paule? Quid ni provocas ſapientes, ut vim rationis experiantur? An neſcis, dari methodum ratiocinandi, qua per connexionem ſimplicium perceptionum argumentorumque rationalium, pervenire liceat ad tam certam rerum ſacrarum ſcientiam, ut hominem nullo modo fallere poſſit? Accuſares fallacias, temeritatem & *ἀμεθοδίας* ratiocinandi, diligentiam attentionemque juſtam exigeres. Tu vero: *Ἐμώρανεν ὁ Θεὸς τὴν σοφίαν τοῦ κόσμου τούτου. Deus ſapientiam hujus mundi infatuabit*: Executi ſumus hunc locum pluribus *in d. tractat. de Concurſ. rat. & ſacr. ſcript. pag 94.* Alia paſſim occurrunt diſconvenientiam humanæ ſapientiæ & evangelii ſignificantia, & quam pauci ſapientes mundi & acuti ratiocinatores illam amplexi fuerint, ex ore Chriſti & Apoſtolorum.

29. Idem ex eccleſiæ & omnis Chriſtianiſmi hiſtoria conſtat; quanto quiſque ſapientior, etſi nullam odii proprii cauſam habens, inter gentiles fuit, tanto à doctrina crucis alienores fuiſſe; ut e Taciti, Plinii, Marci Aurelii, Juliani, merito inter doctiſſimos habiti & plerisque Philoſophis animadverſum fuit. *d*)

30. Eſt locus inſignis hac de re apud Juſtinum Martyrem, *e*) qui ſe adhuc philoſophum & à fide Chriſti alienum incidiſſe narrat a-

n. 29. *d*) fuit) *Sed hic duæ obſervationes addendæ.* (1) *In omnibus ſapientibus Ethnicorum regnaſſe naturam corruptam, cum tam in principiis phyſicis, quam in moralibus admiſerint axiomata falſa, quarum falſitas etiam ex dictamine rectæ rationis imo ex ſenſu communi cognoſci poteſt, ut alibi à nobis oſtenſum.* (2) *Quoad poſitionem, quod ſimpliciores promtiores ſint ad fidem recipiendam, non plane de nihilo eſſe obſervationes diſſentientium recenſitas in Biblioth. univ.* d. Tom. 6. p. 494. ſeq.

n. 30. *e*) Martyrem) *Admitto hoc argumentum ſuo modo ut illuſtrans, ut probans vix*

pud litus maris, in ſenem venerabilem, cum quo in diſputationem de Deo & veritate delapſus præ ſe ferebat, τὸν λόγον ἡγεμονεύοντα πάντων *rationem omnium imperatricem.* Διὸ χρὴ, inquit, πάντα ἄνθρωπον φιλοσοφεῖν καὶ τοῦτο μέγιστον καὶ τιμιώτατον ἡγεῖσθαι, τὰ δὲ λοιπὰ δεύτερα καὶ τρίτα; *Quare cuilibet homini faciendum eſt, ut Philoſophetur, idque maximum & pretioſiſſimum ducat, reliqua ſecundo & tertio loco exiſtimet.*

31. Si veritas *aliunde* quam ex ratione adſtrui nequeat, adſentire debuiſſet ille ſenex, nec aliud inculcare principium; Ille vero poſt alia; Εὔχου, inquit, δὲ σοὶ πρὸ πάντων φωτὸς ἀνοιχθῆναι πύλας, οὐ γὰρ συνοπτὰ οὐδὲ συννοητὰ πᾶσιν ἐστιν, εἰ μή τῳ Θεὸς δῷ συνιέναι, καὶ ὁ Χριστὸς αὐτοῦ. *Precare tibi,* inquit, *ante omnia lucis aperiri portas: Nec enim ab ullis hæc intelligi vel dijudicari poſſunt, quam quibus Deus & Chriſtus ejus id dederint.* Replicat Juſtinus; non poſſe illud eſſe aliud, quam τὸ τοῦ νοῦ ὄμμα, *mentis lumen*, plane ut Auctores noſtri in *cap. 1. hujus ſectionis.*

32. At ſenex eum adſcripta Prophetarum & Apoſtolorum remittit, ut tamen ne heic quidem rationem tanquam principium dijudicandi commendet, οὐ γὰρ μετὰ ἀποδείξεως, inquit, πεποίηνται τοὺς λόγους, ἅτε ἀνωτέρω πάσης ἀποδείξεως, *nec enim cum demonſtratione ſua ſcripta compoſuerunt, utpote quæ ſuperarent omnem demonſtrationem.* Næ ille Senex ingentem calumniæ dicam ſcripſiſſet, hac audita poſitione, qua ſibi placent. *Si quis rationi ſcripturam ſacram præferat, eum erroris ſe reum facere flagitioſi.* Secundum illorum hypotheſin illum ſenem hoc modo loqui oportuiſſet; (detur venia huic προσωποποιΐας.)

33. *Bene habet ô Juſtine, quod rationem rectam ut ducem & imperatricem ſequi paratus es; neque nos eam defugimus, neque divinas veritates ex aliis principiis approbamus aut exploramus: verum eſt, habere nos revelationes ſacris quibusdam ſcriptis comprehenſas; ſed harum divinitatem, à quo pendet omnis earum auctoritas, aliunde quam à ratione adſtrui non poſſe fatemur; nec contendimus, ut tu quicquam in animum inducas credere, quod non ratio tibi dictet eſſe rectum & verum, & ſi quid eveniat tibi proponi, quod ratio ſecus dictet, inde à principio tibi jam prædico, noli ſcripta ſacra, quæ tibi proponentur, rationi præferre. Saltem hoc obſerva; exactam ratiocinandi methodum inſtitue, libera te præjudiciis, excute ſegnitiem; noli quicquam rebus tribuere vel negare, quod eis tribuendum vel negandum eſſe, nunquam animadvertiſti. Inprimis cave tantum errandi flagitium committas, ut ſi quid ex ideis rerum adſeverate collegeris, illis eſſe tribuendum vel negandum, id ipſum deinde neges eisdem rebus eſſe tribuendum vel negandum, aut dubites, an tribuendum vel negandum ſit. Hæc in ſcriptura ſancta gratiam facere, tam valide improbatur apud nos, ut etiam gradus ad eam culpam fieri absque flagitio non poſſe merito cenſeatur; ſed ita firmiter apud animum tuum conſtitue, non poſſe verum eſſe quod rationi contrariatur, nec quod rationi convenit iisdem literis ſacris adverſari poſſe.* f) *Proinde, ſi modo attendas rectamque viam meditandi inſtitueris, de auctoritate ſcripturæ jubeo te eſſe ſecurum. Nihil aliud à te ſtipulor, nihil omnino cautionis poſtulo, quam ut in his, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, eam ſerves ſacræ ſcripturæ reverentiam, ut ſi quid in illis ſuſpicere contrarium his, quæ tu vera putes, novo & quam fieri poteſt accuratisſime examini ea ſub-*

---

admittet, qui accurate expendet obſervationem Viri Clariſſimi in Tom. 2. Obſervat. Halenſ. obſ. 7.

n. 33. f) poſſe) *Patet ex hoc loco, Autorem in ea opinione eſſe, acſi ratio & ſcriptura ſibi contradicere posſint, cujus tamen contrarium demonſtratum ſupra* cap. 1. n. 15. lit. m. *quod etiam admittit, qui partibus Autoris olim acceſſit Hermannus VVitſius, ut oſtenſum* ad cap. 1. n. 29.

ſubjicias, cæterum, quæ recta ratio tibi perſuaſerit, de illorum veritate cave unquam dubitare tibi veniat in mentem; ſi modo legitime *colligas rationes, in utramvis aurem omnino licebit otioſe dormias.* Hæc ab iis quæ dixit *διὰ μακρῶν* diſcrepantia, cum his conferantur licet.

34. Sed tempus eſt, ut ſententiam Chriſtianæ religioni neceſſariam vereque fundamentalem, objectionibus, præter & poſt eas, quæ ab Hobbeſio motæ & in *cap. ult. ſectionis præcedentis* occupatæ ſunt, liberemus.

CAP. IV.

QUO OBJECTIONES ADVERSUS PRIOREM; ET FUNDAMENTA POSTERIORIS SENTENTIÆ REMOVENTUR.

Objectio de confuſione, quæ ſit in orthodoxa ſententia inducitur & refellitur. n. 1-11. Etiam, quod à prædicato fidei deſumitur, quo dicitur rationalis. n. 12-14. Plerumque methodum ratiocinandi in primis converſionibus abfuiſſe, non ſemper: n. 15. 16. & ineſſe divinitatis notas verbo ad perſuadendum ſufficientes, n. 17. 18. ſed rationem ſolam in transverſum agi, nec piis ſimplicibus in ratione ſola ſatis eſſe præſidii, contra dubitationes & tentationes. n. 19. Nec acerrimos ratiocinandi magiſtros hac via ad fidem ſolidam evangelio habendam adduci ſolere, quod exemplis abunde conſter. n. 20. Reſpondetur bifariam ad argumentum, è characteribus divinitatis verbo Dei impreſſis, quaſi illorum collectio ſit via ratiocinandi & unum principium. n. 21-38. Solam voluntatem ſive decretum Dei, quod homo ſit crediturus, non ſufficere ad lumen ſupernaturale, quod ſacra ſcriptura fidelibus adſcribit, adſerendum. n. 39-42.

1. Quemadmodum, qui rationem faciunt principium cognoſcendi divinitatem ſacræ ſcripturæ & rerum in ea traditarum, præter injuriam quam faciunt verbo & Spiritui ſancto, incidunt in incommodum arbitrariæ interpretationis, quam in literas ſacras inferunt, ſeque neceſſitati infinitis impiorum cavillis, quo nihil inutilius, reſpondendi implicant; ita patroni rationis *omnium imperatricis*, ut Juſtinus loquebatur, nullius rei magis orthodoxos, quam obſcuritatis hac parte coarguunt.

2. Neque prius hæc opinio, de ratione quaſi principio res ſacras judicandi, antehac Socinianis propria & à Remonſtrantibus adoptata perrupit in eccleſiam Reformatam, quam è dubitandi tenebris emerſit, illa vis ratiocinandi, quæ tam certa & infallibilis quam Deus eſt verax, eſſe gaudet, ejusque uſus in Theologia, quod Auctor ejus enixe prohibuerat, obtinere cœpit.

3. *Primum* Confuſionis argumentum petunt ex eorum dictis, *qui in fide non opus eſſe ratione*, qui fidem prævenire ſcribunt rationem, quomodo D. Heidanus, ſed dubitandi methodo necdum initiatus, loquebatur, *faſcic. Diſp. Socin. 11. §. 4.* Item Calvinus, *talis eſt hæc perſuaſio*, inquit, fides, *quæ ratio-*

rationes non requirat l. 1. c. 7. n. 5. Alibi. *Unde ſtatuimus, fidei notitiam certitudine magis, quam apprehenſione conſtare;* Quod explicat; *Dum perſuaſum habet, quod non capit, plus ipſa perſuaſionis certitudine intelligit, quam ſi humanum aliquid ſua capacitate perciperet l. 3. c. 2. n. 14.*

4. Jam olim hoc confuſionis argumentum notavit Abelardus Pariſienſis Magiſter, cujus ingenium ut *ἑτεροδοξότατον* deſcribit Bernardus *epiſt. 190.* Is explicans ſapientis dictum, *qui credit cito, levis eſt corde;* Cito *credere*, inquit, *eſt adhibere fidem ante rationem*, quod de naturalibus veriſſimum, in ſpiritualibus ſæpe falſum eſſe ex ſupra dictis manifeſtum eſt.

5. Etiam è modo & momento converſionum, quæ prædicationibus Apoſtolorum commiſſæ leguntur. Nam ſi ratio eſt principium cognoſcendi divinitatem verbi, oportet, auditorem vel lectorem primo dubitare, res perceptas inter ſe & cum ideis innatis attente conferre, rationes in diverſum tendentes diu multumque perpendere, & tandem omnibus mature examinatis, ubi ad viſionem claræ & diſtinctæ perceptionis eniſus fuerit, concludere, neque prius adſentiri.

6. Idque in myſteriis abſtruſiſſimis de natura Dei unius & trini, cum humana natura conjuncti, duram pauperiem omniaque mala in terris perpeſſi, à cruce ſuſpenſi, à morte reſuſcitati, in cœlos ſublati. Judæum oportet examinare vaticinia de Meſſia, nunquid inde liqueat, Meſſiam eſſe *παθητὸν*: Si prius quam hæc, pro rei momento accuratiſſime examinaverit, adſenſum præbeat, in leges impingit & ratiocinandi flagitium, ſi credimus Duumviris, rationem eſſe unicum credendi principium, committit.

7. Tu vero cum hac methodo compara ſis, converſionem trium millium per concionem Petri, Lydiæ porphyropolæ, commentarienſis apud Philippos, aliaque fine numero. Nihil ſimile reperies; majeſtas & fulgor verbi prædicati, mentes eorum ita perculit ac penetravit, & ſacra lux eum in modum iis adſulſit, ut occupata profligataque ratiocinandi, deliberandi, eligendique cura & nube dubitationum, evidentius atque efficacius Dei verbo adſenſi fuerint, quam ulla idearum connexione & argumentorum delectu conſequi & efficere potuiſſent.

8. Subacti illa experimentorum evidentia diſſentientes, compendium aliquod ratiocinandi in ſimplicioribus agnoſcere videntur, ut omnino tamen rationem illis principium eſſe contendant. Sed aut leges ratiocinandi, quas fingunt & inculcant, non eſſe neceſſarias fateri illos oportet; aut certe in illis ſimplicibus, qui non obierunt illam methodum, non fuit ejusmodi perceptio veritatis, cujus ratiocinatio principium dici queat, ſed credulitas quædam & feſtinata perſuaſio.

9. Nec tamen ideo, quod eſt *ſecundum* illorum idemque *Pajoni argumentum*, Spiritum Dei, ut in bruta, ſic in fideles, vel ut in lapides operatum fuiſſe ſtatuimus. Spiritus Dei effuſus in illorum corda facit, ut ſpiritus hominis ſive mens conſenſum præbeat adſertionibus prædicatis, ſine methodo dubitandi ratiocinandi, quæ, ubi ratio eſt principium, nullo modo negligi poteſt.

10. Spiritus Dei efficit ſæpe claram & diſtinctam perceptionem, *ſine prævio examine rationali*, quod adeſſe oportet, ubi ex ratione concludendum eſt; plane ut ipſum Carteſium ſupra audivimus in factis agnoſcentem; quem illi ſcilicet, aut heic cæſpitaſſe, vel lumen ſupernaturale, ſine methodo, evidentius quam rationale, metu offenſæ in nova inſtitutione, vulgo dare voluiſſe, quod eripere non poterat, arbitrantur.

11. Nec aliter accipienda quæ *ſupra* ex orthodoxis habuimus, de *certitudine fidei* oppoſita *apprehenſioni*, & de *perſuaſione ejus quod non capit* fidelis. *Cognitionem cum vocamus fidem* ait Calvinus, *non intelligimus comprehenſionem, qualis eſſe ſolet earum rerum, quæ ſub humanum ſenſum cadunt l. 3. c. 2. n. 14.*

quæ

quæ per collationes & concatentationes multarum perceptionum ſimplicium & rationalium argumentorum, deſinant in claram viſionem luminis naturalis: Nec his quidem negatur eſſe locus in ſacris, negatur eſſe locus ut principiis, negatur unice, *nec aliunde* conſtare poſſe de divinitate verbi, ut volunt illi.

12. Habent tamen inſtantiam, quod & *tertii* vicem *argumenti* tenet, religionem Chriſtianam eſſe *rationalem*, λογικὴν, ut Apoſtolus, ad *Rom.* XII, 1. à qua proinde ratiocinationem ejusque methodum exactam alienare, deforme ſit & injurium in Auctorem rationis & ſcripturæ; in quo argumento valde ſe jactant & increpant diſcrepantes.

13. Sed quod ad Pauli locum attinet, huic facile ſatisfit eo, quod ille rationalem qualitatem religioni Chriſtianæ adſeruit, comparatæ cum religione Moſaica, quæ externo & carnali apparatu ſic erat involuta, ut rationalis qualitas in ea vix appareret.

14. Tum vero procul eſt ut a cognitione divinitatis S. ſcripturæ, alienemus rationem aut ratiocinationem, vel illam ſuſtinere non poſſe credamus exactiſſimam ratiocinandi methodum, ſed negamus, eam à *principio* ſemper *g*) & neceſſario adhibendam, aut Spiritus ſancti lumen ſine illa methodo, credentem non poſſe reddere certum & certiſſimum absque ulla dubitationis nubecula.

15. Neque tamen negandum, converſiones, unquam fieri per viam ratiocinandi; quemadmodum de Beroenſibus *in Actis* revelatum eſt, eos inquiſiviſſe diligenter in ea, quæ Apoſtoli proferebant, multosque tales, ſola vi Spiritus ſancti ante ratiocinandi methodum ad credendum non abreptos, ſed mediis rationibus inductos; haud tamen aliter, quam adſpirante Spiritu ſancto menteſque eorum ad accipiendas rationes aperiente, dicendum eſt. Cave tamen, hos ſolos veram accepiſſe fidem, reliquos inde ab initio verbum ipſis expoſitum pleno adſenſu amplexos, temere crediſſe putes.

16. Etſi deinceps & ex poſt facto, non eſt dubium, quin edocta mens eorum lumine ſupernaturali, rationem fidei & ſalutis humani generis à Chriſto procuratæ, cum admiratione divinæ ſapientiæ pleniſſime perſpexerit, eamque viam, quæ rationi non illuminatæ μωρία, *ſtultitia* videbatur, maxime rationalem Deoque dignam judicaverit; Utcunque Chriſtus & Apoſtoli ad hanc rationis convenientiam nullibi provocare comperti ſint.

17. Hæc tamen non obſtant, quominus ejusmodi κριτήρια, ſive notæ in ſacra ſcriptura & verbo inde prædicato eluceant, quæ omnibus conſcientiis teſtatam facere queant ejus divinitatem & evangelii prædicati veritatem; quo pertinet locus Apoſtoli, rationalibus noſtris palmarius 2. *Cor.* 4. 2. *Τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας συνιστῶντες ἑαυτοὺς πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων, manifeſtatione veritatis accommodantes nos ad omnem conſcientiam hominum.* Qui locus poteſt facere *quartam* objectionem.

18. Reſponſio occupata eſt, ineſſe revera Dei verbo ejusmodi vim veritatis, quæ ad arguendas refragantium conſcientias eosque reddendos ἀναπολογήτους & convincendos ſufficiat. Ut tamen æque certum ſit, illa κριτήρια notasque verbi eſſe ejusmodi, ut ψυχικὸς, mere homo rationalis ſine Spiritu Dei illis ad fidem moveri non poſſit, verum ſibi relictus in alia omnia diſceſſurus ſit.

19. Conſtat etiam, illas notas divinitatis tot cavillis & objectionibus ex ratione depromptis impeti & involvi, ut ſi Auditores pii & ſimplices nihil in cordibus ſuis habeant, quam methodum ratiocinandi, ab hac ipſa in transverſum agerentur, minimeque in ea

n. 14. *g*) ſemper) *Ergo tamen aliquando. Unde contradicit Autor aſſertioni propria, quam argumentum fecerat* totius capitis 3. *Vide ibi notata* ad n. 2.

in ea ſatis præſidii in tentationibus & anguſtiis ſpiritualibus haberent.

20. Quando palam eſt, etiam acutiſſimos ratiocinandi magiſtros, qui hanc ipſam methodum ſacris adhibere docent, ab ea quam de verbi divinitate perſuaſionem ab ineunte ætate habuerunt, ſæpe dimoveri, & ejus contemptum, diligentia ratiocinandi, quicquid diſſimulent, animis ſuis induere, ut exemplis patet manifeſtis & non manifeſtis.

21. Ex hiſce quid de *quinta* objectione ſit habendum, intelligi poteſt. Ajunt *κριτήρια* & notas divinitatis, quæ in verbo & ſcriptura ab Apoſtolis & Prophetis editæ reperiuntur, eſſe totidem *medios terminos*, quibus auditor adſumptis, inde ratiocinatur & concludit, ſcripturam eſſe divinam, hoc modo; *In qua oratione vel ſcriptura reperiuntur notæ divinitatem verbi infallibiliter arguentes, illam oportet eſſe divinam. Atqui in verbo ſcripturis que Apoſtolicis reperiuntur tales notæ. Ergo verbum & ſcripturam illam oportet eſſe à Deo:* Parique argumento quicquid in illis traditur: Et ſic rntiocinatio eſt principium.

22. Hoc argumentum nonnullis maxime placuit, atque in eo toti fuere; poſtquam ſocios, qui rationem non modo principium divinitatis ſcripturæ, ſed & ipſarum quæ in iis continentur rerum, eſſe docent, hactenus in ſpeciem magis quam re ipſa deſerendos putarunt.

23. Reſponſio ad argumentum illud eſt duplex. Prima, non eſt idem, cum dicitur; *Scripturæ divinitas aliunde quam ex ratione conſtare non poteſt*; cum hac poſitione; *divinitas ſcripturæ non poteſt aliunde quam ex characteribus divinitatis, quos ipſe Deus ſcripturis impreſſit, conſtare.* Nam characteres iſti non ſunt notiones inſitæ menti, unde ratiocinatio ducitur; ſed quaſi fulgura, quibus tanquam propriis radiis ad convictionem omnis conſcientiæ, ſcriptura coruſcat, quemadmodum recte ab aliis ad hanc inſtantiam pridem reſponſum fuit.

24. Fere ut ſubulcis uſu venit, quibus angeli natum meſſiam denunciarunt. An his etiam ratio fuit principium? Ita ſcilicet, *quod angeli dicunt, hoc eſt verum. Atqui puerum hunc eſſe Meſſiam angeli dicunt. Ergo verum eſt.* Nugæ. Fiat tamen ita; Sed an ita pergent? *Quam rem angeli nunciant, hanc nos collatis rationibus ac ideis clare & diſtincte percipimus?* Apage, ubi nihil fuit, quam τὸ ῥῆμα γεγονὸς, verbum editum & intellectum cum gaudio Spiritus ſancti *Luc. 2. v. 15. 20.* Si rationales audiviſſent, primo dicta illa cum ideis menti inſitis & cum vaticiniis Prophetarum conferre debuiſſent, ne quid ante rationem.

25. Altera ſit hæc reſponſio; Non poſſe mentem hominis, ut nunc eſt, in facultatibus ſuis corruptam, ita ſuas cogitationes inducere ut in illis quæ laudantur notis, etſi tales revera ſint, infallibilem putet ineſſe demonſtrationem, *quod verbum ſit divinum*; cum iſtæ notæ ſint eædem cum re ipſa. Unde multo plures hominibus ſola ratione utentibus objectiones & difficultates cavillatoriæ, quam notæ veritatis à piis inde colliguntur.

26. Abſit, ut valori iſtarum notarum detrahamus; ſed ut ſola rationalis inde collectio exceptionibus & objectionibus argutis & infinitis, ſimplices auditorum vel lectorum animas, nihil quam attentionem ſuam adhibentes, ad πληροφορίαν, id eſt, pleniſſimam & liquidiſſimam perſuaſionem, qualis eſt fides, adducere poſſit, rei ipſius evidentia & experientia refellit.

27. Optimum argumentum eſt ab eventu vaticiniorum. Sed quam nec illud ad infallibilem demonſtrationem in piis, qui ſola vi rationis utantur, ſufficiat, his ultimis temporibus, qui huic parti ſcripturæ plus operæ quam aliquot ſeculis datum eſt, compertum fuit, dum totidem ſyſtemata explicationum quot interpretes prodierunt; ut multo ſimus incertiores quam dudum.

28. Nequidem miracula quæ leguntur in ſacris perpetrata, nunc infallibile præbent argumentum, quia nituntur fide relationum in ſcri-

in ſcriptura extantium, quæ proinde requirunt idem principium cognoſcendi veritatem, quod ad ſcripturæ divinitatem eſt neceſſarium.

29. Efficaciora fuerunt in eos quibus coram edebantur, ſed tamen ne in hos quidem valuiſſe quod ſatis eſſet ad πληροφορίαν, Chriſtus ipſe toties ingeminavit, quoties neminem niſi tractum à Patre ſuo, niſi cui is veritatem detegeret, credere poſſe profeſſus eſt.

30. Quid de reliquis gnoriſmatis? Hæc à viro docto noviſſime ita recenſentur. I. quod in ſcriptura revelatum ſit, quomodo peccator modo θεοπρεπῆ cum Deo poſſit reconciliari, quod nullus homo excogitare potuiſſet.

31. Atqui hoc illud ipſum eſt, quod Theologus è multis unus (nomini parcamus) Reformatæ Paſtor eccleſiæ ab ineunte credi-ditum ætate, per ratiocinationem amiſerat, nec niſi in ultimo vitæ articulo ſingulari Spiritus S. gratia in animum inducere potuerat. Idem eſt, quod hi, quibus hæc opera & omne ſtudium eſt, ut religionem Chriſtianam cum ratione per omnia concilient, maxime repudiant & rationi repugnare ſubtiliter demonſtrant mereque rationalibus facile perſuadent.

32. Idem de ſecundo Viri docti argumento tenendum: *in qua ſcriptura talia de Deo revelata ſunt, quæ humano ingenio excogitari non poterant, veluti eſt doctrina de Trinitate, b) hanc oportet eſſe divinam. Atqui.* Ergo.

33. Hoccene, quod rationales, ut ſpecimen repugnantiæ cum ratione perpetuo objiciunt, argumentum erit, unde argumentum evincendi divinitatem ſacræ ſcripturæ petatur apud negantes?

34. III. quam ponit nota Vir Rev. de Vaticiniis, examinata eſt.

35. IV. Nota; *Quia Deus ipſe cum Moſe, cæterisque Prophetis loquutus eſt*; incidit in eandem circumſtantiam, quæ de miraculis modo relata eſt.

36. V. Nota; ſimplicitas, & integritas ſcriptorum, qui facta quæ ſcribunt, comminiſci non potuiſſent, hæc facit, ut moralia ab illis ſyncere dictata putent rationales: In rebus abſtruſis hoc illis præjudicium eſt in contrarium.

37. Plane ut hæc & ſimilia magni valoris ſint apud animos a Spiritus ſancti lumine jam præventos, id quidem fatendum; ſed ad eos qui ſola ratione, ſicut, inquam, ea nunc eſt in homine diſpoſita, procedunt in rebus examinandis, minime ſufficiunt ad convictionem & liquidam perſuaſionem; abſterrent magis, & μωρία ſtultitia videntur, ut Apoſtolus & res ac uſus docent.

38. Longe præ cunctis rationibus confirmat fideles validius, illud χρῖσμα, per quod omnia norunt, *unctio cæleſtis* & conteſtatio Spiritus Dei inſinuata menti, quam ſupra ex Paulo & ex Johanne percepimus; quæ facit, ut illæ notæ ſint, quod eſſe videntur, & animos intima clariſſimaque luce perfundant.

39. Neque vero immediata vis illa luminis infuſi abſolvitur decreto ſcilicet & voluntate divina, quæ velit & decernat, ut homo tales & tales ineat cogitationes; ut tamen in mente nihil ſit aliud quam collectio rationalium argumentorum, nec aliud in ea ſtatui poſſit abſque enthuſiaſmo, ut Viri Cl. inculcant.

40. Non opus eſt repeti quæ protulimus, & ad hæc refutanda ſufficiunt; Nec repetam quod ultro patet, hac interpretatione, mentem in ſuis facultatibus æque ſtatui incorruptam, quam ab his, qui corruptionem in uſu & actu & habitu acquiſito conſtituunt. Quia ratio ſic etiam, ut eſt in homine jam corrupto, ſtatuitur enixe, principium cognoſcen-

n. 32. b) de Trinitate) *Sed adde his quæ urget D. Roch. in Biblioth. univerſ.* pag. 486. ſeq.

ſcendi divinitatem verbi; quòd, ſi in ſuis facultatibus corrupta & cœca ſit, nullo modo eſſe poteſt *ſine novo principio.*

41. Enthuſiaſmi notam à nobis amoliri neceſſe tunc erit, cum negabitur, quod adhuc factum non eſt, ſententiam noſtram eſſe communem veterum Reformatorum, quos ut confuſionis, hodierni univerſæ dubitationis magiſtri inſimulent, enthuſiaſtas tamen adhuc fuiſſe nemo dixit; neque dicendum putavit, qui nos Spiritus ſancti motus, nonniſi verbo Dei conſentaneos, & ſecundum illud omnes motuum ſpecies, virtutum & qualitates examinandas cenſere cognoverit.

42. Deſtructa ſatis eſt hæc poſitio, *quod divinitas S. ſcripturæ aliunde quam ex ratione cognoſci vel adſtrui nequeat.* Unde altera, quod *ſi ratio nobis aliud quam ſcriptura dictaret, huic non eſſet potius credendum,* corruit; quæ manifeſto nititur hac hypotheſi, quod ratio æque in homine certa ſit, quam ſcriptura, ſi modo recte inducatur; quod iterum præ ſe fert alia, hypotheſes duas convellendo factas Chriſtianiſmo, *rationem in ſuis facultatibus adhuc eſſe incorruptam,* de qua diximus; & veritates in ſcriptura traditas ad rationis normam examinandas, nec aliter quam ſi cum illa conveniant, eſſe admittendas; quod eſt thema Socinianum, ſcripturam Philoſophiæ ſubjiciens & pleriſque myſteriis ſubvertendis comparatum. Sed nos in priore quæſito, de principio cognoſcendi divinitatem ſacræ ſcripturæ ſubſiſtemus.

CAP. V.

DE TESTIMONIO OBSIGNANTE FIDEM RECEPTAM.

Inter converſiones factas ad fidem veram in prima evangelii prædicatione repentinas & eas quæ poſt receptam in orbe fidem per traditiones rationales committuntur, eſſe diſcrimen modi, non rei ipſius, ut alii aliis evidentius lumen ſupernaturale à ratione diſcernant. n. 1-5. Fidem perſuaſam & animi conſcientia acceptam teſtimonio Spiritus S. in vere fidelibus obſignari & oppignorari ſolere, n. 6. 7. 8. idque ſigillum & pignus à fide rationali bene eſſe diſtinctum, è variis ſcripturæ locis inducitur & probatur, ſecundum diverſos converſionum modos. n. 9-18. Pertinere id etiam ad cognitionem, exemplo myſterii, de cibo & potu carnis & ſanguinis Chriſti probatur. n. 19-25. Exponuntur aliæ quædam operationes Spiritus S. in animis fidelium *Pignoris & teſtimonii* uſum exhibentes, n. 26-35. & removetur exceptio. n. 36.

1. Quæ de cauſa ſupernaturali fidem producente *ſupra* demonſtravimus, hypotheſin maxime Pagani ad fidem converſi, quales in prima evangelii prædicatione, requirunt, in qua perſuaſio de veritate & divinitate verbi plerumque cum generatione novi hominis conjuncta fuit.

2. Qui ſic convertebantur, in his quidem fides non fuit ſine ratione; ſed principium credendi non fuiſſe rationem, ex eo liquidiſſime

ſime patebat, quod plerumque fides methodum ratiocinandi & exactam argumentorum comparationem præveniebat, ut tamen veriſſima & liquidiſſima fides eſſet.

3. Hi vero deinde cœlitus perſuaſi, introſpicientes in myſteria fidei, dignam in illis Deo ſapientiam adeoque cum ipſa ratione vera convenientiam, ſoli rationi, ut eſt in homine corrupto, impenetrabilem agnoſcebant; ac ita viſionem & conſcientiam diſcriminis inter ratiocinationem & tractionem Spiritus ſancti evidentem habebant.

4. In cæteris, qui poſt accuratum examen & collationem argumentorum ad fidem traducebantur, adfuit equidem illa vis eadem ſupernaturalis nec defuit ejus à ratiocinatione differentiæ conſcientia; verum minus evidenti temporis ordine diſcreta vel foris apparens.

5. Recepta per orbem fide Chriſtiana, perſuaſio de verbi divinitate in plerisque, ſine ratiocinatione & ſine ſpeciali gratia cœleſti, traditione parentum & inſtitutione præcipientium ſedit animis hominum; cui dein ratiocinatio in multis iterum ſine ſalvifica (ne de tralatiria dicamus) Spiritus ſancti gratia acceſſit, ac ita fidem hiſtoricam & rationalem adſtruxit.

6. Sunt, quos miſericors Deus è ſtatu naturæ per efficaciam Spiritus ſui ad interiorem cum Chriſto, & per hunc cum ſe ipſo conjunctionem traductos, nova ſimul luce tam notabiliter perfundit, ut differentiam ratiocinationis ab illo lumine ſupernaturali clariſſime perſentiſcant.

7. Hujusmodi ſupervenientem Spiritus Dei operationem & illuminationem inſcriptione hujus rubricæ, de teſtimonio fidem receptam obſignante & pignorante, intelleximus, eique non modo in his, quibus poſt fidem ratione vel inſtitutione ſola perceptam ſupervenit, ſed etiam iis qui primitus à Spiritu ſancto rapiuntur ad fidem ante citraque ratiocinationem evenire, conſtat è ſacris; Idque nunc ut probem, faciendum eſt.

8. Non loquemur de prodigioſa Spiritus S. immiſſione, quæ facta eſt in Apoſtolos & ab illis converſos, qui vel ſtatim vel aliquandiu poſt fidem acceptam ejusmodi Spiritu extraordinario, quem non viſum fuit Deo in eccleſia eſſe perpetuum, donabantur; ſed loquimur de communicatione teſtimonii, quod ad finem usque mundi duraturum eſſet in fidelibus, juxta promiſſionem Chriſti *Joh. 14. & 15.* *ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα, ut vobiſcum maneat in æternum*, quod nulli niſi vere fideles cognituri eſſent ℣. 17.

9. De hoc Paulus ita, *ὁ δὲ βεβαιῶν ἡμᾶς, σὺν ὑμῖν εἰς χριστὸν καὶ χρίσας ἡμᾶς, Θεὸς, ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς διὰ τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. Qui ſtabilivit & unxit nos vobiſcum, Deus eſt, qui nos etiam obſignavit & Spiritus ſui pignus dedit in cordibus noſtris 2. Cor. 1. ℣. 21.*

10. Conferamus cum hoc loco alterum ad *Epheſ. 1. ℣. 13.* *Ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς ἀκούσαντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, ἐν ᾧ καὶ πιστεύσαντες ἐσφραγίσθητε; Ἐν τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ, ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν. In quo*, Chriſto, *poſtquam audiviſtis ſermonem veritatis, in quo poſtquam credidiſtis, ſigillo obſignati eſtis:* Scil. *Spiritu ſancto vobis promiſſo, qui eſt pignus hereditatis noſtræ.*

11. Duæ res heic à Paulo, re & temporibus diſtinguuntur, acquiſitio fidei, & ejus obſignatio atque oppignoratio. Prima pars eſt in verbis, *ἀκούσαντες, πιστεύσαντες*; *Poſtquam audiviſtis, credidiſtis.* Item, *ὁ βεβαιῶν καὶ χρίσας ἡμᾶς εἰς χριστὸν*; Priora dicta rem ſimpliciter, hæc modum & cauſam exprimunt, *fundationem & unctionem*, qua fides à Spiritu ſancto mentibus indita fuit.

12. Hac ipſa re commiſſa & collocata, ſequitur obſignatio in verbis, *ὁ καὶ σφραγισάμενος ἐσφραγίσθητε.* Item oppignoratio, *διὰ τὸν ἀῤῥαβῶνα, ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν* &c. comparatione deſumpta è negotiis contractis & eorum confirmatione per ſigilla & hypothecas vel pignora in manus tradita, ſicut fert uſus hominum atque rerum quotidianus.

13. In emptionibus venditionibus, locationibus conductionibus, ſtipulationibus, mutuo,

mutuo, donationibus, & ſimilibus ipſæ conventiones ita differunt & diſtinguuntur à ſigillis atque pignoribus, ut hæc ſæpius abſint aut poſtea ſubjungantur; Nec aliter in iſtis Pauli locis ordo verborum & analogia comparationis fert.

14. Ex bene dictis Marci Tulli eſt, nihil tam furioſum videri, quam verbis uti diverſis ſine diſtincto ſenſu; cujus rei exemplum videri licet in examine epiſtolæ Cæſaris ad ipſum, in his verbis; *Ut tuo conſilio, gratia, dignitate, ope uti poſſim*: Operæ pretium eſt animadvertere, quomodo ſingula verba ſcrutetur, non ut hodie quis in literis *complementa* civilitatis continentibus, quales erant iſtæ, verba negligentius effuſa putaret; nullam ſyllabam ſine proprio ſenſu gratis ab homine cordato ſtatuit eſſe poſitam *lib. 9. ad Att. ep. xi, & ſeq.*

15. Nos autem Apoſtolum; ut volunt, qui nullum Spiritus S. teſtimonium à fide rationali diſtinctum agnoſcunt; in re graviſſima fidei, ſigilli, pignoris vocibus ſine diſtinctis ſenſibus uti credamus? Sufficiat ſcriptura, verbum, ratio illuminata, *κεχειρισμένη* ad fidem accipiendam, quis tamen dicet, ſigillum, quod imprimitur, pignus quod ſuperadditur, à verbo & à ſcriptura ejusque intellectu non eſſe diſtinctum?

16. Sed qui hæc confundunt, præter quod iſta & ſimilia loca dictis inanibus eludunt, clarius, quinam & quales ſint iſti motus & quomodo à ratiocinatione diſcrepent, *i*) ab adſerentibus exigunt. Si volunt clarius, quam in literis ſacris expreſſum legitur, non habent rationem. Ibi vero ſervator ait, ut modo intelleximus, *neminem eos motus ſcire poſſe, quam qui habet & ſentit, Joh. 14. v. 17.* Paulus eos appellat *ἀνεκλαλήτους, ineffabiles*, easque *ὑπ' οὐδενὸς ἀνακρίνεσθαι, à nemine, quam à ſentiente dijudicari.* Calvinus noſter, *omnes quidem pios illos experiri, ſed longe infra juſtam rei explicationem verba ſubſidere 1. Inſt. 7. §. 5.*

17. Diſcrimen equidem à ratiocinatione perſpicuum eſt in his, qui prædicatione verbi ſine methodo rationali fidem amplexi, dein per ratiocinationem illuminatam myſteria veritatis ita perſpiciunt, ut eadem Spiritus efficacia, quæ primum eos ſine exactitudine diſputandi, adflaverat, magis magisque confirmentur, in eaque longe validius acquieſcant, quam ſola ratione freti facere potuiſſent; ut quæ vis in amplectenda fide prius illos adfecerat; hæc in retinenda & confirmanda teſtimonii loco ſit efficaciſſimi.

18. Eo ſenſu Johannes unctionem Spiritus in utrumque uſum conjungit. *Καὶ τὸ χρίσμα ὃ ἐλάβετε ἀπ' αὐτοῦ ἐν ὑμῖν μένει, καὶ οὐ χρείαν ἔχετε, ἵνα τις ὑμᾶς διδάσκῃ. Unctio, quam ab illo accepiſtis, in vobis manet, nec opus eſt vobis, à quoquam* doceri *1. Joh. 2. v. 27.* Quæ unctio inde à principio vim luminis præbuit, ea deinde teſtimonii vel ſigilli & pignoris uſum præſtare dicitur, eamque ſolam Johannes ſufficere ſtatuit ad munien- dos

n. 16. *i*) diſcrepent) *Etſi facile poſſit oſtendi diſſentientibus* quomodo illi motus differerant à ratiocinatione, *cum ſint motus cordis, qui ratiocinationem præveniunt, ut omnes affectus; interim tamen in quæſtione altera:* quinam & qualis ſint illi motus? *diſſentientes bene contra Autorem urgent, non ita ſeponendam & deprimendam eſſe ratiocinationem ut ipſe deprimit. Nam & motus phantaſtici & enthuſiaſtici; easdem ſenſiones producunt, & eodem modo hominem afficiunt. Et tales etiam quandoque cum vita bona & honeſta, & qua communiter Chriſtiana dici ſolet, ſunt conjuncti. Hic ſane, ut motus enthuſiaſtici à vere ſanctis ſecernantur, ratiocinatione opus eſt, & valde opus eſt. Non ſola quidem ſed & potiſſimum ſcriptura. Sed tamen nec ſola ſcriptura ſepoſita ratione omni. Sed ratione ex ſcriptura illuminata, & ſcriptura rationabiliter explicata.*

dos fideles adverſus ſeductorum cavillationes.

19. Ejusdem ſubſequentis teſtimonii virtus evidens hodieque eſt in omnibus, qui vulgari inſtitutione & ratiocinatione, dum adhuc erant in ſtatu naturæ, de verbi fideique divinitate ac veritate perſuaſi, dein Spiritu Dei vivifico induti Chriſtoque devoti mirificam exinde luminis in dijudicatione ſpiritualium rerum acceſſionem, non modo in amore zeloque, ſed etiam in interiore notitia veritatis ac myſteriorum experiuntur; Quod ut per omnem Chriſtianæ pietatis doctrinam liquidiſſime diffuſum eſt, ita placet uno illuſtrare exemplo.

20. Verba Chriſti, quibus *carnem ſuam eſſe vere cibum, ſanguinem ſuum eſſe vere potum*, non modo brevibus peremptoriiſque verbis in inſtitutione ſacræ Cœnæ, verum etiam fuſius & πραγματικῶς, imprimis in *cap.* VI. *Joh.* docet, per rationem ſolam *k*) nemo unquam recte ſatis interpretabitur.

21. Pontificii *verbum* quidem hactenus ut *principium* ſequuti, cum manducationem corpo-

Et hoc eo magis, quo nihil frequentius eſt, quam quod enthuſiaſtæ provocent ad multa ſcripturæ loca, & non ſolum omnia repetant, quæ Autor hactenus contra adverſarios ſuos, tam ex ratione, quam ſcriptura adduxit, ſed & ſinguli plurima alia loca ſcripturæ pro confirmandis ſuis propheticis & viſionibus adducant, &, dum alii ad interpretationem illorum locorum rationabilem provocant, ſuos ſenſus myſticos, & illuminatos à motu Spiritus ſancti, crepent, & ad teſtimonia obſignantia credulitatem ſuam, quam pro unica vera fide jactant, provocent. Cum his ergo quid agas, imo ipſos proprios motus quomodo probes, ſi rationem omnem ſeponas? Hoc vellem ab Autore tractatum, & ad hoc dubium fuiſſe reſponſum.

n. 20. *k*) ſolam) *Si per rationem ſolam intelligit regulas interpretationis Grammaticas, ſolas, rem concedo. Imo nec logicas aut Juridicas interpretandi regulas ſciviſſe ſufficiet, ut non premant multæ difficultates interpretationem quamvis verborum Chriſti, quarum Autor hic mentionem facit. At ſi quis antiquitates & ritus eccleſiæ Judaicæ calleat, & formulas conſideret, circa diſtributionem panis & calicis, quæ in uſu erant apud Judæos in celebratione Paſchatos, (quod omnium optime explicuit Johannes de Hiſpania* in tractatu de manducatione corporis Chriſti) *tum abſque omni tractatione controverſiarum tædioſiſſimarum, quæ Proteſtantibus inter ſe & cum pontificiis per aliquot ſecula interceſſerunt, verus & genuinus ſenſus verborum Chriſti quaſi ſe ſponte offert, & difficultates omnes, quæ citra notitiam hiſtoricam harum rerum alias torquent, ſponte cadunt. Unde mallem, ut ab hoc exemplo abſtinuiſſet Autor, ut quod & ab alias rationes ipſius intentioni parum proderit. Nam* [1] *quod rationi, id eſt, ut ipſe explicat, rationabili interpretationi, in hac controverſia multum ſit tribuendum, argumento eſt, quod Autor ſtatim* num. ſeq. *taxet interpretationem pontificiorum, tanquam craſſam & Chriſto indignam, hoc eſt tanquam irrationalem. Craſſa enim & ſubtilis interpretatio dicuntur intuitu rationum interpretandi, non intuitu ſpiritualium motuum, qui à nemine, quod ſciam ſecernuntur in craſſos & ſubtiles. Et quæ contra reliquas interpretationes idem hic diſputat, eo pertinent, ut velit oſtendere, eas cum ratione non convenire. Quæ vero idem Autor noſter* [2] *de motibus ſpiritualibus, in legentibus Calvinum oriundis vel ortis diſſerit, ea partim valde obſcura, ac ratione vix comprehenſibilia ſunt, ut motus ipſi, quos A. in mente habuit, partim nequaquam perſuadebunt ingenuum veritatis indagatorem. Nam* [3] *quid eſt, quod Autor requirat lectorem Calvini, talis conſcientiæ non imperitum. Cur non idem procedit, ſi Lutheranus aut Pontificius Calvinum legat? Etiamſi uterq; illorum æque mul-*

percipiendi & judicandi de rebus per proprias rerum ideas; ipſorum verbis hactenus utimur, ita *ſicut illa facultas eſt in mente humana, poſt lapſum primorum Parentum.*

6. Nec aliter illi poſſunt; Etenim, quando agunt de principio cognoſcendi, ex quo nobis aliisque de ſcripturæ divinitate conſtare queat, manifeſtum eſt, eos rationem non ſumere in abſtracto, ſed ut eſt in quovis homine, quales nunc alma natura producit.

7. At hi ſunt omnes corrupti, *u)* non tantum in corpore, ſed in mente vel maxime, id eſt, in ejus facultatibus, quæ cæcæ & mutæ ſunt in ſacris, ut ſtatim videbimus.

8. Sed illi corruptionem mentis non conſtituunt in ejus facultatibus, ſed in transverſario affectuum *w)* præjudicio, adeoque in actibus & habitu inde contracto; quam corruptionem ſi recte mens attendat ac intendat ſe, detur evitare vel ſuperare; maxime

---

n. 7, *u)* corrupti) *Hic vero dolemus lapſum Autoris nimis gravem & ſenſibilem. Rationem non eſſe principium unicum in rebus fidei, non eſſe primarium ſupra diximus & hactenus facile conſentiremus Autori. Eſſe aliquo modo principium ſed inferioris dignitatis v. g. inſtrumentale & ſupra aſſeruimus, & modo Autor* n. 2. *videtur indulſiſſe. Videmus etiam Theologos hic non contradicere. Spanhemius* in Elencho controv. p. 635. *in tractatione hujus ipſius quæſtionis monet, non confundenda eſſe diverſiſſima: Rationem eſſe poſſe judicem falſi, contradictorii, quod ut rationis univerſaliſſimis principiis* repugnat, *ſic nec revelatum unquam fuit, v. g. in materia transſubſtantiationis, ubiquitatis carnis Chriſti, ſanctorum in cœlo invocandorum &c. Aliud vero eſſe, ſi rationem quis velit ſtatuere judicem, &* normalem *quidem veri revelati, quod* ſupra *illius Sphæram longiſſime evectum eſt. Si in his terminis manſiſſet Autor, bene ſe res haberet. At nunc vult, rationem omnem ejurari tanquam corruptam, nunc ab uno extremo in alterum cadit. Diſtinguunt diſſentientes inter rationem rectam & corruptam. Autor negat diſtinctionem poſſe habere uſum, quia ratio in abſtracto ſit ſaltem recta non vero in concreto, quia omnes homines ſunt corrupti. Tot fallacia quot prope verba. Nolui credere Biblioth. univerſ.* p. 464. *referenti, quod Autor, ut tollat vel rejiciat declarationem diſſentientium, dicentium ſe id ſaltem intellexiſſe, quod ratio & ſcriptura ſibi non deberent contradicere, protulerit hanc diſtinctionem inter rationem in abſtracto & concreto conſideratam. Sed nunc cogor credere his oculis meis. Ex plurimis quæ Autori reponenda hic ſunt, opponemus ſaltem præcipua. Si ratio in abſtracto eſt recta, neceſſe etiam eſt ut ſit aliquando ſaltem in concreto, imo in omni concreto vel certe in plurimis. Quomodo enim poſſet abſtrahi ſi in nullo eſſet concreto? Porro abſtracta dicuntur illa, quæ ſunt in plurimis, vel omnibus individuis, e. g. rationalitas, & riſibilitas ab homine. Uti enim à potiore fit denominatio, ita & abſtractio, ut nigredo a corvo &c. 2. Rationem in concreto eſſe in omnibus hominibus & in univerſum corruptam, ut non poſſit eſſe ullo modo principium veritatis, contradicit doctrina Autoris alibi poſita de imagine numinis poſt lapſum non extincta ſed imminuta, & ſuo modo adhuc recta,* vide cap. 1. hujus libri n. 9-14. 3. *Hinc merito unus ex adverſariis Autori quærenti: Ubi eſt recta ratio? Annon noſti, noſtram rationem eſſe corruptam? reſpondit, Eſt in homine &c.* vid. Bibl. Vniverſ. p. 493. 4. *Senſiſſe videtur iſta Autor. Inde non dicit hic omnis* ratio *corrupta eſt, ſed omnes* homines *corrupti ſunt. At vero hoc omnium maxime diſplicet. Si ex negligentia id factum, & ſic evidenter ſtatus controverſiæ fuit mutatus, ea ſupina eſt, & vix tanto viro condonanda. Si ex propoſito, profecto hic dolus vix merebitur ad bonos referri.*

n. 8. *w)* affectuum) *Sed nec hæc aſſertio indiſtincte eſt rejicienda, ſi per affectus intelligan-*

Digitized by Google

xime divino adſpirante auxilio, quod hactenus agnoſcunt; ut tamen menti, id eſt, facultatibus ejus nihil accedat, aut adfundatur ullo adflatu immediato.

9. Proinde ſic oportet omnes ſtatuere, quemadmodum inſtituunt, qui rationem principium cognoſcendi divinitatem ſcripturæ faciunt, rationem, id eſt, vim mentis percipiendi & judicandi volendique non eſſe corruptam in ſua facultate; Alioqui dicere non poſſent, quod corruptum & cœcum & mortuum eſt in ſpiritualibus, eſſe principium cognoſcendi divinitatem ſcripturæ ſacræ.

10. Ideó nobis id primi argumenti loco eſt. Quod ineptum & cœcum & mortuum eſt in ſpiritualibus, id non poteſt eſſe principium cognoſcendi *x*) res divinas. Atqui mens hominis, ſive ratio ficut in eo nunc eſt, in ſpiritualibus inepta, cœca & mortua eſt. Ergo.

11. Nota ſunt loca, è quibus cæcitas & impotentia hominis in ſpiritualibus probatur: Princeps eſt ille Pauli 1. *ad Corinth. 2. v. 14.* ψυχικὸς ἄνθρωπος, inquit, *Animalis*, mentalis *homo*. Quis? *Qui nihil habet* εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου, *quam ſpiritum hominis*, id eſt, mentem ratione præditam, ut dixerat v. 11.

12. Quid ille? οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ καὶ οὐ δύναται γνῶναι, *non recipit ea quæ Spiritus Dei ſunt, nec ea poteſt cognoſcere.* Ne putes, eum duntaxat recipere non poſſe ſpiritualia, propter adfectus *y*) & præjudicia, vel actum & uſum pravum. *Non poteſt*, non habet illam facultatem.

13. Quid ita? Jam dixerat, Τὰ τοῦ Θεοῦ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ, *Res divinas nemo cognoſcit, niſi ſpiritus Dei*, quem illi non acceperunt; Sunt duæ facultates oppoſitæ, Spiritus hominis & Spiritus Dei; quod hic docet, ille non novit, nec ſcire poteſt, quia ſolus Dei Spiritus, quem fideles acceperunt, illa cognoſcere poteſt.

14. Fruſtra igitur hunc locum detorquent & pervertunt, qui pati non poſſunt, ut mens humana dicatur in ſuis facultatibus percipiendi, judicandi & volendi eſſe corrupta; Nihil clarius eſt inde, quam opus eſſe novo principio cognoſcendi, priusquam homo ſola mente rationali præditus ſpiritualia cognoſcere queat.

15. Hinc fit, ut ſint αὐτῷ μωρία, res ſpirituales *ei ſtulta* videantur; quia ſpiritus hominis, id eſt, ratio non eſt facta ad ſpiritualia; Non poteſt adſequi id, quod ſolus Dei ſpiritus ὑμῖν ἀπεκάλυψε, fidelibus detexit, iterum Paulus v. 10.

16. Ita ſummus ratiocinator Calvinus hunc locum παραφράζει. *Animalis homo non poteſt percipere ea quæ Spiritus Dei ſunt, quem vocat Animalem? Nempe, qui naturæ lumine nititur. Quid ita? An quia per ignaviam negligit? Imo etiam ſi enitatur, nihil poteſt, quia ſcilicet ſpiritualiter dijudicantur. Quid iſtud ſignificat? quia humana perſpicaciæ penitus abſcondita per ſolam ſpiritus revelationem pateſiunt, adeo ut pro ſtultitia ducantur ubi ſpiritus Dei non elucet.* Et mox. *Quid volumus? Pronunciat Apoſtolus infatuatam à Deo ſapientiam hujus mundi & nos ſcilicet acumen ei tribuemus, quod ad Deum & cœleſtis regni*

tur voluntas hominis, ut fieri debet, & ſenſim fit, corruptionem in moralibus pariter & ſpiritualibus primario in mente afficere cor ſeu voluntatem, (nam & ſcriptura ideo ſæpiſſime cordis mentionem injicit) intellectum in ſpiritualibus magis deficere, & inſufficientem eſſe, quam corruptam, aut ſi corrumpatur, id fieri à corruptione cordis &c.

n. 10. *x*) cognoſcendi) *Normale & principale, concedimus, inſtrumentale & interpretativum, negamus.*

n. 12. *y*) affectus) *Sed alibi tamen ſcriptura ſacra ſatis perſpicue indicat, tenebras intellectus oriri à tenebris cordis, ſeu adfectuum.* vid. Epheſ. 4. n. 18. junct. Rom. I, 21.

gni adyta penetrare poſſit? Faceſſat à nobis tanta vecordia. lib. 2. Inſt. c. 2. n. 20.

17. Hoc igitur primum contra principium rationis in ſacris argumentum, dat locum alteri; Quod hæc ſententia, de *non aliunde* quemadmodum oſtendimus, egeat iſta hypotheſi fundamento Chriſtianæ religionis adverſa, *mentem in facultate ratiocinandi adhuc eſſe integram*; nec niſi in affectibus & præjudiciis adeoque in uſu & actu & habitu inde producto conſiſtere corruptionem.

18. Qua interpretatione, ſola pars hominis bruta, quæ carne & ſanguine conſtat, infecta labe primæva ſtatuitur, ea parte, quæ maxime hominem facit, intacta, & imputationis peccati originalis ratio tollitur.

19. Cum ſatius foret, ſi labes in utraque hominem conſtituente parte non ſederit æquabiliter, ita ponere, viſcera curſumque ſanguinis & ſpiritum animalium, unde fere affectus, nihilo ſecus ſe habere nunc, quam in creatione prima, *z*) ſed mentis imperium, quæ corporis ad honorem amoremq; Dei ſervitiouti deberet, eſſe diminutum, judicio in ſacris atq; ſpiritualib9 extincto & intermortuo.

20. Quod ſi mens hominis in ipſa ratiocinandi facultate corrupta ſit, *a*) manifeſtum eſt, eam non eſſe principium cognoſcendi res ſacras. *b*) Atqui prius eſt certiſſimum Chriſtianæ religionis fundamentum, inquam. Ergo plana conſequentia. Idque ſequens & tertium eſt argumentum.

21. Quartum alienis verbis collocabimus; *Ad quod principium Deus nuſquam nos remittit in verbo ſuo, quo etiam Chriſtus ejusq; Apoſtoli in confutandis falſis dogmatibus nunquam uſi ſunt, id principium fidei & religionis Chriſtianæ c) eſſe nequit. Atqui ad rationem humanam nunquam nos remittit Deus, nunquam etiam Chriſtus ejusq; Apoſtoli eo uſi ſunt. Major evidens eſt per ſe, quia dogmata fidei & religionis non traduntur aut aſſeruntur absq; veris propriisque principiis. Veritas minoris confirmatur ſecundum utrumq; membrum, ex omnibus divinis revelationibus in utroq; teſtamento, quibus Deus doctrinam religionis hominibus patefecit.* Verba *Altingii Theol. elencht. pag. 37.*

22. Idem Calvinus; *Summa*, inquit, *ſcripturæ probatio paſſim à Dei loquentis perſona ſumitur; non jactant Prophetæ & Apoſtoli acumen ſuum neq; inſiſtunt rationibus l. 1. inſt. c. 7.* Rurſus; *Adeo autem heic conſternatur & deficit humana perſpicacia, ut primus in domini ſchola proficiendi gradus ſit, ab ea deficere; nam ea, ceu objecto velamine impedimur, quominus adſequamur Dei myſteria, quæ non revelantur niſi parvulis. lib. 3. c. 2. n. 14.*

23. Hæc nos ad quintum manu ducunt argumentum, quod verbis Baſilii hac de re agentis comprehenſum ſic habet; Οἱ λογισμοὶ παρασαλεύουσι τὴν ἀσθενῆ διάνοιαν καὶ θορυβοῦσι, καὶ ἀποδεῖξαι σαφῶς οὐδὲν ἂν λέγουσιν, ἰσχύουσιν, ἀλλὰ τοὐναντίον ποιοῦσι, ταράσσουσι μᾶλλον καὶ ζόφου πληροῦσι καὶ ἀπορίας πολλῆς. *Ratiocinationes infirmos animos quatiunt & turbant, nec quicquam eorum, quæ dictant perſpicue demonſtrare poſſunt, ſed contrarium efficiunt, perturbando magis & caligine atq; dubitationes multis implendo, ad 1. Cor. cap. 2.*

24. Ratio-

n. 19. *z*) prima) *Atqui hoc nolim dicere. Si viſcera, ſanguis, ſpiritus animales, & adfectus hodie ſunt, ut in creatione prima, vel hodie affectus vitioſi non ſunt, niſi ab adſuefactione, vel ſi labem originalem habent, ut habent, hæc labes etiam adfuiſſet in creatione prima, quod etiam falſum eſt.*

n. 20. *a*) corrupta ſit) *Scilicet per tenebras cordis, ut modo dictum.*

b) res ſacras) *Niſi poſt illuminationem cordis & purgationem affectuum.*

n. 21. *c*) Chriſtianæ) *Primarium, & ut Spanhemius loquitur, normale; concedo, inſtrumentale & ſecundarium; nego. Hinc inculcatur in ſcriptura ſacra, quod noſtra religio debeat eſſe rationalis.*

Digitized by Google

24. Rationem hujus rei ſupra ex Apoſtolo intelleximus, quod nulla ſit inter rationem & ſpiritualia proportio vel convenientia. Calvinus inde, *ſcripturam demonſtrationibus aut rationibus ſubjici fas non eſt.* Iterum *Prapoſtere faciant, qui diſputando contendunt, ſolitam ſcriptura fidem adſtruere. lib. 1. Inſt. c. 7. n. 5.*

25. Sexti argumenti loco, prudens lector non neget hoc eſſe poſſe, petitum ex abſurdo, quod rationales noſtri nullo modo defugiunt; Inter principium cognoſcendi res naturales & artificiales fideique myſteria nihil eſſe diverſi in homine. Nec aliud eſſe principium, quo inregeniti veritates divinas percipiunt, quam quo vere fideles eaſdem cognoſcunt, quod ad principium, inquam cognitionis & perſuaſionis attinet. Etſi enim ipſis hac parte nihil abſurdi, nihil quod gloriæ Dei ſit adverſum, ineſſe videatur, ſecus tamen omnes vere pios in animum inducere certum & compertum eſt, atque è ſupra dictis infraque dicendis intelligetur.

26. *Septimum* argumentum ejuſdem ſupra laudati verbis addemus; *Si ratio humana eſt principium religionis Chriſtianæ, qui perſpicacia & acumine ingenii & judicii accuratione excellunt, religionem Chriſtianam facilius capient, cupidius amplectentur, plenius intelligent conſtantiusque retinebunt. Conſequens eſt falſum, repugnans ſcriptura & experientia.* Ergo. Henricus Alting. *d. l.*

27. Hujus rei locuples Auctor eſt Paulus in 1. *ad Corinth. c. 1. & 2.* ubi de gratia agit, *ὅτι ἐπλετίσθητε ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει, quod locupletati erant in omni cognitione v. 5. c. 1.* Sed quali? Ἀ*πεκδεχόμενοι τὴν ἀποκάλυψιν Ἰησοῦ Χριστοῦ, accepta foris,* hoc enim eſt, *ἀπεκδεχέσθαι, revelatione Jeſu Chriſti*; Non uſum ſe *ὑπεροχῇ λόγε ἢ σοφίας*, neque *πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λογοις, non excellentibus & ſuaſoriis humanæ ſapientia rationibus,* quas provocat & rejicit; Πῦ *σοφὸς, πῦ συζητὴς*; *Ubi ſapiens, ubi diſputator?*

28. Quid ita Paule? Quid ni provocas ſapientes, ut vim rationis experiantur? An neſcis, dari methodum ratiocinandi, qua per connexionem ſimplicium perceptionum argumentorumque rationalium, pervenire liceat ad tam certam rerum ſacrarum ſcientiam, ut hominem nullo modo fallere poſſit? Accuſares fallacias, temeritatem & *ἀμεθοδίας* ratiocinandi, diligentiam attentionemque juſtam exigeres. Tu vero: *Ἐμώρανεν ὁ Θεὸς τὴν σοφίαν τῦ κόσμυ τύτυ. Deus ſapientiam hujus mundi infatuavit*; Executi ſumus hunc locum pluribus *in d. tractat. de Concurſ. rat. & ſacr. ſcript. pag 94.* Alia paſſim occurrunt diſconvenientiam humanæ ſapientiæ & evangelii ſignificantia, & quam pauci ſapientes mundi & acuti ratiocinatores illam amplexi fuerint, ex ore Chriſti & Apoſtolorum.

29. Idem ex eccleſiæ & omnis Chriſtianiſmi hiſtoria conſtat; quanto quiſque ſapientior, etſi nullam odii proprii cauſam habens, inter gentiles fuit, tanto à doctrina crucis alienores fuiſſe; ut e Taciti, Plinii, Marci Aurelii, Juliani, merito inter doctiſſimos habiti & pleriſque Philoſophis animadverſum fuit. *d)*

30. Eſt locus inſignis hac de re apud Juſtinum Martyrem, *e)* qui ſe adhuc philoſophum & à fide Chriſti alienum incidiſſe narrat a-

 pud

n. 29. *d)* fuit) *Sed hic dua obſervationes addenda.* (1) *In omnibus ſapientibus Ethnicorum regnaſſe naturam corruptam, cum tam in principiis phyſicis, quam in moralibus admiſerint axiomata falſa, quarum falſitas etiam ex dictamine recta rationis imo ex ſenſu communi cognoſci poteſt, ut alibi à nobis oſtenſum.* (2) *Quoad poſitionem, quod ſimpliciores promtiores ſint ad fidem recipiendam, non plane de nihilo eſſe obſervationes diſſentientium recenſitas in Biblioth. univ.* d. Tom. 6. p. 494. ſeq.

n. 30. *e)* Martyrem) *Admitto hoc argumentum ſuo modo ut illuſtrans, ut probans vix*

pud litus maris, in ſenem venerabilem, cum quo in diſputationem de Deo & veritate delapſus præ ſe ferebat, τὸν λόγον ἡγεμονεύοντα πάντων *rationem omnium imperatricem.* Διὸ χρὴ, inquit, πάντα ἄνθρωπον φιλοσοφεῖν καὶ τοῦτο μέγιστον καὶ τιμιώτατον ἡγεῖσθαι, τὰ δὲ λοιπὰ δεύτερα καὶ τρίτα; *Quare cuilibet homini faciendum eſt, ut Philoſophetur, idque maximum & pretioſiſſimum ducat, reliqua ſecundo & tertio loco exiſtimet.*

31. Si veritas *aliunde* quam ex ratione adſtrui nequeat, adſentire debuiſſet ille ſenex, nec aliud inculcare principium; Ille vero poſt alia; Εὔχου, inquit, δὲ σοὶ πρὸ πάντων φωτὸς ἀνοιχθῆναι πύλας, οὐ γὰρ συνοπτὰ οὐδὲ συννοητὰ πᾶσιν ἐστιν, εἰ μή τῳ Θεὸς δῷ συνιέναι, καὶ ὁ Χριστὸς αὐτοῦ. *Precare tibi*, inquit, *ante omnia lucis aperiri portas: Nec enim ab ullis hæc intelligi vel dijudicari poſſunt, quam quibus Deus & Chriſtus ejus id dederint.* Replicat Juſtinus; non poſſe illud eſſe aliud, quam τὸ τοῦ νοῦ ὄμμα, *mentis lumen*, plane ut Auctores noſtri in *cap. 1. hujus ſectionis.*

32. At ſenex eum adſcripta Prophetarum & Apoſtolorum remittit, ut tamen ne heic quidem rationem tanquam principium dijudicandi commendet, οὐ γὰρ μετὰ ἀποδείξεως, inquit, πεποίηνται τοὺς λόγους, ἅτε ἀνωτέρω πάσης ἀποδείξεως, *nec enim cum demonſtratione ſua ſcripta compoſuerunt, utpote quæ ſuperarent omnem demonſtrationem.* Næ ille Senex ingentem calumniæ dicam ſcripſiſſet, hac audita poſitione, qua ſibi placent. *Si quis rationi ſcripturam ſacram præferat, eum erroris ſe reum facere flagitioſi.* Secundum illorum hypotheſin illum ſenem hoc modo loqui oportuiſſet; (detur venia huic προσωποποιήσει.)

33. *Bene habet o Juſtine, quod rationem tantam ut ducem & imperatricem ſequi paratus es; neque nos eam defugimus, neque divinas veritates ex aliis principiis approbamus aut exploramus: Verum eſt, habere nos revelationes ſacris quibusdam ſcriptis comprehenſas; ſed harum divinitatem, à quo pendet omnis earum auctoritas, aliunde quam à ratione adſtrui non poſſe fatemur; nec contendimus, ut tu quicquam in animum inducas credere, quod non ratio tibi dictet eſſe rectum & verum, & ſi quid eveniat tibi proponi, quod ratio ſecus dictet, inde à principio tibi jam prædico, noli ſcripta ſacra, quæ tibi proponentur, rationi præferre. Saltem hoc obſerva; exactam ratiocinandi methodum inſtitue, libera te præjudiciis, excute ſegnitiem; noli quicquam rebus tribuere vel negare, quod eis tribuendum vel negandum eſſe, nunquam animadvertiſti. Inprimis cave tantum errandi flagitium committas, ut ſi quid ex ideis rerum adſeverate collegeris, illis eſſe tribuendum vel negandum, id ipſum deinde neges eiſdem rebus eſſe tribuendum vel negandum, aut dubites, an tribuendum vel negandum ſit. Hoc in ſcriptura ſancta gratiam facere, tam valide improbatur apud nos, ut etiam gradus ad eam culpam fieri absque flagitio non poſſe merito cenſeatur; ſed ita firmiter apud animum tuum conſtitue, non poſſe verum eſſe quod rationi contrariatur, nec quod rationi convenit iiſdem literis ſacris adverſari poſſe.* f) *Proinde, ſi modo attendas rectamque viam meditandi inſtitueris, de auctoritate ſcripturæ jubeo te eſſe ſecurum. Nihil aliud à te ſtipulor, nihil omnino cautionis poſtulo, quam ut in his, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, eam ſerves ſacræ ſcripturæ reverentiam, ut ſi quid in illis ſuſpiceris contrarium his, quæ tu vera putes, novo & quam fieri poteſt accuratisſimo examini ea ſub-*

admittet, qui accurate expendet obſervationem Viri Clariſſimi in Tom. 2. Obſervat. Halenſ. obſ. 7.

n. 33. f) poſſe) *Patet ex hoc loco, Autorem in ea opinione eſſe, acſi ratio & ſcriptura ſibi contradicere posſint, cujus tamen contrarium demonſtratum ſupra* cap. 1. n. 15. lit. m. *quod etiam admittit, qui partibus Autoris alias acceſſit Hermannus VVitſius, ut oſtenſum* ad cap. 1. n. 19.

ſubjicias, cæterum, quæ recta ratio tibi perſuaſerit, de illorum veritate cave unquam dubitare tibi veniat in mentem; ſi modo legitime *colligas rationes, in utrambis aurem omnino licebit otioſe dormias.* Hæc ab iis quæ dixit δὶς διὰ πασῶν diſcrepantia, cum his conferantur licet.

34. Sed tempus eſt, ut ſententiam Chriſtianæ religioni neceſſariam vereque fundamentalem, objectionibus, præter & poſt eas, quæ ab Hobbeſio motæ & in *cap. ult. ſectionis præcedentis* occupatæ ſunt, liberemus.

C A P. IV.

QUO OBJECTIONES ADVERSUS PRIOREM; ET FUNDAMENTA POSTERIORIS SENTENTIÆ REMOVENTUR.

Objectio de confuſione, quæ ſit in orthodoxa ſententia inducitur & refellitur. n. 1-11. Etiam, quod à prædicato fidei deſumitur, quo dicitur rationalis. n. 12-14. Plerumque methodum ratiocinandi in primis converſionibus abfuiſſe, non ſemper: n. 15. 16. & ineſſe divinitatis notas verbo ad perſuadendum ſufficientes, n. 17. 18. ſed rationem ſolam in transverſum agi, nec piis ſimplicibus in ratione ſola ſatis eſſe præſidii, contra dubitationes & tentationes. n. 19. Nec acerrimos ratiocinandi magiſtros hac via ad fidem ſolidam evangelio habendam adduci ſolere, quod exemplis abunde conſter. n. 20. Reſpondetur bifariam ad argumentum, è characteribus divinitatis verbo Dei impreſſis, quaſi illorum collectio ſit via ratiocinandi & unum principium. n. 21-38. Solam voluntatem ſive decretum Dei, quod homo ſit crediturus, non ſufficere ad lumen ſupernaturale, quod ſacra ſcriptura fidelibus adſcribit, adſerendum. n. 39-42.

1. Quemadmodum, qui rationem faciunt principium cognoſcendi divinitatem ſacræ ſcripturæ & rerum in ea traditarum, præter injuriam quam faciunt verbo & Spiritui ſancto, incidunt in incommodum arbitrariæ interpretationis, quam in literas ſacras inferunt, ſeque neceſſitati infinitis impiorum cavillis, quo nihil inutilius, reſpondendi implicant; ita patroni rationis *omnium imperatricis*, ut Juſtinus loquebatur, nullius rei magis orthodoxos, quam obſcuritatis hac parte coarguunt.

2. Neque prius hæc opinio, de ratione quaſi principio res ſacras judicandi, antehac Socinianis propria & à Remonſtrantibus adoptata perrupit in eccleſiam Reformatam, quam è dubitandi tenebris emerſit, illa vis ratiocinandi, quæ tam certa & infallibilis quam Deus eſt verax, eſſe gaudet, ejusque uſus in Theologia, quod Auctor ejus enixe prohibuerat, obtinere cœpit.

3. *Primum* Confuſionis argumentum petunt ex eorum dictis, *qui in fide non opus eſſe ratione*, qui fidem prævenire ſcribunt rationem, quomodo D. Heidanus, ſed dubitandi methodo necdum initiatus, loquebatur, *faſcic. Diſp. Socin. 11. §. 4.* Item Calvinus, *talis eſt hæc perſuaſio*, inquit, fides, *quæ ratio-*

Digitized by Google

quæ per collationes & concatentationes multarum perceptionum ſimplicium & rationalium argumentorum, deſinant in claram viſionem luminis naturalis: Nec his quidem negatur eſſe locus in ſacris, negatur eſſe locus ut principiis, negatur unice, *nec aliunde* conſtare poſſe de divinitate verbi, ut volunt illi.

12. Habent tamen inſtantiam, quod & *tertii* vicem *argumenti* tenet, religionem Chriſtianam eſſe *rationalem*, λογικὴν, ut Apoſtolus, ad *Rom.* XII, 1. à qua proinde ratiocinationem ejusque methodum exactam alienare, deforme ſit & injurium in Auctorem rationis & ſcripturæ; in quo argumento valde ſe jactant & increpant diſcrepantes.

13. Sed quod ad Pauli locum attinet, huic facile ſatisfit eo, quod ille rationalem qualitatem religioni Chriſtianæ adſeruit, comparatæ cum religione Moſaica, quæ externo & carnali apparatu ſic erat involuta, ut rationalis qualitas in ea vix appareret.

14. Tum vero procul eſt ut a cognitione divinitatis S. ſcripturæ, alienemus rationem aut ratiocinationem, vel illam ſuſtinere non poſſe credamus exactiſſimam ratiocinandi methodum, ſed negamus, eam à *principio* ſemper *g*) & neceſſario adhibendam, aut Spiritus ſancti lumen ſine illa methodo, credentem non poſſe reddere certum & certiſſimum absque ulla dubitationis nubecula.

15. Neque tamen negandum, converſiones, unquam fieri per viam ratiocinandi; quemadmodum de Beroenſibus *in Actis* revelatum eſt, eos inquiſiviſſe diligenter in ea, quæ Apoſtoli proferebant, multosque tales, ſola vi Spiritus ſancti ante ratiocinandi methodum ad credendum non abreptos, ſed mediis rationibus inductos; haud tamen aliter, quam adſpirante Spiritu ſancto menteſque eorum ad accipiendas rationes aperiente, dicendum eſt. Cave tamen, hos ſolos veram accepiſſe fidem, reliquos inde ab initio verbum ipſis expoſitum pleno adſenſu amplexos, temere crediſſe putes.

16. Etſi deinceps & ex poſt facto, non eſt dubium, quin edocta mens eorum lumine ſupernaturali, rationem fidei & ſalutis humani generis à Chriſto procuratæ, cum admiratione divinæ ſapientiæ pleniſſime perſpexerit, eamque viam, quæ rationi non illuminatæ μωρία, *ſtultitia* videbatur, maxime rationalem Deoque dignam judicaverit; Utcunque Chriſtus & Apoſtoli ad hanc rationis convenientiam nullibi provocare comperti ſint.

17. Hæc tamen non obſtant, quominus ejusmodi κριτήρια, ſive notæ in ſacra ſcriptura & verbo inde prædicato eluceant, quæ omnibus conſcientiis teſtatam facere queant ejus divinitatem & evangelii prædicati veritatem; quo pertinet locus Apoſtoli, rationalibus noſtris palmarius *2. Cor.* 4. 2. *Τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας συνιστῶντες ἑαυτοὺς πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων, manifeſtatione veritatis accommodantes nos ad omnem conſcientiam hominum.* Qui locus poteſt facere *quartam* objectionem.

18. Reſponſio occupata eſt, ineſſe revera Dei verbo ejusmodi vim veritatis, quæ ad arguendas refragantium conſcientias eosque reddendos ἀναπολογήτους & convincendos ſufficiat. Ut tamen æque certum ſit, illa κριτήρια notasque verbi eſſe ejusmodi, ut ψυχικὸς, mere homo rationalis ſine Spiritu Dei illis ad fidem moveri non poſſit, verum ſibi relictus in alia omnia diſceſſurus ſit.

19. Conſtat etiam, illas notas divinitatis tot cavillis & objectionibus ex ratione depromptis impeti & involvi, ut ſi Auditores pii & ſimplices nihil in cordibus ſuis habeant, quam methodum ratiocinandi, ab hac ipſa in transverſum agerentur, minimeque

 in ea

n. 14. *g*) ſemper) *Ergo tamen aliquando. Unde contradicit Autor aſſertioni propriæ, quam argumentum fecerat* totius capitis 3. *Vide ibi notata* ad n. 2.

in ea ſatis præſidii in tentationibus & anguſtiis ſpiritualibus haberent.

20. Quando palam eſt, etiam acutisſimos ratiocinandi magiſtros, qui hanc ipſam methodum ſacris adhibere docent, ab ea quam de verbi divinitate perſuaſionem ab ineunte ætate habuerunt, ſæpe dimoveri, & ejus contemptum, diligentia ratiocinandi, quicquid disſimulent, animis ſuis induere, ut exemplis patet manifeſtis & non manifeſtis.

21. Ex hiſce quid de *quinta* objectione ſit habendum, intelligi poteſt. Ajunt *κριτήρια* & notas divinitatis, quæ in verbo & ſcriptura ab Apoſtolis & Prophetis editæ reperiuntur, eſſe totidem *medios terminos*, quibus auditor adſumptis, inde ratiocinatur & concludit, ſcripturam eſſe divinam, hoc modo; *In qua oratione vel ſcriptura reperiuntur notæ divinitatem verbi infallibiliter arguentes, illam oportet eſſe divinam. Atqui in verbo ſcripturisque Apoſtolicis reperiuntur tales notæ. Ergo verbum & ſcripturam illam oportet eſſe à Deo:* Parique argumento quicquid in illis traditur: Et ſic ratiocinatio eſt principium.

22. Hoc argumentum nonnullis maxime placuit, atque in eo toti fuere; poſtquam ſocios, qui rationem non modo principium divinitatis ſcripturæ, ſed & ipſarum quæ in iis continentur rerum, eſſe docent, hactenus in ſpeciem magis quam re ipſa deferendos putarunt.

23. Reſponſio ad argumentum illud eſt duplex. Prima, non eſt idem, cum dicitur; *Scripturæ divinitas aliunde quam ex ratione conſtare non poteſt*; cum hac poſitione; *divinitas ſcripturæ non poteſt aliunde quam ex characteribus divinitatis, quos ipſe Deus ſcripturis impresſit, conſtare.* Nam characteres iſti non ſunt notiones inſitæ menti, unde ratiocinatio ducitur; ſed quaſi fulgura, quibus tanquam propriis radiis ad convictionem omnis conſcientiæ, ſcriptura coruſcat, quemadmodum recte ab aliis ad hanc inſtantiam pridem reſponſum fuit.

24. Fere ut ſubulcis uſu venit, quibus angeli natum meſſiam denuntiarunt. An his etiam ratio fuit principium? Ita ſcilicet, *quod angeli dicunt, hoc eſt verum. Atqui puerum hunc eſſe Meſſiam angeli dicunt. Ergo verum eſt.* Nugæ. Fiat tamen ita; Sed an ita pergent? *Quam rem angeli nuntiant, hanc nos collatis rationibus ac ideis clare & diſtincte percipimus?* Apage, ubi nihil fuit, quam τὸ ῥῆμα γεγονὸς, verbum editum & intellectum cum gaudio Spiritus ſancti *Luc. 2. v. 15. 20.* Si rationales audiviſſent, primo dicta illa cum ideis menti inſitis & cum vaticiniis Prophetarum conferre debuiſſent, ne quid ante rationem.

25. Altera ſit hæc reſponſio; Non poſſe mentem hominis, ut nunc eſt, in facultatibus ſuis corruptam, ita ſuas cogitationes inducere ut in illis quæ laudantur notis, etſi tales revera ſint, infallibilem putet ineſſe demonſtrationem, *quod verbum ſit divinum*; cum iſtæ notæ ſint eædem cum re ipſa. Unde multo plures hominibus ſola ratione utentibus objectiones & difficultates cavillatoriæ, quam notæ veritatis à piis inde colliguntur.

26. Abſit, ut valori iſtarum notarum detrahamus; ſed ut ſola rationalis inde collectio exceptionibus & objectionibus argutis & infinitis, ſimplices auditorum vel lectorum animas, nihil quam attentionem ſuam adhibentes, ad πληροφορίαν, id eſt, plenisſimam & liquidisſimam perſuaſionem, qualis eſt fides, adducere poſſit, rei ipſius evidentia & experientia refellit.

27. Optimum argumentum eſt ab eventu vaticiniorum. Sed quam nec illud ad infallibilem demonſtrationem in piis, qui ſola vi rationis utantur, ſufficiat, his ultimis temporibus, qui huic parti ſcripturæ plus operæ quam aliquot ſeculis datum eſt, compertum fuit, dum totidem ſyſtemata explicationum quot interpretes prodierunt; ut multo ſimus incertiores quam dudum.

28. Nequidem miracula quæ leguntur in ſacris perpetrata, nunc infallibile præbent argumentum, quia nituntur fide relationum in ſcri-

in ſcriptura extantium, quæ proinde requirunt idem principium cognoſcendi veritatem, quod ad ſcripturæ divinitatem eſt neceſſarium.

29. Efficaciora fuerunt in eos quibus coram edebantur, ſed tamen ne in hos quidem valuiſſe quod ſatis eſſet ad πληροφορίαν, Chriſtus ipſe toties ingeminavit, quoties neminem niſi tractum à Patre ſuo, niſi cui is veritatem detegeret, credere poſſe profeſſus eſt.

30. Quid de reliquis gnoriſmatis? Hæc à viro docto noviſſime ita recenſentur. I. quod in ſcriptura revelatum ſit, quomodo peccator modo θεοπρεπῶς cum Deo poſſit reconciliari, quod nullus homo excogitare potuiſſet.

31. Atqui hoc illud ipſum eſt, quod Theologus è multis unus (nomini parcamus) Reformatæ Paſtor eccleſiæ ab ineunte credíditum ætate, per ratiocinationem amiſerat, nec niſi in ultimo vitæ articulo ſingulari Spiritus S. gratia in animum inducere potuerat. Idem eſt, quod hi, quibus hæc opera & omne ſtudium eſt, ut religionem Chriſtianam cum ratione per omnia concilient, maxime repudiant & rationi repugnare ſubtiliter demonſtrant mereque rationalibus facile perſuadent.

32. Idem de ſecundo Viri docti argumento tenendum: *in qua ſcriptura talia de Deo revelata ſunt, quæ humano ingenio excogitari non poterant, veluti eſt doctrina de Trinitate, b) hanc oportet eſſe divinam. Atqui.* Ergo.

33. Hoccene, quod rationales, ut ſpecimen repugnantiæ cum ratione perpetuo objiciunt, argumentum erit, unde argumentum evincendi divinitatem ſacræ ſcripturæ petatur apud negantes?

34. III. quam ponit nota Vir Rev. de Vaticiniis, examinata eſt.

35. IV. Nota; *Quia Deus ipſe cum Moſe, cæteriſque Prophetis loquutus eſt*, incidit in eandem circumſtantiam, quæ de miraculis modo relata eſt.

36. V. Nota; ſimplicitas, & integritas ſcriptorum, qui facta quæ ſcribunt, comminiſci non potuiſſent, hæc facit, ut moralia ab illis ſyncere dictata putent rationales: In rebus abſtruſis hoc illis præjudicium eſt in contrarium.

37. Plane ut hæc & ſimilia magni valoris ſint apud animos a Spiritus ſancti lumine jam præventos, id quidem fatendum; ſed ad eos qui ſola ratione, ſicut, inquam, ea nunc eſt in homine diſpoſita, procedunt in rebus examinandis, minime ſufficiunt ad convictionem & liquidam perſuaſionem; abſterrent magis, & μωρία ſtultitia videntur, ut Apoſtolus & res ac uſus docent.

38. Longe præ cunctis rationibus confirmat fideles validius, illud χρῖσμα, per quod omnia norunt, *unctio cæleſtis* & conteſtatio Spiritus Dei inſinuata menti, quam ſupra ex Paulo & ex Johanne percepimus; quæ facit, ut illæ notæ ſint, quod eſſe videntur, & animos intima clariſſimaque luce perfundant.

39. Neque vero immediata vis illa luminis infuſi abſolvitur decreto ſcilicet & voluntate divina, quæ velit & decernat, ut homo tales & tales ineat cogitationes; ut tamen in mente nihil ſit aliud quam collectio rationalium argumentorum, nec aliud in ea ſtatui poſſit abſque enthuſiaſmo, ut Viri Cl. inculcant.

40. Non opus eſt repeti quæ protulimus, & ad hæc refutanda ſufficiunt; Nec repetam quod ultro patet, hac interpretatione, mentem in ſuis facultatibus æque ſtatui incorruptam, quam ab his, qui corruptionem in uſu & actu & habitu acquiſito conſtituunt. Quia ratio ſic etiam, ut eſt in homine jam corrupto, ſtatuitur enixe, principium cogno-ſcen-

n. 32. b) de Trinitate) *Sed adde his quæ urget D. Roch in Biblioth. univerſ.* pag. 486. ſeq.

ſcendi divinitatem verbi; quod, ſi in ſuis facultatibus corrupta & cœca ſit, nullo modo eſſe poteſt *ſine novo principio.*

41. Enthuſiaſmi notam à nobis amoliri neceſſe tunc erit, cum negabitur, quod adhuc factum non eſt, ſententiam noſtram eſſe communem veterum Reformatorum, quos ut confuſionis, hodierni univerſæ dubitationis magiſtri inſimulent, enthuſiaſtas tamen adhuc fuiſſe nemo dixit; neque dicendum putavit, qui nos Spiritus ſancti motus, nonniſi verbo Dei conſentaneos, & ſecundum illud omnes motuum ſpecies, virtutum & qualitates examinandas cenſere cognoverit.

42. Deſtructa ſatis eſt hæc poſitio, *quod divinitas S. ſcriptura aliunde quam ex ratione cognoſci vel adſtrui nequeat.* Unde altera, quod *ſi ratio nobis aliud quam ſcriptura dictaret, huic non eſſet potius credendum,* corruit; quæ manifeſto nititur hac hypotheſi, quod ratio æque in homine certa ſit, quam ſcriptura, ſi modo recte inducatur; quod iterum præ ſe fert alia, hypotheſes duas convellendo factas Chriſtianiſmo, *rationem in ſuis facultatibus adhuc eſſe incorruptam,* de qua diximus; & veritates in ſcriptura traditas ad rationis normam examinandas, nec aliter quam ſi cum illa conveniant, eſſe admittendas; quod eſt thema Socinianum, ſcripturam Philoſophiæ ſubjiciens & pleriſque myſteriis ſubvertendis comparatum. Sed nos in priore quæſito, de principio cognoſcendi divinitatem ſacræ ſcripturæ ſubſiſtemus.

CAP. V.

DE TESTIMONIO OBSIGNANTE FIDEM RECEPTAM.

Inter converſiones factas ad fidem veram in prima evangelii prædicatione repentinas & eas quæ poſt receptam in orbe fidem per traditiones rationales committuntur, eſſe diſcrimen modi, non rei ipſius, ut alii aliis evidentius lumen ſupernaturale à ratione diſcernant. n. 1-5. Fidem perſuaſam & animi conſcientia acceptam teſtimonio Spiritus S. in vere fidelibus obſignari & oppignorari ſolere, n. 6. 7. 8. idque ſigillum & pignus à fide rationali bene eſſe diſtinctum, è variis ſcripturæ locis inducitur & probatur, ſecundum diverſos converſionum modos. n. 9-18. Pertinere id etiam ad cognitionem, exemplo myſterii, de cibo & potu carnis & ſanguinis Chriſti probatur. n. 19-25. Exponuntur aliæ quædam operationes Spiritus S. in animis fidelium *Pignoris &* teſtimonii uſum exhibentes, n. 26-35. & removetur exceptio. n. 36.

1. Quæ de cauſa ſupernaturali fidem producente *ſupra* demonſtravimus, hypotheſin maxime Pagani ad fidem converſi, quales in prima evangelii prædicatione, requirunt, in qua perſuaſio de veritate & divinitate verbi plerumque cum generatione novi hominis conjuncta fuit.

2. Qui ſic convertebantur, in his quidem fides non fuit ſine ratione; ſed principium credendi non fuiſſe rationem, ex eo liquidiſſime

Digitized by Google

ſime patebat, quod plerumque fides methodum ratiocinandi & exactam argumentorum comparationem præveniebat, ut tamen veriſſima & liquidiſſima fides eſſet.

3. Hi vero deinde cœlitus perſuaſi, introſpicientes in myſteria fidei, dignam in illis Deo ſapientiam adeoque cum ipſa ratione vera convenientiam, ſoli rationi, ut eſt in homine corrupto, impenetrabilem agnoſcebant; ac ita viſionem & conſcientiam diſcriminis inter ratiocinationem & tractionem Spiritus ſancti evidentem habebant.

4. In cæteris, qui poſt accuratum examen & collationem argumentorum ad fidem traducebantur, adfuit equidem illa vis eadem ſupernaturalis nec defuit ejus à ratiocinatione differentiæ conſcientia; verum minus evidenti temporis ordine diſcreta vel foris apparens.

5. Recepta per orbem fide Chriſtiana, perſuaſio de verbi divinitate in pleriſque, ſine ratiocinatione & ſine ſpeciali gratia cœleſti, traditione parentum & inſtitutione præcipientium ſedit animis hominum; cui dein ratiocinatio in multis iterum ſine ſalvifica (ne de tralatitia dicamus) Spiritus ſancti gratia acceſſit, ac ita fidem hiſtoricam & rationalem adſtruxit.

6. Sunt, quos miſericors Deus è ſtatu naturæ per efficaciam Spiritus ſui ad interiorem cum Chriſto, & per hunc cum ſe ipſo conjunctionem traductos, nova ſimul luce tam notabiliter perfundit, ut differentiam ratiocinationis ab illo lumine ſupernaturali clariſſime perſentiſcant.

7. Hujusmodi ſupervenientem Spiritus Dei operationem & illuminationem inſcriptione hujus rubricæ, de teſtimonio fidem receptam obſignante & pignorante, intelleximus, eique non modo in his, quibus poſt fidem ratione vel inſtitutione ſola perceptam ſupervenit, ſed etiam iis qui primitus à Spiritu ſancto rapiuntur ad fidem ante cirraque ratiocinationem evenire, conſtat è ſacris; Idque nunc ut probem, faciendum eſt.

8. Non loquemur de prodigioſa Spiritus S. immiſſione, quæ facta eſt in Apoſtolos & ab illis converſos, qui vel ſtatim vel aliquandiu poſt fidem acceptam ejusmodi Spiritu extraordinario, quem non viſum fuit Deo in eccleſia eſſe perpetuum, donabantur; ſed loquimur de communicatione teſtimonii, quod ad finem usque mundi duraturum eſſet in fidelibus, juxta promisſionem Chriſti *Joh. 14. & 15.* ἵνα μένῃ μεθ᾽ ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα, *ut vobiſcum maneat in æternum*, quod nulli niſi vere fideles cognituri eſſent *v. 17.*

9. De hoc Paulus ita, ὁ δὲ βεβαιῶν ἡμᾶς σὺν ὑμῖν εἰς Χριστὸν καὶ χρίσας ἡμᾶς, Θεός, ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς διὰ τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. *Qui ſtabilivit & unxit nos vobiſcum, Deus eſt, qui nos etiam obſignavit & Spiritus ſui pignus dedit in cordibus noſtris 2. Cor. 1. v. 21.*

10. Conferamus cum hoc loco alterum ad *Epheſ. 1. v. 13.* Ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς ἀκούσαντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, ἐν ᾧ καὶ πιστεύσαντες ἐσφραγίσθητε; Ἐν τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ, ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν. *In quo*, Chriſto, *poſtquam audiviſtis ſermonem veritatis, in quo poſtquam credidiſtis, ſigillo obſignati eſtis:* Scil. *Spiritu ſancto vobis promiſſo, qui eſt pignus hereditatis noſtræ.*

11. Duæ res heic à Paulo, re & temporibus diſtinguuntur, acquiſitio fidei, & ejus obſignatio atque oppignoratio. Prima pars eſt in verbis, ἀκούσαντες, πιστεύσαντες; *Poſtquam audiviſtis, credidiſtis.* Item, ὁ βεβαιῶν καὶ χρίσας ἡμᾶς εἰς Χριστὸν; Priora dicta rem ſimpliciter, hæc modum & cauſam exprimunt, *fundationem & unctionem*, qua fides à Spiritu ſancto mentibus indita fuit.

12. Hac ipſa re commiſſa & collocata, ſequitur obſignatio in verbis, ὁ καὶ σφραγισάμενος. ἐσφραγίσθητε. Item oppignoratio, διὰ τὸν ἀῤῥαβῶνα, ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν &c. comparatione deſumpta è negotiis contractis & eorum confirmatione per ſigilla & hypothecas vel pignora in manus tradita, ſicut fert uſus hominum atque rerum quotidianus.

13. In emptionibus venditionibus, locationibus conductionibus, ſtipulationibus,

Hh mutuo,

mutuo, donationibus, & ſimilibus ipſæ conventiones ita differunt & diſtinguuntur à ſigillis atque pignoribus, ut hæc ſæpius abſint aut poſtea ſubjungantur; Nec aliter in iſtis Pauli locis ordo verborum & analogia comparationis fert.

14. Ex bene dictis Marci Tulli eſt, nihil tam furioſum videri, quam verbis uti diverſis ſine diſtincto ſenſu; cujus rei exemplum videri licet in examine epiſtolæ Cæſaris ad ipſum, in his verbis; *Ut tuo conſilio, gratia, dignitate, ope uti poſſim:* Operæ pretium eſt animadvertere, quomodo ſingula verba ſcrutetur, non ut hodie quis in literis *complementa* civilitatis continentibus, quales erant iſtæ, verba negligentius effuſa putaret; nullam ſyllabam ſine proprio ſenſu gratis ab homine cordato ſtatuit eſſe poſitam *lib. 9. ad Att. ep.* xı, *& ſeq.*

15. Nos autem Apoſtolum; ut volunt, qui nullum Spiritus S. teſtimonium à fide rationali diſtinctum agnoſcunt; in re gravisſima fidei, ſigilli, pignoris vocibus ſine diſtinctis ſenſibus uti credamus? Sufficiat ſcriptura, verbum, ratio illuminata, *καχχειρόθη* ad fidem accipiendam, quis tamen dicet, ſigillum, quod imprimitur, pignus quod ſuperadditur, à verbo & à ſcriptura ejusque intellectu non eſſe diſtinctum?

16. Sed qui hæc confundunt, præter quod iſta & ſimilia loca dictis inanibus eludunt, clarius, quinam & quales ſint iſti motus & quomodo à ratiocinatione diſcrepent, *i*) ab adſerentibus exigunt. Si volunt clarius, quam in literis ſacris expreſſum legitur, non habent rationem. Ibi vero ſervator ait, ut modo intelleximus, *neminem eos motus ſcire poſſe, quam qui habet & ſentit, Joh. 14. v. 17.* Paulus eos appellat *ἀνεκλαλήτυς, ineffabiles,* easque *ὑπ' ὐδενὸς ἀνακρίνεσθαι, à nemine, quam à ſentiente dijudicari.* Calvinus noſter, *omnes quidem pios illos experiri, ſed longe infra juſtam rei explicationem verba ſubſidere 1. Inſt: 7. §. 5.*

17. Diſcrimen equidem à ratiocinatione perſpicuum eſt in his, qui prædicatione verbi ſine methodo rationali fidem amplexi, dein per ratiocinationem illuminatam myſteria veritatis ita perſpiciunt, ut eadem Spiritus efficacia, quæ primum eos ſine exactitudine diſputandi, adflaverat, magis magisque confirmentur, in eaque longe validius acquieſcant, quam ſola ratione freti facere potuiſſent; ut quæ vis in amplectenda fide prius illos adfecerat; hæc in retinenda & confirmanda teſtimonii loco ſit efficacisſimi.

18. Eo ſenſu Johannes unctionem Spiritus in utrumque uſum conjungit. *Καὶ τὸ χρίσμα ὃ ἐλάβετε ἀπ' αὐτῦ ἐν ὑμῖν μένει καὶ ὐ χρείαν ἔχετε, ἵνα τὶς ὑμᾶς διδάσκῃ. Unctio, quam ab illo accepiſtis, in vobis manet, nec opus eſt vobis, à quoquam* doceri *1. Joh. 2. v. 37.* Quæ unctio inde à principio vim luminis præbuit, ea deinde teſtimonii vel ſigilli & pignoris uſum præſtare dicitur, eamque ſolam Johannes ſufficere ſtatuit ad munien-

dos

n. 16. *i*) diſcrepent) *Etſi facile poſſit oſtendi diſſentientibus* quomodo illi motus differerant à ratiocinatione, *cum ſint motus cordis, qui ratiocinationem præveniunt, ut omnes affectus; interim tamen in quæſtione altera:* quinam & qualis ſint illi motus? *diſſentientes bene contra Autorem urgent, non ita ſeponendam & deprimendam eſſe ratiocinationem ut ipſe deprimit. Nam & motus phantaſtici & enthuſiaſtici; easdem ſenſiones producunt, & eodem modo hominem afficiunt. Et tales etiam quandoque cum vita bona & honeſta, & qua communiter Chriſtiana dici ſolet, ſunt conjuncti. Hic ſane, ut motus enthuſiaſtici à vere ſanctis ſecernantur, ratiocinatione opus eſt, & valde opus eſt. Non ſola quidem ſed & potiſſimum ſcriptura. Sed tamen nec ſola ſcriptura ſepoſita ratione omni. Sed ratione ex ſcriptura illuminata, & ſcriptura rationabiliter explicata.*

dos fideles adverſus ſeductorum cavillationes.

19. Ejusdem ſubſequentis teſtimonii virtus evidens hodieque eſt in omnibus, qui vulgari inſtitutione & ratiocinatione, dum adhuc erant in ſtatu naturæ, de verbi fideique divinitate ac veritate perſuaſi, dein Spiritu Dei vivifico induti Chriſtoque devoti mirificam exinde luminis in dijudicatione ſpiritualium rerum acceſſionem, non modo in amore zeloque, ſed etiam in interiore notitia veritatis aa myſteriorum experiuntur: Quod ut per omnem Chriſtianæ pietatis doctrinam liquidiſſime diffuſum eſt, ita placet uno illuſtrare exemplo.

20. Verba Chriſti, quibus *carnem ſuam eſſe vere cibum, ſanguinem ſuum eſſe vere potum,* non modo brevibus peremptoriiſque verbis in inſtitutione ſacræ Cœnæ, verum etiam fuſius & πραγματικῶς, imprimis in *cap.* VI. *Joh.* docet, per rationem ſolam *k*) nemo unquam recte ſatis interpretabitur.

21. Pontificii *verbum* quidem hactenus ut *principium* ſequuti, cum manducationem

 corpo-

Et hoc eo magis, quo nihil frequentius eſt, quam quod enthuſiaſtæ provocent ad multa ſcripturæ loca, & non ſolum omnia repetant, quæ Autor hactenus contra adverſarios ſuos, tam ex ratione, quam ſcriptura adduxit, ſed & ſinguli plurima alia loca ſcripturæ pro confirmandis ſuis propheciis & viſionibus adducant, &, dum alii ad interpretationem illorum locorum rationabilem provocant, ſuos ſenſus myſticos, & illuminatos à motu Spiritus ſancti, crepent. & ad teſtimonia obſignantia credulitatem ſuam, quam pro unica vera fide jactant, provocent. Cum hic ergo quid agas, imo ipſos proprios motus quomodo probes, ſi rationem omnem ſeponas? Hoc vellem ab Autore tractatum, & ad hoc dubium fuiſſe reſponſum.

n. 20. *k*) ſolam) *Si per rationem ſolam intelligit regulas interpretationis Grammaticas, ſolas, rem concedo. Imo nec logicas aut Juridicas interpretandi regulas ſcivisſe ſufficiet, ut non premant multæ difficultates interpretationem quamvis verborum Chriſti, quarum Autor hic mentionem facit. At ſi quis antiquitates & ritus eccleſiæ Judaicæ calleat, & formulas conſideret, circa diſtributionem panis & calicis, quæ in uſu erant apud Judæos in celebratione Paſchatos, (quod omnium optime explicuit Johannes de Hiſpania* in tractatu de manducatione corporis Chriſti) *tum abſque omni tractatione controverſiarum tædioſiſſimarum, quæ Proteſtantibus inter ſe & cum pontificiis per aliquot ſecula interceſſerunt, verus & genuinus ſenſus verborum Chriſti quaſi ſe ſponte offert, & difficultates omnes, quæ citra notitiam hiſtoricam harum rerum alias torquent, ſponte cadunt. Unde mallem, ut ab hoc exemplo abſtinuiſſet Autor, ut quod & ab alias rationes ipſius intentioni parum proderit. Nam* [1] *quod rationi, id eſt, ut ipſe explicat, rationabili interpretationi, in hac controverſia multum ſit tribuendum, argumento eſt, quod Autor ſtatim* num. ſeq. *taxet interpretationem pontificiorum, tanquam craſſam & Chriſto indignam, hoc eſt tanquam irrationalem. Craſſa enim & ſubtilis interpretatio dicuntur intuitu rationum interpretandi, non intuitu ſpiritualium motuum, qui à nemine, quod ſciam ſecernuntur in craſſos & ſubtiles. Et quæ contra reliquas interpretationes idem hic diſputat, eo pertinent, ut velit oſtendere, eas cum ratione non convenire. Quæ vero idem Autor noſter* [2] *de motibus ſpiritualibus, in legentibus Calvinum oriundis vel ortis diſſerit, ea partim valde obſcura, ac ratione vix comprehenſibilia ſunt, ut motus ipſi, quos A. in mente habuit, partim nequaquam perſuadebunt ingenuum veritatis indagatorem. Nam* [3] *quid eſt, quod Autor requirat lectorem Calvini, talis conſcientiæ non imperitum. Cur non idem procedit, ſi Lutheranus aut Pontificius Calvinum legat? Etiamſi uterq; illorum æque mul-*

Digitized by Google

corporis Chriſti ſpiritualem non perciperent, interpretationem craſſam & Chriſto indignam prodiderunt, nec penitus hanc imperitiam ſpiritualem exuere, qui transmutatione materiali rejecta, corpoream tamen præſentiam amittere nequeunt. Nec quidem illi fortaſſe, qui nil niſi tropum aut figuram in Chriſto verbis agnoſcunt. Denique, nec uſus ſpiritualis vel attentionis hac parte ſatis eſſe videtur in hiſce, qui manducare corpus Chriſti nihil aliud eſſe volunt, quam uno verbo, in Chriſtum credere; qui forte nec à proxime præcedente ſententia recedunt.

21. Non-poſſe quidem aliam fingi manducationem, quam quæ per fidem exercetur, fatendum & concedendum eſt: At nihilominus pro certo habendum, non omnia quæ per fidem fiunt, aliud nihil eſſe quam *in Chriſtum credere*, ſpes, charitas eſt per fidem, gemitus ineffabiles, & omnis habitio Spiritus in fidelibus eſt per fidem, nec tamen in illis omnibus nihil eſt aliud, quam uno verbo, *credere in Chriſtum*.

22. Sed Calvini hac de re ſcripta legenti non imperito ejuſdem conſcientiæ, hoc inter alia exemplo patebit, quod in illo mirifice, lectori non impari paſſim ob oculos verſatur; incredibile eſſe, quantum homini ratiocinatori, qualis ille præ multis aliis fuit inſignis, è ſpirituali intimaque rerum ſalutarium experientia lucis ſubortatur.

23. Adeo, nec ille demonſtrare, nec aliis ſine pari experientia perſuadere potuiſſet, manducationem corporis & potionem ſanguinis Chriſti eſſe rem exhibitam vereque non figurate præſtitam, cujus anima fidelis penitus fiat particeps, ut ipſius virtute in vitam ſpiritualem vegetetur; non tantum, quatenus eſt ſermo Dei æternus, ſed etiam eo, quod deſcendendo è cœlis, vim iſtam in carnem indutam diffudit, ut inde vitæ communicatio ad nos promanet, & ſic ejus caro vere cibus & ſanguis ejus vere fiat potus, quibus in vitam æternam fideles educentur.

24. Sacramentum quidem cœnæ non facit, ut Chriſtus tum primum incipiat eſſe panis & potus vitæ; ſed dum per ſymbola revocat in memoriam, ſe panem & potum vitæ eſſe factum, ſimul iſtius panis ac potus guſtum & ſaporem præbet ſuis, ac ut vim utriuſque alimenti ſentiant, arcana virtute ſua perficit, qua ſe paſci & vivificari, ſæpe cum imo medullas ipſas penetrante ſenſu divinæ

tum tribuat motibus ſpiritualibus, ac Autor? [4] *Cur Autor dicit, Calvino ut homini ratiocinatori, & inſigni quidem ex ſpirituali experientia multum lucis ſubortum eſſe, & tamen hactenus de ratiocinatione in ſpiritualibus tam contemptim fuit locutus.* [5] *Sed annon putavit vel credidit Autor, ſimiles motus, quos ipſe forte in lectione Calvini ſenſit, ab aliis ſentiri poſſe in lectione Theologi pontificii vel Lutheri noſtri. Sentiri tales motus à multis pontificiis non dubitamus, dum videmus, quot innocentes, præprimis inter monachos ſeriis concuſſionibus pectorum, & affectuoſiſſimis orationibus eos teſtentur. Sentiri à multis Lutheranis etiam quotidiana teſtatur experientia, præſertim ab illis, qui legunt, quanto fervore Lutherus egerit in colloquio cum Zwinglio, & quanta fiducia erga expoſitionem ſuam verba:* Hoc eſt corpus meum *præ ſe in menſa ſcripſerit, ut ne latum unguem videlicet ab ea recederet, quanta item fiducia alibi Deum alloquatur, quod verba Chriſti intellexerit prout jacent, & quod ea multis ratiocinationibus torquere noluerit. Jam igitur ſi talis pontificius, talis Lutheranus & talis Reformatus concurrant, & ſinguli ad teſtimonium internum Spiritus ſancti & obſignationem illam, de qua hic agit Autor provocent, vellem ut viveret Autor, & mihi reſponderet, quid hic agendum ſit, an omnes tres motus ſint Spiritus ſancti, aut quomodo probandum ſit, Reformati motum ſolum eſſe genuinum.*

Digitized by Google

vinæ bonitatis atque *guſtu* præſente effectu- que non tranſitorio, ſed robur in futurum animumque addente, perſentiſcunt.

25. Nec Calvino hac ratione mediam inter *Lutherum* & *Zwinglium* inſiſtere viam in mentem veniſſet, neque piis hæc interpretatio ſedere potuiſſet, ſi nullum quam rationis lumen in his veritatibus indagandis & dijudicandis ſequuti fuiſſent. Nec quisquam ejus manducationis interno ſapore non percepto, aliter in animum inducere poteſt, quam verum eſſe, quod pontificii tenent, illuſionem inanis argutiæ, nil niſi verborum ſonos dantem, à Calvino eſſe excogitatam.

26. Præter hunc guſtum adhuc in verbo Dei duas excellentes Spiritus ſancti operationes à rationali certitudine fidei, quæ per eam obſignatur & oppignoratur, diſtinctas invenimus, quarum altera vocatur à Paulo *τῆς υἱοθεσίας Spiritus adoptionis*, alteram vocat Petrus *ἀγαλλίασιν χαρᾶς ἀνεκλαλήτου καὶ δεδοξασμένης exultationem gaudii ineffabilis & glorificati*, quæ ut verbis diſtinctis exprimuntur, ita motu quoque & ſenſu non tantum conſolationis, ſed & maxime certitudinis fidei (de rebus ad ſalutem neceſſariis loquimur) in animis fidelium differunt; etſi quadantenus concurrere non poſſe non ſit ſtatuendum.

27. Obſignationis & pignorationis uſum conjungimus, & tamen diſtinguimus, quia Spiritui ſancto conjunctim & ruſus diſtincte viſum fuit eas efferre, ſicut intelleximus; propterea quod eodem fere motu ſenſuque filios Dei afficiunt; verum *ſigilla* dicuntur, quatenus *τοῖς πιστεύσασιν, iis qui crediderunt*, ferme in ſuis initiis imprimuntur, quemadmodum ſigilla inde ſtatim à principio, vel haud diu poſtea ſolent actis inprimi: *pignora* vocantur, quatenus eorum viva memoria vel repetitio gratioſa certitudinem inconcuſſam fidei acceptæ, cui tanquam pignori dato tantiſper incumbant, fidelibus præſtant.

28. De Spiritu adoptionis habemus duo loca Pauli Apoſtoli *ad Romanos cap. 8. & ad Galatas c. 4.* quæ utcunque ſatis nota, non erit inutile denuo conferri. *Ἐλάβετε πνεῦμα υἱοθεσίας, accepiſtis ſpiritum adoptionis*, ait ad Romanos. Ad Galatas, *ὅτι δέ ἐστε υἱοί, ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν. Quoniam filii eſtis, emiſit Deus ſpiritum ſui filii in corda veſtra;* Utroque loco facit oppoſitionem hujus ſtatus & ſpiritus filialis adverſus ſtatum & ſpiritum ſervitutis, quæ ſub lege fuit, cujus differentiæ explicatio non eſt hujus loci. Hoc magis ad rem præſentem pertinet, quod ait, *quoniam eſtis filii;* ſupponit, eos eſſe filios; facti ſunt tales per fidem, cujus gnati ſunt, per fidei receptæ conſcientiam, dicamus rationalem illuminatam. Inſuper emiſit Deus hunc ſuum ſpiritum filialem, qui hoc liquidius eos edoceret; ut exinde jam ſtatim notitia & certitudo duplex intelligatur; una, quæ eſt ex collectione fidei rationali; altera, quæ eſt ab hoc ſpiritu in eum finem *ἐξαπεσταλμένῳ*, ſpecialiter ſcilicet, *εἰς τὰς καρδίας in corda foris emiſſo.*

29. Notabilius idem ex effectis elucet, *ἐν ᾧ κράζομεν, ἀββᾶ ὁ πατήρ, in quo ſpiritu vociferamur, abba ô Pater*, ſunt verba in græco exotice vernacule *ὀνοματοπεποιημένα* exquiſitæ ad ſignificandam efficacius illam *Θεοῦ βίαν*, illam vim ſupernaturalem, quæ cum indicibili teneritudine fiduciaque infantili tum mentibus adfunditur; ut deficientibus verbis, erumpant in ſuaviſſimam compellationem atque in amplexum deſinant. Nec mora, quin tam blande citatus ille pater amoris ſui ſenſum *πάντα νοῦν ὑπερέχοντα τὸν omnem vim mentis ſuperantem* benigniſſime reflectat animisque eorum inſinuet. Atque hæc eſt ejusdem ſpiritus reſponſio: *Αὐτὸ τὸ πνεῦμα Spiritus idem*, qui clamaverat, *abba Pater*, *συμμαρτυρεῖ ὅτι ἐσμὲν τέκνα Θεοῦ: reflexus ſcilicet conteſtatur, nos eſſe filios Dei*, non voce remiſſa, de qua nihil in verbo hactenus, & qua nihil opus; verum ſenſu penetrantiſſimo acceptaræ nuncupationis paternæ, cum certitudine fiduciaque mirifica conjunctæ, ut tralatitiam & rationalem fiduciaque mirifica

fica conjunctæ, ne tralatitiam & rationalem fiduciam hic animo concipiamus intelligi. Nulla tamen heic ἔκστασις, nulla mentis alienatio: quid enim? Συμμαρτυρεῖ τὸ πνεῦμα τῷ πνεύματι ἡμῶν; *Conteſtatur Spiritus*, ille qui clamarat, *ſpiritui noſtro*.

30. Sunt igitur duo Spiritus in actu & in operatione diſtincti, mutuoque ſe adficientes apud fidelem, ne Paulus idem *ad Corinthios* adfirmans à ſe ipſo diſcrepet, ὁ κράζον, *vociferans*, ita ſe ipſum denotat Spiritus ſanctus καὶ ὁ ἡμῶν, & *ſpiritus noſter*, qui hoc perſentiſcit, hoc ſibimet applicat, & dum intentus verbo rationibusque fidei, tam excellenti gratiæ divinæ ſenſu fruitur, ſupra omnes dubitationum nubes evecta, ſigillum illud veritatis impreſſum ſibi, pignoris vice complectitur atque cuſtodit. Si quis hac revelatione, qualis optimo jure dicitur, fidelis poſtea tanquam principio velit uti ad alias veritates ſalvificas, (nam extra negotium ſalutis id non extendimus aut urgemus) colligendas, fieri poteſt optime, neque fiet hoc per modum naturalium perceptionum, vel idearum comparationem atque connexionem, quam mens ſua naturali facultate componit, ut noſtri Patroni ſolummodo fieri volunt, ſed immediate è teſtimonio Spiritus ſancti; quemadmodum Paulus in dicto ad Romanos loco instituit, *cap. 8. v. 16. 17.* E conteſtatione Spiritus, qnod ſimus filii Dei, colligit ita immediate, Εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι, *ſi filii, ergo heredes.* Atque ita videmus, dari quoque principium veritatis explorandæ diverſum à ratione recta idque Spiritum adoptionis præſtare validius quam ulla ratiocinatio connectere atque perſuadere poſſit.

31. Hæc de Spiritu adoptionis è duobus illis locis κατὰ πόδας, *verbotenus* & ὀφθαλμοφανῶς *ad oculum* pro modulo hujus inſtituti demonſtrata ſunto. Altera Spiritus ſancti operatio in cordibus fidelium, è qua juxta conſolationem de ſtatu proprio, fidei certitudo absque ratiocinatione confirmatur, eſt *exultatio gaudii ineffabilis & glorificati*, de qua plenæ ſunt literæ Dei; ſed non occurrebant vivaciora verba quam ſunt hæc Petri, *1. Petr. 1. v. 7. 8.* Ἵνα τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως εὑρεθῇ ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃν οὐκ εἰδότες ἀγαπᾶτε, εἰς ὃν ἄρτι μὴ ὁρῶντες, ἀγαλλιᾶσθε χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ καὶ δεδοξασμένῃ. *Ut probatio fidei veſtræ reperiatur in detectione J. C. quem non videntes, ſed credentes, exſultatis gaudio ineffabili & glorificato.* Τὸ δοκίμιον πίστεως, & probatio per ignem perſecutionum, in quarum medio ſuſtinentur per fidem absque viſione; ſed ejus loco immittitur à Spiritu ſancto gaudium ineffabile in eoque exultatio glorificata.

32. Non habetur hic, infundi à Spiritu ſancto? At *Gal. 5. 22. Rom. 15. 13.* ἐστὶ καρπὸς τοῦ πνεύματος ἡ χαρὰ; *Gaudium eſt fructus ſpiritus ſancti.* δύναμις πνεύματος ἁγίου; *Potentia ſpiritus ſancti.* Unde ἀγαλλίασις *exultatio* in medio luctu, ut in *verſ. 6.* λυπηθέντες ἀγαλλιᾶσθε, *triſtitia affecti exultatis?* idque ἀνεκλαλήτῳ χαρᾷ *ineffabili lætitia*; ne putes effectum eſſe naturaliter ortum è conſideratione immenſi boni, quod fide apprehenditur. Hoc quidem erigere & firmare poteſt animum ad conſtantiam in adverſis præſtandam: at ipſo actu exſultationem indicibilis gaudii in medio mœrore, ſæpe nulla conſolationis expectatione, non præſtat; divinitus illud, immediatum fit oportet, imprimis, ſi cogites δεδοξασμένην χαρὰν, gaudium non ſimpliciter glorioſum, ſed ut vox habet, *glorificatum*, elatum, affuſum gloria; quatenus *ſpiritus eos velut in ſublime raptos luce ſua cœleſti* (à corporeis tamen oculis aliena) *circumſplendet*, verba Cl. *VVitſii œcon. fœd. 3. 11. 44.* Cujusmodi adfuſiones repentinas non modo ſæpe martyres in tormentis aut eorum expectatione, ſed & alii fideles in maximis animorum anguſtiis haud raro experiuntur.

33. Nam ita fere ſe præbet hac parte Spiritus, quo majus ſit τὸ ἀπροσδόκητον hujus glorioſæ exſultationis, ut cum mens fidelis quaſſata tentationibus, dubitationibus & derelictione ſpirituali, ruentibus ſuper ipſam ratio-

tiociniis ſuis, perdere ſeſe & abſorberi videtur, intenta verbo ſalutifero operique Dei unius & trini in negotio ſalutis, atque à Jeſu tenuiſſimo quaſi filo pendens, ut tunc aliquando derepente merſum tenebris animum occupet lux & indicibilis lætitia, qua velut in cœlum raptus mirifice ad Deum laudandum & glorificandum excitatur, attollitur, inflammatur, impletur laude gloriaque Dei non jam credens aut ratione percipiens, quod præ hac luce tenebroſum & nauci eſt, ſed videns & palpans id de quo rationes non poterant eum reddere ſecurum aut animo tranquillum; ſimul clarius infinito quam capiat ulla ratio, ſentiens, vim cœleſtis beatitatis atque lætitiæ omnem, in Deo laudando & glorificando exorſum neque conſumptum iri.

34. Sed veriſſime dicitur hæc ἀγαλλίασις, id quod eſt in hac vita, *exſultatio* quam brevi actu vox indicat tranſmitti, atque ita plerumque paucis momentis abſolvitur, & in pacem animique ſereniſſimam tranquillitatem deſinit, atque transfunditur. Non eſt ea tum proprie facultas τῦ κράζειν Ἀββᾶ ὁ πατὴρ, neque momentum, quo dicit arida mens, ſe repente melle medullaque paſci; licet utrumque fiat alias, & multo ſæpius uſu veniat, quam hujusmodi exultatio glorificata, ut ariditas ſpiritus ſic ſubito in abundantiam mutetur. Sed in hac exſultatione lætitia ineffabilis & plena gloriæ ſic rapit & occupat omnem mentis & cogitationum facultatem, ut nullam dubitandi ſpeciem recipiat, nubeculamque admittat nullam; nec unquam evidentius, ejusdem Petri ſententiæ vis & τὸ ὄγκον apparet, qua fideles ait τῆς θείας φύσεως γίνεσθαι κοινωνὸς, *divinæ participes naturæ fieri, ep. 2. c. 1. v. 4.* quam in his momentis; attamen ſemper hactenus ἄνευ ἐκστάσεως, *ſine mentis* ulla *alienatione*, bene dum ſibi & proprio ſpiritui conſtant.

35. Hæc Petri verbis inſunt, ita experti hodieque teſtantur, & modo ſemel ea frui contigerit, ejus viva ſemperque recens & præſens memoria ſigilli atque pignoris uſum, circa τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως, quod Petrus appellat, non modo conſolationis ergo, ſed & maxime inquam, circa veritates fidei ſvaviſſime ſolidiſſimeque præſtat; tempore quidem Petri ſæpius & copioſius, ut nunc res & funeſta loquitur experientia, ſatis tamen adhuc dum frequenter & evidenter (ut qui animas perite tractant adfirmare non ceſſant) ad omnem animi dubitationem, quæ adverſus rationes ſæpe moventur, auferendam: Maxime, quoniam hoc utrumque ſigillum Spiritus adoptionis & exſultationis glorificatæ, temporalibus & defectoribus à Spiritu, cum quibus τὰ δῶρα τῦ μέλλοντος αἰῶνος, *dona futuri ſeculi* & ſuperficialia gaudia quandoque communicantur, nusquam adſcribantur, quo majorem ejus conſolationem atque certitudinem eſſe conſentaneum eſt.

36. Non habuimus in *hoc capite* rationem eorum, qui pignus & ſigillum Spiritus ſancti, de quo ſcriptores ſacros *ſupra* loquentes audivimus, ajunt eſſe virtutes & opera fidei receptæ conſentanea; quia ſatis è verbis ſuperius eductis liquet, pignus & ſigillum illud omnino eſſe diſtinctum à virtutibus & bonis operibus; Quia virtutes non ſunt aut dicuntur, ipſe Spiritus; ſed fructus ejus & ſequela: Pignus autem & ſigillum, de quibus priora loquuntur loca, ſunt & vocantur ipſe Spiritus ſanctus *d. c. 1. ad Epheſ. 3.* ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι. De virtutibus ac bonis operibus inde loco diverſo Apoſtolus in *cap. 2.* agere inſtituit. Pignus & ſigillum, de quo loquitur immediate mentibus adhibitum deſignatur; ut plane diverſi generis ſit à virtutibus & bonis operibus, è quibus aliqui argumentum ad demonſtrandam probitatem fidei, recte peti non ignoremus.

CAP.

CAP. VI.

IN QUO OCCUPANTUR ADHUC OBJECTIONES QUÆDAM, ET LOCUS CONCLUDITUR.

Quam varie pro temporibus ſe habuerit hæc doctrina de lumine teſtimonioque Spiritus ſancti. n. 1-7. Objectio, quod operationes Spiritus, quas pii præferant, ſint è motu ſanguinis & imaginibus cerebro impreſſis, removetur, n. 8-12. & demonſtratur, eos motus ſæpius evidenter abſque ulla collectione prævia & ſine ideis antea impreſſis oriri. n. 13. Removetur & hæc objectio, quod iſti motus laudati non tam ſint informationis & doctrinæ, quam conſolationis. n. 14. 15. 16. Limitationes quædam & cautiones ſententiæ orthodoxæ adjiciuntur. n. 17. 18. 19. Denique, in fundamentum ejus, quod rationales adfirmant, non poſſe aliud apud hominis conſcientiam eſſe, quam rationem, inquiritur. n. 20-27.

1. Non dubito, quin haud deſint, qui me cucurbitas pingere, quam talia tractatui *de jure civitatis* inſerere mallent. Sed hi velim credant, eſſe rationes, quare id ita conſulendum fuerit, & ſi reſpiciant ad finem præcedentis initiumque præſentis ſectionis, nihil ab operis argumento alienum, niſi forte modus expectationem ſuperet, eſſe commiſſum videbunt: In modo autem extendendi locum Theologicum in hac arte uſu venientem, cum Hobbes longe ſit hac parte prolixior, nihil habere nos excuſandum, maxime ſi genus utriusque comparetur, æquus lector, facile arbitrabitur.

2. Sufficit nobis, animi noſtri conſtare ſententiam, nec pudet magiſtri; etſi quæ protulimus ab hujus temporis non modo philoſophia, ſed etiam forte prævalente Theologia ſatis aliena viſum iri non ignoramus.

3. Primi Reformatores de teſtimonio Spiritus ſancti, pro divinitate ſacræ ſcripturæ, tam diſerte & ſignate loquuntur, *l*) ut ejus à ratione differentiam non modo è ſacris literis hauſiſſe, verum etiam uſu vivaque experientia percepiſſe manifeſti ſint, eaque in multis ad extrema usque tempora duravit accuratio.

4. Non pauci deinceps eandem ſequuti diſciplinam eodem quidem modo loqui perſeverarunt, ut tamen longe minus σαφῶς & ſignate de operationibus immediatis agere viſi ſint, *m*) nec fere aliud quam ipſos terminos

n. 3. *l*) loquuntur) *Nec mirum, cum & ipſi pontificii, præprimis myſtici, multa diſerte & ſignate loquantur de tali teſtimonio interno, ſi non in probanda divinitate ſcripturæ, certe in aliis negotiis ſpiritualibus.*

n. 4. *m*) viſi ſint) *Id forte factum, quod viderint, caute procedendum eſſe in iſtis operationibus immediatis, ne quis decipiatur, præprimis cum cognoverint, ad quid ſeducti fuerint Theologi quidam myſtici, & enthuſiaſtæ nimium intenti in ejusmodi operationes immediatas.*

Digitized by Google

minos & hypotheſes, quas Pontifices & auctoritati Eccleſiæ opponerent, præferre ſoliti fuerint.

5. Qui noſtro tempore novam dubitandi & ratiocinandi methodum ad literas ſacras produxere, τοὺς καθόλου λόγους, ut Ariſtoteles ait, κενωτέρως, generalia iſta vana crediderunt, neque plane quicquam in homine præter Spiritum hominis, id eſt, mentem & rationem cunctis hominibus inditam ineſſe ſtatuerunt: Solitique nihil pro vero habere, niſi quod clare & diſtincte perciperent, veteres Theologorum loquendi modos, de teſtimonio Spiritus S. miſſos fecerunt, & rationem pro unico principio cognoſcendi in ſacris habere cæperunt.

6. Hactenus quidem jure meritoque; nihil quam Spiritum hominis λαβόντες, quod nullum aliud cognoſcendi principium agnoſcendum putarunt. Proinde quid aliud fieri poterat, quam ut ſcripturam eo modo interpretarentur, ut nihil quod ipſi non ſentiunt, in ullo mortali ineſſe contenderent, & alium in piis habitantem Spiritum laudantes fidenter *enthuſiaſtas* pronunciarent?

7. Fit hoc convenienter ei, quod nunc evertendis plerisque fidei myſteriis, quorum hoc è minimis non eſt, adhibetur, ut præjudicia claræ & diſtinctæ perceptionis, *n*) qua certisſime nihil in ſe quam rationem percipiunt, ſacræ ſcripturæ interpretationes occupent, prævertant atque pervertant.

8. Sed ajunt, illos motus piorum, qui Spiritui Sancto quaſi illis adfuſi tribuuntur, aliud nihil eſſe, quam vivaciores ſanguinis & ſpirituum animalium impetus & eruptiones, quos illi opinionis errore pro immediatis Spiritus Sancti operationibus accipiant ac imaginentur, quemadmodum vis imaginum cerebro impreſſarum juncta ſubitis ſpirituum & ſanguinis motibus, hominum credulitatem mirificè poteſt & ſolet adficere, ne quid de ſubtiliore mali genii concurſu dicatur.

9. Nec id quidem negat quisquam, etiam in religionis exercitio multis uſu venire modis. Nec tamen ideo, quod aut imaginationes aut impoſturæ hominum geniorumque, ſimilitudine motuum divinorum fallunt, veritati adeo in ſacris literis teſtatæ præjudicandum; *o*) nec quod ſimulatores aut fanatici inſaniunt vel ſibi aliisve imponunt, ideo vera ſolatia verè piis & ſanæ mentis Dei cultoribus ſubtrahenda fuerint.

10 Quanquam etiam Spiritus Dei, ſicut mentem, id eſt, ſpiritum hominis quod Paulus docet, certiorem facit, ita miniſterio ſpirituum animalium, quæ menti ſerviunt, utitur ad affectus ſe dignos in homine excitandos; nulla cauſa tamen eſt, ideo negandi, cauſam eorum motuum eſſe à Spiritu Dei immediate, ut literæ ſacræ de gemitibus ἀνεκλαλήτοις aliisque adfirmant.

11. Modo adſint notæ, quæ certe non deſunt, quibus veri Spiritus divini motus à ſpuriis diſcerni queunt; ſi non aliter quam ad exitus fidei ac intentis verbo animis eveniant, nec quicquam in iis quam literis Dei bene conveniens & ad ejus gloriam pertinens exhibeatur.

12. Si quis tamen adhuc inde non liquere contendat *immediatisſimum*, nec aliud in illis motibus ineſſe, quam effectum meditationis verbi dudum percepti, cum rationali

Ii colle-

n. 7. *n*) perceptionis] *Mirus terminus, & antea fortè non auditus, quod clara & diſtincta perceptio referatur ad præjudicia, quæ alias errorum fontes ſunt. Aut quod tales perceptiones putentur nocere explicationi ſcripturæ Sacræ, quæ tamen nunquam debet eſſe irrationalis.*

n. 9. *o*) præjudicandum] *Id tamen ex dictis etiam ſequitur, non nimis fidendum etiam eſſe talibus motibus, divinis ſimilibus, neque rationis aut ratiocinationis rectæ uſum eſſe deprimendum ſub prætextu, quaſi non detur ratio recta, niſi in abſtracto.*

gollectione & collatione idearum ſive imaginum in memoria inde præexiſtentium, vi voluntatis ſive decreti divini facta, nec adeo nihil hactenus ineſſe putet in homine quam rationem & affectus, is ſic habeat.

13. Præcipuos & excellentiores illorum motuum, de quibus in *cap. præcedenti* actum, ſæpius evenire piis, evidenter absque ulla collectione præcedenti, nec *ideis* in mente verſantibus aliis quam diverſis aut contrariis. Plerumque enim incogitantibus, *in maximis humilitationibus & anguſtiis* nihil tale præſtolitatis offeruntur, ut omnes qui hac de re ſcribunt & loquuntur, adfirmant, nominatim Interpretes Belgæ ad *cap.* 8. *Rom.* v. 15. *n.* 19. & nos ſupra ex Apoſtolo demonſtravimus. Adde Cl. Spanhem. *Theol. elencht. ubi contra Rational. &c.* Cl. VVitſ. *in diſſert. Epiſtol. huj. argum. n.* 7. *& ſeqq.* Præter quod experti non temere dicent, ipſum genus & ſenſum, ab affectibus è paſſione mentis à Spiritus animalibus ortis differre evidenter & clariſſime.

14. Sed videndum, ne non *ἀκυρολογίας* inſimuletur, quod nos ea quæ conſolationis eſſe videntur, ad quæſtionem de principio cognoſcendi, retulimus; cum alia informationis, alia conſolationis uſum in hoc genere motuum extraordinario obtinere videantur.

15. Ad hanc objectionem noſtra ſic eſt ratio. Pertinere ea primo ad refellendum, quod diſſentientes volunt; nihil eſſe vel dari poſſe apud animum hominis quam rationem: Secundo ad id, quod dicunt, ſcripturæ divinitatem *aliunde*, quam ex ratione conſtare non poſſe, quod non tantum à principio, ſed etiam ex eo quod poſtea fit, aliter intelligi poteſt & ſupra demonſtratum eſt.

16. Ex eo videlicet, quod etſi motus iſti ſpirituales immediati, conſolationis uſum præbeant maximum, tamen etiam intentis verbo ſalutifero anxiiſque animabus oblati & exhibiti, Auctorem Deum ita loquantur & laudent; ut de veritate fidei, quam conceperunt & divinitate verbi, quod intellexerunt fideles, nullo modo ambigere poſſint; adeo ut veritatibus ipſis certius & validius cognoſcendis & dubitationis à ratione maloque genio objectis hæc quoque ſigilla & pignora plurimum conferre manifeſtum ſit; eodem modo, quo ſigilla & pignora nihil quidem addunt novi rerum geſtarum notitiæ, ſed earum tamen fidem valide confirmant & addunt ſecuritatem.

17. Unde ſimul intelligi poteſt, ejusmodi alloquia & teſtificationes Spiritus S. piis mentibus factas, poſſe quidem illis adfundere & augere certitudinem de ſcripturæ divinitate & veritate Chriſtianæ religionis univerſæ; ſed non poſſe eadem certitudine ſingulis capitibus, niſi quatenus ad ſalutem neceſſaria ſunt, aut ſingularium locorum interpretationibus, vel exquiſitis difficultatibus *p*) applicari.

18. Quanquam hoc eſſe remotum à facultate Spiritus Dei, vel eam partem operationum ejus hodie penitus ab eccleſia vel fidelium conſcientiis eſſe alienatam, nihil opus eſt ſtatuere; ſed excedit noſtræ diſputationis terminos; utique non eſſe ad talia facile deſcendendum, res ipſa & evidentia periculi ſatis declarat.

19. Denique totum hoc de immediatis Spiritus S. illuminationibus & conteſtationibus, ad alios convincendos vel edocendos non pertinere, ſed ad conſcientias eorum quibus eveniunt, inſtruendas, *q*) & confir-

n. 17. *p*) Difficultatibus) *Neque adeò debuiſſet Autor ſuprà* cap. præced. n. 20. ſeq. *applicare exquiſitis difficultatibus circa explicationem verborum Chriſti ortis.*

n. 19. *q*) Inſtruendas) *At ſi non pertinent ad convincendos vel edocendos alios, non pertinet etiam hæc tota quæſtio ad Jurisprudentiam, quæ de interna convictione veritatum non agit, ſed de tali, quibus aliis etiam fides fieri & excitari debet. Et quomodo poſſunt eju-*

confirmandas duntaxat utiles eſſe, reſetiam ultro loquitur; nec adeo illas impedimento eſſe, quominus quisque rationem fidei ſuæ reddat iis, quibus eam reddere debet, jam antea demonſtratum eſt.

20. Neſcio, an nova de natura mentis, quod nihil quam *cogitatio* ſit, opinio, *r*) dederit occaſionem huic indignæ Chriſtianiſmo ſententiæ, nihil hominis conſcientiam adficere *poſſe*, nullum *poſſe* dari principium cognoſcendi quam rationem cunctis hominibus communem; ut toties adfirmari videmus ab his, qui non contenti dicere, quod nihil ſit in homine qua tali quam ratio, ſed etiam quod nihil aliud eſſe *poſſit* ingeminant.

21. Si dicerent, illas adfuſiones immediatas, ſi quæ ſint, etiam eſſe cogitationes, & ſic à mente quæ cogitatio ſit, non diſcrepare, conſequentiam tamen non obtinerent: non magis quam ſequeretur, menti à corpore ſeparatæ & tanto arctius cum Deo conjunctæ, nihil accedere novæ virtutis & facultatis; quemadmodum mens præcipuis & excellentioribus Spiritus S. adfuſionibus, ad illum ſtatum qui mentium erit ſeparatatum, quam proxime accedit; nec aliis contingunt, quam qui mentes à corporalibus & naturalium rerum ideis abductas habeant quam longiſſime.

22. Facilius in eam quis opinionem concederet, τὸ *non poſſe* aliud eſſe in hominis conſcientia quam rationem, ſupponere, non niſi unam eſſe cogitationem; ſic enim certe non poſſet alia eſſe cogitatio quam quæ cunctis hominibus eſt communis: Cum qua hypotheſi bene congruit id, quo, ſine theſi illa priori nihil eſt verius, & quod illi juxta priorem theſin inculcant, *omnia eſſe plena Dei*.

23. Sed non magis id agimus, ut cuiquam negatas imputemus conſecutiones, quam opinionem, quæ tam bene cum illa ſequela convenit, ut ſubvertendo Chriſtianiſmo comparatam, deteſtamur; *s*) dum eandem ab his qui ſacram ſcripturam ludibrio habent, omnium primo adoptari & propagari videmus.

24. Sicut etiam ex hoc principio viam paratam eſſe videmus, in dubium vocandi atque negandi ſanctiſſima fidei noſtræ myſteria; cujus ſpecimina deinceps habuimus, & juxta quæ tandem ita prævaluit reputatio periculi ex hac theſi de ratione ſola *adſtructice* divinitatis ſacræ ſcripturæ, ut cum prius verbis ambiguis à ſynodo tam vernacula quam

modi motus, qui fatente autore n. 9. *multos falſos habent ſui ſimiles, ſentientem inſtruere & confirmare ſine probatione rationali, quam tamen autor rejicit.*

n. 20. *r*) opinio) *ſed 1. hæc opinio non eſt nova nec a Carteſianis excogitata, ſed Philoſophia Scholaſtica mentem hominis in cogitatione tanquam eſſentiali conceptu quæſivit. 2. Si mens eſt adhuc aliud quid, quàm cogitatio, uti nos quidem firmiter putamus; debuiſſet autor docere, quid ſit illud aliud quid, quod tamen non fecit. 3. Ex communi illa doctrina quod mens ſolum in cogitatione conſiſtat, Autor ideò non poteſt deducere tanquam ab origine, ſententiam quam impugnat, quia ſtatim oſtendit* n. ſequente *eam ſententiam ex illâ hypotheſi non profluere.*

n. 23. *s*) deteſtamur) *ſi hæc deteſtatio in ſolâ verborum declaratione manet tanquam indice mentis, non eſt, quod urgeamus. Quilibet enim ſi ſecundum conſcientiam ſuam profeſſionem fidei edat, benè facit. Sed vereor, ne lateat deteſtatio practica cum ſpiritu perſecutionis conjuncta, excommunicationem diſſentientium aut ſimile quid intendens.* Vide omninò Bibl. Univ. d. Tom. 6. p. 498. *Et jam ceſſat admiratio, cur Autor, vir tam doctus alias, & rari judicii* in Sect. præced. *doctrinam de jure excommunicandi tam levibus rationibus defendere voluerit. Nimirum, ut, quod ipſe anteà ſuaſerat, & facto ſuo defenderat, etiam rationibus undecunque quæſitis tueretur. Ita homines ſumus, & nihil eſt ab omni parte beatum.*

quam exotica notata fuiſſent, diſerte in alia ſynodo Belgica condemnata ſit, Anno MDCXCII. *t*)

25. Quod ſupereſt, hoc operam demus, idque Deum rogemus uti fiat, quo per viam abnegationis virium rationisque naturalium & devotionis noſtri, peccato mortui, nos regimini Spiritus ſancti ejusque operationibus idoneos & opportunos exhibeamus. Ita futurum eſt, ut diſcrimen utriusque Spiritus, hominis & Dei, in ipſa veritatum cognitione, liquide percipiamus, nec opus ſit, clariſſima ſcripturæ loca ſuper hoc fundamento Chriſtianæ religionis eludere, ſtudioque philoſophiæ *μεγαλύνεσθαι*.

SECTIO VII.

De formis Reipubl. & de Monarchia.

CAP. I.

DE TRIBUS REIPUBL. FORMIS.

Tres dari formas civitatis. n. 1-5. Earum quæ ſit præſtantiſſima, quæſtionem eſſe politicam. n. 6. 7. 8. Obiter tamen pro ariſtocratia & quidem laxiore diſputatur, hac inprimis ratione; quod in ea liberrimum imperium ſine periculo Tyrannidis & confuſionis haberi poſſe videatur, &c. n. 9-29.

1. Actum eſt adhuc de imperio civitatis, ſine reſpectu ad certam reipubl. formam; cujus diverſitas ad ſummitatem imperii, vel juræ ſummæ poteſtatis nihil proprie confert. Verum tamen in ſingulis jura quædam propria ſunt *conſideranda*, quæ nonniſi diſtinctione rerumpubl. juxta formas ſuas præmiſſa, collocati & intelligi poſſunt.

2. Unde pendeat diſtinctio formalis, ut ita loquar, rerumpublicarum, à politicis, ad quos hæc quæſtio proprie pertinet, varie diſquiritur. Optima ratio eſſe videtur, quæ ab imperantium numero petita, jam olim prævaluiſſe videtur.

3. Nam cunctas nationes & urbes populus aut primores aut ſinguli regunt. Delecta ex his & conſtituta Reipubl. forma laudari facilius quam evenire, vel ſi evenerit, haud diuturna eſſe poteſt ſcribit *Tacit. lib. 4. annal. c. 33.*

4. Nempe, ſi jura Majeſtatis ita inter diverſos ordines diſtribuantur; ut ſua ſinguli non obſtricti reliquis ſeorſim exerceant, *qua de re* agendum *inferius. u*)

5. Tres igitur ſunt formæ civitatis, *Monarchia,*

---

n. 24. *t*) 1692] *Ad illuſtrationem eorum quæ hic dicuntur facit relatio de controverſiâ Roëllii cum Vitringa ap. Andream Carolum* Memorab. Eccleſiaſt lib. 9. p. 514. *& præfatio ejusdem Roellii* ad diſſertationem de religione rationali editam 1695. *Ceterum indicium cauſæ non optimæ eſt, qua opus habet vel aſſiſtentiâ brachii ſecularis, vel pluralitatis votorum in ſynodis. Adde etiam Biblioth. Univerſ.* Tom. 6. p. 500. *ubi refert, Synodum Friſicam declaraſſe, quod propoſitiones VVaeyenii & Roellii non ſint adverſæ doctrinæ Eccleſiarum Reformatarum. Quod ſi verum eſt, habebis ſic declarationem Synodi contra Synodum.*

n. 4. *u*) inferius) Sect. 8. c. 6.

narchia, Ariſtocratia, Democratia; niſi addere placeat, Timocratiam, de quibus ordine agemus. Quæ autem ex his formis Reipublicæ ſit præſtantisſima, diſputare Politicorum eſt.

6. Forte in univerſum, nihil, quod ſingulis applicari queat Civitatibus, determinari poteſt; Quando quæ forma uni populo ſaluberrima videtur, ea ſæpius alteri anceps aut gravis eſt.

7. Scilicet, præſtantiam non ex nobilitate aliave excellentia, *ſed ex ſolâ ſubjectorum utilitate* metiendam eſſe, ratio ſuadet.

8. Uti & illud; non eſſe quærendum, quæ ſit perfectisſima, ut omnibus careat viciis, *ſed quæ incommodis laboret minus gravibus & crebris, Reipublicæ forma.*

9. Ita ſine præjudicio faciendæ applicationis ad ſingulas in hypotheſi civitates, videtur nobis Optimatium, merito præferri poſſe; Videlicet, eo ſenſu, quo ſupra w) *Calvini* Theologi auctoritatem laudavimus, quam habes in *lib. 4. Inſtit. Chriſt. Relig. cap. 21. n. 8.*

10. Scil. non quamlibet, ſed ita conſtitutam Ariſtocratiam eligeremus, in quâ *nemo ſit ex populo, qui non in tempore & in loco ſecundum ordinem Legis, Imperantium numero aggregari poſſit.*

11. Inſuper, ut *non nimis exiguus ſit ille numerus*, ſed pro magnitudine Civitatis amplior, quam reſtrictior. Rationem adducemus, quam forte novam dicere posſis.

12. Quia, *quanto quæque civitas abſolutius imperat, cum periculo quam minimo tyrannidis & ſeditionum, tanto Reſpublica præſtantior habenda eſt.* Hoc autem nos de ejusmodi *Ariſtocratiâ*, quam modo deſcripſimus, adfirmandum putamus.

13. Abſolutam poteſtatem, duobus illis incommodis liberatam, Civitati ſalutarem eſſe, neminem recte æſtimantem cenſeo negaturum.

14. Quippe, cum ad expeditam efficacemque rei communis adminiſtrationem, quæ ſine dubio utilisſima eſt, nihil quàm ſoluta impedimentis agendi libertas, ſit convenientius.

15. Eadem ad potentiam foras exercendam non minus efficax & utilis eſt; quo pertinet, quod Cardinalis Mazarinius *in epiſtolis* ſuis poſtumis, ſcribit, in colloquio Pyrenaico ſibi & Ludovico de Haro Hiſpaniæ Regis miniſtro primo, in eo conveniſſe, agentibus de Anglis, qui tum Protectore ſublato, Rempubl. liberam moliebantur; Hanc bene ſtabilitam centuplo terribiliorem, idque ſine exaggeratione, futuram, quàm Anglia ſub regno fuerat aut foret.

16. Quod etſi paradoxum, non eget alio ad fidem faciendam argumento, quam quod à Republ. Belgica x) ſumere licet. Quæ ſub Regibus nullo numero habita eſt in Europa; libera facta longe maximum in orbis terrarum rebus habuit momentum, adeò ut pacis & belli vices toto orbe Chriſtiano ab ejus

n. 9. w) ſuprà Sect. 2. c. 5. n. 2.

n. 16. x) Belgica) *Laudandus Autor, quod in quæſtione de optimâ Republicâ patriæ Reipubl. formam præferat reliquis, unde, ſi quid in hâc deciſione fortè aberratum ſit, amore patriæ facilè ſe excuſabit Autor apud æquum Lectorem. Cæterum quæſtio hæc de optimâ Republica non hodie aut nudius tertius orta, ſed jam ab infinitis propè Scriptoribus ventilata eſt, pleroſque pro Monarchiâ pugnantibus.* vide *Arniſ.* de Rep. lib. 2. cap. 7. & quos ibi citat plures. *Noſtra ſic ſententia eſt. Nihil eſt in hoc orbe ab omni parte beatum, nihil tam malum, quô non posſit uti vir ſapiens. Diſputationes omnes comparativæ magis ad Oratores pertinent, quàm ad Philoſophos Habent ſingulæ Rerumpublicarum formæ ſua commoda & incommoda. Citius pronunciare poteris de peſſimâ quàm de optimâ. (Uti de curvitate & deformitate, quàm de rectitudine & pulcritudine.) Democratia (etiam autore noſtro fatente ſuprà* Sect. 2. c. 5. n. 1.) *ob confuſiones & turbas parum arriſit etiam anti-*

motu vel quiete, noviſsimis imprimis temporibus, pependiſſe videantur.

17. Sed in Regnis ideo, cordatioribus populis diſplicet abſoluta poteſtas, quia tam proclivis inde lapſus in tyrannidem eſt, ut à multis, etſi perperam, pro ipſâ Tyrannide habeatur.

18. Sed hoc periculum, in *Ariſtocratiâ*, ubi aliorum bonitas malitiam aliorum refrenat, nullum aut perexiguum eſt.

19. Quò pertinet, quod Cicero, collegium Conſulatus, etſi duorum ſaltem, ita ſingulorum impotentiam cohibuiſſe teſtatur, ut præter *Marium* & *Cinnam*, denique *Piſonem* & *Gabinium*, nunquam mali Conſules ambo extiterint; etſi de *Piſone* plus affectui quam judicio tribuiſſe videatur ut ex *orat. cont. L. Piſ.* junctâ *Philippicâ primâ*, ubi laus *Piſonis*, liquet.

20. Decemviros aut Triumviros Romæ, Triginta Viros *Athenis*, non eſt quod mihi quiſquam objectet. Extraordinariæ enim illæ poteſtates fuere, quas ratio & experientia teſtatur inprimis eſſe periculi plenas.

21. Præterea, in regnis abſoluta poteſtas ſuum finem haud perinde ſemper adſequitur. Quia populi & proceres ſæpe Dominantes in exercitio αὐτοκρατείας ſuæ turbant, neque pati poſſunt, ut ab nutu unius omnia pendere videantur.

22. At in laxiore optimatium Imperio, non videmus ægre ferre populum omnia cum liberâ poteſtate agi ab his, quibus ſumma Imperii ſuo jure competit.

23. Aut

quis. Vide diſputationem de præſtantia trium formarum inter Principes Perſarum apud Herodotum lib.3. in medio f.m. 102. *Et* libros duos *Xenophontis* de Rep. Athenienſium & Lacedæmoniorum. *Quod vero plerique ab Arniſæo citati pro Monarchiâ pronunçient, magis arcanum intereſſe Politicæ Papalis, (quæ etiam Eccleſiam vult Monarchicè regi, & quæ experta eſt maxima augmenta ex liberalitatibus & ſuperſtitionibus Monarcharum,) effecit, quam ſtudium veritatis. Verum eſt, in Monarchiâ, ſi Princeps ipſe imperet & ſapiens ſit, ob unionem voluntatis indubiam conſilia, connexa ſunt & celerrimè expediuntur. Sed habet tamen & hæc forma multos morbos, ambitionem, infantiam aut minorennitatem, deſidiam aut aliam imperandi ineptitudinem &c. Ariſtocratia cavet quidem tyrannidem unius, ſed ea multo arctius premit libertatem plebis & factionibus ac diſſidiis eſt obnoxia. Ac neſcio an illa temperatio Ariſtocratiæ, quam Autor hic commendat (& jam ſæpius idem fecit* ſuprà d.Sect.2.c.5. n.2. p. 46. & Sect.2.c.8.n.5. ſeq. p.61. *qui loci cum præſente ſunt jungendi) in causâ ſit felicitatis & floris Reip. Belgicæ aut Venetæ: ac annon potius idem prædicaturi ſint Angli de ſuâ Monarchiâ temperata; ſi modo ex temperamento fluit felicitas. Nam, ipſe Autor* ſuprà d. Sect.2. c. 6. §. 23. p. 52. *imperium mixtum & obnoxium non liberum dixit eſſe à periculis diſſenſionum & bellorum civilium. Certè felicitatem formæ in Rebuspubl. Belgicis non ſunt experti Barnefeldii, Grotii, VVitii, &c. Sæpè felicitas & flos Rerumpublicarum ac conſervatio magis dependet à diſſidiis & imprudentia vicinorum, quàm à ſtructurâ interna. Sæpè etiam felicitas ſtructuræ internæ magis dependet à prudentibus legibus & moribus, quam à formâ imperandi, unde ſolent ipſi Belgæ de ratione ſtatus ſui differentes multa diſſerere de libertate commerciorum, religionum &c. quæ ſanè à formâ imperii nequaquam per ſe dependent, quamvis, qui factioni Lowenſteinianæ nimis favent, iſta omnia peſſundari putent, ſi vel umbra regiæ adminiſtrationis in Belgio appareat. Vide Scripta Belgica, ac etiam ex parte in idioma Germanicum translata* von der Stadthalterſchafft / von Intereſſe und Staats-Maximen von Holland/ *& ſimilia alia. Cæterum quæ noſtra ſit ſententia de optima Reip. forma, jam alibi diximus, & aliâ occaſione fuſius exponemus, comparando Rempublicam Moſaicam cum aliis omnibus quæ ob prudentiam & felicitatem commendari ſolent.*

23. Aut ſi ægritudo non abſit, motus tamen & deſtructio civitatis non facilè contingit: Quia præcipui è populo, quorum ductu ſeditiones oriri debent, ſunt vel participes Imperii vel futuri ſperantur.

24. Quæ ratio eſt, quod nec de honoribus tam facile tumultus naſcuntur, ut in veteribus Rebuspubl. ubi plebs & patricii perpetuâ familiarum notâ diſcreti, ſeorſim ad honores, altero ordine excluſo, graſſabantur.

25. Denique, facilius credunt populi à ſe ipſis geſtum videri, quod eſt actum ab his, qui ex ordinibus cunctis ſuique medio ad Imperium evecti ſunt.

26. Adeò, ut non pauci *Democraticam* formam jure primævo eſſe putent, quando Imperantes è populo promiſcuè ſumuntur, quod tamen erroneum eſſe *videbimus in loco.*

27. Exempli fidem, ſi quis poſtulet, dabimus civitatem *Venetorum*, dabimus & Patriam & pleraſque Belgarum civitates, in quibus eſt Ariſtocratia, ſed admodum laxa, quæque ſpecie Democratiæ fallere poſſit, neque paucos fallit exteros & indigenas.

28. Haud temere alioqui ſunt, qui arbitrantur, in Imperio enormiter magno, quale fuit Romanum ultimis temporibus, vix aliter pacem, quam ſub Unius imperio poſſe ſervari.

29. Sed hujus rei diſputationem pleniorem, quæ non tam juris quàm prudentiæ rationibus conſtat, à Politicis petendam relinquemus; etiam hanc conſiderationem, quod in modicis Imperiis plurium poteſtas bene procedit, in magnis populis laborat ibique fere monarchiâ opus ſit. Videamus ſingulas ſpecies.

CAP. II.

DE MONARCHIA ET CONDOMINIS.

Speciem primam Reipub. eſſe Monarchiam, ſive Regnum, n. 1. à quo diſtinctum non videri Condominatum, cum plures in eodem Imperio ſinguli ſummam habent poteſtatem; quia pro plurium Imperio id haberi non poteſt, cum non ſit collegium, nec pauciores plurium ſententias ſequi cogantur. n. 2.-12. Variæ Condominatus ſpecies aut magis modi enumerantur. n. 13.-22. Eſſe inter eos, quando Regina Virum Imperii facit participem, quod tamen in voluntario Imperio ſine conſenſu populi fieri non poſſe. n. 23.-27. Quot modis uxor Imperatrix maritum habere poſſit. n. 28.-31. An feminæ Summis Imperiis rectè admoveantur. n. 32. 33.

1. Monarchiam eſſe unius imperium ſolo ſatis vocabuli argumento conſtat. Quod tamen ita præciſe captari nolim, ut quotieſcunque *plures in uno regno Domini extitere*, toties Reipubl. formam mutari ſtatuamus. *y)*

2. Neque enim rectè exiſtimaturus videtur, qui in Romano Imperio, ſi quando plures Auguſti fuere. Principatum eſſe deſiſſe contendat. *z)*

3. Cum

n. 1. *y)* ſtatuamus) *ſed cur non. Sanè Autor ipſe fatetur* n. 5. *Monarchiæ Vocabulum tunc eſſe minus commodum.*

n. 2. *z)* contendat) *Utique ſi alter Auguſtus ſaltem honoris cauſa aſſumatur, ut ſi pater fili-*

Digitized by Google

3. Cum enim longius illa ſocietas Imperantium ab *Ariſtocratia a)* quam à *Monarchiâ* diſtet, conſentaneum eſt, ut & ab ea ſpecie, cui proxima eſt, appellatio petatur. *b)*

4. Ita *Lacedæmonii* duo Reges fuerunt idque Regnum vocabatur, *c)* nec non verum fuiſſet regnum, ſi poteſtas verè ſumma fuiſſet *d)* Præter quod extraordinarius atque, ut ita loquar, *accidentalis* ille plurium concurſus plerumque ſanè habetur. *e)*

5. Unde formas peculiares *Dyarchias* aut *Triarchias* in Artem introduceret *f)* nec congrueret neque expediret, *g)* tametſi fatendum, Monarchiæ vocabulum tunc eſſe minus commodum.

6. Accedit, quod iſti *Condomini*, ut hi, vel his ſimiles à Germanis ICtis appellantur, non conſtituunt *Collegium*, adeoque nec unus plurium ſententiam ſequi compellitur. *h)*

7. Nam ut hoc juris ſit, opus eſt pacto. Condomini autem Imperium civitatis habent eodem jure, quo plures eandem rem ſine tractatu ſocietatis pro indiviſo tenent.

8. Quo caſu notum eſt, quemque liberum ſuæ partis arbitrium, nec reliquorum conſenſui obnoxium retinere jus ſuum *l. 28. ff. Comm. divid.*

9. Ex quo apparet, quam ſit fragile & anceps hoc genus Imperii, quoties vere ſummum eſt *i)* ut fuit apud Romanos, cum duo treſve ſimul imperaverunt. *k)*

10 Nam

um in communicationem imperii aſſumſerit, aut ſi alter Auguſtus ſponte veneretur dictata alterius, ut de Marco & Vero aliiſque tradit Puſendorff. de J. N. & G. l. 7. c. 5. §. 15. *Non verò, ſi uterque jure ſuo utatur, ob rationes ipſius autoris* n. 8. & 9.

n. 3. *a)* Ariſtocratia) *pro quâ habuit Bœclerus* ad Grotium l. 1. c. 3. p. 255. *Ariſtocratiam Duumviralem aut Triumviralem appellans. Contrà principia doctrinæ politicæ per rationem hic* n. 6.

b) petatur) *Atqui datur tertium: Conſentaneum eſt, ut reſpublica & ab Ariſtocratiâ & à Monarchiâ differens propriam ſpeciem conſtituat, & proprio nomine gaudeat.*

n. 4. *c)* vocabatur) *ſed non erat, cum ipſe Autor* cap. ſeq. n. 5. *referat id regnum ad Ariſtocratiæ ſpecies.*

d) fuiſſet) *Fuiſſet utique Regnum, ſed regnum duorum, non Monarchia.*

e) habetur] *Hoc fateor me non intelligere.*

n. 5. *f)* introducere) *Neſcio quam ſibi artem Jurisprudentiæ fingit autor, non ex naturâ rerum deductam, adeoque tot formas recipientem, quot in rebus moralibus & politicis ſubinde de novo exiſtunt, ſed artem à certis artificibus fabricatam, & limitibus definitis circumſcriptam, ut ultra illos ſapere non liceat. Notabimus hunc nævum aliquoties* in notis ad Autoris prælectiones ſuper Jus Juſtinianeum. *Hic verò iſtud ſemel monuiſſe ſufficiat. Eſto, Ariſtotelem & Ariſtotelicorum Politicam ignorare Diarchias & Triarchias (quia in Græciâ tales Reſpublicæ non erant in uſu.) Annon artifici licebit, exiſtentibus poſteà reverà iſtis formis, eas in Arte Politices vel Jurisprudentiæ publicæ collocare? Quanta hæc foret ſervitus artificum.*

g) expediret) *Cur non? Sanè expedit in omni doctrina, ut res diſtinctæ non confundantur.*

n. 6. *h)* compellitur) *Hæc ratio probat quidem contra Bœclerum, Duumviratum non eſſe Ariſtocratiam, non probat, eſſe Monarchiam.*

n. 9. *i)* ſummum eſt) *Unde non ſine ratione tale imperium refertur à Puſendorffio* d. l. *inter ſpecies Reip. irregularis.*

k) imperaverunt] *ſed addita tamen limitatione ex nota præcedente* lit. z.

Digitized by Google

10. Nam ubi ſuperior poteſtas penes populum ac ſenatum reſidet, ibi ſalubre inſtitutum videtur eſſe, duos qaam unum præficere ſummæ Reipublicæ, Quod exemplo Regum Spartanorum Romanæque civitatis in Conſulibus egregie approbatum eſt.

11. In exiguis quoque jurisdictionibus, ſicut plerumque accidit in Germania, hoc genus communionis periculo magis quam incommodo caret.

12. Alioqui in magnis ſummisque Imperiis, oportet Condominos alterumve ex illis ſumma moderatione vel induſtria præditos eſſe, veluti *Marcus* cum *Vero* comparatus fuit; Aut imperium in partes ſubjectivas dividi neceſſe foret.

13. Quod vel ita fieri poteſt, ut ſecundum adminiſtrationem duntaxat partitio fiat, quod fecere *Diocletianus* & *Maximianus*. Vel ut Civitates omninò diſtinctæ conſtituantur, ſicut poſtea Imperium Romanum in Orientale & occidentale diſceſſit; quanquam hi tum deſinunt eſſe Condomini, & rantisper ſinguli, verèque monarchæ ſunt.

14. Vices quoque imperandi conſtitui poſſent: Aut ſi nihil horum, tum fieri deber, quod *Pyrrhus* ad filios ſuos; regnaturum dicebar eum, cujus acutior foret gladius, *teſte Plutarcho in ejus vita.*

15. Quomodo Caracalla & Geta, fratres, cum viam concordiæ diviſionisque fruſtra tentaſſent, dirempti leguntur; *Geta* per fratrem in ſinu matris *Juliæ* confoſſo; cum quidem illud diviſionis conſilium in Orientale & Occidentale, de quo fratres deliberarant, magno niſu turbaſſet, oblato corpore ſuo, ut id prius partirentur, filiis ea de re ſerio cum amicis agentibus, *narrante Herodiano. lib. 4.*

16. Porrò *Condomini* fiunt, primò hereditate, cum in ditione patrimoniali plures liberi pariter ſuccedunt, idque ab inteſtato, vel diſpoſitione ultimi regnantis, ubi hoc jus Principibus competit.

17. Secundo, electione, quando plures cum ſumma poteſtate ſinguli conſtituuntur, eaque vel eſt à populo, vel à Principe Collegam adſciſcente, ut in Imperio Romano ſæpius accidit.

18. Vel denique *mixto jure*, ubi primogenitura quidem obtinet, ſed primogenitus ad regnandum ineptior à Proceribus aut à populo extra ordinem fratrem aliumve collegam accipit, ut his diebus uſu venit in *Muſcovitis*.

19. Etiam, etſi diverſa ratione mixturæ, apud Anglos & Scotos, ubi *VVilhelmus & Maria* ſinguli ſummam poteſtatem in ſolidum acceperunt, jure quidem electionis, ſuceſſorio tamen haud procul.

20. Habent, inquam, ſinguli ſummam poteſtatem; in hoc quippe diverſitas hujus regiminis à *polyarchia* conſiſtit, quod optimates, ut univerſitas, imperium accipiunt; Unde ſinguli pro ſubjectis habentur, & ſunt revora è numero ſubditorum.

21. Quod de *Condominis* iſtis nullo modo intelligi poteſt. Proinde cum ab *Ariſtocratia* ſint prorſus alieni, non eſt, quod aliò quam ad Regnum referantur.

22. Oportet a. in electione diſerte exprimatur, ſingulos fore Auguſtos: Nam imperio ſimpliciter pluribus delato, non ſingulis, ſed ut univerſis ſumma poteſtas delata intelligitur; velut *Decemviris* legum condendarum, & *Triumviris* Reipubl. conſtituendæ cauſa, *l*) utrisque apud *Romanos*.

23. Eadem fere ſpecies per feminæ regnatricis nuptias contingit, Quando maritus ut particeps & collega imperandi adſciſcitur. Quomodo *Ferdinandus Arragonius* cum *Eliſabethe Caſtellana* fuit conjunctus.

24. Quod tamen non aliter quam populo conſentiente in regnis voluntariis fieri poteſt:

n.22. *l*) conſtituendæ cauſa) *Exemplum parum conveniens ad hunc numerum, quaſi Triumviri illi autoritate ſenatus vel populi fuerint conſtituti & non per libidinem dominandi illi ſeipſos conſtituerint*. Vid. *Feneſtella* de Magiſtr. Rom. c. 21.

Digitized by Google

poteſt: Excedit enim id notiſſimos voluntatis, qua delatum eſt Imperium certæ familiæ, terminos, & quidem magis quam ſi Princeps poſt mortem de imperio diſponat.

25. Multo tortius dicendum, *populi conſenſum eſſe neceſſarium*, ſi regina ſe exercitio imperii exuere totumque viro committere velit. Utroque enim caſu vir ſummam poteſtatem vere conſequitur, illic ut ſocius, heic etiam ſolus.

26. Quanquam utroqne caſu revocabiliter, ſub conditione morientis ante ipſum conjugis. Maritus enim ubi eſſe deſiit, jus quoque tanquam marito delatum finiri conſentaneum eſt.

27. Cujusmodi tamen conditio temporalis non impedit, quominus imperium æque ſit ſummum, ac ſi perpetuum foret, quemadmodum antea diximus *ſect.3.c.2.n.40.*

28. Cæterùm, poteſtas maritalis, quæ juris gentium fertur, in priore caſu, vix eſt ut effectum habere poſſit; *m)* Niſi quatenus mulier, etſi j... imperandi non abdicaverit, adminiſtratione tamen, honore contenta ſponte abſtineat, ut fere *Eliſabeth Philippi* juncta *Alberto* in Belgis.

29. Aliquando Condominatus ita ab initio conſtituitur, ut actus primus & ſignatus utriusque ſit in ſolidum, actus ſecundus & exercitus apud unum: quod ſingulari exemplo placuit in *Anglia*, ut rex præſens habeat ſolus facultatem ſummæ poteſtatis, eandem regina, dum rex abeſt ſola jure proprio teneat.

30. Multo evidentius ceſſat matrimonii lex, cum regina totum & jus & exercitium imperii ſola reſervat, nec aliud quam regis titulum viro impertitur. Quomodo *Johannæ Neapolitanæ*, & forſitan *Mariæ Britannæ* ſuos maritos habuerunt; utique *Scotica*, Nam de *Maria Angla* paulo aliter videtur.

31. Tali caſu, maritus non diſpari jure utitur, quam Auguſtæ apud principem Romanum, eſtque ſubditus uxoris ſuæ Vir, quod aliquando male cedit iis, ut Andreæ Neapolitano & Henrico Stuarto, qui uterque ab uxoribus non modo regia poteſtate privati, ſed & è medio vitæ ſunt ſublati, *ſi fides Hiſtoriæ. dix. Hiſt. civ. tom. 1. ad ann. 1250 c. 3. & tom. 2. ann. 1588. c. 13. n. 4.*

32. Sed eſtne juris, ut feminæ ſummis Imperiis admoveantur, quas Deus & homines ab omni publica adminiſtratione tam in eccleſia, quam in republ. voluit excluſas, & quas naturalis pudor ac infirmitas ad parendum potius quam ad imperandum creaſſe videtur?

33. Reſpondeo, jus naturæ & gentium non excludere feminas ſimpliciter ab omni imperio, ut apparet in matribus familiarum, quæ in liberos & ſervos utcunque magno numero, habent poteſtatem, item in pagos ditionesque hereditarias: ſed ubi cum viris concurrunt, cæteris paribus, excluduntur, ut in imperiis domuum, viris exiſtentibus, & magiſtratibus, ad quos viri ſemper haberi poſſunt. Eodem modo in ſummis imperiis, poſtponuntur viris, cæteris paribus. His in familia regnatrice deficientibus non excluduntur, niſi lege poſitiva.

CAP. III.

DE SPECIEBUS MONARCHIÆ, UBI DE DOMINATU ET IMPERIO VIOLENTO.

Regnum

n. 28. *m)* habere poſſit) *i. e. ſi maritus à fœmina ut particeps imperii aſſumatur, non poteſt maritus imperium maritale in uxorem exercere tanquam in condominam.*

Regnum heroicum, n. 1. 2. Æſymneticum, n. 3. 4. Laconicum, n. 5. 6. 7. non eſſe diſtinctas regni ſpecies, quod ad juris rationem attinet. Nonniſi duas eſſe tales, Regnum, παμβασιλικὸν & Dominatum, βαρβαρικὸν n. 8. Definitio utriusque & differentiæ, n. 9.-22. Poſſe & juſtum eſſe Dominatum. n. 23. 24. 25. Quo jure ſubditi bello victi ad obſequium obligentur. n. 26.-40. Nulla in re Deſpotas videri populis obligatos, niſi, ne totam perdant civitatem. n. 41.-46.

1. Species *Monarchiæ* plures numerant ex *Ariſtotele* politici, ſed pleraſque ad juris diverſitatem parum pertinentes. *Ariſtol. l. 3. polit. c. 10. & 11.*

2. Nam *Heroicum* imperium, quo ad regnum evehuntur hi, quos ſpectata inter bonos moderatio & valoris ac virtutis reputatio commendat, quales initio rerum hominumque reges eſſe creatos volunt antiqui, jure poteſtatis nihil ab reliquis diſcrepat.

3. Nihilo magis *Æſimneticum* regnum, quando ad tempus aliquis ſummæ Reipubl. præficitur. Quia pridem oſtendimus, durationem temporis non variare ſpeciem ſummæ poteſtatis, modo acta imperantium intra ſuum tempus infirmari nequeant.

4. Quare & *Dictatores* magis eſt, ut nos pro *Monarchis* habeamus, non minus quam *Decemviros* pro *Ariſtocratia* ſummâ; quanquam eorum poteſtas non ſemper integra conſervata eſt, partim facilitate ipſorum, partim importunitate populi, ut diximus *ſect. 3. c. 2. n. 47.*

5. *Legitimum* Regnum, quod legibus ſubjectum & Spartanæ civitatis exemplo *Laconicum* dicitur, tale duntaxat eſt nomine tenus, reverâ conſtituit *Ariſtocratiam.*

6. Non quia Reges erant duo, ſed quia domi magis Præſides Senatus, foris nihil quam Duces belli erant. *n*) Prorſus ut hodie dux Venetorum, aut potius, ut *Arauſionenſes* in Belgio Principes.

7. Qua comparatione liquet obiter, ejusmodi Ducatus quamvis perpetuos, cum libertate populari vel Ariſtocraticâ non male convenire, *o*) poſito habili ſitu Reipublicæ; nam eſt etiam, ubi res ſecus evadit.

8. Nobis igitur plures Monarchiæ non ſunt conſiderandæ, quam hæ duæ, *Regnum* & *Dominatus*, ſive imperium, ut Ariſtoteles, loquitur παμβασιλικὸν aut βαρβαρικὸν *p*]

n. 6. *n*) belli erant) *conf.* c. præced. §. 4. & ibi dicta.

n. 7. *o*) convenire] *quod alias negant, qui de intereſſe & ratione ſtatus provinciarum Belgicarum ſcripſerunt quorum aliquos autores allegavimus* ad cap. præced. lit. x.

n. 8. *p*) βαρβαρικὸν] *ſæpiùs jam à nobis inculcatum, diſtinctionem Monarchiarum in regna & dominatus, nobis videri rem parvi momenti & uſus.* Vide Autorem II. 5. 35. II. 7. 32. II. 8. 23. III. 2. 15. 18. 20. & ibi notata. *Hic fontem erroneæ diſtinctionis ſuppeditat autor. Eadem nullitate laborat ac illa gentium in moratas & barbaras de quâ ſuprà.* Sect. 1. c. 5. lit. r. *Oritur ex faſtu Græcorum. Regna populorum extrà Græciam abſoluta potiſſimum apud hoſtes vocabant barbarica &c. ſubditos illorum dicebant eſſe mancipia, imò ſervos naturâ. At regna Græciæ abſoluta dicebant eſſe quaſi moratiora, & ſubditos liberos homines. Similiter & nos, quia Turcas & Moſcovitas habemus pro barbaris, etiam illorum regna dicimus deſpotica. At quia Gallos habemus pro populo moratiore, illorum regnum vocamus ſaltem abſolutum, non deſpoticum.*

9. *Regnum* verum & plenum eſt, ubi Princeps habet ſummam & liberam poteſtatem, faciendi in civitate quod è re communi videbitur, *ſalva tamen civium libertate & proprietate rerum. q)*

10. Plane de his illa omnia prædicare licet, quæ *ſuperius* de efficacia Imperii voluntarii & ſimpliciter delati, denique de jure ſummæ poteſtatis nullis legibus obſeſſo fuſe diſputavimus.

11. Exiſtere igitur hanc regni ſpeciem putamus, ubicunque poteſtas civitatis uni homini ſine modo, ſine conditionibus, voluntate civium ſimpliciter defertur.

12. Quemadmodum Lege Regiâ in Cæſares Romanos, ut Juriconſulti tradunt *in l. 1. π. de conſtit. Princ.* & noſtro tempore Danicum regnum ex electivo & legitimo factum eſt abſolutum & arbitrarium ſolenni Ordinum populi conſenſu.

13. Nec aliter hodieque regnum Francorum haberi videmus, præſcriptione tamen magis quam jure primævo, quo id etiam fuiſſe legitimum docuit Hotomanus in Franco-Galliâ.

14. Cæterum, promiſſio Regum, quod juſte imperaturi ſint, nihil juris addit civibus, ex quo poteſtas regnantium mutetur aut reſtringatur, ſed hoc ſpeciale & exceptum eſſe oportet; Generalis ejusmodi promiſſio regnantium animos duntaxat obſtringit, ut antehac demonſtratum eſt.

15. *Dominatus* finitur, quod ſit Imperium, quo Princeps ſibi ſubjectis, ut paterfamilias ſervis imperat, omniumque, tam quod ad res quam corpora attineat, Dominus exiſtens, actiones publicas *ad ſuam præcipue utilitatem dirigit.*

16. Differentiam ejus à Regno ex definitione triplicem colligimus. Primam, quod *proprietas bonorum, quæ ſinguli poſſident, ad Imperantes pertineat. r)*

17. Alterum, quod *perſonæ ſubditorum dominio Principis ita ſubjectæ s)* ſunt, ut ſervitio

---

n. 9. *q*) rerum) *Addidit etiam autor hanc exceptionem ſuprà* Sect. 2. c. 5. n. 34. & 35. *ſed illa exceptio potius eſt expungenda, quia pugnat cum aliâ doctrina autoris fundamentali d.* Sect. 2. cap. 3. §. 32. 33. p. 41. item n. 39. 42. 46. 49. *ubi duos ſaltem caſus ſpeciales circa libertatem & dominia rerum excipit, de quibus non transferatur poteſtas ad imperantes, quibus non fuiſſet opus, ſi in genere in republ. non deſpotica libertas & dominia rerum eximerentur: imò ipſe autor* Sect. 3. c. 6. n. 36. p. 94. *illam hypotheſin, quod in civilibus imperiis proprietas bonorum relicta ſit privatis, oſtendit, non eſſe magnæ efficaciæ: Deinde poſito, quod ſubtili aliquâ ratione in civilibus imperiis excipiatur libertas & rerum proprietas, tamen illa ſubtilitas parum proderit cum evidens ſit, imperium omne eum effectum habere ut libertatem civium indefinitè reſtringat, & autor ipſe* d. p. 94. *agnoſcat dominium eminens, ſub cujus prætextu princeps etiam in regno poterit res privatorum auferre.*

n. 16. *r*) pertineat) *Sed, ut modo diximus, etiam in regno princeps habet dominium eminens. Et notum eſt diſſidium vetus inter gloſſatores antiquos Martinum & Bulgarum, cum Imperator Fridericus in campis Roncaliis eos interrogaret, an rerum omnium Cæſar dominium haberet, quæ ejus indulgentiâ velut precario jure à poſſeſſoribus tenerentur. Martinus quæſtionem affirmavit, Bulgarus negavit, ac tantum Imperatori imperium competere aſſeruit.* vide *Pancir.* de clar. leg. interpr. II. 14. p. 124. *Conring.* de Orig. Jur. German. c. 23. p. 143.

n. 17. *s*) ſubjectæ] *ſed cur non & ita, ut eas alienare poſſit. Sanè dominium in ſervos hanc poteſtatem infert. Scilicet jam ſuprà* Sect. 3. c. 2. n. 18. ſeq. *autor rectè docuerat, imperia deſpotica non ſtatim inferre poteſtatem alienandi, quod nos etiam firmavimus* p. 70. in notâ *oſtendentes eam præcipuam eſſe differentiam inter imperium & dominium. Unde imperi-*

Digitized by Google

vitio illarum uti, deque vita ac nece diſponere poſſit, *t*) Idque promiſcue, arbitrariâ poteſtate, cauſaque etiam indictâ. *u*]

18. Non quod vitâ immerentem juſtè exuere poſſit, ſecundum id quod Juſtitiæ ratio *intrinſecus* dictat: Sed quod ex causâ jure Gentium valida habeat *externam* ita agendi facultatem *w*) de quo diſcrimine juris diximus in *ſect. 2. c. 1. n. 14. & ſect. 2. c. 3. n. 11. ſeqq.*

19. Ex his tertia reſultat differentia, à fine diverſo petita, qui eſt in Regno civili originaliter, *utilitas ſubjectorum*; Quamquam illa ſine commodo Imperantium obtineri non poteſt.

20. In Dominatu originalis ſcopus Imperii ſtabiliti, eſt *utilitas Regnantis*. Quæ nec ipſa tamen abſque commodo ſubjectorum poteſt cuſtodiri. *x*)

21. Ex his reliquæ differentiæ, inter Dominum & Rectorem, ſervos ac cives, de quibus *Claudius* ad Meherdatem apud *Tacitum, 12. annal. c. 11.* quæque ſimilia, per ſe intelliguntur. *y*]

22. Cauſam hujusmodi Imperiorum primam vix aut raro, nec tamen nunquam eſſe,

 Volun-

---

um abſolutum, exceptâ hâc ſolâ poteſtate alienandi, reliqua omnia infert etiam, quæ infert dominium. Cum ergo imperium deſpoticum plura non inferat, deſpoticum etiam imperium cum dominio non rectè comparatur. Et in hoc etiam conſiſtit ferè unicè differentia inter ſervitutem perſonalem & civilem, (quam aliàs magis ſubtilem & theoreticam eſſe, quam practicam, oſtendimus in diſput. de hominibus propriis) quod ſubditi inviti alienari nequeant, de jure, etſi & hæc ſæpius fiat de facto. Conf. ſuprà Sect. 2. cap. 5. n. 35. lit. n. & Sect. 3. c. 2. n. 20.

t) poſſit] *Atqui & hoc poteſt Princeps etiam in regno, & populus in Democratia. Autor ſuprà* Sect. 2. c 3. n. 32. 33. p. 41.

u) indictâ) *Sed & hoc poteſt Princeps in regno. Autor* ſuprà Sect. 3. c. 6. n. 9. 10. 11. p. 92.

n. 18. *w*) facultatem] *Locus autoris modo citatus docet; Principes in regno quandoque etiam juſtè cauſa indictâ aliquem jubere poſſe interfici. Multò magis igitur Princeps abſolutus id faciet impunè & irreſiſtibiliter.*

n. 20. *x*) cuſtodiri) *Vides totam rem redire ad intentionem primariam regentis, quæ cum ſit plerumque occulta ac in ejus mente lateat, non poterit fundamentum eſſe diſtinctionis in Politicis aut controverſiis juris naturæ uſum habentis. Adde, quod ſuprà aliquoties monitum fuerit, in omni republicâ & regno judicium de utilitate publicâ & ſubditorum pertinere ad imperantes.* Vide Sect 3. c. 2. §. 15. lit. h. & d. c. 6. n. 9. 10. 11. *Quinimò ipſe autor* Sect. 2. c. 8. n. 23. *notavit, aliquando in imperiis deſpoticis Principes ad rationes reddendas adigi, ac deponi. Ergo quæ tandem differentia ſupereſt inter regnum deſpoticum & regnum ſimpliciter dictum, quæ alicujus ſit momenti?*

n. 21. *y*) intelliguntur) *Locus Taciti ſequens eſt,* Addiditque præcepta (*Cæſar*) ut non dominationem & ſervos ſed rectorem & cives cogitaret, clementiamque & juſtitiam, quanto ignara barbaris tantò toleratiora capeſſeret. *Hic ſane nulla nova differentia præter hactenus recenſitas inter dominum & rectorem indicatur. Ipſa vero differentia inter dominum & rectorem non nova eſt, ſed eadem ipſa, quam Autor tentavit in hactenus allatis differentiis exponere. Ergo, ut meam ſententiam dicam, regnum & deſpoticum imperium non ſpecie differunt ſed gradu, ut pater benignus & durus, item dominus durus & benignus, atque adeò ut ſervi ſub domino benigno & duriore.*

Voluntatem liberam z) populorum, ſed plerumque vim aut neceſsitatem diximus, *d. ca. 3. n. 11. &c.*

23. Nec tamen pro injuſtis habenda eſſe id genus imperia ibidem probavimus: Si vel juſto bello vel deditione voluntaria tali formâ conſtituantur.

24. Non magis quam privata ſervitus ex hac cauſa olim injuſta fuit, quam ſcimus niti ratione ſuppeditatâ à Juſtiniano *in §. 3. Inſt. de jur. Perſ.* ſcilicet ab ipſa ſervorum etymologia, quos ait appellatos à *ſervando*, quia cum victores bello captos occidere poſſent, eos *ſervant* ad ſerviendum, quod multò magis eis facere licet; eodem argumento, quo *Cicero* ſcripſit, *non eſſe injuſtum ſpoliare, quos occidere juſtum nec inhoneſtum eſt, lib. 3. off.*

25. Et quidem dominantibus ratio ſui juris ita ſatis conſtat. Etiam ſubjectos, qui ſe neceſsitate ſubacti dediderunt, ex pacto ad parendum, eo modo teneri manifeſtum eſt.

26. Sed an bello victi, & quo jure hi in tantum obligentur, & an ſtatus belli adhuc duret illis, quando ſub ſtabilem dominatum ſunt redacti, quæri poteſt.

27. Plerumque ſuperfluum facit hoc quæſitum mos omnium victorum, qui nihil prius habent quam pacatos armis in verba ſua adigere, fidemque ſtipulari.

28. Aut ſi nullam expreſſe promiſsionem fieri contingat, quando victor parcit deditiis, armaque & vis præſens utrinque ceſſant, ita ut populus gaudeat ſub certo jubendi parendique ordine vita bonisque frui; non eſt dubium, quin ex re ipſa conſenſus eorum ad obſequium ſatis eluceſcat, *a)* quanquam jus dominantis omnino ſit evidentius per promiſsionem diſerte factam.

29. Promittere autem videntur, ſe tantum poteſtatis Domino conceſſuros, quantum ipſi jus Gentium & belli tribuit, ſi pactis nihil derogetur. Atqui hoc ſine controverſia eſt libera rerum hominumque poteſtas. *Grot. lib. 3. cap. 7. & 8.*

30. Cui ſe libenter ſubjicere intelliguntur, ut præſenti vitæ bonorumque jacturæ eximantur. Qui proinde actus cum ſit voluntarius, non poteſt non obligare promittentes.

31. Quippe cum certum ſit, eum qui vi metuque injuſto coactus promiſit, naturaliter teneri, quatenus voluntas cogi nequit; ut tamen verum ſit, æquè naturaliter, metus injuſti auctorem, teneri ad alterum obligatione rurſus liberandum. *b)*

32. Quod ſi juſtus fuerit metus, ut in bello ſupponimus, nihil eſt, quod aut naſci obligationem impediat, aut infirmari natam requirat.

33. Quippe, jure gentium in bello ex cauſa licet injuſtâ orto, ſi modo externa ſolennis belli requiſita adſint, juſtam intelligi cauſam, quod ad externos obligationis effectus attinet, indubitatum eſt, ut docet *Grot. in l. 3. c. 19. §. 11. de Jure B. & Pac.*

34. Non

n. 22. *z)* liberam) *Imperii abſolute tranſlati ex voluntate liberâ vix erunt exempla, ſi voluntas libera, ut autor hic facit, opponitur neceſsitati, ut Ægyptii ex cauſâ neceſsitatis, niſi fortè ex iracundiâ tempore factionum, aut ex incogitantia, ſi Rex ſimpliciter eligatur ſine reſtrictione libertatis. Unde non obſtabunt exempla* n. 12. & 13.

n. 28. *a)* eluceſcat) *Sed verius eſt etiam imperia in victos demum oriri ex promiſsione adeoque jus belli non eſſe modum conſtituendi imperii à conſenſu ſeparatum.* Adde *illuſtrem Hertium* de Modo conſtit. civit. ſect. 2. n. 4.

n. 31. *b)* liberandum] *Convenientius primis principiis moralibus eſt dicere, viatorem latroni promittentem naturaliter non obligari, etſi ejus actio ſit ſpontanea, quia ad obligationem ex promiſſo requiritur & in eo cui promittitur, poteſtas acceptandi, quæ hic deficit.*

Digitized by Google

34. Non audimus igitur illos, qui Principes hoc herili *c*) Imperio utentes indiſtinctè *Tyrannos* appellant.

35. Nec qui tradunt ita; victorem Principem poſſe quidem delere vel diſſipare populos: ſi autem formâ Civitatis conjunctos ſibique obligatos retinere velit, eſſe quod juri armorum renuntiet, populoque nonniſi liberè conſentienti imperet; Proinde jus idem patiatur, quod in voluntariis Imperiis illi cunctis Principibus incumbere docent.

36. Nobis ratio diſſentiendi conſtat, ea quæ expoſita eſt, ommumque ſeculorum exemplis firmatur. *Vide, ſis, Grotium d. lib. 3. c. 7. & 8.*

37. Porrò talis olim notiſſima Perſarum & ſueta Dominis Syriæ totiusque Orientis conſuetudo fuit. Nec aliter hodie omnes ab ultimis Sinenſibus ad usque Ruſſos in *Europam*, populi à Deſpotis ſuis adminiſtrantur, idemque in *Africa*, omnique barbarie ſervatur.

38. Quæ res cum in iisdem gentibus ab omni ſeculorum memoria pari tenore ſervata fuerit, ut oblatum quoque remiſſius Imperium ſpreviſſe legantur, parum abeſt, quin *Ariſtotelis* ſententia de ſervitute ſive aptitudine ad ſerviendum naturali, *d*) quam *antehac* indicavimus, vera & evidentiſſimis exemplis confirmata ſit, ac ita dominatus in illis gentibus, etiam *οἰκεῖᾳ φύσει*, *propria populorum voluntate* niti videatur.

39. An & Iſraelitæ petentes ab Samuele Regem ejusmodi, qualem habebant vicinæ gentes, ſua quoque voluntate ſe Dominatui ſubmiſiſſe videntur, quemadmodum ex oratione Samuelis, quia illos erudivit de jure Regis, qualem petierant, intelligi poſſit? Equidem in ea cernuntur duo *κριτήρια* deſpotici Imperii, dominium in perſonas, *accipient filios & filias veſtras*, atque in res, *agros veſtros, &c.* Attamen de voluntate populi iſtius aliter exiſtimandum eſſe probavimus in *ſect. 2. c. 7. ſub fin. e*)

40. Quemadmodum & hoc ſatis conſtat, labefactata Regum potentiâ poſt Salomonis exceſſum, non tenuiſſe Reges Judæ eandem poteſtatem, in longitudinem.

41. Tu dices, nihilne igitur tales dominos ſuis civibus promittere intelligimus ut nunquam juris externi ratione, Imperio abuti poſſint?

42. Exiſtimo, præter quod in præſenti, cum in ſtatu belli fuerunt, incolumitatem pollicen-

n. 34. *c*) herili) *Ob hactenus deducta, hic & in poſterum loco* herilis *ſubſtitue terminum* abſoluti, *& ita eadem in reliquis manebit obſervantia.*

n. 38. *d*) naturali] *Mallem ut* n. 37. & 38. *planè abſtinuiſſet Autor. Notum eſt, doctrinam Græcorum de ſervis naturâ ortam eſſe ex eodem fonte, unde ſuprà deduximus diſtinctionem inter gentes moratas & barbaras, nempe ex faſtu & perſuaſione vanam de poſſeſſione ſapientiæ cum excluſione aliorum populorum, item, ut poſſent injuſtitiam multorum bellorum adverſus tales populos, nullo alio jure, quam prætextu, quàm quod gentes barbaræ ſint ſervi naturâ, fundatorum, pallio hoc juſtitiæ cerebrinæ obtegere. Notum etiam eſt, in Papatu hanc doctrinam Ariſtotelicam eum in finem pariter in Academiis fuiſſe receptam, ut bella Hiſpanorum adverſus Indos ſub eodem prætextu juſti juvari poſſent, ac ſi ſoli populi Catholicæ id eſt Romanæ religioni addicti eſſent gentes moratiores, reliqui omnes vero barbari & ſervi naturâ. Ergo ab Autore hæc hypotheſis nullo genuino fundamento ſubnixa hic repetitur ac defenditur.*

n. 39. *e*) ſub fin.) *Sed autor ibi obſcurè mentem aperuit, & pro imperio deſpotico militant ea, quæ autor habet ibidem* n. 13. in verbis, ſed conſvetudo dominationis. *Contra nos ibidem* p. 57. ſeq. in notis *oſtendimus, veriorem eſſe ſententiam eorum, qui ſtatuunt verba Samuelis non loqui de regno abſoluto, multominus de deſpotico quodam, ſed de temperato.*

pollicentur, eos ad univerſæ quoque multitudinis ſalutem in perpetuum procurandam eſſe obligatos.

43. Proinde, ſi tam immanem oſtendant animum, ut ad omninm priniciem contendant, tum verè perfidi atque tyranni dicantur; *f)* Natura enim negotii, quod geritur, conſtituendæ civitatis, ſine hac, tacita duntaxat, obligatione conſiſtere non poteſt.

44. Cæterum, haud temere patrisfamilias in definitione poſita eſt comparatio: Siquidem hujus in ſervos & in liberos poteſtas evidenter Regni & Dominatus differentiam exhibere videtur, utique ſicut Patria poteſtas jure gentium & recentiori jure Romano comparata eſt. *g)*

45. Habet Paterfamilias in utroſque tam liberos quam ſervos vere & æquè ſummam poteſtatem; Sed in ſervos inſuper habet dominium tam perſonarum quam rerum. Liberi ſunt liberi perſonis, ut vendi nequeant *h)* & res habent à paternis diſtinctas. *i)*

46. Denique finis Patriæ poteſtatis in utilitate liberorum, Dominicæ in utilitate herili conſiſtit. *k)*]

CAP. IV.
DE CAUSIS CONSTITUENDI MONARCHIAM.

Modos deferendi regnum ordinarios, electionem eſſe & ſucceſsionem, n. 1-6. Refutatur Althuſii doctrina n. 7-10. ut & eorum, qui ſtatuunt, Deum eſſe cauſam majeſtatis immediatam n. 11-16. Succeſsionem ſolum in patrimonialibus obtinere n. 17. 18. De voluntariis quæritur, ſi nihil ſit dictum, utrum præſumatur, electivum eſſe, an ſucceſsivum Imperium n. 19. Prius contrà Hobbeſium affirmatur. n. 20-31. Argumenta in utramque partem ventilantur; n. 32-41. Concluditur, hoc argum. Succeſsio aut ex Lege fit, aut expreſsâ vel tacitâ voluntate defuncti. Lex nulla heic eſſe poteſt, quia caſum ponimus, quo nihil ſit dictum. Voluntas ultimi defuncti in patrimonialibus quidem regnat imperiis, in voluntariis nullo modo; cum ibi voluntas fundatorum attendatur, hoc eſt, primæva populorum. Adde; ſi in dubio, eſt ſucceſsivum inteſtati imperium, poterit etiam teſtamento de eo diſponi; ſi hoc, tum & intervivos alienari: Atqui hoc abſurdè de imperio libere à populis ſtatuto affirmatur, Ergo. n. 42-49.

Poſt

n. 43. *f)* dicantur] *Atqui eadem & ſola exceptio etiam obtinet in regno quolibet abſoluto non deſpotico per tradita autoris* Sect. 2. cap. 3. n. 39. & 42. juncto toto cap. 5. d. ſection.

n. 44. *g)* comparata eſt) *Sed valde dubium eſt, an patria poteſtas juris Romani antiqui, an recentioris ſit juri naturæ convenientior. Videbimus infrà ſuo loco, Confer interim ſuprà notata* ad p. 69. lit. h.

n. 45. *h)* vendi nequeant) *Sed & in imperio deſpotico ſubditi vendi nequeunt.* vid. ſuprà not. lit. f. ad n. 17.

i) res diſtinctas) *Habent & ſervi intuitu peculii.*

n. 46. *k)* conſiſtit) *Hic repete dicta* ad n. 20. lit. x.

1. POſt ſpecies Monarchiæ ſequuntur modi, quibus regna acquiruntur. Hi ſunt vel ordinarii, vel extraordinarii. Priores duo ſunt, *electio* & *ſucceſſio*. Extraordinarii perinde duo, matrimonium, & jus belli.

2. De jure belli & matrimonio dictum quod ſatis ſit, *in ſuperioribus: l)* de ſorte nihil quidem, ſed hæc rariſſime in uſu eſt, aut pro electione fungitur, ut olim apud Perſas in Dario Hyſtaspide.

3. Utrum autem imperia melius per electionem, an per ſucceſſionem deferantur, id à politicis diſquirendum.

4. Verum ſitne imperium aliquod electivum, an ſucceſſivum; Et penes quem ſit eligendi facultas, ea juris eſt quæſtio, in hypotheſi tamen potius quam præceptis generalibus determinanda.

5. Plane, origine cujuſque civitatis inſpectâ, *nullum non regnum ex voluntate populi ortum, fuit electivum.*

6. Sed diverſitas electionis & ſucceſſionis deinceps orta eſt, cum quædam ex imperiis ita ſunt delata Principibus, ut indentidem ſedes vacua per *electionem* repleretur; Quædam ita, ut ſucceſſio ſecundum ordinem certum propinqui ſanguinis ab uno in alium devolveretur, ex præſcripto legis.

7. Hanc quidem vocant electionis ſpeciem; Quomodo Althuſius in *Polit. ſuâ c. 19. n. 78. & ſeqq.* qui negant ullum dari imperium jure familiæ hereditarium ſed totum à populo dependens, quod & in Angliâ multi opinantur.

8. Si dicerent, ſucceſſionem eſſe nihil quam electionis primævæ continuationem, nihil errarent. At ſi jus imperii nunquam à populis alienari velint, res redit ad ſtatum diſputationis *ſuprà* aliquoties peractæ.

9. Quâ per electionem, ipſum jus imperii independenter alienari poſſe probavimus, ad vitam, vel etiam pro heredibus; Quæ tunc eſt ſucceſio non amplius à primis eligentibus dependens, ſed familiæ propria, per actum alienationis.

10. Planè quominus etiam ſucceſsio posſit ita conſtitui, ut ſucceſſores inferiorem populo & ephoris habeant poteſtatem, dubitare non patitur aut ratio, aut exemplum Lacedæmonorum & ſimilia pasſim.

11. Aliter è diametro inſtituunt, qui imperium immediate à Deo eſſe volunt. *m)* Hi negant, imperium ullo modo à voluntate populi pendere, nec à civibus quicquam juris ad imperantes manare, nec adeo cauſam monarchiæ aut ullius in civitate poteſtatis eſſe populum, quos inter D. Zieglerus ad Grotium *lib. 1. c. 3. & c. 4.* Et hi dictum Petri Apoſtoli à nobis aliquoties adductum, quod imperium ſit *κτίσις ἀνθρωπίνη*, *humanæ creationis*, interpretantur, quod ſit hominibus proprium, vel ratione cauſæ inſtrumentalis, *n)* quia per homines exercetur.

12. Utuntur argumento è ſacris, de poteſtate ſolvendi, ligandi & adminiſtrandi Sacramenta, quæ miniſtro eccleſiæ competit. Quemadmodum igitur populus eligendo paſtorem non confert poteſtatem illam nec conferre poteſt, quia non habet eam ipſe, nihilque agit, quam ut perſonam electam poteſtati à Deo immediatè proficiſcenti applicet; Sic etiam populus, quando eligit regem, non confert poteſtatem imperandi, ſed perſonam electam producit eamque adhibet exercitio poteſtatis illi à Deo immediatè conferendæ vel collatæ.

13. *Nec ſequitur,* ita pergit Zieglerus, *homines ab initio ſponte adductis in ſocietatem civilem*

n. 2. *l)* ſuperioribus] cap. 2. n. 23. ſeq. & cap. 3. n. 26. ſeq.

n. 11. *m)* volunt] *Repete hic jam ſuperius dicta* Sect 2. c. 1. n. 27. ſeq. p 34. & ibi notata.

n) inſtrumentalis) *Imo defenſores ſententiæ de Deo cauſa immediata majeſtatis populum ne quidem volunt cauſæ inſtrumentalis vices ſubtinere, quia & hæc repugnat illi immediatæ quam fingunt, ſed ſolius inſtrumenti.*

ſilem coierunt, & ex hoc ortum habuit poteſtas civilis. Ergo talis poteſtas origine eſt humana: Sic enim perinde liceret argumentari; Adam & Eva ſponte adducti coierunt in matrimonium. Ergo matrimonium inſtitutione non eſt divinum.

14. Sed ego ita exiſtimo, rerum moralium & civilium naturam maximè ab effectis æſtimandam. Si Deus certam imperii formam & tenorem, cujus limites excedere non licet populis, præſcripſerit, electionem perſonæ fatemur ejus juris vim infringere non magis poſſe, quam cœtus fidelium poteſt auferre jus ligandi & ſolvendi ſuis paſtoribus, aut uxor viro principatum domus invito adimere poteſt.

15. Sed hoc de imperio civitatis à Deo non legimus eſſe determinatum; Hactenus quidem, debere aliquem eſſe ordinem imperandi atque parendi, cui omnis anima debeat eſſe ſubjecta; Non tamen qualis & quanta in ejus ordine eſſe debeat; nec quominus imperium populus retineat, ſi id expedire judicet, Deus intercesſit: multo minus quo partem aliquam imperii reſervaret, unquam prohibuit; quod de miniſterio eccleſiæ inſtitutoque matrimonii nullo modo adfirmare licet.

16. Tutior igitur inter has extremitates eſt media via; Nec populos à cauſæ ſecundæ *o*) jure in imperiis condendis excludi poſſe; Nec eos ſemper rectoribus ſuis eſſe ſuperiores. Sed imperium ſimpliciter delatum cenſeri vere & irrevocabiliter eſſe alienatum; cui deferentes, non modo ſinguli, ſed & univerſi ſubjicientur, idque vel certis legibus vel abſolutè, ad vitam, vel etiam in heredes: ut prior ſpecies electiva, poſterior ſucceſſoria ſit, In illa imperium identidem rege mortuo, relabitur ad populum, in hac nonniſi ordine ſucceſſorum extincto.

17. Cæterum, in *patrimonialibus* imperiis *p*) non voluntas populi aut lex, verum ſola voluntas expreſſa vel tacita poſtremi regnantis in imperio propagando ſpectatur; Prorſus ut quisque privatus jure gentium de ſuo patrimonio diſponit.

18. Idem in plerisque herilibus, quæ fere ſimul ſunt patrimonialia, dicendum; niſi quod aliquando lex quoque in illis ordinem præſcribit, ut jam ſuprà innuimus. *q*)

19. Sed in voluntariis *r*) meritò dubites, quid juris ſit, ſi populus regem ſimpliciter conſtituerit, non expreſſo, *electivum* in poſterum, an *ſucceſſivum* foret imperium; utrius conditionis ſit futurum, quemadmodum Romæ ſpecies illa fuit & in regibus & in cæſaribus, juxta hypotheſin legis regiæ.

20. *Hobbes* non dubitat adfirmare, ſucceſſorium non modo, ſed abſolute hereditarium illud regnum eſſe habendum *de cive cap. 7. §. 14. & cap. 9. §. 13. & ſeqq.* Adeo ut cuilibet imperanti ſuo arbitrio ſucceſſorem declarare liceat.

21. Idque etiam tunc vult obtinere, cum populus diſerte imperantes ad tempus & ad vitam duntaxat ſuam conſtituit, tempus tamen locumque non præfinivit, quo rurſus eligendi causâ convenire deberet.

22. Nobis hoc improbandum videtur, & quidem ad poſterius primo reſpondemus. Eſſe quidem factum illud imprudentisſimè, ſtatumque illius Imperii lubricum eſſe fatemur.

23. Sed

n. 16. *o*) ſecundæ) *Vel inſtrumentalis per modo notata.*

n. 17. *p*) imperiis) *Sed jam ſuprà* Sect. 3. cap. 2. n. 19. lit k p. 69. ſeq. *prolixius monſtravimus, non dari regna patrimonialia, quæ hic repetenda ſunt.*

n. 18. *q*) innuimus) *ſc.* d. c. 2. n. 18. & 20. *Ergo nos ex rationibus* d. p. 69. ſeq. *allatis potius negamus, etiam herilia, ſi quæ dantur, eſſe patrimonialia.*

n. 19. *r*) voluntariis] *Ergo & in herilibus aut abſolutis quibuscunque jure belli acquiſitis, utpote quæ & ipſa tandem ſunt voluntaria.* Vide notata ad cap. 3. n. 28. ſeq.

23. Sed caſus, quando imperium uni vel pluribus eſt delatum, nulla ſurrogationis mentione facta, bifariam conſiderari poteſt; Aut enim imperio delato, tempus adjectum eſt, vel certi ſpatii, vel ad vitam, aut nullum tempus adjicitur.

24. Certo tempore præfinito, putamus hanc eſſe rationem: quod populus fœdere civitatis, cujus perpetua eſt obligatio, conjunctus, unique imperium ſui *ad tempus* deferens, hoc ipſo tacite, at valide ſtipulatur, *ut antequam tempus exſpiret, imperantes comitia de imperio habeant.* Quod ſi negligat facere præſens rector, acta quidem imperii, quæ poſt lapſum temporis exercet, ipſo jure nullius momenti ſunt, eamque ad vim nulla poteſtate ſuperiori opus eſt.

25. Neque vero tunc adhuc populum in ſtatu naturali eſſe dicemus, *quia manet fœdus æternum civitatis*, quod omnes ſingulique contraxerunt.

26. Sed quilibet civium jus habebit, populum vocandi, deque his, quæ ad ſalutem communem pertinent, referendi, ut olim Romæ factum à *Virginio & Icilio* contra Decemviros, apud *Liv. lib. 3.*

27. Idemque neceſſarium dictu eſt, ubi ad vitam, imperium uni delatum eſt, *nullo in anteceſſum ordine conveniendi præfinito.*

28. Nam tunc a Rege non poteſt exigi, ut is ante mortem ſuam populum hac gratia convocet, propter incertum vitæ humanæ & periculum deſignandi ſucceſſoris, quod *Eliſabeth Angla* tantumdem eſſe dicebat, ac involvere ſe vivam linteo mortuali.

29. Quanquam tamen rectius faciet talis Princeps, ſi in tempore ſucceſſorem deſignari ſibi curet, ex Hobbeſii vel potius naturali regula, *de reddendo bono pro bono.*

30. Falſum igitur liquet eſſe, quod Rex, cui diſerte ad tempus vel ad vitam datum eſt regnum, id aut ſibi retinere, aut alium pro lubitu ſurrogare poſſit, quando cum definitione temporis & vitæ conſtitutum eſt.

31. Regem poſt annos expreſſos, vel in tempore, poſt mortem nihil juris habiturum, & ejusmodi conditionem privare principes jure faciendi contrarium *abunde probatum eſt.*

32. Secundum hæc, cogitandum, an id liceat Principi, cui ſimpliciter data eſt ſumma poteſtas, nulla futuræ electionis aut ſucceſſionis lege ſtabilita, non adjecto quoque, ad tempus vel ad vitam; Sitne tum, inquam, *electivum an ſucceſſivum* regnum, haud levis dubitatio eſt.

33. Argumenta pro ſucceſſione haud ſpernenda ſe offerunt. Populus Regem creans exuit ſe imperio totumque jus ſuum transfert in illum; utique ubi nihil excepit, præter id, cujus gratia civitatem condidit, ſcilicet incolumitatem, *eo ſenſu, quo pridem diximus.*

34. Atqui diſpoſitio de ſucceſſione, à libertate dominioque rerum, quibus ſalvis, incolumes ſumus, evidenter aliena eſt. Quid obſtat igitur, quominus & hæc poteſtas in principem ſimpliciter conſtitutum tranſlata dicatur?

35. Jam, ſi de præſumpta voluntate judicandum, quid faciendum ſit, ubi expreſſa nulla eſt; quid proclivius ad credendum eſt, quam populum, qui tædio ſuæ poteſtatis regnum inſtituit, nolle rem ad ſtatum priorem reduci, quod tamen fieri oportet, ſi rege mortuo alium ſint electuri?

36. Præſumptio eſt anticipatio judicii, ex eo quod plerumque ſit in ſimilibus, præſenti cuique negotio applicata, *ut JCti tradunt.*

37. Pleriſque autem populis, qui regnantur, placuiſſe videmus *ſucceſſionem*; proinde & hanc in dubio noſtri caſus, populum in conſpectu habuiſſe præſumendum videtur.

38. Quibus addere licet ea, quæ de ſalubritate ordinis ſucceſſorii, præ incertitudine & ἀταξίᾳ electionis à politicis cumulantur.

39. In diverſam tamen partem inclinat ſententia, prævalente hac ratione; Quod in dubio, ſi *electivum* non ſit imperium, non

modo

Digitized by Google

modo oporteret *ſucceſſivum* ad liberos eſſe proximique ſanguinis reſpectu, ſed & abſolute *hereditarium*; ut ultimus princeps teſtamento quoque extraneum ſurrogare poſſit: imò ut & vivus imperium in quemlibet alium transferre valeat.

40. Nam quod eſt hereditarium, æque teſtamento quam ab inteſtato poteſt ordinari, & de quo licet ultimâ voluntate conſtituere, de eo non minus facultas inter vivos diſponendi competit.

41. Hæc ita cohærere, nemo juris gnarus negaverit, nec quidem philoſophus. Hæreditarium enim nihil eſt, niſi quod perfectè proprium eſt, ſicuti non modo Juris-conſulti, ſed etiam Plutarchus docet in *Vita Solonis*, *ubi* narrat Athenis olim non viguiſſe jus teſtandi; Solonem id iis dediſſe, qua re factum, eſt ἐπίκρισις Plutarchi, ut fecerit τὰ χρήματα κτήματα τῶν ἐχόντων, *uti quisque dominus ac arbiter rei ſuæ perfectus fieret.* Atqui vis perfecti dominii maxime conſiſtit in facultate alienandi. *Ariſtot. lib. 5. Rhetor. c. 5.* ὅρος τοῦ οἰκείου, inquit, ὅταν ἐπὶ αὐτῷ τὸ ἀπαλλοτριῶσαι; *Definitio dominii eſt, ubi penes ipſum eſt alienandi poteſtas.*

42. Jam vero, ut ejusmodi libera alienatio competat imperantibus, quibus imperium ſimpliciter voluntate populi delatum eſt, utcunque *Hobbeſio* indubitatum ſit, nobis minime, de voluntario, inquam, regno, concedendum videtur.

43. Non, (per partes ibimus) ut Rex imperium ſuum vivus transferat in alium; Quia tantum id juris habet, quod datum eſt ipſi: populus autem dedit jus imperandi, à quo alienandi poteſtas toto genere diverſa eſt. Populus *ipſi* dedit jus imperandi, non *alii*. Proinde ut ipſe non habet, niſi quod populus dedit, manifeſtum eſt, nec alteri plus competere poſſe.

44. Jam ſi vendere vel donare ſuum regnum vivus, ſimpliciter electus princeps non poteſt, clarum eſt, ne teſtamento quidem diſponere poſſe. Nam & hæc eſt donatio quam maxime, ſecundum memoratam Plutarchi notiſſimamque juris ſententiam.

45. Si teſtamenro extraneis relinquere nequeat ſucceſſionem, dicimus, nec ab inteſtato ad ſanguine proximos, ab ipſo poſſe devolvi.

46. Quoniam hæc fundamentum ſuum habet in abſoluta proprietate defuncti, cui poteſtas adſit alienandi. Item in præſumpta eiusdem voluntate, qua ſucceſſio illis datur, quibus eam defunctus, niſi mors præveniſſet, daturus fuiſſe creditur. *Dix. in prælect. ad Nov. 118. lib. 3. in pr. inſtit.*

47. Proinde, cui expreſſa voluntatis declaratio negatur, hujus tacita vim nullam habere poreſt.

48. Plane, ejuſmodi ſucceſſio, qualis in pleriſque regnis voluntariis obtinet, ut ad ſanguine proximos ordine certo deferatur, ea legem expreſſam manifeſto requirit.

49. Ideo talis in noſtrâ hypotheſi, ubi nihil de ſucceſſione dictum, nullo modo obtinere poteſt. Rationes oppoſitæ ex his quæ modo & pridem ſunt dicta, facile refelli poſſunt.

CAP.

Digitized by Google

CAP. V.
DE ELECTIONE MONARCHICA.

Jus eligendi competere originaliter iis, quorum imperium fuit primævum, n. 1. 2. vel quibus eorum jus datum eſt, expreſſe, n. 3. 4. per præſcriptionem, quâ maximè Electores Germanos niti videri, n. 5. & Cardinales, qui Pontifici dant vere ſummam poteſtarem iu urbem Romam ſubjectasq; ditiones. n.6.7. Inde ſequi, Imperatorem nihil habere juris in illam urbem cum annexis: n. 8 9.10. nec proinde ad Pontificis creationem requiri illius conſenſum, nec Imperatori faciendo, pontificis voluntatem.n.11.12. (Digreſſio de origine principum eccleſiaſticorum in Germaniâ n.13.14.) Species electionis à latitudine eligendorum deſumptas vix uſum habere n.15.-18. De modo & effectu clectionis. n.19-20. Poſſe populum, rege mortuo, mutare formam reipubl. n.22.23. Quæritur, an & hoc liceat, cum jus eligendi contulit in certas perſonas: Diſtinguitur, utrum in hos ut miniſtros, an veluti jus proprium translata ſit eligendi facultas. n. 24.-30. In quibus regnis & quibus caſibus ſucceſſio locum habeat n.31.-34. Natura & effectus pactorum Gentilitiorum. n. 35.-39.

1. IGitur electivi & ſucceſſivi regni differentia principem unum imperio virave jam functum præſupponit; Siquidem originaliter nullum non regnum ab electione habet ortum ſuum, ut *præced. capite* diximus.

2. Porrò jus eligendi, ſive ſurrogandi principem in vacuam ſedem, naturaliter iis competit, quorum jus imperii primævum eſt: Adeoque penes eos, quibus populus ſuum jus conceſſit.

3. Sive identidem legatos ad eam rem conſtituant, vitandæ confuſionis cauſa, ſive jus hoc in perpetuum certo hominum ordini dederint, qui hac parte loco univerſitatis fungerentur.

4. Veluti poſſeſſoribus immobilium rerum, ut in Friſia; vel nobilibus, ut in Polonia, denique certis principibus, ut in Germania, aut præſulibus, ut in conclavi pontificio.

5. Sic tamen, ut immemorialis temporum uſus, ſæpe pro tacito omnium conſenſu fungatur, quo fundamento niti videtur jus Electorum Germanicorum: nec enim ſatis conſtat, unde horum numerus & facultas originem habeat, niſi quod paulo ante annum à nato Chriſto millesimum, id inſtitutum cœpiſſe videatur, qua de re noviſſime eſt Abbate Stadienſi Mainburgius *decadenc. de l'Empir. lib. 2. s)*

6. Eodem fundamento præſcriptionis, ſi non & expreſſa populi voluntate, ſacerdotes *Cardinales* Pontifici *Romano* dant ſummam poteſtatem.

7. Quod cum uſu tot ſeculorum in vim juris externi invaluerit, clarum eſt, nullum hodie principem, præter *Papam*, habere im-

 perium

n. 5. s) lib. 2.) *Maximè veroſimilis inter reliquas omnes ſententias de origine Electorum eſt illuſtris Cocceji ex Archiofficiis eam deducentis* juris publ. prudent. c.10. 11.12.

perium populi Romani & ditionum ei ſubjectarum. *t*)

8 Quod tamen non impedit, quominus *imperator Romano-Germanicus* in reliquas extra *Germaniam* civitates, quæ ſe pari jure præſcriptionis non exemerant, antiquum jus retineat.

9. Quandoquidem à pluribus ſeculis Germanorum genti jus hoc quæſitum fuit, *ut reges ipſorum, imperatores Occidentis eſſent.*

10. Sed ut plerique populi ope præſcriptionis, ſui juris facti ſunt, ita id ipſi, inquam, Romanæ civitati accidit; cæteris, quibus id non contigit, (hi quidem extra Germaniam ſunt pauci) *u*) ſubjectis imperatori manentibus.

11. Jam facile conſtat, qua ratione Romanenſes negent, Cæſaribus eſſe jus creandi vel confirmandi pontifices; Et viciſſim, cur *Cæſares Romani Germanorum*, ſpernant pontificem jus ſibi arrogantem approbandi Imperatorem, quatenus extra Germaniam, Romano præſit imperio.

12. Nam quatenus ille rex eſt Germaniæ, nihilo meliorem juris habet prætextum pontifex, quam adverſus regem Francorum aut Britannorum.

13. Cæterum, quod alii per Germaniam præſules ſunt etiam principes, ejus rei non tam à populis origo, quam à Carolo Magno repetitur. Ita Cranz 1. *Sax.* 13. Scip. Gent. *de Regal.* § 25. & 26. Grotius *in lib. de jure ſumm. pot. circa ſacra* Ottonibus hoc inſtitutum adſcripſit *cap.* 10. *n.* 25. *w*)

14. Inſtitutum hoc, ratione præſentis utilitatis, ut feræ gentes ſacerdotali imperio miteſcerent, haud inutile; attamen fatendum eſt, ſinceritatem & humilitatem Chriſtianiſmi, lapſu temporis inde non parvam labem contraxiſſe; nec enim cum inſtitutis Chriſti illa conjunctio litui & gladii idoneo modo conciliari poſſe videtur. *x*)

15. Vulgo tres electionum ſpecies memorantur; quarum prima intra certam *familiam*, cujus tamen exemplum habeo nullum, altera ad *nationem* unam reſtringatur, tertia nullo termino circumſcripta ſit.

16. Hujus autem poſterioris generis electio quælibet, ſimpliciter inſtituta, eſſe intelligitur: Limitationes diſerte exceptæ probari debent. Alioquin ex uſu potius, & facti quam juris eſſe videntur electiones intra certam familiam aut gentis ambitum factæ: ut plerumque videmus electiones etiam illimitatas haud facile egredi familiam ultimi regis defuncti; quæ res tamen diverſum in jure modum non infert.

17. Sed & aliæ limitationes non deſunt, qualis in diplomate ſive *aureâ bulla* CAROLI IV. ne infra *Baronum* dignitatem *Cæſares* ele-

n. 7. *t*) ſubjectarum) *Opponit quidem Conringius* de finibus imperii *præſcriptioni huic potiſſimum uſurpationem tituli Imperatoris Romani, quem poſteà ſecure deſcribunt reliqui, inprimis, quia aliàs inter principes uſurpatio tituli eſt ex modis interrumpendi præſcriptionem aliorum. Sed ad illam ſententiam ſolidè reſpondit illuſtr. Henniges* in notis ad jus publicum Beckleri.

n. 10. *u*) pauci) *In diſcuſſione hujus quæſtionis opus eſſet, denominare illos populos paucos, aut ſaltem exempla dare, ne fortè diſputatio ſit de entibus rationis: deinde inquirendum foret, quid juris Carolus M. una cum titulo imperatoris Romani in Romam ac Italiam acceperit, ubi ſanè regnum Longobardicum non confundendum eſt, cum jure imperii occidentalis &c. Ergo melius eſt iſtam quæſtionem remittere ad juriſprudentiam publicam ſpecialem Germaniæ.*

n. 13. *w*) cap. 10. n. 25.) *Diſtinctius his omnibus rem propoſuit Conringius* Exerc. 7. de republ. imperii Germanici *unde rem in ſummam contraxit Monzambanus.*

n. 14. *x*) videtur.) *Huc pertinet eruditus tractatus Ziegleri cui titulus:* Epiſcopus miles.

rea electio demittatur, & ad Germanos reſtringatur, ut electores apud Sleidanum *lib. 1. y*].

18. Sed in *Polonia* nemo eligi prohibetur, nec in *Conclavi* nationes diſcerni ulla lege ſancitum, & exempla ſunt in contrarium; tametſi pontifices fere *Itali*, ob politicas rationes creentur; ſed jus non eſt ita præciſum; exempla quoque non deſunt in ſecus.

19. In eligendo ſecundum prærogativam numeri, concludendum eſſe res loquitur, nec enim alius datur exitus: Numerus autem præſentium initur; abſentium ratio haberi non poteſt, neque ſolet;

20. Quin etiam, annotabilis ſit pluralitas, non attenditur, niſi quid ſpecialiter convenerit aut conſtitutum ſit, quomodo in conclavi Romano duas præſentium partes conſentire oportet, ſive id per *ſcrutinium*, ut loquuntur, ſive per adorationem fiat.

21. De valore electionis, quæ per vim metumque fiat, in *capite de tyrannide* agetur, niſi quatenus in articulo de dominatu ex parte jam diximus.

22. Eſt autem, vacante regno, tam libera electio, ut etiam non eligere poſſint regem aliamque Reipubl. formam introducere. Nempe, ſi totus populus aut omnes optimates eligendi facultatem exerceant, non ſi in alios transtulerint.

23. Hos enim nihil aliud poſſe dicemus, quàm quod ipſis commiſſum, ſcilicet, replere ſedem vacantem.

24. Sed poteſt difficile quæſitum videri, an populus aut optimates jure eligendi perpetuo in certos homines translato, vocante regno mutandi libertatem retinere cenſeantur.

25. Nam & electores privare poteſtate ſua, & rurſus, extincto ſine ſucceſſore eo, qui ſummam habuit poteſtatem, populum vel optimates ſui juris haud eſſe, durum videtur.

26. Quod ſi populus, ut heic primò videtur ſuæ poteſtatis ſit, facultatem de regimine civitatis libere diſponendi, cum ea neceſſario conjunctam eſſe dixeris.

27. Sed ratio poſtulat, ut eo caſu dicamus, fœdere civitatis ordinem imperii non minus ſtabilitum eſſe, quam lege de ſucceſſione lata; propemodum, ut in *Ariſtocratia*, ubi jus ſurrogandi imperantes in loca demortuorum eſt apud ſuperſtites.

28. Voluit populus, rege mortuo, non referri ad ſe de electione, adeoque jure, conventum hac gratia celebrandi ſemet ipſum privavit.

29. Idque ex naturâ pacti, quod ſinguli cives cum ſingulis habent, *ut ſupra copioſe dictum*, pro æterno ac immutabili habendum.

30. Niſi conſtet, ex verbis, quibus delatum eſt jus eligendi, vel re ipſa naturaque Reipubl. *electores* nihil eſſe quam miniſtros, quo caſu quid juris ſit *ultro intelligitur*.

31. Porro etiam in ſucceſſivis imperiis, quæ voluntaria ſunt, locus ſit electioni, poſt defectum familiæ regnatricis, non æquè per abdicationem ultimi imperantis. *z*)

31. Quid ſi rex imperium committat, hoc eſt, ſuis factis vel tyrannide cauſam præbeat, ipſum Regni jure privandi, an ſucceſſores ejus pariter jure ſuo cadunt? Reſpondetur; in regnis ſimpliciter hereditariis ele-

---

n.17. *y*) lib.1.) *In jurispublici Germanici prudentiâ oſtendere ſolemus, nec iſtud requiſitum de Germano; nec ſimilia alia, quæ ſcriptores in hac quæſtione cumulant, extare in A. B. neque Electorum aut Electoris eſſe illam orationem ap. Sleidanum, nec Sleidani, ſed Philippi Melanthonis &c.*

n.31. *z*) imperantes) *Rationem vide infrà* cap. 7. n. 50. *ſed voce* ultimi *hic autor paulo laxius & impropriè utitur, perinde ut infra notavimus* ad d. c. 7. n. 45. lit. e.

riis electioni ſit locus, quia ſucceſſores ibi ſuum jus ab anteceſſore quod periit, acquirere debent: In ſucceſſione lineali quæ dicitur, ſecus eſt; quoniam ibi jus ſuccedendi non ab ultimo imperante, ſed à lege primævâ deſcendit. *a)*

33. At in patrimonialibus *b)* regnis electioni locus non ſit, defectu familiæ regiæ, ſi modo ultimus ſucceſſorem ſibi ſurrogaverit: Quo non facto, dicendum eſt, electioni locum fieri.

34. Populus enim ſerviens, domino absque ſucceſſore extincto, non poteſt non eſſe liber, conſequenter habet facultatem faciendi quod libet.

35. Pacta Gentilitia, quibus unâ deficiente familia, ſuccedit alia, in imperiis ſummis patrimonialibus per ſe valida ſunt. In voluntariis non aliter quam populo proceribusve conſentientibus, ut è principiis inſtituti noſtri dudum expoſitis conſtat.

36. Denique, in iis qui ſuperiorem agnoſcunt, hujusce requiritur conſenſus, ut in Germania, Imperatoris; maxime, quia ditiones feudales, deficiente omni vaſallorum ſanguine, Imperatori aut aliis feudorum dominis acquiruntur. *Sleidan. lib. 1. hiſt. Germ. in capitul. Car. V.*

37. Proinde jus habet idem Imperator, ejuſmodi in fiſcum redactas ditiones aliis iterum concedere jure principatus liberi, qualem alii Germaniæ principes in ſuos populos habent, & præcedentes, qui defecere principes aut comites obtinuerunt; aut cæſar in iis, tantum juris ſibi reſervare poteſt, quantum videtur; utpote, ipſi pleno jure ſunt acquiſitæ.

38. Sed liberis pouplis, ſive ſingulares civitates, ſive integræ nationes ſint, Imperator nullo modo dominos imponere poteſt, niſi ex voluntate populorum.

39. Sicut olim *Friſii* aliquoties in ditionem conceſſi à Cæſaribus, exteris principibus, eos ſemper recuſarunt, freti libertate à Carolo Magno vel donata vel exinde conſtanter uſurpata; donec ultrò *Saxonem Albertum* introduxerunt. Nec diverſa ratio eſſe videtur Orientalium Friſiorum; Quorum id circo Imperiorum initia pro voluntariis habenda ſunt.

CAP. VI.

DE JURE SUCCESSIONIS HEREDITARIÆ.

Succeſſionem regnorum eſſe duplicem, hereditariam & inſtitutivam: Illam ex teſtamento, vel ab inteſtato. n. 1. 2. 3. Harum priorem expreſſa, poſteriorem tacitâ ultimi regnantis voluntate niti. n. 4. 5. 6. Locum eſſe hereditariæ ſucceſſ. in patrimonialibus imperiis. n. 7. 8. 9. In his poſſe patrem, cui velit ex liberis, vel extraneo relinquere ſucceſſionem, ſine deductione Legitimæ, modo hæc aliunde præſtetur. n. 10. 11. Ab inteſtato regnum deferri illis, quos

---

n. 32. *a)* deſcendit] *Hic primo regnorum ſimpliciter hereditariorum exiſtentiam negamus, quia illa ſunt eadem cum patrimonialibus, per ea quæ habet autor in cap. ſequente. Quoad poſteriorem vero aſſertionem, putarem, ſucceſſores, ſi admitterentur, non ægrè ferre debere, ſi populus eos non aliter, niſi præſcriptis de novo legibus fundamentalibus admittat.*

n. 33. *b)* patrimonialibus] *Ex noſtra ſententia expungendi erant & hi duo numeri, quia regna patrimonialia ſunt entia rationis. Quod & circa ea, quæ* n. 35. *de patrimonialibus immiſcentur, repetendum eſt.*

quos defunctus habuit cariſſimos, quales in dubio proximi ſanguine præſumuntur. n.12.-21. Videri tamen, quod defunctus rex, (exceptis modicis principatibus) ubi nihil dixerit, regnum voluerit eſſe individuum, ob diverſas rationes, n. 22-30. Inde ſequi, mares feminis, primos poſterioribus natu præferendos, licet grandiores ante regnum acquiſitum ſint nati. Diſſentire in quibusdam ex hiſce Grotium. n. 37.-43. Fratres ſecundo genitos non videri in ejuſmodi regnis præferendos nepotibus primogenitorum, ſed junioribus ubi & de repræſentatione. n. 44.-53. Naturales liberos excludi, non adoptivos. n. 54.-59. Differentia patrimonialis & herilis Imperii. n. 60.-64.

1. IN *Electione*, mortuis Regibus, interregnum exercitionem ſummæ poteſtatis interrumpit. In ſucceſſione perſona imperantis, non majeſtas deficit, quia ſucceſſio *ſine ullo humano facto* ſequentis gradus principem ſolio imponit. Quo ſenſu dictum eſt, *Reges* in ejuſmodi imperiis *non mori.*

2. Idque non modo verum eſt de actu primo, ſed etiam de actu ſecundo & exercito ſummæ poteſtatis; quem proinde à ſolennitate inaugurationis, ut interregno opus ſit, non pendere, certa res eſt. Et ſicubi in regnis ſucceſſivis, ut nuper factum vidimus, in gente, quæ gloriatur ſucceſſione bis mille annorum, ea lex imponatur ſucceſſoribus; ne quid poteſtatis, ante jusjurandum ſolenniter præſtitum, exerceant, hi poſtulatum ingens imperio & juri ſucceſſionis injungunt.

3. Sed de ordine ſuccedendi multiplex conſideratio eſt. Summam ſtatuimus diſſerentiam inter *patrimonialia* & inſtitutiva ſeu *voluntaria* regna; intellige liberè voluntaria, non ubi deditio facta eſt, quando neceſſitas elicit voluntatem *de qua dictum ſect. 2. cap. 1.* Tatia enim magis patrimonialia ſunt, utique deditione ſimpliciter factâ, ut in *d. loco.*

4. Porro in patrimonialibus *c*) eſt ſucceſſio *Hæreditaria*, quæ tranſit eodem modo, quo hereditates privatæ, hoc eſt, per expreſſam ultimi deceſſoris diſpoſitionem, quæ *Teſtamentum* eſt, vel ex tacita ejusdem voluntate, quæ eſt fundamentum *ſucceſſionis ab inteſtato.*

5. *Hobbes* origine quidem modoque conſtituendi differre concedit illas ſpecies imperii, *patrimonialis & voluntarii*; ac ſemel

 conſti-

n.4. *c*) patrimonialibus) *Cum ſuprà* ad ſect. 3. cap. 2 n. 19. lit. k. p. 69. 70. *evidenter monſtraverimus non dari regna patrimonialia, & vero ſecundum confeſſionem autoris ſucceſſio hereditaria ſit ſaltem in patrimonialibus, patet etiam quod ex noſtra doctrina tota ſucceſſio regnorum hæreditaria corruat, adeoque lucremur tempus in meditationes intricatas & difficiles (quales ſunt eæ quæſtiones pleræque, quas hoc capite tractat autor) aliâs fruſtrà impendendum. Quæ de ſucceſſione teſtamentariâ in ſpecie in regnis patrimonialibus poſt Grotium hic diſſerit autor, nituntur etiam aliâ hypotheſi, quaſi teſtamentifactio ſit juris Gentium. Sed & hujus falſitatem oſtendemus infrà ſuo loco. Ergo etiamſi darentur regna patrimonialia, fundamento tamen deſtituerentur omnes aſſertiones, quas hic Autor de ſucceſſione teſtamentaria ponit. Ad exempla, quæ ſubinde Autor in hoc capite ex hiſtoriâ varia ſubinde adducit, repetenda eſt reſponſio illuſtris Cocceji ex notâ ſuperiore* d. p. 70. in fine.

conſtitutas habere omnes easdem proprietas & idem utrobique ſuccedendi jus eſſe contendit, *locis antea citatis*.

6. Sed hæc judicatio pendet ex iis, quæ pridem diſputata ſunt: utrum populus deferens imperium, tranſtuliſſe, quicquid *potuit*, aut quicquid *voluit*, intelligatur. Si prius, neceſſaria eſt *Hobbeſii*, in hoc articulo ſententia. Sed voluntatis conſequentia, quam nos probavimus, evidentem diſcriminis cauſam ſuggerit.

7 Patrimonialia igitur regna (voce regni pro omni monarchiâ ſumptâ) pendent, unicè ab arbitrio & diſpoſitione dominantium, qui quovis tempore rerum potiuntur; Idque tam inter vivos quam mortis cauſâ.

8. Adeo ut imperia ejusmodi populorum, aliis donari, vendi, ſimilibusque modis cedi poſſint; Cujus rei exempla nec in ſacris neque in profanis deſunt hiſtoriis.

9. Imprimis teſtamento relinqui poteſt ſucceſſor, aut ex liberis unus, citra ætatis, aut è cognatis ſine propinquitatis privilegio, vel extraneus amicus, quemadmodum teſtator ſibi populove ſuo expedire judicat; Quo jure Ptolomeus *Primus* de Ægypto, Maſaniſſa & Eumenes aliique de ſuis olim regnis diſpoſuerunt.

10. Neque heic liberis querela inofficioſæ voluntâtis, aut detractio certæ portionis, quæque civili jure id genus remedia ob æquitatem à lege introducta fuere, competunt.

11. Summa poteſtas ejusmodi legum commentis minimè ſubjacet, quanquam naturalis alimentorum ratio in iſtis quoque valet; ſed huic facile absque imperii ſectione ſatisfieri poteſt, ut fit omni die in individuis ditionibus, per pecunias aut fructus terrarum, quæ ſub eodem imperio manent.

12. Ab inteſtato viget in patrimoniis præſumpta defuncti voluntas, quam proinde hic unice oportet attendi. Aliarum gentium ſcitis, diverſi ſæpe reſpectus æquitatisque interpretationes obtinent, velut, *unde bona venerunt, illuc ut revertantur* & ſimiles.

13. Hic talia non æſtimantur, niſi quatenus conjectura de voluntate ex iis colligi poſſit, ſanguinis propinquitate tacitam ultimi poſſeſſoris voluntatem efficacius arguente, quam grati animi reſpectu; etſi aliter velle videatur Grotius *in lib. 2. c. 7. n. 9*.

14. Præſumptio gratitudinis, quæ in ultimo poſſeſſore fuerit, imbecillior eſt, quam ut, ab inteſtato quicquam mutare poſſit. Efficacisſima ratio naturæque ingenii humani convenientisſima eſt, *ut propinquitas ſanguinis*, ubi nihil expreſſæ voluntatis extat, *menſura ſit affectionis*, quemadmodum *Romano* jure ſcimus eſſe conſultum.

15. Unde conſequi videtur, eos, qui æque ſunt ſanguine propinqui, pariter ſuccedere in regnum, & ſi convenire nequeant, æqualiter id eſſe partiendum.

16. Idque ſine[d] diſcrimine ſexus, quam πρεσβυτοληψίαν natura in hereditatibus, quæ à libera diſpoſitione dominii pendent, interprete jure Romano ignorat. Naturæ accuſatores appellantur à Juſtiniano, qui diſcrimen illud ad conſequentiam juris urgent, *L. 4. C. de lib. præt. d)*

17. Quare, ſi mortuus ſit dominus imperii patrimonialis, cujus ab ipſius arbitrio pependerat diſpoſitio, ſine ultimâ voluntate, non habetur dubium, quin dividuum ſit imperium, adeoque dividenda ſint inter primo & poſtea genitos, inter mares & feminas, naturales & adoptatos, quoniam & hi perinde jure privato vocantur & habent voluntatem defunctorum; niſi aliud more gentis

---

n. 16. d) de lib. præt.) *Ita quidem Juſtinianus. Sed adverſa ratio placuit aliis plerisque gentibus, etiam ipſis Romanis ante Juſtinianum, & Germanis, olim etiam in allodialibus. Imò iſtos mores Gentium magis convenire principiis rectæ rationis, ab aliis fuſius, a nobis alibi ſummatim eſt expoſitum.* Vide ſelecta capita hiſtoriæ juris feudalis §. 22.

Digitized by Google

gentis receptum aut à defuncto præceptum ſit.

18. Prærogativam autem marium & primogenituram non aliter ibi valere docet eadem ratio, quam ſi imperium expreſſe individuum ſit factum.

19. Planè in *comitatibus* & baronatibus, ut dicuntur, aliisque modicis ditionibus, quæ aut ſuperiorem habent, aut ſub umbrâ aliorum degunt, ſic obſervari docet experientia, idemque evincit ratio manifeſta, quod in iis nihil aliud quam affectio paterna vel conſanguinea ſpectetur.

20. Cujusmodi exemplum habemus ob oculos in *Amelandiâ* Friſiæ littori prætextâ, parvi inſulâ momenti, ſed tamen independentis imperii, quæ jure patrimoniali habetur, nec alio modo quam bona cujusque patrisfamilias, vendi poteſt; in quoslibet autem heredes ſanguine proximos transmitti ſolet, ut à nobis in *Vindiciis Amelandicis* demonſtratum eſt.

21. Neque, dici poteſt, quamobrem plus in ejusmodi ditionibus ſpectari deberet; quatenus exigui & ſubordinati principatus magis ad exhibendum principalis vitæ cultum, quam ad ſubſiſtendum in ſtatu belli contrà alias civitates, ſunt comparati.

22. Sed videndum, ne non difficile ſit, eandem in omnibus imperiis quæ eſt in privatis patrimoniis, rationem ſuſtinere, maxime in his, quæ ſumma nec aliis obnoxia neque ſpernendæ ſunt potentiæ.

23. In illis modicis, inquam, ut & quibusvis hereditatibus, ſimplicitas naturæ, remoto ſexus ac ætatis diſcrimine, prævalet; idcirco quia reſpondent debito alimentorum, quibus parentes ex neceſſitate juris naturæ adverſus omnes ex æquo liberos obligantur.

24. Cui accedit ratio, quod in illis nihil eſt, unde præſumptio de voluntate deceſſoris colligatur, præter animum paternum & ſanguininis caritatem, quæ omnes æque propinquos pari honore, in univerſum, haberi poſtulat.

25. Sed in imperiis ſummis & majoribus, conſiderandus inprimis eſt amor principum erga ſubjectos. Qui tantò major in patrimoniali quam diverſo imperio eſſe ſolet, quantò tenerius avita ac hereditaria bona, præ uſufructuariis aut fideicommiſſariis amamus.

26. Adde, ſi libet., tralatitium *Hobbeſii* juris Naturæ principium, *de non reddendo malo pro bono*, quod longe majus eſt in majoribus regnis, quam in modicis ditionibus.

27. Id enim frequentisſima omnium temporum experientia teſtatum eſt, haud temere ullum gravius malum populis evenire poſſe, quam eſt *concurſus ſucceſſorum* in ejusmodi *regnis*.

28. Unde vel diviſio, id eſt, prope certa deſtructio civitatis, aut afflictio duntaxat gravisſima & prope inevitabilis, expectanda.

29. In quod ferale minimeque obſcurum diſcrimen, quis in dubio præſumat, regem voluiſſe populum, à quo tot tantaque commoda percepit, præcipitatum? Maxime, cum id diſerte adverſetur deſiderio, quod habet, de imperio in familiâ ſua conſervando.

30. Juxta quod, patrem horreſcere oporteat omen tragicum, cujus meminit Euripides *in Phœniſſis*;

Θήκτῳ σιδήρῳ δῶμα διαλαχεῖν τόδε, &c.
Fratres acuto regnum ferro dividant.

quod è concurſu ſuccesſionis confuſæ prope neceſſario, ut ſunt æmulationes regnorum, ſequeretur.

31. Adde, quod jus primogenituræ & prærogativa, uſu generis humani invaluerit, adeo quidem, ut principes qui hunc ordinem in imperiis quoque patrimonialibus expreſſâ voluntate mutant, *contra jus Gentium* decernere dicantur, quomodo Juſtinus de Ptolomæo loquitur *lib. 16. cap. 2.*

32. Quare, ſi nihil eſſet dictum à Ptolomæo Patre, nemo dubitaſſet, quin Ptolomæo Ceranno majori filio potius debita fuiſſet ſuccesſio, quam minori Philadelpho;

 Jus

Jus autem primigenituræ ſupponit individuum regnum.

33. Porrò, quod ad obligationem naturalem, per quam alimenta debentur, attinet, huic aliunde poteſt ſatisfieri, quemadmodum antea diximus. Inſtitutum in hanc tem ſalubre multis in regnis obtinet, ut reditus certæ partis, *ſub obſequio primogeniti imperantis*, poſthabito concedatur, quod barbare *Appennagium* appellatur.

34. Enimvero, ſi *expreſſa* de patrimoniali regno ultimi imperantis *diſpoſitio* extet, illa cunctas ſuperat præſumptiones, quæ tamen ideo non tolluntur in caſu inteſtati.

35. Verum in teſtamento poteſt ita inſtitui diviſio, ut incommoda, quæ alioquin è promiſcua ſucceſſione fratrumque diviſione orirentur, prudenti conſilio teſtatoris præveniantur & cohibeantur.

36. Inducimus igitur in animum, ut putemus, imperium patrimoniale, quoties nihil à rege defuncto vel more jam recepto expreſſum eſt, in *partibus ſubjectivis*, hoc eſt, in terris, non recipere mutationem, ſed manere unum & conjunctum, etſi à Grotio non tam contra quam nihil hoc ſuper articulo ſit collocatum in *d. cap. 7. lib. 2.*

37. Quo promiſſo & præſuppoſito, facili conſequentia intelligimus, mares potiore loco habendos eſſe præferendos.

38. Eo quod hi valore ſexus & maturitate videntur aptiores, aut citius futuri ſperantur, ad ſuſtinendũ grave cuncta regendi onus.

39. An aliter Grotius, quando ait, *in regnis patrimonialibus, ſi dictum ſit, ne dividatur regnum, nec cui cedere debeat; expreſſum ſit, ut quisque natu eſt maximus, mas aut fæmina regnum habebit d. cap. 7. n. 13.?*

40. Eſt quidem hæc ratio pro fæminâ primogenitâ, quod hæc jus individuum in ſpe ſuccedendi conſiſtens occupaverit. Sed in regno hereditario nullum eſt jus potentialis ſucceſſor, rege vivo; ut eſt in lineali ſucceſſione, vi legis: heic enim à voluntate expreſſâ vel tacita ultimi poſſeſſoris omne jus pendet, ultimum autem regem in dubio, ſuppoſita individuitate, marem fœminæ prælatum voluiſſe, non poteſt dubitari.

41. Niſi forte Grotius mares & feminas non comparet in illis verbis, ut femina primogenita mari præferatur, ſed ut primogenitum *marem*, vel ſi mas non ſit, tum feminam primogenitam vocari velit.

42. Porro eadem ratio docet, filios ante regnum acquiſitum natos haud minus habere juris, quam qui poſtea ſunt geniti, qua de re olim toties magnis animis certatum fuiſſe legimus.

43. Cum enim patris ſola voluntas ſpectetur, eaque non pendeat à tempore acquiſiti regni, ſed æqualis ſit erga omnes liberos, primogenitum ſimpliciter in regno individuo vocari conſentaneum eſt. quemadmodum in aliorum ſucceſſione bonorum, tempus acquiſitionis non attenditur.

44. Magis inexpectatum videtur quod placet quibusdam, fratres ſecundo genitos nepotibus è primogenito ætate minoribus eſſe præferendos, in regnis patrimonialibus, de quibus hic agimus.

45. Quid ni enim hic obtineat repreſentatio, ſive ſubitio liberorum in vicem parentum, per quam nepotes ex filio primogenito in locum patris emergunt?

46. Quippe, cum illa maxime ſit naturalis, ideoque in rege mortuo præſumenda, quemadmodum in aliis hereditatibus obtinet. Quid enim hac parte recedere jubet ab analogia privatarum ſucceſſionum, quam cum patrimonialibus regnis antea comparari vidimus?

47. Opponitur; in privatis ſucceſſionibus, qualis etiam hæc eſt, repræſentatio non plus efficit, quam ut nepos filio, quod ad gradum attinet, æquiparetur; quâ æquatione factâ, qui hâbent jus ejusdem gradus, omnes æqualiter ad bona vocantur, quod ſecus in regnis individuis & in jure primogenituræ ſe habeat.

48. Eo quod ætatis ratio ſit mere perſonalis,

nalis,

nalis, quæ ad liberos ex ſimplici ratione naturali non tranſit, ſed opus eſt diſpoſitione poſitiva, ad ejusmodi jus perſonale tribuendum ſucceſſoribus; cui accedit, quod idem ſit contra fundamentum præſumptæ defuncti voluntatis, quæ ſumitur ab ætate, ad aptitudinem regnandi.

49. Priusquam reſpondeam, oportet obiter obſervemus, eos, qui terſius amant latine loqui, jus quo liberi in locum parentum mortuorum ſurrogantur, non appellare *repræſentationem*; quod hoc vocabulo, apud veteres nihil ſignificetur, quam alicujus rei in anteceſſum exhibitio. Ita Cicero, ſe Tyroni ſuo diem libertatis promiſſæ *repræſentaturum* ſcribit, hoc eſt, ut alias loquimur, anticipaturum. XVI. epiſt. 14. Temporis medicinam ratione *repræſentare*, id eſt, præſumere ſolatia, quæ tempus alioquin adferret. V. epiſt. 16. Ita JCti paſſim, referente Briſſonio *de V.S.*

50. Nec aliter temere apud antiquiores. Sequiore ſeculo, deflexum eſt ad uſum, grammaticæ forte magis congruum, ut repræſentare ſignificaret iterum ſiſtere, præſentem reddere: quomodo Diocletianus & Maximianus, pro frumento *repræſentare* oleum dixerunt in *l. 7. C. de Rer. permut.* Iidem *Repræſentare ſe*, pro *ſui præſentiam facere l. 8. C. Quom. & quand. jud.* Et quod prop.us ad uſum hujus ſeculi, Alexander *repræſentare jus* in aliquo loco dicit magiſtratum in *l. 1. C. Ubi cauſ. ſtat.*

51. His exemplis aliquanto commodius liberi dicuntur repræſentare ſuum patrem mortuum, id eſt, *iterum* quaſi *præſentem* ſiſtere & exhibere jus atque perſonam ejus, efficaciſſimo ſenſu; quem proinde quominus ſine hæſitatione ſequamur, nihil obſtat.

52. Jam, quod repræſentatio nihil quam adæquationem gradus efficiat in hereditariis ſucceſſionibus, aliter liquet in eo; quod fratris germani liberi cum fratre defuncti uterino concurrentes, repræſentando patrem ſuum, non modo huic adæquantur gradu, ſed eundem etiam excludunt. Et, ſi nihil aliud quam adæquatio gradus fieret, nepos primogeniti unicus, concurrens cum filiis ſecundo geniti pluribus, in hereditate diviſibili, non haberet plus quam unus ex his obtinere poſſet, quod verum non eſt; cum ſolus tantundem, ac plures filii ſecundi fratris ſimul, accipiat, idque è præſumpta voluntate defuncti.

53. Magis igitur eſt, ut cum repræſentatio in regnis hereditariis non excludatur, primogeniti filius ab avo in locum patris affectu præſumpto ſubſtitutus videatur; etſi in eo ceſſet præſumptio majoris aptitudinis ob ætatem. Hæc enim præſumptio non poteſt tollere jus perfectum repræſentationis.

54. Cum eadem tacitâ voluntate conſentit, quod liberi abſque juſto ſuſcepti matrimonio, non admittuntur, quia vel ideo rex non videtur eorum matrem in uxorem duxiſſe, quod illam liberosque juſto affectu non proſequeretur.

55. Quod ſecus, ſcilicet, eſt, ubi vel legitimatio vel ſufficiens voluntatis actus interceſſit, aut nulla inter legitimas uxores concubinasque differentia fuit defuncto, ut *dominis Turcorum* poſt *Bajazetem*, cum ejus uxor nimis contumelioſe à *Temirlano* habita fuiſſet, obſervatum eſt.

56. Adoptivi tamen liberi, quos expreſſè defunctus pro filiis adſcivit, ex illa clara voluntate, non alio jure quam reliqui naturales liberi, videntur habendi; adeoque & *filiabus* præferentur.

57. Nam poſtremo etiam his, quando potioris ſexus liberi deſunt, præ cognatis remotioribus ſucceſſio debetur, quia ſine dubio major affectus patris erga ſuam prolem eſt, quam reſpectu cognatorum; nec enim ille judicium de aptitudine ad imperandum comparaſſe videtur extra ſuam domum.

58. Hæc ita in regnis *patrimonialibus*, ſecundum probabilem defuncti voluntatem, quæ ſola in iis ſpectari poteſt, ſi nihil cautum ſit, habere ſe videntur.

Digitized by Google

59. Quod, ſi conſtet, regnum eſſe & alias fuiſſe dividuum, jam non hærebimus, quin liberi omnes majores, juniores, maſculi, feminæ, adoptati, (non tamen nothi) & ſecundum eos, reliqui agnati aut cognati ſecundum gradus prærogativam, ſint admittendi, ut Grot. *d. cap. 7. n. 12.*

60. Patrimonialis igitur & hereditaria ſucceſſio hactenus eſt eadem; Patrimonium enim & hereditas non differunt; *Patrimonium tibi gratulor*, ad Curionem Cicero poſt mortem patris ejus. Idem; *Liberis noſtris ſatis amplum patrimonium relinquemus, pro dom. Fratres commune patrimonium diviſerunt l. 38. π. Famil. erciſ.*

61. Salvo tamen hoc diſcrimine, quod patrimonialis ſucceſſio pendeat à voluntate primi imperantis; licet detur etiam hereditaria, quæ pendet à voluntate populi vel ſuperioris, ut *infrà* videbimus.

62. Oportet autem hic denuo obſervetur, aliud eſſe patrimoniale, & aliud Herile *e*) imperium. Multæ enim ditiones ſunt patrimoniales, in quibus admodum eſt modica poteſtas imperantium, ut in noſtra *Amelandiâ*: non pauca etiam ſunt Herilia, in quibus nec alienandi neque teſtandi poteſtas obtinet, adeoque ubi non eſt hereditaria, ſed *inſtitutiva* ſucceſſio.

63. Cujusmodi eſt Turcicum imperium, in quo cum hoc ſeculo *Amurathes* imperator feciſſet teſtamentum ſolenniter confirmatum & à miniſtris primariis juratum, quo fratrem *Ibrahimum* excludebat, hoc tamen minime ratum eſt habitum, ut retulimus in Hiſtor Civ *ad ann. 1640. in cap. rer. Turcic.*

64. Quin aliquando uſu venit, ut herilia regna ſint electiva, quale fuit imperium Mamaluccorum in Syriâ & Ægypto, quod Selymus Turca deſtruxit, ut diximus, *Hiſtor. Civ. tom. 2. l. 1. ſect. 3. c. 11.* Tantum abeſt, ut herilia cum patrimonialibus eadem ſint, vel cum illis ſemper conveniant.

CAP. VII.
DE SUCCESSIONE INSTITUTIVA.

Succeſſionem inſtitutivam eſſe, quæ ex voluntate populorum originem habet, eamque eſſe vel ſimpliciter hereditariam, vel linealem. n. 1.-5. In illâ, multo magis in hac, fere eaſdem naſci præſumptiones, quæ ſunt in patrimonialibus, ex tacitâ ultimorum intentione regnantium. n. 6. Non eſſe dividendam civitatem, quia nihil publicæ quieti exitiabilius. n. 7. Ut mares & primogeniti præferantur, etiàm qui ante regnum patri delatum ſint nati, nepos quoqve primogeniti filio ſecundo licet majori, non æquè, ut ſucceſſio ſtet intra deſcendentes primi imperantis, ſecus ac Grotius. n. 8.-16. Id eſſe proprium ſucceſſioni lineali, cujus a priore differentia exponitur. n. 17-21. In hac etiam filium ex patre nondum rege natum præferri nato poſt regnum acquiſitum. Quid ſi delatum ſit imperium tali & filiis ex eo naſcituris, n. 22-34. Neptem ex filio præferri ex filiâ nepoti, & filiam fratris,

n. 62. *e*) Herile) *At ex noſtrâ doctrinâ cum ſuprà ad caput tertium etiam exiſtentiam herilis imperii deſtruxerimus, & hujus obſervationis curioſitate ſine damno doctrinæ carebimus. Cui enim uſui diſquiſitio de differentia unius entis rationis ab altero, chimæræ ab hippocentauro?*

tris ſororis, filio; niſi feminis excluſis: quo cauto, natos etiam ex feminis cenſeri excluſos. n.35-46. Liberos illegitimos nec non adoptivos ab hoc loco eſſe alienos. n. 47. 48. Ceſſare hic teſtamenti factionem, proinde & exheredationis effectum, quin & abdicationis, quia non pendet hoc jus ſuccedendi à facto ultimi poſſeſſoris, ſed a lege primæva. n.49.50.51. Ortâ de ſucceſſore controverſiâ, nullum eſſe judicem, quam ferrum, niſi forte populum per modum interpretationis, n.52-58.

1. FUit hereditaria & arbitraria ſucceſſio, ſequitur *inſtitutiva*, quæ defertur ſecundum voluntatem ac inſtitutum ejus, qui primum imperium fundavit, ſive populus fuerit, ſive major princeps, qui imperium in alium contulit, ut ſunt domini feudalium regnorunt, in quibus ideo ſimplex hereditaria ſucceſſio & teſtamentaria communiter non obtinet *cap. 1. in pr. de ſucceſſ: feud.*

2. Plane quominus voluntaria aut ab alio conſtituta imperia ſit etiam hereditaria, ſi hoc modo conſtituta fuerint *f*) nihil vetat; quia poſſunt etiam eſſe patrimonialia, quibus hereditaria ſucceſſio propria eſt, ut intelleximus.

3. Quid enim vetat, quominus qui in alium confert imperium, id ita transferat, ut accipiens hoc etiam vendere deque eo teſtari poſſit, quemadmodum in feudis aliquando uſu venit: Et, ſi populus ita, imperium ſui in alios conferre velit, poteſt hoc æque facere, quam ſe ipſum in ſervitutem dare poſſe, jam pridem demonſtravimus.

4. Quid autem juris ſit, quando populus imperium ſimpliciter alicui detulit, quod Romæ factum, non expreſſo, electivum, an ſucceſſivum ſit futurum, ſuperius probatum eſt; videri tunc eſſe electivum.

5. Quid ſi delatum ſit alicui jure hereditario, ſive pro *ſe & heredibus g*) imperium?

 Verbis

n.2. *f*) fuerint) *Sed hæc conditio ex mente autoris etiam inter moraliter impoſſibiles aut certe ratione exiſtentiæ difficillimas & vix dabiles referenda eſt, qui in antecedentibus regna patrimonialia, quæ voluit eſſe hereditaria, & voluntaria ſemper ſibi oppoſuit: At de rariſſimè & vix exiſtentibus uti non fiunt leges, ita nec pertinent ad diſciplinam juris, de utilibus ſaltem ſollicitam: Atque adeo in materia morali videndum eſt non, quid ſimpliciter non ſit impoſſibile, ut autor hic & n. ſeq: facit, ſed quid ex naturâ voluntatis humanæ vel frequenter vel nonniſi rariſſimè fieri ſoleat.*

n.5. *g*) & heredibus) *De hâc formulâ id obſervandum 1. quod & illa referenda ſit inter caſus rariſſimè exiſtentes, quod populus regnum transferens præcisè voce* heredum *& non* liberorum, *aut* poſterorum *fuerit uſus, adeoque Autor iterum peccat contra monitum præcedens. 2. dum circa vim & efficaciam hujus formulæ ſubinde in ſequentibus adverſus Grotium diſputat, vel non videtur intellexiſſe mentem Grotii, vel ex incuriâ mutaſſe ſtatum controverſiæ. In* §.14. cap.7. lib.2. de J.B. & P. *ubi Grotius hanc doctrinam tractare incipit, paucis his verbis mentem ſuam exponit.* At ex regna, quæ populi libero conſenſu facta ſunt *hereditaria*, ex præſumta populi voluntate deferuntur. Præſumitur autem populus id voluiſſe, quod maximè expedit *&c. Hic ſanè quilibet videt, Grotium per regnum hereditarium intelligere id quod ſucceſſivum eſt, nec electivum manet, nequaquam vero ipſi veniſſe in mentem, quod formulam ſuppoſuerit in translatione regni adhibitam* pro ſe & heredibus ſuis. *3. Poſito etiam, talem formulam fuiſſe adhibitam, debu-*

Verbis equidem patrimoniale videri poſſet, quia quod alicui pro ſe & heredibus relinquitur in teſtamentis, ejusmodi habetur: ſed ex negotii naturâ & præſumptâ populi voluntate, poteſtas alienandi atque teſtandi de regno voluntario non videtur eſſe delata.

6. Ex eâdem præſumptâ voluntate condentium imperium, eædem fere naſci videntur concluſiones, quas modo ex tacita defunctorum regnantium voluntate collegimus in patrimonialibus. *h*]

7. Primò, *non eſſe dividendam civitatem*, quia populus id ſui ipſius cauſâ multo fortius, quam rex ob amorem populi, pacemque familiæ, voluiſſe videtur. *i*)

8. Secundum hoc, ut alii ne vocentur, quam qui ex juſto ſunt nati matrimonio, tam ratione *præcedenti capite* laudatâ *k*) quam quod extra matrimonium nati, ſanguinis incerti habentur. *l*)

9. Tertium ponit Grotius, *ut ſucceſſio ſtet intra eos, qui deſcendunt à primo rege:* Quod in terminis regni ſimpliciter hereditarii, ſive *pro illo & heredibus ejus*, conſtituto, ut Grotius

iſſet tamen autor cogitare, illam vocem heredum *non ſemper denotare heredes in ſignificatu juris privati, adeoque cum ipſe fateatur* n. 19. *hereditatem regni à privatâ hereditate diverſum quid eſſe, minime ſequi, quod populus regem eligens pro ſe & heredibus ſuis, voluerit præter deſcendentes etiam intelligere collâterales heredes regis, & in eos jus ſuccedendi transferre. Vel enim doctrina feudalis docet, ſub nomine beredum intelligi heredes feudales, ita & hic intelligi deberent heredes, quales eſſe ſolent in regno ſucceſſivo, at tales regulariter & niſi aliud expreſſe diſponatur, ſoli deſcendentes primi acquirentis.*

n. 6. *h*) patrimonialibus] *Hic iterum miror cur autor non Grotii potius, aliàs valde & ſæpè nimis æſtimati veſtigia premat, qui concluſiones has ex voluntate populi, abſtrahendo à voluntate regnantium in regno patrimoniali, deducit, inprimis cum ea, quæ ipſe autor* n. 18. ſq. *docet, innuant, regnum patrimoniale hereditarium & illud quod ex voluntate populi tale eſt, in effectu valde differre. Nos vero cum regna patrimonialia planè non agnoſcamus, eò minus in illis, quæ ſequuntur ad regna patrimonialia reſpicere poterimus.*

n. 7. *i*) videtur) *Quia ſcilicet populus unum regnum ut unum detulit regi, & is tanquam unum regnum acceptavit: &c. Bœcler* ad Grot. II. 7. 14.

n. 8. *k*) laudatâ) cap. præced. n. 54. *quia vel ideò rex non videtur naturalium matrem in uxorem duxiſſe, quod illam liberosque juſto affectu non proſequeretur. Sed quamvis hæc ratio omnino vera ſit, & in eo concubinatus potiſſimum à juſto matrimonio differat, tamen non concludit in præſenti capite, quia in hoc ſucceſſio non pendet à Regis ſed populi voluntate per* n. 18. hic.

l) habeatur) *Sed hic apertè confunduntur liberi naturales & ſpurii.* Grotius II. 7. 16. *aliam rationem addit, quia ad contemptum patent, quorum matrem juſto conjugio pater dignatus non eſt. Sed & hæc ratio petit principium. Nam olim jure Gentium nulla erat nec ratione patris & ſucceſſionis ejus differentia inter legitimos & naturales apud antiquos Græcos, Ægyptios & ipſos Patriarchas, ut hodie apud Muhametanos. Solon naturales primum à ſucceſſione excluſit (Barbeyrac* ad Pufend. IV. 11. 6. not. 3. & §. 9. not. 1.) *unde hauſerunt Romani; nec tamen propterea erant infames, uti nec olim. Quid ergo dicemus? cum tamen certum ſit, Doctores in hâc quæſtione pene eſſe unanimes. Scilicet vera ſaltem ratio eſt inquirenda, & de quibus populis ſit ſermo. Inter Chriſtianos nullum eſt dubium non admitti naturales: Nam ibi naturales æquiparantur ſpuriis, & habentur pro infamibus, aut certè levis notæ maculâ notatis. Cur? quia Clerus ita voluit, inculcans, matrimonium eſſe ſacramentum, & omnes natos ſine benedictione ſacerdotali, habere deberi pro infamibus.*

Digitized by Google

Grotius *ponit, in d. cap. 7. n. 14. & ſeq.* verborum proprietas nullo modo fert; *m*) ut ſcilicet hereditarii appellatio non tantum ad cognatos *n*] ſed etiam ad ſolos deſcendentes reſtringeretur. Idem mox iterum occurret.

10. Sed hoc tuto ponere licet IV. quod *mares feminis in pari jure ſanguinis præferantur*; deficientibus demum viris ſequior ſexus admittatur, ob eandem rationem. *o*)

11. V. Ut *primogenitus* ſolus his qui poſtea ſunt nati, *anteponatur*, propter rationes etiam ſuprà collocatas, in regno patrimoniali. *p*)

12. Quod nepos è *primogenito* natu licet minor, præferendus ſit *filio ſecundo genito* ætate majori, jure repræſentationis; Hanc enim in ſucceſſione conſtituta ut ſimpliciter hereditaria vel ſucceſſiva ſit, habere locum, dubitari non poteſt. *q*)

Nn 13. VI.

n.9. *m*) nullo modo fert) *Hanc objectionem Autoris jam ſuſtulimus* ad n. 5. lit. q.

n) cognatos] *Hoc vult dicere Autor: vocem heredum aliàs quidem in ſucceſſione privatorum denotare non ſolum cognatos (voce latè acceptâ, ut etiam agnàti comprehendantur) defuncti ab inteſtato venientes, ſed etiam heredes teſtamentarios extrà familiam. At in regnis vocem heredum excludere quidem teſtamentarios per dicta* n. 18. *ſed denotare tamen omnes cognatos regis primi, etiam à latere venientes, adeoque non reſtringendam eſſe ad ſolos deſcendentes. Sed jam rejecimus cum rationibus illam opinionem.*

n.10. *o*) rationem) *Sed quæſo ob quam. Nam in præcedentibus numeris nulla invenitur, quæ huc poſſit applicari. In* cap. præced. n. 38. *illa affertur: quod mares valore ſexus & judicii maturitate videantur aptiores, ad ſuſtinendum grave cuncta regendi onus, quæ ferè coincidit cum verbis Grotii* II. 7. 17. *quod mares tam ad bella, quàm alias imperii partes magis idonei fœminis eſſe cenſeantur. Sed, niſi me omnia fallunt iſtæ rationes non probant quod probare debent. Neque enim probant, fœminas poſtponendas eſſe maribus, ſed potius fœminas planè excludi à ſucceſſione, niſi aliud expreſſè dictum vel moribus receptum fuerit. Nec obſtat, quod tamen regnum ut ſucceſſivum delatum ſit regi pro ſe & deſcendentibus aut heredibus ſuis inter quos ſint etiam fœminæ. Reſpondeo enim iterum, verba intelligenda eſſe ſecundum ſubſtratam materiam. At hic de regnis agitur, ad quod regulariter non aptæ ſunt fœminæ per tradita ab Autore* cap. 2. n. 32. *Igitur in regnis, niſi aliud expreſſe dictum ſit, res eodem modo ſe habere videtur, uti in feudis, ubi fœmina excluduntur etiamſi feudum datum ſit vaſallo & ejus heredibus aut deſcendentibus. Adde quod jam ſuprà* ad cap. 6. n. 16. lit. d. *oſtenſum fuerit, fœminas jure gentium etiam excluſas fuiſſe à ſucceſſionibus privatorum.*

n.11. *p*) patrimoniali) *ſc. ſuprà* c. præced. n. 38. *quod primogeniti aptiores eſſe cenſeantur, aut citius futuri ſperentur præ ſecundogenitis, quæ eadem eſt ratio Grotii* d. c. 7. §. 18. *Ego mallem rationem deducere ex* n. 7. *Populus voluit regnum eſſe individuum & tamen ſucceſſivum, ita ut, quamdiu aliqui ex deſcentibus primi regis adſint, ceſſet omnes electio. Jam ſi defunctus relinquat plures uno filios, & ex ſecundogenitis unus velit excludere primogenitum, vel id faceret jure occupationis, quæ hic locum non habet, cum regnum ſucceſſivum non ſit res nullius, vel ob prætextum, quod ſit aptior primogenito. Sed hoc probandum foret, & judices eligendi. Sed quinam? An extranei, hoc turbaret quietem reipublicæ. An populus? Ita res deveniret in caſum regni electivi &c.*

n.12. *q*) non poteſt] *Hic noto* 1. *quod jam ſuprà dictum fuerit* ad n. 6. lit. h. *à ſucceſſione in regno quod fingitur patrimoniale, ad ſucceſſionem in regnis voluntariis non valere conſequentiam.* 2. *Videtur quidem autor reſpicere hoc loco ad ea quæ de regno patrimoniali*

Digitized by Google

13. VI. quod ordo *ſucceſſionis aliquandò tranſire poteſt ad eos, qui non ſint de ſanguine primi imperantis*, uti ſæpe contingit, poſteros alicujus habere cognatos heredes, ab illo alienos.

14. Aliter Grotius, qui in regnis ex voluntate hereditariis ſtatuit, præſumendum eſſe, quod conſtituentes voluerint, ut ſucceſſio ſtet intra eos, ,qui à primo rege deſcendunt, eo quod hæc ob nobilitatem electa cenſeatur, quâ finitâ, regnum redire debeat ad populum *d. lib. 2. cap. 7. n. 15.*

15. Sed hæc præſumptio infirmior eſt, quam ut jus hereditarium, quod habent proximi heredes cujusque regnantis, ſuperare queat. *r*) Nam qui regem ita conſtituit, ut ſucceſſionem hereditario jure deferat, ſi maxime teſtamentarios heredes excluſiſſe videatur, alios tamen conſanguineos, peremptorie vocaſſe non poteſt negari, quod & in feudis obtinet. *s*)

16. Quippe reſtrictio, ut heredum appellatio, primo ad conſanguineos, dein etiam ad deſcendentes, ſine ulla horum ſpeciali mentione, reſtringatur, id profecto eſt vim verbis inferre manifeſtam.

17. Cæterum, illa Grotii poſitio videtur eſſe propria ſucceſſioni, quam *linealem* vocant, ſecundum quam non proximi regis quà tales, ſed qua lege deſignati & diſpoſiti ſunt, vocantur.

18. VII. Huic hereditariæ & inſtitutivæ ſucceſſioni proprium, in quo diſcrepat à patrimoniali, ſit, quod exheredatio in eo fieri non poteſt, quia non proficiſcitur, neque pendet à regis ſed à populi voluntate, nec adeo teſtamenti ſuper regno faciendi jus, unde facultas exheredandi pendet, tribuit.

19. Denique, & hoc eſt peculiare, quod etſi regnum hoc ſit *hereditas*, tamen à privata hereditate diverſum ſit; ideoque licet illa non adeatur, regnum tamen ab herede acquiri poſſit; quemadmodum in bonis feudalibus, emphyteuticis & fideicommiſſariis uſu venit, ut etiam docet Grotius *d. cap. 7. n. 19.*

20. Poſitiones præcedentes etiam omnes locum habent in illâ ſucceſſione, quam *linealem* vocari diximus, quæ à lege, ſecundum certam ſuccedentium *lineam* ordinatur; excepto, quod diximus, ſucceſſionem hereditariam ad tales etiam heredes pervenire, qui non ſunt orti ab imperante primo, cum linealis ad ſolos ab ipſo deſcendentes pertineat.

21. Præcipuum, quo hæc ſpecies à priori differt, eſt igitur, quod ſimplex hereditaria ſucceſſio ordinem ſuum accipit ab ultimo imperante neque ſucceſſor quicquam juris habeat, niſi per hujus mortem *t*] ſed in lineali, quanquam lex effectum ſuccedendi, nonniſi vacuo regno, cuilibet proximo tribuit,

---

diſputaverat cap. præced. n. 44. ſeq. *ubi diſputat contra ſelpſum. Nam in priore editione* lib. 1. cap. 34. n. 38. ſeq. *defenderat, in regno patrimoniali fratres ſecundogenitos eſſe præferendos nepotibus è primogenito minoribus. Unde vides & hic ſubeſſe multa dubia. Quicquid ſit de regnis patrimonialibus, in regnis ſanè voluntariis pro contrariâ ſententia militat ratio, quod populus ſeniores ætate prætuliſſe cenſeatur tanquam aptiores ad imperium, niſi aliud fuerit determinatum.*

n. 15. *r*) queat) *Sed ad hæc omnia jam fuit reſponſum* lit. g. ad n. 5. *&* lit. m. ad n. 9.

s) obtinet) *Imo contrarium obtinet in feudis ubi fratres primi acquirentis non ſuccedunt, niſi aliter fuerit conventum. Autor* infrà lib. 2. Sect. 5. cap. 3. n. 9. 10.

n. 21. *t*) mortem) *Sed cum non & de hâc hereditaria ex voluntate populi delatâ, idem dici poſſet, quod mox de lineali ait autor, quod & in illa lex* (*ſc. illa* n. 6.) *effectum ſuccedendi quidem ſuſpenderit, jus tamen potentiale etiam prius & etiam remot.oribus ſucceſſoribus addicat.*

Digitized by Google

buit, jus tamen *potentiale*, quod Grotius vocat, etiam prius, etiam remotioribus addicit ſucceſſoribus.

22. Hinc quæri poteſt, non modo de lineali, ſed de quavis hereditaria ſucceſſione; An etiam filius ante regnum quæſitum patri natus habeat ſuccedendi jus, quemadmodum de patrimoniali *u*) ſucceſſione diximus. Ratio dubitandi, quod in ſucceſſione patrimoniali, ſola patris voluntas ſpectatur, quæ non eſt minor erga filium antea, quam poſtea natum: Verum in regnis, ubi legis diſpoſitio regit ſucceſſiones, poteſt dici, quod jus ſucceſſionis nequeat incipere, niſi poſitis ſuccedendi terminis habilibus, qui non ſunt in filio ante tempus regni à patre quæſiti nato.

23. Hanc rationem ſuggeſſit Demaratus exſul rex Spartanus Xerxi *apud Herodot.* ejusmodi cum fratre Artabazane litem agitanti; quæ & apud Lacedæmonios vim juris habuit, plenæque ſunt hoc genere exemplorum hiſtoriæ.

24. Verum illa ratio non eſt idonea ad hanc diverſitatem inferendam. Nam ſi tunc, ubi ſucceſſio primum conſtituitur, jam natus ſit filius, ut accidit in imperiis recens acquiſitis, clarum eſt, eum maxime deſignari per filium, qui fuit in conſpectu.

25. Niſi forte dictum fuerit, imperium dari *Tali & filius ex eo naſcituris*, quo argumento nixum fuiſſe *Ludovicum* Sforzam adverſus *Galeatium* fratrem, in controverſia ducatus Mediolanenſis, refert Grotius *d.c.7.n.29.* quod pro exemplo bonum eſt, pro hiſtoria non æquè. Nam Ludovicus Galeatio & ejus filio ſe prætulit eo, quod ipſe haberet inveſtituram à Maximiliano Cæſare, quam pater & frater & fratris filius omnino neglexiſſent; addito, quod ipſe natus eſſet patri jam duci, Galeatius antea, quæ ratio fuit utraque in literis inveſtituræ Cæſareæ, ut auctor eſt Guicardin. *Lib. 1. de bell Ital.* qui de *Naſcituris* nihil.

26. Quod ſi de filiis, longiori à lege lata tempore natis, antequam ordo ſucceſſionis ad parentes eorum pertigiſſet, quæratur, *w*) pro his adhuc evidentior eſt ratio; quia talis filius ante regnum patri actu delatum, jus illud potentiale, quod in lineali ſucceſſione verſatur, acquiſiverat, ante filium, qui poſt regnum à patre acquiſitum natus eſt, cui idcirco anteferendus eſt.

27. Sicut in patrimoniali & hereditario idem fit jure repræſentationis, ut demonſtratum eſt, quod non habet locum præciſè, quo tempore liberi naſcuntur, ſed omni tempore vitæ: Nec enim minus fuit filius is qui adoleverat, cum pater rex fieret, quam *πορφυρογεννητὸς, in purpura natus* & regius infans.

28. Denique & in lineali ſucceſſione minus eſt dubii *x*) quin nepos è primogenito, licet ætate filio ſecundo minor, huic tamen præferatur; Quoniam filius primogenitus, patre vivo mortuus, jus quo tum ſpem habebat præcipuam, quodque jus *potentiale* diximus, ad ſuam prolem tranſmiſit. *y*)

n.22. *u*) patrimoniali] *Adhuc ſemel id dixiſſe ſufficiat: quæ de patrimoniali hic & in poſterum immiſcentur ſecundum noſtram hypotheſin ſeponenda eſſe per ſæpius dicta.*

n.26. *w*) quæratur) *v.g. de primi acquirentis nepote primogenito nato, antequam primogenitus patri ſuccederet. Sed hic caſus non eſt in quæſtione. Vide Grotium* d.c.7. n.28.29.

n.28. *x*) dubii) *Scilicet quam in ſimpliciter hereditariâ, de quâ tamen dixerat* n. 12. *quod nec in eâ de hâc deciſione dubitari poſſit. Unde robur accipiunt notata à nobis ad dictum* n.12. lit. q.

y) tranſmiſit) *Potius, quod ubi ſucceſſio linealis recepta eſt, vel expreſſa lege dictum ſit, vel conſuetudine ita introductum. Unde etiam nomen ſucceſſionis linealis ortum habet.*

29. Sed an non obſtat heic, ratio minoris aptitudinis ad regnandum, ex impari ætate, & an non hæc, reſpectu populi, validior eſt quam in Rege, qui jus patrimoniale transfert in poſteros ſuos?

30. Non videtur, quia vis expreſſæ ſanctionis validior eſt, quam illa præſumptio eſſe queat; *z*) Lex vocat filium primogenti ſine diſcrimine, cujus ætatis ſit; quia ſemel ſucceſſionem in univerſum ſtabilire volens, ob exquiſitos caſus, nullam varietatem recipere potuit.

31. Tunc enim ſucceſſorum ordinationem expreſſæ tacitæque ultimorum imperantium voluntati committere debuiſſet; quod ne fieret, ſucceſſionis ordinem definivit.

32. Unde, nec primogenitum, etſi longe ad res gerendas ineptiorem, modo non furioſum aut mente captum, ordo legis prætervehitur.

33. Hæc in lineali ſucceſſione nullam habere difficultatem, fatetur Grotius; In hereditariis, ſeu patrimonialibus ſive inſtitutivis, modo individua ſint, ita exiſtimat, *repræſentationem* nihil *facere quam æquationem gradus*; Ideoque majorem natu, ſive is nepos è primogenito, ſive, quod plerumque uſu venit, ſit filius ſecundogenitus, eſſe præferendum; quod cur nobis minus ſedeat, in fine cap. præced. *a*) oſtendimus.

34. Secundum hæc, fratris majoris filius vel filia, ſecundo genitum fratrem antecedet. imo & nepos vel neptis illius, adeoque in infinitum hoc valebit, *b*)

35. *Neptis* quoque *ex filio* præferenda erit nepoti ex filia, quia filius filiæ prælatus fuiſſet, ſuamque ſpem ad prolem ſuam transmiſit; *c*) filia, quæ nihil habuit nihil ſuo gnato tradere potuit.

36. Lex quidem mares etiam præfert, & prætulit in hoc caſu filium filiæ; ſed jure in filium ſtabilito, inter illius liberos, ſi utriusque ſexus extent, idem diſcrimen ſervat; ſi verò filias tantum reliquerit, hæ jus à patre transmiſſum retinent; Nepos ex filia nihil habere poteſt, quia mater ejus nihil juris habuit, & lex non poteſt retrò operari per ſaltum, ut relictâ nepte ex filio, recurrat ad nepotem ex filia; Ideoque feminis tantum repertis, in his ſubſiſtit, nec retrò currere poteſt.

37. Eadem ratione, filia fratris potiori jure, quam filius ſororis utetur, ac ita in cæteris.

38. Ultro autem intelligitur, hujusmodi ſucceſſionem, in iis obtinere populis, ubi feminæ non penitus excluduntur, ſed ubi maribus duntaxat poſtbabentur, ut in plerisque Chriſtianorum regnis uſus & juris eſt.

39. Quo caſu etiam, ubi lex viros produxit ad ſolium, ſi poſtea pares gradu deficiant, retrocedit ad feminas, potius quam ad agnatos diverſæ lineæ pergat.

40. Id enim extra controverſiam collocamus, nihil obſtare, *quominus feminæ ad imperia populorum*, ſalvâ juris gentium ratione, poſitis cauſis habilibus, *extolli poſſint*, quâ de re diximus in *cap. 2. hujus ſect. in fin.*

41. Utrum rectius prudentiusque penitus excludantur, quam in ſubſidium, deficientibus ma-

n.30. *z*) queat) *ſc. illa præſumtio de majore aptitudine. Ergo ubi talis lex expreſſa non eſt, ſed ſucceſſio fit ſaltem ex præſumta voluntate populi, ibi etiam aliter decidendum erit, ut de ſimpliciter hereditaria fecimus contrà autorem* d. lit. q.

n.33. *a*) cap. præced.] ſc. n.44. ſeq. *Sed ad ea jam reſpondimus* d. lit. q.

n.34. *b*) valebit) *ſcil. in lineali concedimus, in ſimpliciter hereditariâ negamus.*

n.35. *c*) transmiſit) *Potius quia lex ſucceſſionis hoc dicit. Hâc deficiente dubium, annon utraque perſona excludatur per ea quæ notavimus ad* n. 10. lit. o, *aut ſi conſtet, fæminas poſt mares admitti, æquè dubium eſt, annon potius filius filiæ præferendus ſit, & res in utramque partem diſputari poteſt. Eadem notanda ſunt de quæſtione* n.37.

Digitized by Google

bus maſculis, vocentur, politicorum diſputatio eſt, de quâ rationes & exempla in utramque partem hiſtoria ſuppeditat.

42. Nec de nihilo obſervatum fuit, nullas gentes plus à feminis *d*) eſſe perpeſſas, quam quæ maxime gloriantur, eas penitus ab ſe à ſucceſsione regnorum, excluſas eſſe, quod nominatim de Gallis animadverſum eſt.

43. Porro, ubi omnino excluduntur, quæ *ſucceſſio linealis agnatica* vocatur, ibi non modo cognati remotiores illas præcedunt, ſed ne feminæ quidem, deficiente omni ſanguinis linea, admittuntur, *expreſſâ prohibitione omnem tacitæ voluntatis excludente præſumptionem.*

44. Quod ipſum in maribus ortis è feminis haud dubie ſtatuendum, quia ſucceſsio eſt ordo continuus, qui per ſaltum ferri nequit, obſtante regula, *ubi excludens te excluditur, multo magis tu excluderis.*

45. Atque is ordo lege ſtabilitus, quo jus potentiale certæ lineæ quæſitum eſt, ne quidem à populo toto, vel proceribus immutari poteſt; cum ille ſuum jus etiam in futurum alienaverit, ne quidem ſi ultimus *e*) rex ſuum adhibeat conſenſum: quia diſpoſitio ipſius neque viventis neque mortis cauſa, in talibus imperiis quicquam mutare poteſt, ut ſæpe demonſtratum eſt. Exempla quæ in diverſum non deſunt, facti non juris eſſe, vis veritatis imperat, ut ſtatuamus. vid. quæ dix. *Hiſt. Civ tom. 2. l. 1. ſect. 1. c. 5. n. 3.*

46. Sed diſcrimen hereditariæ & linealis in regno voluntario ſucceſsionis plerumque ex uſu & interpretatione populorum ſuperveniente magis colligitur, quam ut lege certa ab initio declaretur, ut in Franciæ regno manifeſtum eſt, quippe ibi lex ſalica quæ dicitur; nudum fere nomen eſt, cum de ea nihil conſtet, quam quod ſalii olim Franci juncti ſolos mares ad hereditates privatas vocaverint. In regno an obtinuerit, non fuit deciſum ante mortem Ludovici Huttini, anno Chr. 1316. & an linealis eſſet, paucis annis poſtea. *Dix. in hiſt. Civ. tom. 1. ad d. ann cap. 5.*

47. Jam de naturalibus ſpuriiſque liberis nemo dubitat, quin æque ab inſtitutiva quam ab hereditaria ſucceſsione penitus arceantur, *f*) alimentorum quæſtio à jure publico aliena eſt.

48. Adoptivos in patrimonialibus ſolâ defuncti regis voluntate ſat ipſo actu declaratâ vocari diximus, quæ cum in voluntariis regnis ceſſet, nullum in his locum dari adoptatis manifeſtum eſt.

49. Jam non eſt quod moneatur, regibus in hujusmodi imperiis non eſſe jus faciendi teſtamenti, quo ſucceſsionis ordo mutetur, ut jam expoſitum eſt ac ultro liquet;

50. Proinde exheredationem, nec ob ingratitudinem licet atrociſsimam, fieri poſſe cum effectu, tam in hereditariâ quam in lineali ſucceſsione. uti jam diximus. Nec abdicatio principis cum præjudicio poſteritatis *g*] fieri poteſt in lineali, quoniam jus ei *Lege* quæſitum, non ab regnante profectum eſt.

51. Sed in hereditariâ ſimplici, regno tamen voluntario, quia jus heredis à defuncto in proximum venire debet, *h*] qui tempore mortis nihil habuit, is nec in heredem

n.42. *d*) feminis) *ſcilicet à matre & aviâ regis moderni, item à Catharina Medicea &c.*

n.45. *e*) ultimus) *id eſt qui ex præcedentibus ultimò regnavit & cauſam quæſtioni dedit, non qui ultimus omnium eſt intuitu ſucceſſionis totius linealis. Nam de hoc caſu nullum foret dubium. Simili locutione autor ſuprà fuit uſus* c. 5. n. 31.

n.47. *f*) arceantur) *Sed vide notata* ad n. 8.

n.50. *g*) poſteritatis) *Huic reſpexit autor ſuprà* c. 5. n.31. *Hæc vero vox* poſteritatis *docet, quod autor illo loco voce* ultimi *impropriè ſit uſus.*

n.51. *h*) debet) *Sed negavimus hanc differentiam & differentiæ rationem ſuprà* ad n.21. lit. e.

dem quicquam transmittere poteſt. Idem de derelictione judicandum.

52. Cæterum, controverſia de ſucceſſione ortâ, non poteſt alius eſſe judex quam ferrum, *i)* utique cum decidendi poteſtate, quæ ſuccumbentem obliget ad parendum.

53. Populus enim, quandiu ſtirps familiæ regnatricis ſupereſt, omni jurisdictione manet exutus; Neque ſuperſtes princeps ultra vitæ ſuæ terminos, quicquam de imperio diſponere poteſt.

54. Quanquam ſi compromittere velint, nullum

n. 52. *i)* ferrum) *Propoſitio hæc non ſolum ad controverſiam hanc de ſucceſſione pertinet, ſed & ad omnes controverſias, quæ de imperio oriuntur, etiam inter regem & populum, quia ſcilicet regem etiam & populum nulla tenet juris civilis communio, cum rex ſit ſuprà jus civile. At qui non habent judicem ſuprà ſe, illi, ſi non ſponte arbitrio ſe ſubjiciant, aliter controverſiam dirimere nequeunt, niſi per derelictionem juris ab unâ parte, aut bellum & inde ſubſecutam pacem. Sed de hoc quidem non eſt dubium. Id magis hic attendendum quod controverſiæ ſint duplicis generis, vel verè & propriè dictæ, ſi ſcilicet in ipſa doctrina juris dubia ſit & anceps deciſio, ac rationes in utramque partem inclinantes, vel abuſivè tales, dum quis alteri ex merâ calumniâ, aut rationibus evidenter frivolis controverſiam movet, & de injuriâ conqueritur, quod veteres in fabulâ de lupo & agno delinearunt. In poſteriore ſenſu exempla bellorum etſi non rara ſint, non ſunt tamen ita frequentia, uti in controverſiis ſignificatus primi. Nam potentes etiam ſubinde retinet pudor & laudis, ac juſtitiæ vel benignitatis cupiditas, ac regulariter quilibet bellum gerens in publicis manifeſtis cauſas juſtificas belligerandi ſe habere aliis perſuadere intendit. Ubi vero dubium eſt jus ac valdè controverſum, ac uterque bonâ fide perſuaſus eſt de juſtitiâ cauſæ, ibi cauſa illa reprimentes potentiam operari nequeunt, quinimò fiducia cauſæ & perſuaſio juſtitiæ, etiam parum potentes animare ſolet ad jus iſtud perſequendum. Atque hinc tot lites & tot bella perpetuò fuerunt de ſucceſſione in regnis ſucceſſivis. Nulla enim propè quæſtio hic eſt, quæ non veroſimiliter in utramque partem diſputari poſſit, partim propter dubietatem præſumptionum de populi voluntate, partim propter falſas hypotheſes Dd. quæ tamen in doctrinâ juris naturalis hactenus per aliquot ſecula regnarunt in ſcholis. Ita, quod ſucceſſionem ab inteſtato attinet, oſtendunt notata noſtra ad hoc caput, in omnibus quæſtionibus ibi factis vix ullam juſtis carere dubiis, niſi fortè duas iſtas propoſitiones exceperis, quod regnum non debeat dividi, & adeò major natu ex fratribus reliquis præferri. Ad errores communes doctorum refero totam doctrinam de regno patrimoniali, & valore teſtamentorum in ſucceſſionibus regiis &c. Quæ omnia docent, principes in quæſtionibus ejusmodi magis de acquirendâ poſſeſſione & conſervanda per milites debere eſſe ſollicitos, quam de conſiliis & reſponſis JCtorum: JCtos vero non difficulter poſſe rationes invenire pro quâcunque reſponſione ad quæſtiones propoſitas, cum rationes in utramque partem ferè non deſint, non quidem magni ponderis, ſed tamen nequaquam exemplis & autoritatibus deſtituta. Modo enim alii quæſtionis ejusmodi definire voluerunt ex jure Juſtinianeo, modo ex moribus aut jure recepto illius populi in hereditatibus privatis, de cujus ſucceſſione agitur, modo ex exemplis præcedentibus ſucceſſionis in eodem regno, effectu non carentibus; modo ex exemplis regnorum vicinorum, modo ex æquitate cerebrina aut cerea & facile flexili. Quæ omnia non magni ſunt momenti, ſi princeps cujus cauſa agitur careat potentia, at ſi hâc polleat, plene ſunt libri JCtorum ejusmodi locis communibus unde defenſor cujuscunque cauſæ plurima argumenta colligere poterit, per potentiam principis, cujus cauſa agitur multum roboris acceptura. Varias variorum populorum le-*

nullum rectius arbitrum, quam regem vivum, eove mortuo, populum vel primores eligere poſſunt.

55. In imperiis, ordine ſucceſſivo non bene ſtabilitis expedit & ſolet fieri, ut Reges filios ſuos vivi curent vel ſucceſſores declarari, vel etiam pro regibus agnoſci atque inaugurari.

56. Succeſſores declarantur vel ſimpliciter, vel cum titulo ſummæ poteſtati proximo, quomodo Cæſares in imperio veteri Romano ſub Antoninis & poſtea, diſtincti ab Auguſtis, in hodierno imperio reges Romanorum declarantur.

57. Quando reges fiunt vivis patribus, tum vel imperii *collegæ* adſciſcuntur, ut Severus Antoninum filium per modum condominatus; auctoritate diſpari, poteſtate pari; vel pater ſe jure imperii abdicat, ut filius eo ſolus potiatur, quod factum à Ptolomæo Lagi in Philadelphum filium, cui pater in ipſo actu inaugurationis apparuit, *officium regi filio inter ſatellites exhibens* ut Juſtinus *lib. 16. c. 2.*

58. Si quis tamen dicat, populum non quidem per modum juriſdictionis, ſed interpretationis in cauſâ dubiâ litem decidere poſſe k] quoniam jus αὐθεντικὸν legis conditæ ab illo profectum eſt, non admodum refragemur.

CAP. VIII.
DE TUTELIS REGIIS.

Tutores Regii an habeant ſummam poteſtatem. n. 1. 2. Quotuplex ſit hæc tutela, & quis eam ſtatuere poſſit. Legis diſpoſitionem per teſtamentum heic non poſſe mutari. n. 3-10. Quando tutela finiatur, & an detur cura regia, n. 12-16. ubi & de jure devolutionis obiter. n. 17.-21.

1. Porro, ſi principem, cui ſucceſſio debetur, infantem aut furioſum eſſe contingat, palam eſt, TUTOREM ei eſſe dandum, vel curatorem, qui & protector & Regens *alicubi* appellatur, cujus rei tractatus ad hunc locum pertinet.

2. Ille tutor, l) regens aut protector cum habeat facultatem juris, cujus acta nemo infirmare queat, *ſummam* quoque *poteſtatem habere dicendus* eſt, ſed exercitio tantum, proprietate penes pupillum manente.

3. Deferre tutelam nemo alius, quam is, cujus

ges circa ſucceſſionem collegit magnâ diligentiâ, ſed non æquali judicio Goldaſtus de ſenioratu. Conf. Grotium & commentatores d. c. 7. lib. 2. *qui ſæpius inculcant, quæſtiones has non definiri poſſe ex jure naturæ præcipiente ſed conſulente & ſuadente &c.*

n. 58. k) poſſe) *Si ſcil. res à partibus ad ipſum deferatur.* Conf. Grot. d. cap. 7. n 27. *Nam interpretatio authentica vim legis habens præſupponit in interprete imperium in eos, in quorum gratiam fit interpretatio, quod hic populus non habet in prætendentes.*

n. 2. l) tutor) *Quæ modo* lit. i. *notavimus de controverſiis pleriſque circa ſucceſſiones regnorum, quod ſint juris valde dubii & incerti, eadem repetenda ſunt in præſenti capite de tutelis regiis. Unde nulla ferè quæſtio eſt, quam hic tractat autor, quæ non poſſit facile in utramque partem diſputari, quod maximè patebit, ſi jungas cum hoc capite autoris diſſertationes duas JCtorum excellentium, Dn. Cocceji* de tutela illuſtrium habitam anno

cujus primævum jus fuit imperandi, poteſt. Quippe, cum præſens rex nullum habeat animi judicium, nec defunctus habuerit poteſtatem faciendi quicquam in tempus poſt mortem ſuam.

4. Ergo cum tutelæ privatæ ſint teſtamentariæ, legitimæ & dativæ, *m*] priorem ſpeciem in regnis, populorum voluntate conſtitutis, ſecundum ea quæ ſæpe dicta ſunt, non poſſe locum habere palàm eſt; quia teſtamenti factionem in hujusmodi regnis omnino ceſſare conſtat.

5. Loquimur de non patrimonialibus: nam in regnis, quæ jure patrimonii habentur, non eſt dubium, *n*) quin rex moriturus tutorem conſtituere, vel ejus diſpoſitione ceſſante, propinqui aliquem eligere poſſint.

6. Si qua in regnis voluntariis exempla tutoris à patre dari extent, ea commendationis tantum habuere vim, quo modo & de ſucceſſione ipſâ multi reges teſtati leguntur, at *ſæpius abſque effectu*. Exemplum notabile dedimus in *Hiſt. civ. ad ann. Chr. 1642. cap. 3. & 4.* de tutelari diſpoſitione Ludovici XIII. Galliarum regis, quæ in magno ſenatu Pariſienſi irrita facta eſt, aliaque paſſim extant.

7. Voluntas populi aut per legem fundamentalem, aut hac deficiente, per expreſſam declarationem *o*) ſignificatur.

8. Per quam poteſt fieri, ut non unus, ſed plures conſtituantur tutores, qui per modum univerſitatis ariſtocraticum, teneant jus ſummum; uno licet præſide ſtatuto, cui nomen tutoris aut *Protectoris* vel ſimile detur.

9. Cujusmodi tutelæ adminiſtratio in Angliâ, commendante *Henrico* VIII. ſuper *Eduardum* puerum, conſtituta fuit; ubi conſentaneum erat, eum cui nomen tutoris dabatur; qui & capite multatus eſt, non habuiſſe poteſtatem ſummam. *Baker. in* Edu. VI. 10. Cau-

---

1693. & *Dn. Hertii* de tutela regia habitam 1682. Tom. I. diſſert. p. 461. ſq. *Neque id mirum eſſe debet, cum tutela, quanta quanta eſt, ſit juris civilis, & in regnis pupilli jus ſuccedendi non habeant niſi ex voluntate populi. Igitur, ſi populus per leges fundamentales quid definiverit de tutelâ regni, iis ſtandum erit. Sin id non fecerit, tam oriuntur controverſiæ nonniſi ferro determinandæ.*

n. 4. *m*) & dativæ) *Nulla ex his in regnis caret dubiis. Teſtamentariæ obſtat, quod rex de regno non habeat teſtamenti factionem, & quod poſt mortem patris ſucceſſor pupillus habeat ſummam poteſtatem, quam non haberet, ſi pater mortuus ipſi legem dicere poſſet. Legitimæ obſtat periculum, in quo conſtitutus eſt pupillus, ſi illi tutelam gerant, qui habent ſpem ſuccedendi. Et quamvis in matre videantur ceſſare illæ rationes, mater tamen ob incapacitatem regnandi naturalem jus firmum tutelam prætendendi non habet. Dativam quod concernit, et opponent agnati, quod populus in regno ſucceſſivo nullam habeat poteſtatem legem novam condendi, quamdiu jus ſuccedendi locum habet. Et ita quorſum te vertas, vides fomites bellorum, niſi una & altera pars prætendentium ſponte jure ſuo cedant. Unde quorſum te vertas ſuppeditabunt hiſtoriæ exempla tibi faventia, & adverſantia, quæ magnâ curâ ac diligentiâ congeſſerunt prælaudati Duumviri.*

n. 5. *n*) dubium) *Nobis vero valde dubium eſt, quia ipſa regna patrimonialia toties negavimus. Et in ſpecie quod tutelam attinet, diſtinctionem illam Grotianam inter regna patrimonialia & non patrimonialia fundamento deſtitui oſtendit illuſtris* Coccejus d. l. ſect. 2. §. 4. *ubi exempla Grotiana pro hâc diſtinctione adducta eleganter adverſus ipſum aliis exemplis eorundem populorum retorquet.*

n. 7. *o*) declarationem] *ſi modo agnati id concedant per dicta* lit. m.

Digitized by Google

10. Cauſas tutelæ diximus eſſe ætatem puerilem & dementiam, cum qua leges merito comparant prodigentiam ſive inſaniam morum, qua præditi, licet mentis compotes videantur, furioſum tamen exitum faciunt; qua ratione vel prætextu *p)* nuper uſos vidimus Luſitanos in amovendo rege ſuo.

11. Tutela pubertate finitur: Inde olim adoleſcentes in ſuam tutelam venire dicebantur, nec curatores accipiebant, niſi cauſâ cognitâ, propter furorem, vel amentiam. A Marci philoſophi tempore adoleſcentes non redditis cauſis, ſub curatoribus eſſe cœperunt usque ad ætatem XXV. annorum, quo poſteri demum compleri virilem vigorem arbitrati ſunt.

12. In regnis frequenter reditum eſt ad veterem morem, ut poſt pubertatem adoleſcentes in ſuam tutelam venire cenſeantur; Et quidem ut annus inchoatus pro completo habeatur, quomodo in Gallia & alibi frequenter obſervatur, ut anno XIII. decurſo, reges majores declarentur. Alibi, ut in Germaniâ, placuit annorum ætas XVIII, ut cuique populo viſum fuit. *q)*

13 Ratio, quur minoris ætatis cura non ubique recepta ſit æqualiter, etſi major ad regimen publicum maturitas & prudentia requiratur, eſt politica, quæ ut ſæpe fit, juridicum parit effectum; ſcilicet, periculum *r)* è longiori regimine tutelari pro ipſis adoleſcentibus; neque minus ad evitandum turbas, quæ frequenter adverſus alienæ poteſtatis exercitium moventur.

14. Ex his omnibus abunde liquet, jura privata, quæ cuique patrifamilias jus libere diſponendi ſuper pecuniâ tutelave rei ſuæ largiuntur, *l. 120. ff. d. V. S.* ad jus publicum civitatis non eſſe producenda. *s)*

15. Proinde nec tutelæ electorales ex aureo diplomate, quo fratres defunctorum vocantur; ultima voluntate mutari poſſe videntur *t)* quâ de re *dix. part. 1. lib. 3. Digreſſ. cap. 5.* & in notis ad *lib. 1. Hiſt. Civ. tom. 1. c. 2. verb. Tutel.*

n.10. *p)* prætextu) *ſed at ſatis hæc vox, autorem parum fiduciæ ponere in aſſertione ſua. Et quis hanc poteſtatem ſibi vindicabit, ut regem declaret prodigum & ei bonis interdicat? Exemplum Luſitanorum nil probat, quia id plurima continet, quæ facti magis ſunt, quàm juris.*

n.12. *q)* viſum fuit) *ſed non deſunt exempla ubi tutela retenta fuit usque ad annum 24. vide Dn. Coccej.* d. ſect. 2. §. ult.

n.13. *r)* periculum) *Vides adeo, & in quæſtione vulgatâ de præſtantia imperii electivi & ſucceſſivi utrobique eſſe incommoda, ut pro neutro ſententiam abſolutè pronunciare poſſis. Regnorum electivorum incommoda ſunt interregna & factiones populi in eligendo novo rege, unde facilè poſſunt oriri turbæ inteſtinæ. Regna ſucceſſiva laborant incommodis controverſiarum de ipſo jure ſuccedendi, de tutelis regiis, & periculi, quod facile ſentire poſſunt ſucceſſores pupilli ex ipsâ tutela.*

n.14. *s)* producenda) *Rectè. Ergo & infrà ſuo loco inde deducemus, teſtamentifactionem non eſſe juris Gentium.*

n.15. *t)* videatur] *Habes hic exemplum controverſiæ de tutelâ quaſi regiâ valde diſputatæ in utramque partem, etiamſi lex publica diſpoſuerit de eâ. Cæterum quia respublica Germanica eſt resp. valde irregularis, & ubi inter principes Germaniæ reliquos nihil frequentius eſt tutela teſtamentariâ, non commodè poterit illa controverſia primariò ex principiis communibus, monarchias regulares reſpicientibus definiri. Aliàs ſi ſecundum regulas bonæ interpretationis res definienda foret, valde ſe commendabit ſententia, quamvis nova, Illuſtris Cocceji, diſtinguentis inter tutelam officii Electoralis & perſonæ terrarumq; pupilli,* d. diſſert. ſect. 3. n. 7. ſeq. & *in* juris publ. prudent. c. 29.

Tutel. & omne jus reg.

16. Aliter olim diſputarunt Marquardus Freherus & Dionyſ. Gothofredus pro teſtamento Friderici IV. Electoris Palatini, qui excluſo Philippo VVilhelmo Neoburgico, ad quem ex imperii *Lege* pertinebat Tutela, vocaverat Johannem Bipontinum; Reformati libenter adſentiti ſunt Frehero & Gotofredo, quos inter D. VVиſſenbachius noſter *ad Inſt. de Tut. n. 20.* magis, quod partium in palatinatu intererat, quem ex ſolido vero, ut probant Tulden. & Perez. ad *T. C. de Tutel. vel. cur. illuſt.*

17. Nihilo magis jura inteſtati legitimæque ſucceſſionum devolutiones de patrimoniis vel de feudis pvivatis conſtitutas ſine magno errore ad ſumma imperia transferre licet.

18. Quò ſine dubio pertinent *commiſſa ſecundarum nuptiarum*, quibus *alicubi*, bona, quæ parentes ſub finem prioris matrimonii habuere, *poſt tranſitum ad ſecunda vota, liberis primi conjugii acquiruntur*, uſufructu duntaxat à parentibus retento, qui, mortuis illis, cum proprietate conſolidatur.

19. Non pertinere ad imperia, hæc ſimiliaque ſtatuta vel uno clarum eſt argumento, quod ab ſumma poteſtate proficiſcantur, ut ſubjectos ad parendum, non ut ipſos obligent imperantes, de quibus inſanum eſt cogitare, quod ſecundis nuptiis imperio ſemetipſos privare voluerint. *vid Grot. lib. 2. cap. 4. §. 12.*

20. Proinde, ubi maxime *jus* illud *devolutionis u*] obtinet, nihil tamen hærendum, quin filius ſecundi, filiæ prioris matrimonii ſit in imperio præferendus; qua de re ſuperioribus annis inter Hiſpanos & Gallos armis & libris acerrime certatum eſt.

21. Non defugimus alioquin id quod Grotius in *d. cap. 7. n.* XI. ſtatuit; in dubio, *quoties expresſiora voluntatis indicia nulla ſunt, credi, quemque id de ſuâ ſucceſſione ſtatuiſſe, quod lex aut mos habet populi, non tantum ex vi imperii, ſed ex conjectura, quæ etiam in eos valet, quorum in manu eſt ſummum imperium. Nam & hi probabiliter creduntur in rebus ſuis æquiſſimum judicaſſe, quod aut legibus ſanxerunt ipſi, aut moribus probant w) in quibus de nullo ipſorum damno agitur:* Quod damnum in illo devolutionis inſtituto quàm maximè agebatur; ideoque ad hoc, ejus loci argumentum minime pertinet. Enimvero illis verbis hoc caput non incommode claudemus.

SECTIO

n. 20. *u*) devolutionis) *Scilicet apud omnes quidem gentes cultiores eſt aliquis honor & prærogativa primarum nuptiarum, ſed nusquam tanta, quàm apud Brabantos & vicinas nationes, apud quos diſſoluto primo matrimonio, ſive ſecundum ſequatur, ſive non, liberis iſtius thori obveniunt bona omnia immobilia, utriusque parentis, prius quidem defuncti per legitimam ſucceſſionem inteſtati, ſuperſtitis vero & adbuc vivendis per* devolutionem, *cujus vi bona illius addicta & affecta ſunt liberis iſtis proprietate tenus, conſuetudine injiciente vinculum ſuperſtiti, ne ea alienare poſſit, ſed conſervare omnia teneatur integra, donec ex cauſa ſucceſſionis pleno jure liberi primi conjugii ea acquirant, quod vinculum conſuetudinarium* Devolutionem *vocamus. Stockmannus* de jure devolutionis part. 1. c 1. n. 1. *Conf. Autorem* ſuprà ſect 3. cap. 6. n. 68. p. 96.

n. 21. *w*) probant] *Nobis potius placet contraria ſententia per ea quæ ipſe autor diſſeruit* ſuprà p. 96, loco modo citato. *Conf.* modo notata lit. m. ad cap. præc. n. 51.

SECTIO VIII.

De plurium imperio.

CAP. I.

DE JURE ARISTOCRATICO.

Plurium imperium eſſe duplex, Ariſtocraticum & Democraticum. n. 1. 3. definitio Ariſtocratiæ n. 2. De numero imperantium in hac republ. nihil dari certum, modo ſit longè pars minor populi, licet aliquot millia. n. 4.-10. Modum continuandi Ariſtocratiam eſſe vel ſucceſſivum aut electivum. n. 11. 12. 13. Refutantur, qui Democratiam eſſe volunt, ubicunque omnis generis ordiniſque homines ſurrogari poſſunt. n. 14.-17. Aut ubi populus deficientes optimates ſupplet. n. 18. Diſcrimen hinc pendere, utrum acta imperantium infirmari queant vel non. n. 19. 20. 21. Sed utrum perpetua an temporaria ſit poteſtas, nihil referre ad ſpecificam differentiam. n. 22.-38. Igitur annuos optimates, qui jus habent faciendi quod è republ. videbitur ſalvis legibus fundamentalibus, verè ſummam habere poteſtatem; quà proinde careant hi, qui illos delegaverunt. n. 39. Non poſſe tamen illos transferre jus ſummum, nec unum quidem ex juribus majeſtatis, nec ullum imperii actum ultra ſuum tempus exercere. Non teneri verò ad reddendas rationes delegantibus ſuis. n. 40. An optimates imperium alienare vel formam reipubl. mutare posſint. n. 41.-45.

1. Fuit monarchia, unius imperium. Quod à pluribus tenetur, eſt vel *Ariſtocraticum* vel *Democraticum*.

2. *Ariſtocratia*, cum ſumma poteſtas eſt penes *optimates*, hoc eſt, minorem & eminentiorem populi partem.

3. *Democratia*, quando jus ſummum imperii à populo non transfertur, ſed ab eo retinetur in ſummâ, adminiſtratio tantum per magiſtratus exercetur, ad inſtar ariſtocratiæ.

4. Numeri imperantium in hac formâ civitatis magna eſt latitudo, uti definiri nullo modo poſſit, *niſi quod ſubjectam civium partem longe oporteat eſſe majorem*.

5. Eſt ubi *decem viri*, *triginta*, *quadraginta* viri, plus minus; fuit ubi *centum*, *quadringenti*, *mille* vel plures ſunt, ut apud Venetos & Friſios.

6. Imo in *Polonia*, x) ubi jus ſummum eſt apud

n. 6. x) Polonia) *Mallem, ut Autor exemplum Poloniæ omiſiſſet, quia Polonia etiam ſecundum doctrinam Autoris propriam* ſuprà ſect. 3. cap. 5. n 29. p. 86. *magis ad Monarchiæ quam Ariſtocratiæ ſpecies eſt referenda. Autor vitæ Cardinalis Commendonii* lib. 4. cap. 13. p. m. 438. *elegantes obſervationes ſuppeditat de poteſtate Regis Poloniarum, lectu digniſſimas.*

apud nobiles quinquaginta & quod excedit, numero millium, formam eſſe ariſtocraticam, neceſſarium dictu videtur:

7. Quia cæterorum incolarum multitudo, quos etiam communi nomine cives, licet ruſticos, dici poſſe non eſt dubium, immenſo numeroſior eſt, & *nobiles* utique optimates ſunt.

8. Hinc ubi jus ſupremum eſt penes dominos inſignium prædiorum, licet aliquot millia forſitan hominum efficiant, quia tamen plebs ſine terris immenſo major eſt, ejusmodi rempubl. dicimus Ariſtocraticam, ut in *Friſia* noſtra. Niſi quartam reipubl. formam, quæ ſit *Timocratia*, ſtatuere placeat, qua de re *inferius* agendum.

9. Fatendum interim, quò major eſt imperantium numerus, eo propius ad *Democratiæ* ſimilitudinem accedi, ut forte plus inter aliqua optimatium & popularia interſit imperia.

10. Quæ res efficit, ut multi pro democratiis accipiant ejusmodi reſpublicas, quæ accuratè æſtimatæ ſunt ariſtocratiæ.

11. Nimirum, poteſt fere, ut regnum, dividi *Ariſtocratia* in ſucceſſoriam & electivam plerumque quod ad ſingulas attinet perſonas, non etiam univerſos; tamen ad univerſos quoque, ut in Friſiâ univerſi quotannis mutantur imperantes ſubſtituti.

12. *Succeſſiva*, ubi dignitas optimatium eſt hereditaria, ut ſumma Reipubl. concilia nulli quam è certis familiis nato ingredi liceat, quod *Poloni*, *Veneti* aliique ſervant.

13. Electiva, quando in locum deficientium, alii ex eminentioribus civitatis per ſuffragia ſurrogantur, ut in *Belgio obtinet*.

14. Errant autem ſine dubio, qui *democratiam* eſſe volunt, quando cujusvis generis & ordinis homines, nemine excluſo, ſurrogari poſſunt.

15. Nam etſi nullus ordo hominum à capacitate electionis excludatur, tamen ubi perpetuo verum eſt, ſummam poteſtatem eſſe penes partem longe minimam, ibi certum eſt dari ariſtocratiam, ut ex ſupra dictis colligi potuit.

16. Perinde atque regno nihil decedit, ex eo, quod quilibet ad illud evehi poſſint, neque minus eſt *monarcha*, qui ex omnibus, quam qui de paucis fuit ſeligendus.

17. Electio ariſtocratica dupliciter habetur, aut enim ipſi optimates jus habent loca deficientia ſuo arbitratu, ut fit in *Hollandiâ*, ſupplendi, aut populus totus ejusve præcipui novos indentidem Senatores eligunt, ut heic in *Friſiâ*.

18. Illam ſunt qui *ariſtocratiam* veram, hanc qui in ſe ſpectatam volunt eſſe *democratiam*, modum duntaxat adminiſtrandi ariſtocraticum videri.

19. Sed arbitror, eſſe diſtinguendum, juxta principium toties poſitum, utrum acta electorum procerum à populo dependeant, ab eoque infirmari poſſint, an omninò ſint rata.

20. Si acta, geſta illorum, rationibus reddendis, abolitioni aut animadverſioni ſubjecta ſint, concedemus, fundamentum imperii eſſe *democraticum*.

21. Verum ſi plena & irrevocabilis poteſtas illis tribuitur, nulla ratio eſt, quare dicendum ſit, electionem populi magis impedire *ariſtocratiæ*, appellationem, quam *monarchiæ*, ubi multitudo eligit regem; ſiquidem utrobique eligentes omni poteſtate ſe ipſos abdicarunt.

22. Hæc diſtinctio firmior videtur, quam quâ alii utuntur, inter poteſtatem optimatium *temporariam* & *perpetuam*.

23. Si temporaria, volunt; proprietatem imperii manere penes populum, nihil vero quam uſum & exercitium eſſe penes illos *ad tempus* optimates.

24. Equidem ſi nihil ab hac diſputatione penderet, quam quo nomine ſit exprimendum jus illud, quo populus imperium affectum habet, in caſum temporis elapſi, quæſtio exigui foret momenti.

25. Sed illi volunt, temporarios optimates nihil

tes nihil eſſe quam magiſtratus, id eſt, *miniſtros* adeoque ad rationes reddendas eſſe obligatos. Unde patet, hoc quæſitum in utramque partem ſummæ poteſtati eſſentiale videri.

26. Etiam *Hobbes* ita; Si populus, electis imperantibus ad vitam aut certam tempus, decretum prius fecerit de conveniendo, poſt tempus imperii elapſum, rurſus ad diem locumque certum, quod tunc medio tempore ſummum imperium in populo ut domino, uſus autem in proceribus temporariis fuerit. *tract. de cive cap. 7. §. 14. & cap. 9. §. 13. & ſeqq.*

27. Nos hujus doctrinæ nullum agnoſcimus effectum, neque putamus quicquam poſſe proferri, quod minus in poteſtate ſit optimatium temporalium quam perpetuorum.

28. Proinde ex his terminis differentiam ſummæ poteſtatis inferre, ut antea improbavimus, ita nihil adhuc cauſæ videmus, cur ſit faciendum. *vid. ſupr. ſect. 3. cap. 2. n. 46.*

29. Diximus ibi, rerum civilium naturam ab effectis æſtimari, quæ à tempore non recipiunt diverſitatem; ſed qui facere poſſunt idem, alius ad tempus alius in perpetum, illis idem juris oportere adſcribatur.

30. Scimus, *dominium revocabile* dari ut mariti in dote & heredis fiduciarii, qui forte non omnia poſſunt, quæ domini irrevocabiles; *quatenus ac reſtituendum tenentur.*

31. Sed hoc diſcrimen in imperiis non habet facultatem; ſiquidem nullâ re plus valent, *inquam*, perpetui, dum vivunt, quam temporarii, dum regimen eorum durat, imperantes, *dum durat*, inquam.

32. Aut ſi hæc differentia in imperiis obtinere debet, ſic erit accipienda; quod, ſicut maritus in dotali, vel fiduciarius in re fideicommiſſariâ nihil facere poſſunt, quod impediat reſtitutionem ſuo tempore faciendam, ita regnantes temporarii prohibeantur facere quicquam, ad corrumpendam reſtitutionem imperii ſibi commiſſi? Atqui id ipſum prohibetur & his, quibus imperium *perpetuo*, hoc eſt, ad vitam delatum eſt.

33. Cæterum, ſi quis illud jus, quo imperium ad populum reverti debet, proprietatem velit appellare, ut in jure quandoque, matrimonio adhuc conſiſtente, *dominium* dotis, quod viri eſt, ad mulierem pertinere dicitur *analogicè*, id quidem concedi poteſt.

34. Sed *imperium* accuratè loquendo ab jure quod populus interim retinet, eſt diverſum, *ut ex definitione ſummæ poteſtatis conſtat.*

35. Neque prorſus in ſpecie aliud eſt jus, quod populus retinet, quando imperium defert ad certum tempus, durante eo tempore; quam eſt jus populi, quod retinet in omnibus imperiis voluntariis, etiam regnis ſucceſſivis, in quibus aliquando jus ſummæ poteſtatis ad populum redire poteſt.

36. Porro eadem ratione, quâ ex *Democratia* fit *Ariſtocratia* per tranſlationem juris ſupremi in minorem numerum; fit etiam ex *Ariſtocratiâ* laxâ & diffuſâ, ſtatus *Ariſtocraticus* ſtrictior, ſicut in agro *Friſiæ*: ubi jus ſummum competens dominis veterum prædiorum facit ariſtocratiam, late quidem patentem, ſed juxta *ſuperius* dicta, tamen *Ariſtocratiam*, id eſt, minoris numeri poteſtatem in populum univerſum.

37. Ab his autem quotannis creantur *optimates* LXXXII. *plenæ poteſtatis, quibus datur jus* intra annum vertentem *faciendi quicquid è republica videbitur, nulla re exceptâ, niſi, ut leges reipubl. fundamentales ſerventur*, & paucis quibusdam aliis capitibus *ſpecialiter expreſſis.*

38. Poſtremo repetamus oportet, heic, quod *in ſect. 2. cap. 5.* & aliàs ſæpe demonſtratum eſt, optimates æquè jus habere delatum à populo ſui juris, quam reges & principes.

39. Proinde in imperio ſimpliciter delato, illos aut poſſe vel non poſſe, quicquid monarchis ex jure ſibi delato facultatis eſſe vel non eſſe diximus.

Digitized by Google

40. Ex qua ſequi videtur, optimates non poſſe ſummam poteſtatem in alium transferre, non magis quam reges id facere poſſe ſuprà vidimus. *y*)

41. Quod tamen cum ab uſu alienum eſſe conſtet, exemplis videndum, an non optimates magno numero, in republ. ubi totus populus in diverſas civitates & regiones diffuſus nunquam coit & difficillime coire poteſt, conſiderari queant ita, ut jus omne populi de imperio quovis modo diſponendi complectantur.

42. Quomodo ſane, ſi Poloni nobiles regnum ex electivo & legitimo facere vellent hereditarium, nemo dubitaret, quin id facere poſſent; nec, ſi poſſeſſores immobilium in Friſia principatum erigere vellent: nam legatos ad comitia, id ibi vel in Polonia facere poſſe nullo modo ſtatuendum eſt.

43. Nec de magno quidem ſenatu Veneto, licet ibi plebs facilius convocari poſſet, dubium ſit, quin ſi vellent ſpeciem ducatus in regnum mutare, ſuo jure id facere poſſe crederentur.

44. Quemadmodum ne in Hollandia quidem dubitatum eſt, cum rectores omnium civitatum, populis inconſultis, principi VVilhelmo ſeniori ſummam poteſtatem detuliſſent, quin id jure factum videretur; etſi dialectica juris ratio, quam diximus, & quæ optimatibus non tribuit plus juris quam monarchis ſimpliciter conſtitutis, in diverſum tendat.

45. Eſt tamen conſiderandum, inquam, an non optimatibus hac parte tacito populorum conſenſu plus quam principibus datum videatur, maxime, ſi magno ſint numero; Quaſi præſumptione populari, quod ejusmodi optimates hac poteſtate minus facile ſint abuſuri, quam principes, & quod in magno optimatium numero ſpiſſior & validior ſit totius populi repræſentatio, quam in ſingulis imperantibus.

CAP. II.
DE REPUBLICA ANNUI IMPERII, QVALIS IN FRISIA.

Ariſtocratiam magni numeri annuam, eſſe raram. n. 1. Jus annui regiminis in Friſia vere ſupremum eſſe, ſub exceptione legum fundamentalium. n. 2.-6. Interpretatio hujus exceptionis & conſequentia. n. 7.-20. Juris & prudentiæ hac parte diverſa ratio. n. 21.-24. Populum aut delegantes in tali ſpecie non eſſe ſuperiores delegatis intra ſuum tempus, ab iisque non poſſe animadverti vel abdicari. n. 25-30. Remota objectio à naturâ mandati, qua tales delegati conſtituuntur. n. 31. 32. Examen ejusmodi mandatorum. n. 33. 34. Status talis reipubl. in fine cujusque anni. n. 35-40.

Momen-

n. 40. *y*) vidimus) *Mirum, cur autor ad conciliandam hanc aſſertionem cum praxi, in numeris ſequentibus non diſtinguat, ut Doctores communiter in regnis faciunt, inter Ariſtocratias patrimoniales & non patrimoniales. Nos ejus doctrinæ memores, quam ſuprà in rejectione regnorum patrimonialium adhibuimus, ad exempla ſequentia ab Autore oppoſita reſpondemus, vel ea effectum non ſunt habitura, vel conſenſu populi tacito vel expreſſo corroborabuntur, vel etiam vis prævalebit. Confer dicta ſuprà* p. 70. in notâ lit. k. circa fin.

1. **M**Omentum hujus rei non minus quàm in patriam affectus exigit, ut heic paululum ſubſiſtamus, & quanquam ratio inſtituti noſtri nihil, quam jus publicum univerſale ferat, non eſt tamen, ut hoc genus ſummi *Imperii Annui*, quod etſi rarum & juris inuſitati, attamen ſalubris temperamenti plenum eſt, ſilentio tranſmittamus.

2. Summam juris ejus delati annuis rectoribus eſſe diximus, *facultatem ſtatuendi & agendi quicquid è republ. ipſis videbitur*: quibus verbis ineſſe perfectum & ſupremum jus regendi civitatem, ex eo quod *ſuperius in ſect. 2. c. 1 de ſumma poteſtate* diximus evidenter liquet; ſiquidem & hoc ipſum eſt in formula legis regiæ, qua Cæſares olim arbitrium reipubl. acceperunt.

3. Maxime, cum lecti optimates noſtri de rebus propoſitis ad delegantes, prius quam decernant, *referre non cogantur*, *nec eorum acta* deinde *retractari poſſint*, quod apud nos, poſt annum hujus ſeculi XXIX. conſtanter obtinuit.

4. Ex principiis dudum in *capite de ſumma poteſtate & ſeqq. tituloque præcedente* firmatis, clarum & certum eſt, ejuſmodi annuos imperantes æquè habere ſummam poteſtatem in ſuo tempore, quam rex Galliarum habeat; Non obſtante, quod eliguntur, quod delegantur, quod annui ſunt, & quæ præterea pridem oſtendimus ſummæ poteſtati non adverſari.

5. Quo circa delegantes ſummâ poteſtate tam oportet careant, quam populos Gallorum, eâ carere palam eſt.

6. Niſi, quod leges fundamentales hic in *Friſiâ*, inquam, præſcribuntur, quas tamen non tollere ſummitatem imperii, ita ſimpliciter exceptas, *diximus jam ſupra ſect. 3. c. 5.*

7. Quæ autem ſint leges fundamentales, & quales, ubi nullæ ſunt expreſſæ, intelligantur, in loco generali dicere occupavimus *ibid.*

8. Applicanda ſimiliter huc eſſe, quæ de voluntariis imperiis *ſupra* diximus, quatenus termini habiles conveniunt, ultrò intelligitur.

9. Proinde ejuſmodi annales imperantes jus ſuum in alios transferre non poſſunt, neque præficere reipubl. aut unum principem aut plures, qui cum ſummâ poteſtate ſuas vices per certa temporum ſpatia gerant.

10. Sed legati ab illis conſtituti, eo jure præditi erunt, quale *ſuprà* vicariis ſupremæ poteſtatis adſcripſimus *pag. 106.*

11. Neque in ſequentem annum ſuo loco imperantes, neque vicarios, ordinare poſſunt.

12. Nec partes reipublicæ alienare tam *potentiales*, id eſt, jura Majeſtatis, quam *ſubjectivas*, ſive membra civitatis poſſunt.

13. Quod ſi ultra tempus ſibi præſcriptum exerceant imperium, acta illorum ipſo jure nulla erunt, & cuilibet civi non parere licebit,

14. Tametſi populus nullum alium conſtituerit ordinem, rurſus, anno elapſo, conveniendi, quam ipſis, aut vicariis illorum convocantibus.

15. Non obſtante, quod *Hobbes* in hac ſpecie ariſtocratiæ, imperium tempore ac intentione infinitum eſſe diſputaret, ex ſuis principiis *ſæpius expoſitis*,

16. Secundum hæc, non poſſunt annui rectores decernere, quid juris ſequentium annorum imperantes exercere debeant: aut ſi decreverint, nullius id momenti eſſe videtur.

17. Multo minus præſcribere poſſunt, quid populum ſecuturis annis noviter eligendis optimatibus mandare oporteat; aut ſi præſcribant, populus tamen vel primores, qui annuos regentes eligunt, ſuo arbitratu hactenus uti poſſe videntur.

18. Ne dicam, eos, qui ſub conditione reddendi rationes referendique de gravioribus cauſis electi ſunt, ſtatuere non poſſe, nec relationem neque rationes, aut nunc aut impoſterum eſſe reddendas.

19. Siquidem, hoc obtento, optimates delegati ſunt abſoluti imperantes, & univerſa

verſa reipubl. forma convertitur; Quod non eſſe in eorum poteſtate multo clarius eſt, quam quod in jure privato traditur, neminem ſibi ipſi cauſam poſſeſſionis mutare poſſe. *l. 19. §. 1. ff. de Acq. poſſ.*

20. Quod ſi eveniat, ut aliquid in futurum circa fundamentalia mutandum videatur, in iis locis, ubi rectores ſunt electi, hac lege, *ne quid in fundamentalibus mutent*, juris eſt, hoc ad populi conventus primum referatur, per libera ſuffragia decidendum.

21 Quanquam ſæpe ſalubrius eſt populis nihil habere, quam jus eligendi, atque ſatius ſit, ut electi abſolutam exerceant poteſtatem; aliquando etiam ipſis eligentibus præſcribere queant, in poſterum quid facere debeant.

22. Scilicet multæ plebes amplius habent jus quam expediat ipſis, ut de *Groninganâ* civitate ſcribit Grotius in *Hiſtor. Belg.* ad *ann.* 1594. Quicquid tamen de utilitate ſit, ad juris rationem inde nullo modo licet argumentari.

23. Nam hac ratione poſſis evincere & ipſos optimates imperium in unum poſſe, nec non debere transferre: obtentu, quod hoc ſit utilius, id quod tamen neutiquam licere *probavimus*.

24. Adeo diverſæ rationes ſunt facultatis ac utilitatis, juris atque prudentiæ, politicces & hujus artis, in quâ verſamur. Atque hæc à principiis ſuperius collocatis deducuntur.

25 Ex iisdem judicari poteſt & illud, *quod repetimus*; Populum, durante annuo imperio, non eſſe electis ſuperiorem; Nec ullam penes eos eſſe majeſtatem, quia nihil circa ſummæ poteſtatis jura faciunt aut facere poſſunt.

26. Idcirco inter res novas & uſurpationes *Leiceſtrianas* obſervatum fuit à patribus noſtris, quod is aliquando literas de rebus ſummæ reipubl. ad nobiles & prædiarios, qui poteſtatem delegandi habent, non ad legatos plenipotentiarios, qui dicuntur, miſerit, inſtinctu quorundam res novas molientium, etſi *tunc* jure meliori, quam *nunc* id fieri potuerit.

27. Interim nihil vetat, eosdem delegantes quosque ſuis locis, jure ſuo, diſponere de aliis rebus particularibus ad ſummam rempubl. non pertinentibus, ut ſit apud nos omni die.

28. Præterea manifeſtum ex prædictis eſt, optimates, nec omnes nec ſingulos, prius aut poſt annum teneri ſuis delegantibus ad rationem reddendam ejus, quod à ſe dictum factumve fuerit, in repubI. juxta alios regendâ; Multo minus, eos idcirco pœnæ vel animadverſioni delegantium eſſe obnoxios niſi ob delicta publicorum judiciorum ordine legitimo.

29. An etiam delegati à delegantibus inviti intra annum revocari ſive abdicari poſſunt? Affirmant ordines Friſiæ, congregati Sneeæ in ſuâ deductione publicata *d. 16. Novembr. 1672. fol. 13.* quod ego fateor, me non intelligere, qui conveniat cum hoc principio, quod reſpublica pro certo habet; legatos *plenipotentiarios* habere ſummam poteſtatem.

30. Sane repugnat hoc omnibus iis, quæ de naturâ ſummæ poteſtatis antehac diſputavimus: neque mihi conſtat, id unquam accidiſſe, nec credo quenquam in locum talis *plenipotentiarii* à delegantibus ſuis abdicati unquam eſſe admiſſum; quin late nimis pateret ac perverſè cederet illa praxis; ſi mutatis partium viribus & ſtudiis, legati ad comitia ſemel approbati atque recepti pro lubitu delegantium ante ſuum tempus revocari poſſent. Fas igitur ſit, heic ἐπέχειν & ſuſpendere judicium.

31. Tu dices, quid ſi tales legati per mandatum conſtituti, nec aliud quam procuratores ſint? cujusmodi apud nos ſine dubio eſſe videntur, cum ipſi codicilli poteſtatis eorum, *procurationes* & ipſi vernaculâ voce appellentur ejusmodi, quæ tam procuratores quam *plenipotentiarios* ſignificat?

32. Sed

32. Sed non hac in re ſola contingit, ut, mutatis rebus, nomina maneant. Olim, cum legati ad comitia res majoris momenti referre debebant ad delegantes ſuos, alitèrque acta, decretaque eorum non valerent, re vera nihil erant quam procuratores & mandatarii; ſed poſtquam libera poteſtas iis eſt data, ſtatuendi quod è republ. videatur, ſine relatione ad committentes ſuos facienda, ſine ratihabitione eorundem expectanda, facti ſunt verè *αὐτεξούσιοι* & *plenipotentiarii*, quemadmodum loquuntur; nomina tamen ipſorum literarumque, per quas conſtituuntur, eadem quæ prius fuerant, ut amat fieri, manſerunt.

33. Cum autem ſuper electione *procuratorum* ſive *legatorum* iſtorum ad *comitia* ſtudiis partium ſæpe contendatur, opus eſt aliqua perſona vel collegio plurium perſonarum, à qua vel quo literæ mandati ſive plenæ potentiæ ſingulorum legatorum examinentur probenturque, vel improbentur; Quod arbitrium maximi eſſe momenti res ipſa loquitur.

34. Nec tamen ideo tale collegium eo temporis articulo habet ſummam poteſtatem, vel ei quicquam detrahit *alibi* exiſtenti, non magis quam *Cenſores Romani* illam habuere, quibus erat jus movendi Senatu & in Cæritum tabulas redigendi quos è primoribus aut à populo vellent, eosque ita jure ſummi in republ. ſuffragii privandi.

35. Ubinam igitur eſt ſumma poteſtas eo tempore, quo veteres legati tempus ſuum finierunt & novi necdum ſtabiliti ſunt? Non poteſt alibi eſſe, quam penes multitudinem delegantium.

36. Nam ſicut rempublicam, in quâ populus ejusmodi annuos optimates abſolutos, ſine referendi rationesque reddendi lege conſtituit, eſſe diximus ariſtocratiam;

37. Ita quoque certum eſt, eandem quotannis ad naturam conditionemque democraticam neceſſario relabi.

38. Quæ res ne confuſionem *πολιτείας* pariat, utiliſſime ad continuandum præſentem ſtatum, maxime in civitate per varias urbes diœceſesque diffuſa inſtituitur, ne univerſus populus in unum conveniat, quo conſpiratio & mutandi libido frangatur.

39. Fit etiam, ut ejusmodi *Ariſtocratia* non reſolvatur in democratiam, ſed, ut antea monuimus, in laxiorem *Ariſtocratiam*; quod evenire putamus, ubi jus eligendi annuos optimates, eſt penes immobilium aut omnium aut certarum rerum poſſeſſores, ſicut, inquam, apud nos obtinet.

40. Nam qui pars reliqua populi longe numero maxima & præcipua eſt, quia non minus cives ſine dubio omnes habendi ſunt, non poteſt fieri, quin & originalis illa reipubl. conſtitutio ſit *Ariſtocratica*, ſicut prædiximus.

CAP. III.
DE ARISTOCRATIA PATRIMONIALI.

Formæ regiminis, quæ jus ſummi imperii prædiorum dominis addicit, *ἀνωμαλία*. n. 1. 2. 3. Ejus cauſam eſſe voluntatem populi ſaltem tacitam. n. 4.-8. Jus hoc imperii, eſſe patrimoniale ariſtocraticum n. 9. 10. Inſeparabile à prædiis. n. 11. 12. 13. Effecta quædam ſingularia poteſtatis ejus exponuntur. n. 14.-17. Eſſe quidem hoc jus patrimoniale, non tamen Deſpoticum. n. 18.-26. Uſum hujus juris, non proprietatem, ſeorſim à fundis ad tempus poſſe transferri. n. 27.-33. Ratio emendandi enormitatem hujus formæ, reſpectu

ſpectu, peregrinorum, feminarum, puerorum, mente captorum. n. 34. 35. 36. Excludi ab eo hæreticos improbiores; n. 37. an etiam infames, quæritur. n. 38. 39.

Regna quædam dari patrimonialia, quæ ſint in patrimonio dominantium; Quædam inſtitutiva, quæ ab aliorum, quam qui habent imperia, voluntate pendent, jam pridem demonſtravimus.

2. Sed dari tales Ariſtocratias, credo apud omnes Hiſtoricos & juris publici privatique ſcriptores inauditum eſſe; maximè ſi addam, eſſe quandam regiminis optimatium formam, quæ jus αὐθεντικὸν imperii tribuit dominis prædiorum ſine diſcrimine marium, feminarum, peregrinorum, incolarum, puberum, impuberum, ſapientum & mente captorum, quæque ſimiles in regimentis populorum differentiæ ſervantur.

3. Quia tamen patria noſtra & quædam vicinæ gentes ſuum regimen hoc modo cuſtodiunt & experiuntur ſalutare, detur nobis venia, paucis etiam hac de re agendi.

4. Cauſa, per quam poſſeſſores immobilium hoc patrimoniale jus ſunt adepti, quoties de jure belli aliove involuntario non conſtat, proximè à voluntate populi repetenda videtur, ſaltem tacita, ubi à tempore immemoriali hoc jus conſtanter adeoque per præſcriptionem exercitum eſt.

5. Quæ præſumptione de voluntate reliquorum civium acrius adjuvatur, *ſi nulli è populo facultas comparandi id genus prædia, quibus ſuffragii jus cohæret, præcludatur*, quæ ſpecies ut proximè ad democratiam accedit, ita quam maxime volentibus populis inſtituta videtur.

6. Hoc jus rectè dici *Majeſtatem* non eſt quod negemus, ſive cuncti poſſeſſores actu regimen obeant & ad comitia vocentur, ſive rempubl. per delegatos, de quibus *cap. præced. actum*, adminiſtrent.

7. Nam & tunc jus ſummæ poteſtatis originaliter eſt *penes dominos prædiorum*, ac etiam actu, quovis tempore, quo novos eligunt imperantes, ideoque nec eſt, quod hoc pro exemplo Majeſtatis realis, quam non agnoſcimus, ut ſuprà *ſect. 3. cap. 1.* probavimus, habeatur.

8. Utique ſic juris eſt, quando reliquus populus non congregatur, nec ad ſummos imperii actus pariter admittitur; quemadmodum, niſi per ſeditionem, in Friſia nunquam fieri ſolere conſtat.

9. Denique illam ſpeciem juris imperandi eſſe *patrimonialem Ariſtocraticam* res ipſa loquitur, quia omnes & ſinguli, at pars longè minor populi, jus hoc habent in patrimonio z) pari ſcilicet jure, quo prædia habentur.

10. Ita, ut teſtamento & ab inteſtato, nec minus inter vivos una cum prædiis transferri poſſit omnique die transferatur.

11. Non tamen abſque prædiis; vel ut ſeorſim ab ullo, niſi quatenus eſt prædii dominus aut domini hac parte jus habet, exerceri poſſit.

12. Impenſe enim reipubl. intereſt, immotum eſſe illum ordinem, cum ſeparato à rebus jure ſuffragii, confuſio inde enormis orietur.

13. Jam quod eſt in ſingulorum proprio jure, hoc quoque in patrimonio univerſorum eſſe oportet; ſiquidem univerſitas è ſingulis

gulis

n. 9. z) in patrimonio] *Res adeò loquitur terminum Ariſtocratiæ patrimonialis & regni patrimonialis planè diverſo modo prædicari. Regnum patrimoniale dicitur quod princeps poteſt alienare: Ariſtocratia patrimonialis, ubi jus imperii cohæret fundis, qui ſunt in patrimonio. Quæ ſanè ſunt diverſiſſima.*

Digitized by Google

gulis componitur, & jus omnium in unum coaleſcit.

14. Unde ſequitur, illos immobilium poſſeſſores habere facultatem, jus verum ſummæ poteſtatis in alios pauciores transferendi. *a*)

15. Quod in regnis quaſi fructuariis non licere *pridem*, & in ariſtocratiis eſſe dubium antea diximus; nec proinde paucioribus, in quos, ab immobilium poſſeſſoribus regimen transfertur, idem juris eſſe *ſimpliciter; antea dictu conveniens eſt.*

16. Huic conſentaneum eſt, hos ſolos habere jus mutandi formam reipublicæ, imperiumque in principem ordine ſucceſſorio aut electivo transferendi; dominos, inquam, ipſos prædiorum hoc facere poſſe manifeſtum eſt.

17. Poteſtas denique alienandi partem territorii aut patrimonium populi, illis duntaxat, non legatis eorum competere videtur: ſiquidem hiſce non plus quam principibus ſumma cum poteſtate conſtitutis licet, quibus id genus alienationibus interdictum eſſe *nota res ac antea dictum eſt*

18. Cave autem putes, ex eo, quod nos hoc genus imperii diximus eſſe patrimoniale, ſequi dominos prædiorum, uti poſſe jure deſpotico *b*) ſive herili adverſus reliquos civitatis conſortes, ex illo jure patrimoniali, tametſi facilis harum rerum ſit conjunctio, patrimonialis, inquam & herilis imperii.

19. Namque dari patrimonialia imperia, quæ civilia tamen ſint, hoc eſt, in quibus libertas & bonorum proprietas ſingulis ſalvæ maneant, diximus antea *ſect. 3. c. 2. n. 20. & ſeq. &* in *fin. ſect 7.*

20. Nunc addimus, imperia quædam libere voluntaria poſſe fieri *patrimonialia*, ſi populus ita expreſſe conſtituat, vel immemoriali temporis uſu ita ſine controverſia obtinuerit, quemadmodum apud nos haud dubie invaluit. *c*)

21. Sed hoc nullo modo conſequitur; populus voluit jus imperandi eſſe in plena proprietate regnantium: ergo & libertate ſuorum corporum dominoque rerum ſemet ipſos privare voluerunt.

22. Quod ipſum omni ſcrupulo caret, ubi uſus longi ævi & indubitata juris obſervantia, civilem regiminis æqualemque formam agnoſcit & monſtrat, *ut rurſus apud nos antiquiſſima libertatis poſſeſſio loquitur.*

23. Quemadmodum & è contra, uſus omnium temporum ſervitutem ſubjectæ civium partis arguere poſſet, qualis forſitan in ruſticis Polonorum eluceſcit, qui libertate reipubl. quæ eſt in ipſo regno, vix aliqua ex parte frui videntur.

24. Aliud igitur eſt quærere, quid & quantum juris ſit translatum, aliud quo modo habendum. Ad modum pertinet, temporarium an perpetuum, revocabile ſit, an irrevocabile, fructuarium an patrimoniale ſit illud, de quo agitur, imperium.

25. Quare, ſi maximè in patrimonio ſit jus imperii, ſi tamen *invitis non ſit* impoſitum atque deinceps ita exercitum, menſuram aliunde, quam à conjecturâ voluntatis accipere non poteſt.

n.14. *a*) transferendi) *Unde debebat autor abſtinere ab illatione numeri præſentis. Nam à diverſis ad diverſa malè infertur. Nec cobaret hac aſſertio cum ſequente n. 26. Nos repetimus modo notata* ad cap. 1. n. 40. lit. y.

n.18. *b*) deſpotico) *Quod ex noſtrâ hypotheſi eo minus habet dubii, quà toties exiſtentiam imperii deſpotici negavimus rationibus prægnantibus.*

n.20. *c*) invaluit) *Concedimus aſſertionem in ſignificatu poſteriore* patrimonialium *imperiorum, de quo etiam autor hic loquitur. Negamus in ſignificatu priore per modo dicta* lit. *r. unde quæ hic in ſequentibus numeris immiſcet autor de patrimonialibus imperiis prioris ſignificatus, per toties dicta expunctionem merentur.*

26. Cæterum, quia domini prædiorum jus illud ſuffragii non ſimpliciter, ſed quatenus prædiis cohæret, habent in patrimonio, certum eſt, quod ſeorſim illud alienare, vel à fundis ſeparare non poſſint.

27. Quo minus tamen uſum juris pro tempore aut ad vitam in alium, qui reſpectu ejusdem prædii in comitiis, admittatur, transferant, nihil obſtare videtur: Idque tam per teſtamentum quam inter vivos fieri poteſt.

28. Multo potius dicendum, quod prædia ſub hac lege: ut venditor jus ſuffragii, dum vivet, retineat, vendere liceat.

29. Nam quod alioqui juris eſt, de publicis rebus, utpote extra commercium poſitis, non licere nec in ultimâ voluntate neque per contractum diſponere, id heic ceſſare puto.

30. Quoniam illa prohibitio habet hanc rationem, quod unusquisque de eo quod ad ſe pertinet, obligare ſe & diſponere poſſit, privati autem in publicis nihil habeant proprii; quæ res in hoc jure, de quo nunc agimus, contra ſe habet, cum hoc ſit tam cuique proprium, quam res ipſæ ſunt in dominio.

31. Denique, uſufructu talium bonorum conſtituto, jus ſuffragii non penes dominum, ſed apud fructuarium & eſt & eſſe debet; quod tamen, ſi non haberet rationem patrimonialem, nec eſſet alienabile, fieri non poſſet.

32. Jus hoc quando agitur de certo negotio in republ. terminando, vendi non poſſe vel præſtinari, communis ratio adverſus ſordes corruptionesque in regimentis civitatum ſtabilita, ſingulos ultro commonefacit.

33 Etiam publica utilitas ſæpius exigit, ut adverſus oligarchicas artes illa poteſtas transferendi jus ſuffragii in alios, legibus aut prohibeatur aut reſtringatur, quemadmodum ex uſu cujusque reipubl. fuerit.

34. Poſtremò, reflectendum paulisper ad id, quod in *principio* diximus, eſſe in hac forma regiminis quædam ſingularia, vehementer abhorrentia ab uſu aliarum gentium, quæ imperio multorum utuntur; ſcilicet quod *feminæ, pueri, mente capti, exteri*, licet nunquam litus Friſicum viderint, regiminis publici hac ratione participes fieri poſſunt.

35. Nec enormitas illa legibus cohibita vel reſtricta fuit à majoribus; ſiquidem prædia quibus ſuffragia cohærent, æque libere poſſunt alienari, tam per ultimas voluntates (licet hæ à vicinis ſimili forma utentibus coerceantur,) quam inter vivos, ac aliæ res quæ ſunt in patrimonio.

36. Sed hoc incommodum reſpectu exterorum quidem, numero & adminiſtrandi modo obtegitur, in pueris & mente captis, per curatores qui cives ſunt, emendatur; feminas admitti inter tot millia virorum non poteſt inſolens videri, ſi quis cogitet, in regnis aliquando ſolas admitti; maxime, cum heic adminiſtrationis nullo modo participes fiant.

37. Cæterum, quia religio eſt vinculum, quo animi civium reipubl. efficacisſimè conjunguntur, aut alienantur ab eâ, lege cautum eſt meritò, ne quis eo jure gaudeat, niſi qui religionis publicè receptæ confeſſor aut amator ſit, cujus uſus maxime adverſus pontificios viget, qui zelo prædominantis in Europâ ſuperſtitionis acrius in diſſentientes animantur, cupidique mutationis & *auſuri* creduntur.

38. De infamibus quid juris erit? Lex quidem nulla de illis extat; ſed conſequentia juris communis excludere eos videtur, quia dignitatibus & honorariis civium juribus privantur *l. 2. C. de Dignitat.* Proinde nec habent infames jus comitiorum, ſicut Romæ, qui in Cæritum tabulas redacti erant, eo carebant.

39. Atqui conventus omnium totâ provincia ſuffragantium nihil eſt aliud, quam maximum populi comitium: In quo ſi quis ipſe

Digitized by Google

ipſe non habeat jus ſiſtendi ſe ferendique ſuffragium, multo minus id abſens per nuntium aut per literas facere poteſt; quod tamen apud nos commodo ſuffragantium, uſu receptum eſt. His de rebus iterum in cap. ſeq. aliquid occurret.

CAP. IV.

DE DEMOCRATIA.

Democratiæ vis & comparatio Imperii cum arbitris. n. 1-7. Definitio. n. 8. 9. & diviſio Democratiæ in reſolutam atque reſtrictam, illius exempla Romæ & Athenis fuiſſe, hujus generis videri pleraque hodierna. n. 10-15. Nullam tamen in Belgio democratiam eſſe videri. n. 16. Aliæ notæ Democratiæ. n. 17-20. Quid juris, ſi populus ab his, quibus id mandatum erat, non convocetur. n. 21-26. Eſſe Democratias, ubi jus ſuffragii ſit penes peregrinos, feminas, infantes, furioſos, ſurdos, mutos, cæcos, infames; qua de re exemplum. n. 27-48. Denique de modo ineundi ſuffragia & cenſendi, quibus ſuffragandi jus competat. n. 49-60.

1. QUæ ultimo loco à politicis collocatur *Democratia* ſupereſt; quanquam proxime ad ſtatum naturæ primævum accedit, ideoque omnium primò ejus naturam exemplum imperii, quod ubique gentium obtinet, atque in argumentum juris quod imperio univerſo tribuendum ſit, à nobis propoſita fuit *in ſect.* 2.

2. Cujuſmodi autem hoc ſit, cum antea abunde expoſitum eſt, tum à Cicerone declaratur, his verbis, *in oratione pro Plancio. Eſt enim conditio liberorum populorum præcipueque hujus Principis populi & omnium gentium domini atque victoris, poſſe ſuffragiis vel dare, vel detrahere, quod velit cuique. Noſtrum autem, qui in hac tempeſtate populi jactamur ac fluctibus, ferre modice populi voluntates, allicere alienas, retinere partas, placare turbatas; honores ſi magni non putemus, non ſervire populo; ſin eos expetimus, non defatigari ſupplicando.*

3. Hoc Cicero, qui alioqui minime erat ἐγχωρητικός, ſed Ariſtocratiæ quantum poterat, ſtudebat; quique eadem oratione, paulo antè, de *populo* dixerat, *eum non delectu aliquo aut ſapientiâ duci ad judicandum; ſed impetu nonunquam & quâdam etiam temeritate; non eſt enim conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia &c.*.

4. Tamen illam poteſtatem æquo animo ferunt homines à majore parte populi; Quid vetat igitur, quominus id eodem animo accipiatur ab his, quibus idem jus delatum eſt, quod antea penes populum fuit?

5. Pertinet hoc ad ea, quæ *ſect. 2. c. 3. & ſeq.* diſputata ſunt; Quibus illuſtrandis velim adhuc obſervari; Conſtitutionem imperantium eleganter comparari poſſe cum arbitris, qui bifariam decidendis cauſis eliguntur, ab his qui liberam poteſtatem de ſuis rebus habent, ut vel pronuntient quid ipſis æquum videatur, quo ita partes concilient; vel ut cauſam liberi inſtar judicii decidant. Priore caſu ipſi eligentes manent domini atque arbitri rerum ſuarum, nec obligantur dictis judicioque electorum, niſi quatenus expedire ſibi judicent.

6. Poſteriore caſu intelliguntur omne ſuum jus abdicaſſe, adeoque ſtare debent ſententia arbitrorum receptorum, ſive æquum ſive

ſive iniquum ſit, quod hi pronuntiaverint *l. 27. §. 2. π. de Recept qui arbitr. recep.* idque vi *compromiſſi*, quo litiganes inter ſe obligati ſunt & promiſerunt alter alteri, ſe ſtaturos eo, quod arbiter dixerit, inter compromittentes & arbitrum nulla eſt obligatio, quæ vim tribuat ſententiæ, ſed tantum quatenus arbitrium receperunt *l. 11. §. 2. & paſſim d. tit.* Cæterum, omnis poteſtas arbitrorum pendet à compromiſſo; cujus limites ſi exceſſerint, nullius momenti eſt quod egerint *l. 22. §. 15. π. eod.*

7. Conferantur hæc cum iis, quæ ſupra toties de imperio collocavimus. Homines extra imperium in ſtatu belli, ut litigantes, conſtituti, compromiſſo generali recipiunt imperantem; cui dant rerum ſuarum arbitrium, promittentes ſe ſtaturos iis, quæ ille decreverit. Proinde contenti eſſe debent eo, quod is dixerit, fecerit; æquum, iniquum nihil intereſt: at ſi arbiter reipubl. fines compromiſſi exceſſerit, jam nihil eſt, quod agit; ſi, inquam, diſponat de rebus ſuo arbitrio non commiſſis.

8. Eſt hoc, igitur, uti vox indicat; τὸ τοῦ δήμου κράτος, *populi imperium*, ut Ariſtocratia, ἀρίστων optimatium poteſtas; populus autem univerſos cives aut partem ſaltem maximam ſignificat.

9. Nam etſi fæx infimæ plebis à jure comitiorum alicubi excluderetur, ſicut olim, ut videtur, Romæ factum, ſextà claſſe populi conſtitutà, cujus qui erant, proletarii & capite cenſi dicebantur, qua de re dix. *lib. 4. Digreſſ. cap. 32.* non ideo *Democratia* eſſe deſineret, ubi duntaxat pars major civium imperii compos haberetur.

10. Sed diſtingui poteſt, quod ad modum adminiſtrandi Democratia, in laxam vel reſtrictam.

11. Laxam ſive reſolutam dicimus, quandò univerſus populus ad concionem vocatus omnia ſummæ poteſtatis jura ſaltem majora, ſecundum plurium ſententias exercet atque diſponit, ut *Athenis* in Eccleſiis, *Romæ* in comitiis.

12. Hæc, cum fere navis in mari vaſto fluctuantis ſit inſtar, duobus quaſi anchoris teneri firmarique debet, Senatu & Magiſtratibus.

13. Ut per *ſenatum* ea quæ populus decrevit, quæque adſiduo in Republ. occurrunt, neque in univerſum à populo decerni poſſunt, expediantur.

14. *Magiſtratus*, ut functiones ordinariæ & inferiores ad ordinem civitatis neceſſariæ per eos adminiſtrentur.

15. Reſtricta democratia hoc ſolo ab altera differt; quod rarius convocatur populus, & plura ſenatui ac magiſtratibus committuntur, cujuſmodi nunc fere ſunt, quæ habentur, populares civitates per Germaniam ac *alibi*.

16. At in Belgis nullam cognovimus *Democratiam* proprie dictam; niſi quod municipales quædam urbes membra majorum provinciarum, regimen ſuum ad inſtar democratici exercere videntur.

17. Cæterum, in utraque ſpecie democratiæ populus retinet facultatem infirmandi acta ſenatus & magiſtratuum, eoſque gravius in rempubl. delinquentes puniendi.

18 Nam ſi nihil quam jus conſtituendi ſenatores & magiſtratus, etſi quotannis, ſit penes populum, electi verò abſolutam in ſuo tempore poteſtatem habeant, hanc non eſſe *Democratiam, præcedenti capite* probavimus.

19. Jus conveniendi competit ipſo jure, ſi populus certum tempus locumque ad id præfiniverit; alioquin, ubi convocatus fuerit.

20. Jus convocandi eſt penes eos, quibus id populus, dum erat congregatus, faciendum commiſit, ut *Romæ* magiſtratibus majoribus, ex *auctoritate* ſenatus, de quâ dix. *lib. 1. Digreſſ. c. 3.*

31. Si ab his convocatio, ubi res poſtulat, non fiat, nemo quidem alius habet jus comitia indicendi; Sed acta, quæ non vo-

cato

Digitized by Google

cato fiunt populo, & tamen ab illo dependent, ſunt ipſo jure nulla.

22. Si perſeverent non vocare, idque datâ operâ, vel per diſcordiam, non eſt dubium, quin populus ultro convenire, initiumque à quolibet fieri poſſit, ut jam pridem diximus.

23. Idem de illis judicandum *Ariſtocratiis*, quæ in numero admodum magno conſiſtunt, de quibus ante paulo egimus, & de quibus omnia, mutatis mutandis, quæ de populari imperio tradimus, intelligi debent.

24. Ergo, ubi certum tempus ad convocandos nobiles aut proprietarios jure ſuffragii præditos, veluti quotannis, *iſtis Kalendis, locis certis*, ſtatutum eſt; illi poſſunt convenire, tametſi ab his quibus convocatio mandata erat, conventus non ſint indicti; maxime ſi tum novi imperantes creandi, neque receptum ſit interregnum.

25. Caſu quoque ejuſmodi extraordinario, magiſtratus, qui alioqui jus convocandi non habent, id exercere poſſent; quatenus omnes rempubl. præſtare debent incolumem.

26. Nec aliud juris erit in ipſis annuis imperantibus, ſi contingeret, eos ab his, quibus id commiſſum erat, non vocari.

27. Cæterum, in *Democratiâ* certum eſt, jus ſuffragii non dari quam civibus, puberibus, maſculis, honeſtis, *non* peregrinis, pueris non feminis, nec infamibus perſonis; nec etiam alii pro aliis nomine procuratorio ſuffragari poſſunt.

28. Eademque moribus ac legibus cunctarum gentium in *Ariſtocratiis*, imo & comitiis populi vel optimatium, quæ in regnis habentur, obtinere notiſſimum eſt.

29. Ratio quoque juris in promptu eſt, quæ civium duntaxat ſuffragia admittit, peregrinos excludit, tametſi bona in ſolo reipubl. habeant; *quippe unio civitatis vinculo perſonalis obligationis, non ſitu bonorum continetur.*

30. Impuberes ſatis removentur, quia nullum eſt eorum animi judicium, ut & omnes alii, quibus hæc ratio convenit.

31. Feminæ idcircò, quoniam à cunctis virilibus officiis, ubi virorum copia eſt, maximèque à cœtibus publicis, verecundia ſexus naturali, arcentur.

32. Infames quoque à publicis functionibus ſuo merito excluduntur, ut dictum modo & in *fine præced. capitis.*

33. Procurationes autem in publicis ſuffragiis receptæ non ſunt; quia nemo poteſt alii jus dare, quam de his quæ habet in patrimonio, quale non eſt jus ſuffragii; denique publica utilitas poſtulat, ut ad quem res tanta pertinet, quilibet ipſe per ſe negotio interſit.

34. Tamen eſſe *Ariſtocratias* haud procul à *Democratiis* recedentes, in quibus peregrini, feminæ, infantes, furioſi, prodigi, ſurdi, muti, cæci, infantes, quique ſuis rebus ipſi ſupereſſe nequeunt, jus ſuffragii ſaltem per alios exercent, præcedenti capite expoſitum eſt.

35. Poterant hæc contra rationem juris per abuſionem artesque politicorum eo modo recepta videri, quo facilior ad ambitum via ſterneretur.

36. Sed nec à jure hæc abhorrere in ejuſmodi imperiis, ubi jus ſuffragii datum eſt poſſeſſoribus immobilium, facit id quod antea diximus, eſſe illud jus in patrimonio ſingulorum.

37. Ex quo ſequitur, unumquemque de illo jure diſponere poſſe, quatenus nihil publico adverſum inſtituit.

38. Hoc autem nihil aliud poſtulare videtur, quam, ut is, qui nomine cujusque prædii jus ſuffragii immediatè exercet, ſit civis, habilisque ad publicas functiones obeundas.

39. Suffragatorem autem ſtatuendi facultatem quilibet habet, eadem ratione quâ patrimonii adminiſtrandi, poteſtatem exercet.

40. Proinde peregrini & feminæ per ſe, infantes, furioſi quibusque bonis interdictum, per tutores curatoresque ſuos ſtatuere poſſunt, qui pro ſuis prædiis ſententiam dicant.

41. Juri

Digitized by Google

di ſenatores adeoque ſenatu arcendi, ut ſuperius dictum.

56. Ex quo liquet, non obſtare naturæ ſtatus *democratici*, nec conſequenter *ariſtocratiæ* latè diffuſæ, quod magiſtratibus certis jus ſit examinandi judicandique, an & quinam jus habeant ferendi ſuffragium quive legitime ſint electi à populo, ut imperium reipubl. temporarium exercerent.

57. Verum ſummâ prudentiâ in hoc negotio proviſum eſt à Romanis, ut qui exercebant hanc facultatem judicandi, quinam civium ſuffragia ferre deberent, vel non, remoti eſſent ab eo quod intererat ipſorum, adeoque nec imperii, quoad exercitium, participes forent.

58. Satis enim conſtat, cenſuram fuiſſe quidem honoris reputatione maximam, ſed poteſtate exiguam, ab imperio & juriſdictione ambituque remotam, & quaſi complementum coronamque reliquorum magiſtratuum, iis tantum qui cæteris reipubl. functionibus erant defuncti, ſolitam deferri, *Plutarch. vitâ Craſſi.*

59. Si ad hoc exemplum *e)* jus examinandi ſuffragia populi vel primorum magni numeri comparatum eſſet, equidem occaſiones querelarum hoc reſpectu, quas nunc in rebuspub. liberis frequenter audivimus, bono ingenti publico præciderentur.

60. Si quæ præterea differentiæ popularium imperiorum traduntur, eæ ad modum adminiſtrandi potius quam ad juris rationem pertinere videntur.

CAP. V.

DE TIMOCRATIA SIVE DE REGIMINE CENSUALI.

Democratiam eſſe ex omnibus rebuspubl. abſolutè independentem, ſecus ac reliquas, n. 1. 2. etiam Timocratiam, n. 3. 4. 5. cujus ab Ariſtocratiâ & Democratia differentia & omnis ratio exponitur. n. 6-10. Eſſe eam duplicem, alterâ ſpecie propius ad Ariſtocratiam, alterâ ad Democratiam accedente. Utraque exemplis illuſtratur. n. 11-14. Quæ ſit imperii Timocratici poteſtas. n. 15.-18.

THeophilus interpres Græcus inſtitutionum Juſtiniani, agens de ſpeciebus juris, quæ ſecundum formam reipubl. variant, populum vocat *αὐτοφαῖον Νομοθέτην Conditorem legis abſolutiſſimum lib. 1. tit. 2.* utpote, qui ſolus ſuum jus ab alio non habet, ſed à quo jus in alios rectores proficiſcitur.

2. Ex quo manifeſtum eſt, ut alias probavimus, eos qui omne jus populi habent, ſeu ſingulos ſeu plures, verè abſolutam habere poteſtatem.

3. Talis etiam eſſe videtur, quam non poſſumus hic præterire, quamque Ariſtoteles quartam reipubl. formam vocat *Τιμοκρατικὴν Timocratiam, τὴν ἀπὸ τιμημάτων ἀρχὴν, imperium à cenſibus.* Ubi non quilibet è populo, ſed qui cenſi ſunt & cenſum præſtant, habent rempubl, quos vulgo in Belgis *Capitaliſtas*

n. 59. *e)* exemplum) *Ita quidem communiter perſuaſum eſt etiam hodiernis politicis talem cenſuram morum prodeſſe reip. ſed contrarium tamen, ut puto, evidenter & palpabiliter oſtendi* peculiari diſſertatione de judicio ſeu cenſura morum.

taliſtas vocant, Democratiam vero Ariſtoteles vocat παρέκβασιν exceſſum & corruptionem Timocratiæ.

4. Hæc ſententia habet hanc rationem; quod ita fere eveniat, ut talis civitas in ſe ipſam ruat, in quâ omnes indigenæ, homines liberi, imperii ſint participes, maximè, ſi latè pateat ac in plures urbes & pagos diffuſa ſit reſpublica.

5. Unde vix eſt, ut ullus populus adeo democraticè regatur, ubi non vilior plebs à publico concilio ſubmoveatur, admiſſis tantum qui opibus aut honeſtate notabiliores ſunt: quod utrumque τιμὴ vocatur ac inde *Timocratia.*

6. Cum autem apud omnes alios nuper & olim juris publici ſcriptores, *Democratia* tertiam faciat reipubl. ſpeciem, & tamen dari Timocratias non ſit dubium, quæri poteſt ſitne Democratiæ illa ſpecies, an Ariſtocratiis adnumeranda.

7. Si verum eſt, quod nos antea poſuimus, differentias rerumpubl. à numero imperantium æſtimandum, ſequitur, ſi numerus cenſitorum ſit minor quam proletariorum, dicendam eſſe Ariſtocratiam; ſi major eſſe democratiam.

8. Sed mihi non videtur abſurdum, in minore numero tantam eſſe latitudinem, ut duæ ſpecies inde civiliter formari queant; *Ariſtocratia*, ſi non major ſit numerus, quam ut *ſenatus* inde conſtitui poſſit; *Timocratia*, ſi jus actuale imperii & ſummæ poteſtatis, tot penes ſit homines, ut ad ſenatum exhibendum ſit inconditus; qualis eſt ſpecies nobilium in Polonia, vel poſſeſſorum ſoli in Friſia.

9. Quo ſenſu *Timocratia* tamen ſpeciem à democratia diverſam occupat; quæ demum hæc eſt; quando totus populus omneſque numero civium habiti concurrunt ad jus & exercitium ſummæ poteſtatis, quo jure fuit eccleſia, ſive concio Athenienſis.

10. Hæc enim ex lege Solonis de ſenatus actis judicabat, leges antiquas recognoſcebat, novas, re ſic ferente, jubebat, bella decernebat & pace finiebat, magiſtratus majores & belli duces terrâ marique creabat, fœdera inibat, legatos etiam mittebat, civitatem exteris dabat, etiam judicia de quibuſdam criminibus, maxime de quibus certæ leges non erant latæ, exercebat.

11. Sed & Timocratia ſubtilius diſtingui poteſt, quod vel *jure* ſit talis, vel *modo* duntaxat adminiſtrandi. Prioris exemplum Poloni & Friſii, ut demonſtravimus, exhibent; Poſterioris ſpecimen Romæ fuit, ex inſtituto Servii *Tullii* & *Fabii* maximi

12. Servius hoc modo inſtituit; populum partitus eſt in ſex claſſes, ſingulisque ſuas dedit centurias admodum diſparis numeri: Nam prima claſſis, quæ ditiſſimos cives tenebat, numero pauciores, ut ſit, diviſa erat in centurias XCVIII. Quatuor ſequentes opibus gradatim inferiores omnino habebant centurias XCIV. Sexta claſſis unica erat centuria, hominum numero facile reliquas omnes adæquans aut ſuperans, ſed absque cenſu; Suffragia juxta centurias ferebant. Ergo conſentientibus primæ claſſis centuriis, hæc jure ſuffragiorum cæteris prævalebat. Ultima verò, civium, inquam numero pauperiorum, partem dimidiam omnis populi continens, verbotenus unum è CXCIII. ſuffragiis habebat, ſed nunquam id exercebat; quia cum major pars rogata conſenſerat, reliquæ non rogabantur.

13. Hæc res, ejectis regibus, rempubl. Romanam ad inſtar Timocratiæ redegit, modo tamen potius & arte quam jure, nec aliter quam in comitiis centuriatis; donec Fabius Max. idem in tributis comitiis effecit, redactâ omni multitudine viliori in quatuor tribus urbanas; honeſtioribus qui non faciebant majorem numerum, unam & triginta tribus occupantibus, ut probatum eſt à nobis *in part. 1. Digreſſ. l. 1. c. 40.*

14. Si quis ternario rerump. numero contentus quartam non putet recipiendam, hanc quidem Timocratiæ ſpeciem Romanam, referat

ferat licet ad Democratiam: Priorem vero, quæ Polonorum & Friſiæ exemplis demonſtrata eſt, ad ariſtocratiam. Etſi nihil, inquam, vetat, illam pro quartâ reputare formâ.

15. De cauſâ Timocratici imperii, ſi quæratur, ubi non conſtat de vi & bello, oportet eam ſtatuere voluntariam; Proinde, quod ſubjecta populi pars in ſubjectionem ſui conſenſerit, aut expreſſè, ut Romæ per legem Fabiam; aut tacitè, ut in Friſia factum videmus.

16. Quicquid igitur de voluntario imperio ſimpliciter dictum eſt, & quicquid ejusmodi imperantibus licet in ſubjectos, ac his viciſſim in illos; id de talibus imperiis Timocraticis, eadem ratione prædicandum videtur.

17. Quemadmodum, ſi Timocratia ſuum initium à vi & armis habent, ut de Polonis dicendum videtur, idem illic univerſitati nobilium in populum ſubjectum competat juris, quod dominantibus in populos armis devictos licere intelligitur, qua de re *ſuperius* actum & agendum adhuc *inferius*.

18. Quanquam autem in voluntariis imperiis alienandi jus non competit imperantibus, quæ tamen ratio hac de re militat in laxioribus ariſtocratiis, ea ſe validius prodit in utroque genere Timocratiæ. diximus *in fin. c. 3. ſect. praced.*

CAP. VI.
DE MIXTA RURSUS REPUBL.

Mixtam rempubl. ubi plures ſint ordines, ſinguli habentes ſummam poteſtatem, non dari. n. 1.-5. Quæ ſententia rationibus confirmatur & objectionibus liberatur. n. 6.-11. Obſervationes de ſpeciebus mixturæ tali ſimilibus, attamen diverſis. n. 12-21.

EXplicitæ ſunt tres vel IV formæ rerumpublicarum. Multi quartam vel V. ſpeciem inculcant, quam mixtam appellant.

2. At nos ſuprà aliquoties *f*) indicavimus, reſpublicas propriè, id eſt, ex diverſis formis mixtas nec eſſe nec unquam fuiſſe videri, neque civiliter dari poſſe, vel antehac extitiſſe, propriè & ex vero ſumptas.

3. Tali utique miſtura, qualem diſſentientes deſcribunt, *ut jura ſummæ poteſtatis quædam regi, quædam paucis, quædam omnibus ſeorſim adtribuantur*, ſunt verba Arniſæi de mixta republ. agentis. *Syſtem. polit. cap. 6. ſect. 1. n. 38. 39.*

4. Adhuc expectamus, dum talis respubl. plures habens reipubl. formas ſpecie diverſas, ex omni ſeculorum memoriâ nobis monſtretur, quæ extiterit vel ætatem ferre potuerit.

5. Atque in ea ſententia fuiſſe Tacitum antehac *ff*) è verbis ejus probavimus; Ad cujus approbationem rectumque intellectum & interpretationem hujus ſententiæ, quædam adhuc rationes & obſervationes collocandæ ſunt.

6. Rationes ſunt; quod civitas & imperium ita differunt, ut corpus atque mens in homine, quemadmodum ſuprà demonſtratum eſt; Proinde ſicut unus homo non magis poteſt habere plures mentes quam plura corpora, ſic etiam una civitas non poteſt habere

n. 2. *f*) aliquoties] *Scilicet potiſſimum* Sect. 3. cap. 5. n. 30. ſeq. p. 86.
n. 9. *ff*) antehac] *ſuprà* Sect. 7. c. 1. n. 3. p. 252.

Digitized by Google

habere niſi unum imperium ſive ſummam poteſtatem.

7. Atqui in populo, ubi diverſa jura ſummæ poteſtatis ſunt penes diverſas perſonas exercenda ſeorſim, ibi diverſa dari imperia ſummasque poteſtates non poteſt negari.

8. II. Summum non poteſt eſſe, niſi quod unicum. Cum primum enim duo ſumma ſtatuuntur, de neutro dici poteſt id eſſe ſummum, ut dicere occupavimus in *ſect. 3. cap. 2. ſub fin.*

9. Unde & alia ratio, quæ hic uſum habeat, III. Quod fieri non poſſet, quin perſonæ vel ordines diverſi ſeorſim exercentes jura ſua, quandoque pugnantia populo imperarent; unde confuſio in ordine imperandi & cogendi neceſſaria.

10. Nec juvat exceptio, quod è diverſis juribus non fit periculum edi imperia diverſa; Sunt enim imperandi jura ſic inter ſe connexa, ut unum ſine alterius contactu explicari non poſſit.

11. Quæ eſt, IV. ratio quamobrem ejusmodi mixtura, quæ diverſa jura ſeorſim penes diverſos collocat homines aut ordines, non habeat facultatem.

12. Accedit experientia, quæ nondum ejusmodi mixturæ, quod ego putem, exemplum dedit, uſum ejus & rationem adſeverans, etſi multæ ſint ſpecies, quæ ſimilitudine aliqua minus peritis imponere poſſint.

13. Nam & in *condominatu*, de quo ſuprà diximus, duo ſumma imperia videri poſſent; niſi in loco demonſtratum eſſet, unam eſſe poteſtatem, quæ à duobus in ſolidum tenetur; plane ut obligatio, cujus duo rei debendi vel ſtipulandi ſunt, una duntaxat eſt in uſu juris.

14. Sæpe etiam ſit, ut in una repubI. diverſi ordines jura quædam ſummæ poteſtatis pariter exerceant, quæ tunc omnes ſimul habent eandem poteſtatis ſpeciem; quemadmodum in Anglia jus indicendi tributa ferendique leges.

15. Aliquando etiam uſu venit, ut omnia jura majeſtatis majora ſimul à rege & ab optimatibus habeantur, exerceantur, ut in Polonia; in quibus exemplis non eſt etiam quod negetur, dari mixturam, ſed non ejus generis, de qua hic loquimur.

16. Ratione quoque adminiſtrationis multifariam miſceri civitates, ejusque rei ſpeciem plerisque impoſuiſſe, ut Spartæ, Romæ ac alibi proprie mixtas fuiſſe respubl. putarent, pro certo habendum, qua de re *dix. lib. 1. Digreſſ. cap. 3.*

17. Sed nec rarum, ut diverſæ urbes regionesque diverſa utentes forma regiminis in unam coëant civitatem, eàdem retenta diverſitate regiminum, nec ideo tamen mixturam faciant; quia ſumma imperii, non ſingulæ partes conſiderandæ ſunt, ut in Friſia aliquæ civitates democraticæ, rurſus aliquæ reguntur optimatium more, ſumma tamen regiminis ariſtocratica eſt.

18. Fit etiam, ut plures populi ſub diverſis regimentis, non planè in unam civitatem, ſed in fœdus arctum conveniant, quædam tamen jura communiter exerceant, *ſub uno principe fœderis*, ſicut *aliàs* diximus.

19. Cujusmodi & hodiernam imperii Germanici conſtitutionem eſſe, non poterit negare, qui conſideret, omnia Majeſtatis jura plenamque παμβασιλείαν à Germanis principibus in ſuos populos, nec minus in exteros jura belli & pacis, liberè citraque veniam imperatoris exerceri, ut *aliàs* dictum & dicendum.

20. Non eſt tamen fortean, ut præciſe negari queat, poſſe fieri, ut unum aliquod alterumve jus majeſtatis ab imperio verè dividi & decidi queat, unique perſonæ vel ordini ſeorſim adtribuatur; Id enim in minoribus majeſtatis juribus non habet dubium; cur magis, in ejusmodi aliquo jure majori, quod conflictum notabilem in civitate non faciat? Ut ſi judicia de vita bonisque civium dentur alicui ordini independenter, ut alicubi juris eſſe, duntaxat ita diſputari novimus.

21. Imo

21. Imo in quadam gente vicinâ populus & primores habent jus tributa indicendi, ſine principe ſuo, quod eſt notabile mixturæ ſpecimen; at ejusmodi, ut ſimul indicet ejus periculum, & quam ſtare non poſſet ejusmodi Regimen, ſi non vi externa fulciretur.

CAP. VII.

DE IMPERIIS INVOLUNTARIIS.

De imperiis coactis primò remisſive, n. 1. Eſſe ea juſta vel injuſta. Utraque vel quoad formam talia, vel etiam quoad cauſam. n.2-15. Non ſemper ex victoriâ belli dominatum ſive herile imperium naſci. n.16. Dari quoque imperia mixta, partim violenta & ex parte voluntaria. n.17-20.

1. HActenus de imperiis voluntariis, ſequuntur involuntaria, verum antehac etiam de involuntariis & violentis actum, *ſect. 2. cap. 1. g*) de quibus alioquin heic demum locus erat agendi.

2. Probatum obiter in loco prædicto, violenta imperia non ſemper eſſe injuſta. Poſſunt enim eſſe juſta vel inde ab initio vel ex poſt facto. Ab initio juſta ſunt ratione formæ tantum, vel etiam ratione cauſæ.

3. Priore modo juſta ſunt imperia, quæ imponuntur bello ſolenni, quod ſcil: illatum eſt ab his, qui jus belli inferendi habent modoque jure gentium recepto geſtum fuit; Nam ejusmodi bella tribuunt effecta juris vitæ necisque & imperii in victos, ſine diſcrimine cauſæ bonæ an malæ, ut docet Grot. *lib.3.c.3. de jur.B. & P.*

4. Sed videndum, ne non diſtinguendum ſit, inter jus victoriæ adverſus regem & contra populum ſubjectum acquiſitæ, ut poſteriore ſolummodo uſu, jure belli imperium acquiri videatur; quomodo ſc. intelligi voluerint in Anglia nuper, qui imperium jure belli non poſſe acquiri contenderunt, hac ratione freti videantur; quod rege victo, non populo, imperium ad hunc, unde venit, relabitur: A quo victor id absque novo bello, nonniſi conſenſu, habere poſſit. Quomodo VVilhelmus Normannus Haraldum regem bello petiit, non Anglorum gentem directè; & clarius nuper VVilhelmus Arauſionenſis, Jacobum, à quo populus cauſam ſeparaverat ſuam.

5. At hoc quidem exemplum in hanc rem juſtum equidem, ſed valdè rarum eſt; plerumque enim populus cum rege cauſam habet conjunctam, ut hiſtoria de VVilhelmo Normanno adfirmat, ac ita fere ſemper uſu venit; Niſi quando gens aliqua ſub alienigena domino agit invita, quod accidit Africanis, Gilimero cum Vandalis ſuis à Juſtiniano victis.

6. An ejusmodi caſibus, voluntarium ſit imperium, à populi conſenſu profectum, an jure belli fundatum, dubitari poteſt. Pro hypotheſi, quod imperium ſemper ſit proprietate populi & reges ejus mandatarii, ut quidam volunt, dicendum eſſet, novo contra populum opus eſſe bello, & ſine eo victorem non aliter quam è populi voluntate conſequi jus imperii; quia licet regi priori corona fuiſſet erepta, cum hæc tamen ejus propria non fuiſſet, plus è victoria quam ille habuerat, juris acquiri non potuit. Sed imperium priori ademptum exercitio, ma-

n.1. g) cap.1.] *Parum ibi actum. Potius cum hoc capite conferri debent quæ diſſeruit autor* ſuprà ſect. 7. c. 3. n.26. ſeq. & quæ ibi notavimus.

nebat ejus proprium, cujus & antea fuerat, ipſius, inquam populi.

7. Sed in hypotheſi, qua populus coronam in regem ejusque familiam alienavit, videri poſſet hoc jus perfectum regni acquiſiti jure belli, ultimo regi & conſequenter ejus heredibus eſſe ademptum; quod etiam verum eſt, ſi regnum patrimoniale ſit; verum ſi uſufructuarium fuerit, ut pleraque ſunt à populi voluntate profecta, jus regni cum perſona regis finitur, & ipſo jure vel redit ad populum, vel ad eos, quibus poſt ultimum poſſeſſorem id à populo delatum fuit. *b)*

8. Plane, ſi quis armis invadens alienum regnum, id ſe non occupandi imperii, ſed auxilii oppreſſis ferendi animo facere declaret, etſi prætextus ab intentione ſere in actionibus hominum diſcrepent: tamen ſi victoria ſub hoc titulo parta ſit, is neque jus belli adverſus regem, etſi pulſum, nec adverſus populum obtendere poteſt; quia nemo plus juris habet, quàm habere ſe velle profeſſus eſt, ſecretis animorum inductionibus nullum juris externi effectum tribuentibus.

9. Cæterum, quando poſſeſſor regni & populus invaſori communibus armis, ut fere uſu venit, reſtiterunt, unaque victoria ſubacti ſunt, imperium victoris, jure gentium, quale vult, in eo fundatum eſt, ut probat Grotius *lib.3 de jur. B. & P. c. 7.* non modo ſi victor in continenti, ſine ulla pactione ſuum jus exerceat, quo caſu ſtatus belli reciprocus durat *i)* ſed etiam, ſi conſenſu declarato populus, victoris imperio ſe ſubmittat; Cui per voluntatem populi tantum detrahitur vel temperamenti adjicitur, quantum pactis ſpecialibus hic eſt ſtipulatus.

10. Si nullæ conditiones excipiantur, illa voluntas nihil eſt aliud, quam belli jus agnitum, quomodo deditii apud Romanos ſe habuerunt, idque ſimiliter obtinet, ſi quando nullam populus edit voluntatem; ſed poſitis armis imperio victoris illum in gratiam & protectionem ſuam recipientis, ſe tacite ſubmittit, fere uti jam diximus *ſect. 2. cap.3. n. 12. & ſeqq.*

11. Atque hæc ita ſe habent, etiam ſine diſcrimine cauſæ belli, juſtum an injuſtum ſit, modo requiſita juris Gentium habeat, ut docet Grotius in *lib. 3. de jur B. & P. c. 3. ſeqq.* Quod tamen non impedit, quominus vere juſta ſint quædam imperia jure belli fundata.

12. Sic enim ratione cauſæ, juſta ſunt imperia, quæ imponuntur victis bello, quod ipſi vel imperantes eorum meruerant. Cum enim tales liceat occidere, non eſt dubium, quin ſub imperio jure merito contineantur.

13. Injuſta autem ratione formæ ſunt, quæ jure victoriæ uſurpantur ab his, qui jus belli gerendi non habent, vel qui ſolennia bellorum requiſita, ſecundum jus Gentium non ſervant. *De his ſequenti capite loquemur, ubi de tyrannis, titulo talibus, agetur.*

14. *Injuſta* ratione cauſæ quæ ſint, ultro intelligitur; quando bellum quidem ſolenne fuit, quo victor imperium quæſivit, verum ſine cauſa juſtifica adverſus eos, qui imperio ſubjiciuntur.

15. Modus imperii eſt in arbitrio victoris, ratione ſæpe dicta, quæ eſt à majore ad minus; ſi victor habet jus occidendi, habet quoque jus ſervan-

---

n.7. *b)* fuit) *Diſtinctionem inter regnum patrimoniale & uſufructuarium per toties dicta non agnoſcimus. Potius dicendum, omne imperium etiam initio violentum demum in victore poſt homagium, & adeo poſt voluntatem populi, incipere eſſe verum imperium. Adde iterum Dn. Hertium* de modis conſtit. civit. ſect.2.§.5.

n.9. *i)* durat) *Quale vero jus imperii eſt, ubi ſtatus belli durat, ubi populo in victorem, & victori in populum in infinitum omnia licent, ubi nulla eſt reſp. quæ unionem voluntatum inter imperantem & ſubditos ſupponit, qua unio cum ſtatu belli pugnat.*

ſervandi ad ſerviendum §. 2. *Inſtit. de jur. perſon.* ſed vide quæ modo diximus & in *ſect. 2. c. 3. n. 11. & ſeq.*

16. Neque tamen ſemper ex jure belli initioque violento imperium herile, quod dominatum *k*) ſupra diximus, oritur. Sæpe generoſitas & manſuetudo victoris nihil quam civile obſequium exigit; ſæpe nihil aliud vult prudentia. Sic *populo Romano meliusviſum, amicos quam ſervos quærere tutiusque rati ſunt volentibus quam coactis imperitare*, ſunt verba *Taciti in Agric.*

17. Denique ſunt imperia, quæ mixtam habent cauſam *l*) ut expoſuimus in *præd. ſect. 2. c. 1. & ſeqq. quando* vi metuque voluntas elicitur, eaque vis antea ab imperante novo, aut aliunde infertur.

18. Ab illa, cum populus armis ad deditionem, certis conditionibus, faciendam compellitur, ita ut in ditionem victoris tranſeat, vi quidem coactus, ſed tamen vi pacti.

19. *Aliunde*, quando populus armis externis aut inteſtinis eò redigitur, ut exitum è malis ſuis, niſi dominum alienigenam recipiendo, non reperiat, ſicut olim Campani à Samnitibus preſſi, quorum *præd. loco* meminimus; nec multo aliter Friſii & Groningani Carolum V. & certis quidem legibus hi, quas Campani nullas ſtipulati leguntur.

20. Quod jam ad vinculum obligationis attinet, id in hiſce poſtremis ſpeciebus, ubi deditio non ultima vi, ſed medio pacto perpetrata eſt, non habet difficultatem; de prioribus quod ſatis eſt, diximus ſupra *ſect. 6. c. 3. n. 16. & ſeqq.*

SECTIO IX.
De Corruptione & interitu ſummæ poteſtatis.

CAP. I.
DE TYRANNIDE USURPATIONIS.

Tyrannidem hoc loco pro qualibet corrupta republicâ accipi. n. 1-5. Eſſe triplicem, titulo tantum, qui Piſiſtratiſmus, exercitio tantum ſeu Neroniſmum, utroque Phalariſmum. n. 6 7. Tyranni ſunt uſurpatores n. 8. 9. 10. Rex de facto, an idem ſit, quod uſurpator. n. 11-13. Quinam verè ſint titulo tyranni & quomodo tales eſſe deſinant. n. 15. - 22. Numquid juris imperata illorum habeant, & quid adverſum eos liceat. n. 23. -29.

1. Dicamus aliquando de Tyrannide, quæ poſt omnes reipublicæ ſpecies & jura ſequi debet, cum ſit *corruptio reipubl. cujuslibet rectæ*, quod tamen ita nolim accipi, ut quælibet corruptio tyrannis vocetur. *m*) Sic enim ſola *perfecta* respubl. quæ nulla eſt in mundo, non eſſet tyrannis, cum, ut alias è Platone diximus, olim hodieque, ξύμπα-

n. 16 *k*) Dominatum) *Sed cum dominatum toties negaverimus, hæc obſervatio eſt ſuperflua.*

n. 17. *l*) cauſam) *Ex noſtra doctrina omnia imperia violenta incipiunt à voluntariâ ſubmiſſione populi vel expreſſa vel tacitâ.*

n. 1. *m*) vocetur) *Diſtinctio rerumpublicarum in rectas & corruptas reſpectu imperantium ma-*

Digitized by Google

ξύμπασαι πόλεις κακῶς πολιτεύονται, omnes civitates male adminiſtrentur.

2. Proinde Olicharchia certè, quæ eſt corruptio ariſtocratiæ, non ſtatim eſt tyrannis; cum vix ullus aut plane nullus detur optimatium ſtatus, in quo non fiant coitiones, quibus poteſtas ad paucos redigatur.

3. Ita non ſtatim, ubi princeps utilitates ſuas à populi ſui rationibus dividit, ſuisque potius commodis quam utilitati publicæ ſervit, ſtatim pro tyranno habendus. Quotus enim quisque principum in mundo ejus culpæ foret expers?

4. Nec alio forte ſenſu *Alphonſus* rex, ſapiens vocatus, bonos reges dixiſſe fertur eſſe tam paucos, ut illorum nomina uni annulo inſcribi poſſint.

5. Sed de omni hoc negotio, maximi in hac arte momenti, videndum accuratius; Uſus hujus vocis ſtrictè de monarchis latius & à nobis de quavis inquam, republ. uſurpatur.

6. Eſt vero duplex tyrannis, alia *titulo* ſive uſurpationis; alia in *exercitio* quæ dicitur; niſi & *mixtam* dicere velis, titulo ſimul & exercitio.

7. Primum *Piſiſtratismum*, alteram *Neronismum*, tertiam *Phalarismum* à celeberrimis ſingulorum exemplorum auctoribus appellare licet.

8. Tyranni titulo, aliter invaſores & *uſurpatores* dicuntur. Et hoc quidem vocabulum arbitrarii uſus à politicis in hanc rem trahitur; cum juriſperitis uſurpatio ſit uſucapionis interruptio *l. 2. ff. de Uſucap. & Uſurp.* Sed hæc fit jure vel vi. Et ab hac ſpecie tranſiit in hunc uſum, ut quidem videtur.

9. Sunt igitur Uſurpatores, qui imperium civitatis nullo jure tenent, ſeu ſinguli ſive plures, ut Romæ *decemviri*, poſt leges XII. latas, Athenis aliquando quadringenti viri.

10. Nam triginta, quos dicunt, tyranni, huc non pertinent, etſi eorum exemplum crebrius in hanc rem vulgò citatur; nam hi juſtam cauſam, jure victoriæ à Lacedæmoniis conſtituti habuerunt, ideoque tyranni exercitio fuerunt. *Plutarch. in Lyſand.*

11. Eſt ubi diſtinguunt inter regem de jure & de facto talem. Et quidem de facto rex, idem cum uſurpatore ſive titulari tyranno, multis eſſe videtur; At hoc non æquè verum, quam quod de jure rex, etiam Legitimus rex ſit.

12. Quid apud Anglos, ubi hæc inventa eſt diſtinctio, ſit rex de facto, patebit exemplo. Henricus VII. ductâ in uxorem Elizabethe Eduardi IV. filiâ, regnum ejus nomine adire nolebat, etſi id populus mallet, ne magis Reginæ maritus quam rex videretur. Suo non audebat, quia minus erat populare jus Lancaſtriæ domus, ex quâ ipſe erat, præ Eboracenſi, unde erat uxor. Jure belli quoque non audebat uti, licet anteceſſorem ſuum prælio viciſſet. Sumſit igitur diadema, nullam juris ſpeciem præferens. Et ne hoc vim imperii diſſolveret, legem ferri curavit, quæ regi ab ordinibus agnito & coronato regiamque dignitatem de *facto* poſſidenti parere jubet. *Verulàm in Henr. VII.*

13. Quâ lege non ſtabilitur uſurpator neque ſupponitur tyrannus titulo, ſed inquiri prohibetur in jus regnantis publice conſtituti & agniti, ut inde civium obedientia ſuſpendatur. Et hæc res in Anglia nuper rurſus habuit uſum notabilem, non ab omnibus eodem modo acceptum.

14. Nos

gis cerebrina eſt & merè ſpeculativa, quam practica, partim quia homines in applicatione diſtinctionis ad ſtatum præſentem mirè variant ſecundum variationem affectuum; partim quia plerique perfectionem Platonicæ & phantaſticæ reip. fundamenti loco ponunt; partim quia ut ſequente cap. videbimus, nunquam licet tyrannum exercitio interficere ſine crimine læſæ majeſtatis.

14. Nos teneamus, uſurpatores & tyrannos eſſe qui regnum nullo jure tenent, qui regnum injuſtum tenent, cujus indolem & dotes ſi tenerent ambitioſi principes, minus multi id appeterent;

Bellum lacrymasque metumque
Cognatumque nefas injuſti munera regni.
apud Pap. St. *Theb.* 4.

15. Nullo autem jure videntur imperium habere, qui id, *invitis iis*, quorum eſt verum jus imperandi, de quo ſuperius actum, tenent, ſive is populus, ſive optimates, aut unus ſit.

16. Proinde ſicubi, expulſo rege vero, conſenſum licet ampliſſimum à populo invaſor impetravit, tamen non deſinit eſſe tyrannus, ut noſtra memoria apud Anglos uſu venit in *Cromwellio*.

17. Sed in populari imperio, ubi conſenſum invaſor a civibus impetrat, exinde legitimus incipit eſſe princeps, quod à *Gelone Syracuſis*, *à Servio Tullio* Romæ factum. *Diodor. Sicul. lib. 11. c. 26. Liv. lib. 1.*

18. Sed qui cives ad conſentiendum vi apertâ & terrore præſenti adigit, is invitis adhuc imperat, nec deſinit eſſe tyrannus, ut Romæ de triumviratu conſtat, niſi jusjurandum ſit interpoſitum, quo qui obſtricti ſunt, non habere de metu exceptionem probat Grot. *n) l. 3. c. 19. n. 5. & 6.*

19. Non idem, quod de vi apertâ, cenſendum, quando populus civem unum adeo videns potentem, ut, ſi velit, omnes cogere poſſit, imperium illi defert, antequam vim faciat, ut populus Romanus in Auguſtum ab Actiaca victoria reducem, quâ de re diximus in *lib. 1. digreſſ. cap. 17.*

20. Similiter, ſi vis primum adhibita, dein tolerabili imperio diu populus acquieverit, nec penes alium ſit verum jus imperandi, videtur etiam è tacito conſenſu deſinere eſſe invaſio.

21. Nihil enim cauſæ eſt, quare non heic etiam præſcriptio temporis locum habere debeat; cum in eâ, quæ longiſſimi & immemorialis eſt temporis, non requiratur titulus aut bonum initium, ut docent juriſconſulti.

22. Quippe non minus veriſimile eſt, populum haud velle in æternum fluctuare ſtatum imperii, quam privati creduntur, dominia nolle ſemper eſſe incerta, quæ eſt ratio, uſucapionis & præſcriptionis rerum, quæ ſunt in patrimonio.

23. Cæterum, invaſor, qua talis, non poteſt obligare cives ad obſequium, neque valent ejus præcepta, niſi quatenus ſine extrema confuſione ordo jubendi parendique non poteſt everti.

24. Tum enim is, ad quem pertinet jus imperii, malle præſumendum eſt, ut tyranno pareatur, quam ut univerſa civitas graviſſimo afficiatur incommodo, vel præceps in exitium ruat.

25. Violentum alioqui & notorium invaſorem vim adhuc continuantem cuivis ut hoſtem publicum interficere licet. Neque minus ubi vim deſiit adhibere, juſſu videlicet ejus, ad quem jure pertinet imperium.

26. Nam ſi ille uſurpationi acquieſcere, quam bellum civile ſubire malit, injuſta videtur habenda cædes tyranni; Ideoque probandum non videtur, quod Brutus & reliqui conjurati apud Lucanum gloriantur,

 Detra-

n. 18. *n)* probat Grotius) *Grotius* d. l. *probat ſaltem ut Autor refert, ſubditos non habere exceptionem metûs, ſi jusjurandum acceſſerit. Sed cum illa hypotheſis ſapiat arcana Papismi politica, quaſi in jurejurando aliquid Deo promittatur, quod citra acceſſionem jurisjurandi nullam producat obligationem, cujus tamen contrarium jam oſtendimus* in Inſtit. Jurispr. divinæ l. 2. c. 9. & de fundam. jur. nat. & Gent. ad d. c. 9. lib. 2. n. 5. ſeq. *Igitur aſſertionem Grotii eò extendimus, ut valeat etiam de promiſſione populi a Tyranno ſubacti injuratâ, quia alius modus non eſt evadendi ac decidendi controverſias eorum, qui ſuperiorem non habent, quales ſunt etiam ſubditi in relatione ad Tyrannum titulo talem.*

Detrahimus dominos urbi ſervire parata.

27. Aliter deinde Brutus idem epiſt. ad *Ciceron.* defendens ſe, quod Antonios *hoſtilis animi in rempubl.* manifeſtos, pro civibus habendos ſcripſerat, id à ſe *juſtiſſimè* factum ait, & pergit; *Quod enim nondum ſenatus cenſuit, nec populus Rom. juſſit, id arroganter non præjudicio neque traho ad arbitrium meum.* Quo jure igitur Cæſarem occiderunt ipſe ſociique, cui ſenatus ſolenniter fidem dederat, quem populus amabat ut quem maxime? rogare licuiſſet eundem Brutum. *o)*

28. Si tamen lex præexiſtat, ut eum, qui externum aliquod inque oculos incurrens factum commiſerit, hunc liceat occidere, velut qui ſatellites habuerit, qui arcem occupaverit; eam legem non expectato juſſu, exequi fas eſt, quo jure tyrannicidis olim ſtatuæ atque coronæ decretæ leguntur.

29. Cæterum, in invaſoribus mores non diſtingvuntur, adeoque juris ratio eſt eadem, ſeu Piſiſtratus, qui nulli injuriam fecit & quem Cæſar imitatus eſt, *ut in vitâ utriusque Plutarchus*, ſeu Phalaris civitati incumbat, adeoque clementiſſimus & humaniſſimus invaſor æquè *tyrannus* eſt *titulo*, quam qui cædibus & rapinis graſſatur.

CAP. II.

DE TYRANNIDE IN EXERCITIO.

Exercitio tyrannus quis, n.1.2. ejusque definitio ex Ariſtotele. n.3.4. Paraphraſis ejus Heinſiana notatur & ſententia Philoſophi illuſtratur exemplis. n.5-9. non tamen congruere definitionem illam omnibus imperiis. n.10. Proinde alia definitio traditur & exponitur, conveniens omnibus formis reipublicæ. n.11-21.

1. SEquitur *tyrannis* in exercitio, quando rectores jure conſtituti, poteſtatem ſuam ita exercent, ut hoc nomen mereantur, qualis Nero, Caligula, & alii plures.

2. Quatenus id vero fiat, locus aliquanto difficilior eſt, non modo quænam vere talis dicenda ſit tyrannis, verum etiam quid adverſus eam juris competat.

3. Ariſtoteles deſcribit tyrannidem, quod ſit Μοναρχία ἀνεύθυνος, πρὸς τὸ σφέτερον αὐτῆς συμφέρον, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ τῶν ἀρχομένων. *Unius imperium, quod ad ſuam ipſius, non ad ſubjectorum utilitatem in invitos exercetur*; quod eſt oppoſitum veri regis officio, qui civium cauſâ, ſicut omnis poteſtas, conſtitutus eſt. *lib. 4. polit. cap. 10. ſub. fin.*

4. Debere in invitos eſſe tyrannidem ſæpe dictum eſt, ultroque intelligitur, οὐδεὶς γὰρ ἑκὼν ὑπομένει τοιαύτην ἀρχήν; *Nemo enim volens ejusmodi fert imperium*, ait idem philoſophus; Quippe volentibus, ſiqui tales reperiantur, non fieret injuria.

5. Daniel Heinſius in Paraphraſi *d. cap. 10.* verba definitionis ita explicat, *non tam ad eorum quibus imperat, quam ad ſuam utilitatem.* Velim abeſſe illud, *tam, quam*; nec enim eſt in græco, nec convenire videtur; quia propria imperantis atque ſubjectorum uti-

n.27. o) Brutum) *Et nobis adeò rogare liceat Autorem, quo jure ſuprà defenderat Ciceronem* ſect. 3. c. 8. n. 44. p. 105. *Brutum excuſantem, quod extra juſſum ſenatus & populi Romani adverſus Antonios & Dolabellam arma ſumſerit.*

rum utilitas ſimpliciter, *poſitive* non *comparative* opponuntur, Θετικῶς non συγκριτικῶς ſpecie non gradu.

6. Si enim pro tyrannis habendi ſint, qui *magis* quærunt *ſuam* quam *civium* utilitatem, quotus-quisque regum & principum tyrannidis abſolvi poſſet, ut à princip. *cap. præced.* obſervatum eſt.

7. Erit igitur tyrannus Ariſtotelicus, qui omnia dirigit ad propriam utilitatem, populi vero commoda penitus negligit aut evertit, cujusmodi *Neronis* inſtitutum erat, cum præfecto inculcaret; hoc agamus, *ne quisquam, quicquam habeat*, ut *Suetonius* narrat.

8. Multo magis, ſi quis exitium populi totius quærat; modo ſanus homo illuc inſaniæ venire poſſit, ut ſerio velit, quod Caligula optabat, *univerſus populus ut unam cervicem haberet*, quam unico ictu præcidere poſſet, *apud eundem Suetonium in vit.*

9. Quare in imperio ſummo ſimpliciter delato *tyrannis* erit, ejusmodi inſtitutum, quale nec in *Democratiâ* ferendum à minore populi parte diximus, velut ſi pars major, coitione factâ, id agat, ut reliquos omni modo vitâ, fortunisve ſuis evertat. *Sect. 2. c. 3.*

10. Verum hæc definitio non convenit, niſi hypotheſi ſummæ poteſtatis ſimpliciter delatæ. Opus eſt deſcriptione generali, quæ omnis generis imperio tam limitato quam abſoluto, plurium & unius poteſtati congruat; etſi de monarchiis, id nomen imprimis uſurpetur, ibique potisſimum uſu veniat, quo ſenſu verum eſt, regnum & tyrannidem differre, velut virtutem vitiumque, laudem ac vituperium, adeoque ἀντίστροφοι τῇ Βασιλείᾳ; æque latè patere quam regnum ait, *Ariſt. l. 4. Polit. cap. 10.*

11. Denique, pro noſtro inſtituto *tyrannum exercitio* vocabimus, *qui terminos ſummæ poteſtatis ſibi jure delata notorie & præfracte egreditur.*

12. *Summam* in tyrannide propriè dictâ poteſtatem ſupponimus; ſiquidem ejusdem generis cum ſingulis imperii formis, quæ ſummæ intelliguntur, eſſe debet, nec aliter Philoſophus *d. cap. 10.*

13. Igitur, qui poteſtatem ſummam nullâ ſibi ex parte delatam exercet, eum titulo potius quam exercitio tyrannum exiſtimamus, velut ſi dux Venetorum ἀνυπευθύνως regnare vellet.

14. Si quis tamen ejusmodi Principes, cujusmodi olim erant *Spartani*, & ſunt hodie *Poloni* reges, ſuprà leges ſe evehentes, malit *hujus generis* nuncupare tyrannos, poteſt id ſuo ſenſu fieri.

15. Ex his jam ſponte ſequitur, quid ſint tyranni exercitio tituloque ſimul, ſcilicet, qui, cum nullum jus imperandi habeant, tamen imperium, quod uſurpant, impotenter acerbeque tractant, ut factum à Phalaride Agrigenti.

16. *Terminos poteſtatis*, habetur in definitione. Imperium deferri ſimplex aut limitatum, pridem intelleximus. Quod ſimpliciter delatum eſt, non habet terminos expreſſos, nec tamen eſt infinitum; quinam limites ejus tacitè intelligantur ſuprà expoſuimus.

17. Proinde qui illa, quæ in omni imperio tacitè excepta diximus, notoriè & præfracte violant, hos poteſtatis ſibi delatæ terminos excedere & eſſe tyrannos, ſi modò exceſſus non ſit contra ſingulos vel paucos; ut modo de Nerone & Caligula diximus, eſt ſtatuendum.

18. Secundum hos, qui poteſtatem, ſummam quidem, at non integram vel lege fundamentali limitatam acceperunt, his eſſe terminos ſuos, liquet, & poſſe ejusmodi terminos imperantibus poni, poſitosque ſervandos eſſe, quin eos qui illos egrediuntur, nihil agere atque abuti poteſtate ſuâ, ſæpius & copioſe demonſtravimus.

19. Tamen ſicut unus actus non facit habitum, nec una hirundo ver adfert, ita nec quilibet actus imperantium notam tyrannidis im-

dis imponit; ſed opus eſt crebris actibus iisque indubitatis & violentis, ut imperantes pro tyrannis haberi posſint. hoc eſt, quod in definitione collocatum eſt, *notoriè* atque *præfractè*.

20. Quicunque igitur nondum à commisſis adverſus leges fundamentales deſiſtere, neque cautionem in futurum melius conſulendi recuſant, nec emendationis ſpem conſumſerunt, hos pro tyrannis habere non licet. *p*)

21. Atque ex his jam conſtat, in imperio ſimpliciter delato, rectores multum improbitatis exercere poſſe, priusquam pro tyrannis haberi queant; ſecus ac hi, quorum poteſtas legibus eſt limitata, qui hoc nomen & jus incurrere poſſunt; etiam, quando reſpectu aliorum, abſolutè imperantium, pro moderatis haberi poſſe viderentur.

CAP. III.

DE JURE RESISTENDI TYRANNIS IN EXERCITIO, VEL TYRANNICE AGENTIBUS.

Adverſus tyrannum ſuperius deſcriptum, quid liceat ſubjectis, ratione & exemplis docetur; diſtincte tamen: eſſe enim aliud juris in eo, qui non habet ſummam poteſtatem, n. 1-12. aut non integram, n. 13-25. atque in eo, cui imperium ſine exceptione delatum eſt; n. 26-28. examinantur Barclaji n. 29.30.31. & Grotii ſententia. n. 32.33. Diſtinctio proponitur & ab objectis adſeritur. n. 34-48. Semper tamen ejusmodi perſonæ principis parcendum. n. 49. 50. De tyranno ex Ariſtotelis ſententiâ, ejusque uſu & executione. n. 51-54.

---

n. 20. *p*) non licet) *Vides adeò quam anguſtis & merè ſpeculativis limitibus circumſcribatur tyrannus exercitio talis. Quis enim determinabit, quis princeps malè imò peſſimè imperans conſumpſerit ſpem omnem emendationis. Et quis adeò judicabit, Principem ſuum ad claſſem tyrannorum eſſe referendum. Sanè hodiè Nerones, Caligulas, Heliogabalos &c. omnes politici in ore & calamis habent, dum de tyrannis loquuntur, Sed dum viverent, annon tibi perſuades, illos æquè habuiſſe ſuos adulatores, ſuos panegyriſtas, qui omnia eorum facta laudare non erubuerunt? Legimus hodie & excerpimus ex hiſtoricis eorum facta truculenta. Non legimus eorum donationes in miniſtros ſuos factas, aut non attendimus, ob quas à ſuis fuere pro patribus patriæ in cœlum ſublati. Ex eventu regicidii judicamus de juſtitiâ cauſæ contra regulas morales. Vereor, ne omnis doctrina politicorum ſequioris temporis de tyranno exercitio tali interficiendo nata ſit ex malè intellectis legibus Græcorum, de tyrannicidis præmio afficiendis, acſi loquerentur de tyrannis exercitio, cum tamen intelligendæ ſint de tyrannis titulo, aut ſint leges planè fictæ ab Oratoribus propoſitæ diſcipulis ad exercitia oratoria. Et ponamus etiam, conſtare de principe præſente, quod ad claſſem tyrannorum exercitio talium ſit referendus, quis jus dabit uni vel paucis ſubditorum, ut injurias toti populo illatas vindicent? Cur non hic idem dictum Bruti locum haberet, quod refert auter & approbat* n. 27. cap. præced. *Adde* cap. ſequens n. 4. ſeq.

1. Quod Ariſtoteles de viro bono aberrante dixit, *ἀδικεῖ μὲν, ἄδικος δ' οὐκ ἐςὶ lib. 5. ad Nicom. c. 6.* id de actionibus imperantium, contra jus ſibi delatum inſtitutis uſurpare licet; ſæpe eos tyrannice quidem agere, non eſſe tamen tyrannos, quamdiu non apparet, eos id agere præſtacte.

2. Quatenus tamen antea probatum eſt, acta, quæ fiunt contra jus imperantibus delatum, ipſo jure nulla eſſe, ſupereſt videndum, an ſingulis è populo jus illis reſiſtendi competat, ut ex nullitate actuum conſequi videtur?

3. Quoniam imperantes, manifeſto excedentes poteſtatis ſuæ terminos, privati ſunt & pro talibus habendi; quibus idcirco vim opponi non ſit à ratione alienum.

4. Verum ſalutis publicæ diſcrimen non ſemper admittit dialecticas concluſiones, adeoque ut ſingulis detur illa facultas reſiſtendi, ſola nullitatis ratio efficere non poteſt.

5. Poteſt enim fieri, ut nullitas, acquieſcente eo, cui jus contrà comparatum eſt, effectus aliquos valoris habeat; ut de teſtamento, quod ob præteritionem filiifamilias ipſo jure nullum eſt, traditur à JCis, id ipſo acquieſcente ex bono & æquo ſuſtineri in *l. 17. π. de Injuſt. rupt. teſt.*

6. Proinde, quoties hac de re quæritur, omnium primò, videndum penes quem ſit jus ſupremum.

7. Sane ubi unus tali principatu fungitur, ut regimen infra leges habeat, ibi jus ſummum neceſſario eſt penes ſenatum aut populi concilium.

8. Si hoc præſens & ſui potens acta ejusmodi principis aliorumve parem vim habentium tacite adſpiciat, pro conſentiente haberi debet; unde quod illegitimum erat, hoc modo legitimatur & obligat ſubjectos.

9. Ex quo liquet, concilium illud, ſi poteſtate ſuâ velit uti, jus habere *cohibendi* illos, qui principale regimen in abſolutum convertere ſatagunt.

10. Quominus autem hoc ſemper faciant, rationes equidem eſſe poſſunt, verum politicæ magis. Nam de jure non debet omittere tale concilium, quominus ſententiam ſuam & officium principis cordate ſignificent & demonſtrent.

11. Quod ſi tamen is, inconſultâ vi & manu fretus pertendat; neque à ſenatu in ordinem redigi poſſit, idque notorium ſit, jam nihil hærendum, quin ſingulis è populo reſiſtendi facultas jure competat. *q)*

12. Nam quid ſinguli vel plures valeant aut qui expediat, ſervire, an pugnare, facti magis & politices quam juris eſt. *r)*

13. Idem ſtatuendum, ſi rex ſummam quidem ſed integram non habeat poteſtatem, verum quaſdam imperii partes una cum ſenatu aut popularibus delegatis exercere debeat, idque facere adſpernetur.

14. Quomodo cum *Dux Albæ*, nomine *Philippi* regis, decimam à *Belgis*, ordinibus quibusdam invitis, exigeret, idque manifeſtum eſſet, haud injuria ſinguli cives, clauſis officinis, exactoribus reſtiterunt.

15. Nec alia ratione poteſt defendi, quod in pleriſque civitatibus defectio ab Hiſpanis *ex plebe* initium habuerit.

16. Quia ſatis conſtabat, pleraque *αὐτοπραγίας* Hiſpanicæ facinora, reclamantibus populorum ordinibus inſtitui, nec minus certum erat, jure fundamentali id omnino eſſe prohibitum.

17. Collocatur tamen longius hæc res extra controverſiam, ſi regis electioni *lex*

n. 11. *q)* competat] *Sed obſtant quæ modo notavimus* ad cap. præced. n. 20. in fine.

n. 12. *r)* juris eſt) *Sed fortè tamen parum utile eſt, diſputare de jure ſingulorum redigendi in ordinem tyranni, quem ſenatus in ordinem nequeat redigere. Annon enim tum diſputamus de jure rei moraliter impoſſibilis?*

commiſſoria adjiciatur, ut ſi rex non ſervet jura fundamentalia, populus omni vinculo obſequii ſolvatur, ut de veteribus Brabantis fertur & *Poloni* hodieque ſtipulari ſolent.

18. Idem eſt, ſi in delatione imperii ſit dictum, ut certo eventu regi reſiſti poſſit; cujusmodi pacta populi adverſus regem habere poſſe effectum naturalem, contra Hobbeſium *ſuprà* demonſtratum eſt.

19. Quin etſi nullus ſit optimatium ſenatus aut populi concilium, tamen, ſi verum eſt, ſicut eſt, regem, quatenus ei delatum non eſt, nec habere jus imperii, ſed hactenus eſſe privatum, *s*) ſequitur, imperatis ejus, quæ non *dubie* excedunt poteſtatem conceſſam, poſſe reſiſti.

20. Ni fiat, quod *ſuprà* faciendum diſputavimus, ut ſi quid iſtius generis occurrat, convocentur ii, quorum fuit primævum jus imperii.

21. Utique tamen ſemper, caſu neceſſitatis inopinæ excepto, qui etiam in ſimplici magiſtratuum officio exceptus intelligitur, quomodo olim *Epaminondas* & *Pelopidas*, etſi imperium in exercitum diutius quam ipſis à Thebanis erat conceſſum, retinuiſſent, ſe defenderunt. *Cornel. Nep. in Vit. Epaminond.*

22. Scimus hoc prætextu neceſſitatis imperantes abuti poſſe atque ſolere; ſed ideo non ceſſat eſſe juris, quod verâ æſtimatione, legi certæ ſubjici non poteſt.

23. Neceſſitas autem rigidè accipiendo eſt, ut ſit ejusmodi caſu, ſine quo *nec eſſe* poſſit, ut aliter conſulatur; nam hoc demum *neceſſe* dicendum eſt.

24. Ideo vix eſt, ut dubium eſſe queat, utrum neceſſe ſit, ordinem juris negligere, vel ſecus: nec utique ſane in dubio dicendum, regem, cui modus lege præſcriptus eſt, judicem & arbitrum illius eſſe neceſſitatis: magis videtur, hoc arbitrium ad eos, quorum conſenſus requiritur, pertinere.

25. Et hæc quidem, ubi jura majeſtatis non omnia abſolute ſunt penes imperantes.

26. Imperio autem *ſimpliciter* delato, conſentaneum eſt, nullam reſiſtendi facultatem ſubjectis dari, nec ob publicas neque privatas ob cauſas. *t*)

27. Infinitatem tamen Hobbeſianam ſana ratio averſatur, quâ de re non habemus quod addamus iis, quæ *ſuperius* copioſe disputata fuerunt.

28. Idem exempla antiquiſſimorum temporum evincunt, quæ ſuos reges ſimpliciter ſine anxiis ſtipulationibus ſtatuebant, nec tamen furias tyrannorum in infinitum perpetiendas crediderunt; tametſi in hujusmodi exemplis meritum hujus diſputationis non collocemus.

29. *Barclajus* ipſe, quem ut regii imperii fortiſſimum aſſertorem laudat Grotius *l. 1. c. 4. §. 7. verſ. Barclajus*, huc tamen deſcendit, diſputans contra Monarchomachos, maxime adverſus Brutum ὑποβολιμαῖον, ut ſi rex verè hoſtili animo in totius populi exitium feratur, non modo reſiſti illi queat, ſed & regnum amittat. *lib. 3 adverſ. Monarchom. c. 8. & lib. 6. cap. 23. & 24.*

30. Verum id haud facile contingit in rege mentis compote, niſi pluribus populis imperans in gratiam unius, alterum velit perditum, ut colonias ibi faciat; quod *Philippo II. Belgis*, irato, atroci murmure majores noſtri imputaverunt.

31. Largitur & reſiſtendi facultatem *Barclajus*

---

n. 19. *s*) privatum] *i. e. non habet imperium in cives, ſed hactenus tamen non fit privatus, ut ipſi cives reliqui poteſtatem habeant in ipſum, ergo cadit illatio autoris de poteſtate reſiſtendi.*

n. 26. *t*) privatas ob cauſas) *Ergo vides iterum, doctrinam de poteſtate reſiſtendi tyrannis exercitio nullius eſt uſus. Quid reſpondendum ſit ad exceptiones, quas autor in numeris ſequentibus tradat, mox videbimus.*

ilajus populo toti vel inſigni ejus parti adverſus ſævitiam regis immanem.

32. Grotius autem vix aut nihil alioqui cedens *Barclajo* in patrocinio regum, idem ſingulis civibus ad vitæ ſuæ tutelam concedit, utique jure naturæ & veteri divino, haud perinde *Evangelico d. cap.* 4. §. 7.

33. Quod ſi verum, ut debet, eſt, id quod *ſupra* diximus, non eſſe in novo fœdere ſeveriorem morum diſciplinam, ac in veteri fuerat, introductam, hæc differentia non poteſt admitti.

34. Mihi non abs re videtur, dicendum, aliud juris eſſe, cum rex ordine legitimo ad diſceptationem jurisfactique civem vocat innocentem & damnat; aliud, cum ſine medio illum injuſtè opprimere & occidere parat, quomodo *Saul Davidem* apud lares transfigere conatus, dein more latronis perſequi non deſtitit.

35. Sed judiciali ordini vim opponendam non eſſe, licet poteſtates ea abutantur, patum abeſt, quin primitivo fœdere civitatis conſtitutum videatur.

36. Adeo, ut ne manifeſta quidem innocentia, licet propoſitum iniquum imperantis haud obſcurum ſit, vis & arma judiciis opponi poſſe videantur.

37. Quia præviderunt populi, hoc conceſſo, nunquam prætextus turbandi judicia defuturos.

38. Sed ut ad libidinem vel fortuitam imperantium iram inauditos trucidare fas ſit, id nullâ ratione in voluntariis imperiis conſenſu civitatis poteſt dici conſtitutum.

39. In violento dominatu jus quidem externum ita faciendi deſpotæ comparatum eſt, *ut ſuprà docuimus*, quemadmodum dominus in ſervos jus vitæ & necis, ſine reſpectu ad cauſam, habet, ubi id lege non reſtringitur, ſicut Romæ jure novo conſultum fuit. *§. ult. inſt. de his qui ſui vel al. jur.*

40. Verum nulla tamen adeo valida obligatio eſt, quæ quenquam ad mortis ſine ulla ratione vel ſubmiſſione præviâ, patientiam obſtringat, ut ipſemet *Hobbes* fatetur.

41. Quare nec David adhuc privatus (nam unctio in anteceſſum à *Samuele* facta non exemerat eum, vivo Saule, numero ſubjectorum) non dubitavit ſe componere ad reſiſtendum, etſi Saul jus abſoluti imperii in ſuos, ut omnes Orientis reges, obtineret.

42. Idemque de *Machabæis*, qui Antiocho ut Alexandri Magni ſucceſſori abſolutoque imperatori ſerviebant, ut videtur, exiſtimandum eſt.

43. Unde, cur idem Chriſtianis contra immanem ſævitiam non liceat. veluti Gallis, poſtquam ex lanieria *Lutetiana* aliisque conſtiterat, hoc agi, ut omnes reformati jugularentur, difficile dictu eſt.

44. Vel quod non multo ſecus eſt, quando rex ſine judicio magnum civium partem bello invadit, omnique cruciatu vexat, ut eos adigat ad hoc, quod imperandi jus non habet; quomodo nuper in Gallia conſultum eſt.

45. *Grotius* Chriſtianis eam facultatem quam veteribus largitur, quosdam ſecutus, non concedit; citato patrum & Servatoris noſtri exemplo, qui Petrum juſſit gladium recondere, quod Petrus idem omnibus imitandum inculcat. *Epiſt. 1. cap. 4. v. 12. & ſeq.*

46. Sed præter quod Judæi & procurator *Pilatus* ſpeciem ordinemque judicii; quâ de re diximus, ſervarunt, notum eſt etiam, Chriſtum Dominum noluiſſe ullo modo remorari id, quod fieri debere toties prædixerat.

47. Eſſe enimvero laude & admiratione dignos, qui malunt injuriam & mortem pati, quam armis oppoſitis ſanguinem fundere, non eſt negandum.

47. Quomodo veterum Chriſtianorum mito & heroico certamine ad martyrii gloriam feſtinantium exempla videntur accipienda.

48. Ideo tamen eos omnes indiſcretè damnare, qui ultimo neceſſitatis præſidio renunciare noluerunt, prædurum videtur.

49. Ma-

Digitized by Google

49. Maximè, ſi hoc temperamento ſint uſi, ut perſonæ ejus, qui ſummam haberet poteſtatem, parcerent, quod & *David* ſedulo fecit, & juris ratio faciendum dictat.

50. Quia licet primæva civium conſenſio moderamen extremæ tutelæ admiſerit, non ideo civitatem, ut ſublato imperio contingeret, diſſolvi voluerunt; quod cum ultimum maiorum ſit, ob minus malum evitandum committi non debet, nec quidem ex lege caritatis fas eſſe videtur.

51. Jam quod vitæ ſervandæ causâ, ex natura fœderis, quo civitas conſtat, juris eſt, id propter bona reſque alias (niſi forte pudicitiam) non videtur concedendum, ut occupavimus dicere *ſect. 2. c. 3.*

52. Præterea, doctrinam Ariſtotelis huc applicabimus, qua tyrannidem ille definivit ita, ut à nobis expoſitum eſt in *cap. præced.* ſecundum quæ, ſi quis rex id agat, ut omnia dirigat ad libidinem utilitatemque ſuam ſolius, idque multiplici experientia palam ſit; omnibusque tentatis remediis, nulla ſpes ſuperſit emendationis, & rempublicam peſſum ire ſit indubitatum, nihil in ea ſententia videmus iniqui aut abſurdi, quæ reſiſtendi facultatem tribuit ſubjectis. *u*)

53. Et quanquam, ubi certo conſtat rem ita ſe habere, initium reſiſtendi à quovis fieri poteſt & magiſtratus nihilo plus habere juris quam infimos civium adverſus ſummam poteſtatem *alias diximus*; at tamen rectius & tutius hoc caſu principium à ſummis magiſtratibus fieri videtur.

54. Eo quod ſanius eorum hac de cauſa ſit judicium, & quod minore confuſione res geri poſſit ab illis, ut factum à *Bruto* contra *Tarquinium*, à *Galba* adverſus *Neronem*, à VVilhelmo Arauſionenſi contra Philippum II.

CAP. IV.

DE JURE PUNIENDI TYRANNOS.

Tyrannos uſurpatores cum non habeant ſummam poteſtatem ſine dubio poſſe puniri. n. 1-4. Tyrannos exercitio, tunc, quando commiſerunt, ut imperio exciderint. n. 5-13. Qui utroque ſenſu tyranni ſunt, hos indiſtincte poſſe puniri. n. 14. Jus puniendi competere iis, ad quos imperium, amoto præſenti rectore, competit; etiam magiſtratibus ſummis. n. 15-23. Modum pœnæ in uſurpatores eſſe, non modo exilium, ſed & mortem ordinariæ executionis vel ſubitam ex inſidiis. n. 24-31. De pœna tyrannorum exercitio variè cautèque diſſeritur. n. 32-56.

Hoc

n. 52. *u*) ſubjectis] *Ergo ſi ea, quæ hactenus vagè de exceptionibus diſputavit, ſub quibus reſiſti poſſit tyranno exercitio tali, demum concentrantur in hâc doctrinâ Ariſtotelicâ, recurrunt omnes objectiones modo prolatæ ad* cap. præced. n. 20. lit. p. *Et nusquam tuta eſt applicatio hujus doctrinæ ad negotia civilia in ipſis rerum argumentis ſe offerentia. Exemplum Philippi II.* n. 30. *erat ſaltem imputatio ex incerto murmure orta. Et ſi vera fuiſſet, non ſiſtebat regem in totius populi exitium inclinantem, cum id facere vellet in unius populi gratiam. Davidis & Saulis exempla multis cautionibus ſunt obnoxia, partim quod David multa fecerit ſpeciali inſtinctu divino, partim quod David magis ceſſerit Sauli, quam ei reſtiterit, partim quod Saul parum commode* n. 41. *Videatur intuitu abſolutæ poteſtatis comparari cum aliis Orientis regibus, qui videlicet magna reverentiâ debebat reliquias Theocratiæ in Samuele venerari &c.*

1. HOc caput, etſi ancipitis plenam periculi doctrinam continens, omitti non poteſt. Abſolvemus id autem his articulis I. an Tyranni omnino puniri. II. à quibus & III. quâ pœnâ multari poſſint.

2. Prima quæſtio ſuper tyrannis *titulo* qui dicuntur, ſive uſurpatoribus ex parte jam in *cap. 1.* definita eſt, ubi promiſcuè de modo reſiſtendi & puniendi illos, actum fuit.

3. Puniendi facultas alioqui ſequitur reſiſtendi actum, his enim tyrannus in ſtatum adduci poteſt, ut puniri queat; etſi ex jure reſiſtendi non ſequitur jus puniendi, cum ſæpe fiat, ut reſiſtere liceat ei, quem punire non licet.

4. Tyrannos igitur titulo, qui totum imperium invaſerunt, in poteſtatem redactos quominus punire fas ſit, pro modo commiſſi, non dubitatur; committunt enim crimen læſæ majeſtatis, ſive perduellionis, cujus eſt graviſſima pœna, tam ſi à libero populo vel ab optimatibus quam à rege legitimo imperium uſurpent.

5. De tyrannis in exercitio difficillima quæſtio habetur. Quæ difficultas magis exinde, quod ignoretur, quis ſit tyrannus, quam applicatione juris ad hypotheſin veri tyranni, orta videtur. *w)*

6. Enimvero jus reſiſtendi de quo *capite ſuperiori* egimus, hac parte non ſemper in iiſdem terminis juri puniendi reſpondet.

7. Nam reſiſtere licet quibusdam injuſtis & violentis regnantium actibus, ut *ſupra* intelleximus, etſi non ideo ſtatim tyranni ſint.

8. Punire tamen non alios quam perfecte tyrannos licet; quia dum adhuc Rex eſt & manet, nulla in eum jurisdictio, quæ ad pœnam infligendam in civitate requiritur, competit.

9. Hujus igitur loci jus, ex eo quod præcedenti capite dictum, fluit, ut ſciamus, quando imperantes è causâ tyrannidis, tales eſſe deſinant; quo caſu exiſtente, quominus puniri queant, juris quidem expletorii non obſtat ratio; dignitatis & attributricis prudentiæ diverſa poteſt eſſe conſideratio; de qua tamen hic non agimus.

10. Amittitur autem imperium, ſi commiſſus ſit caſus, cui lex commiſſoria fuit adjecta, vel ſi & alias poteſtatis ſuæ terminos notoriè & præfracte egrediatur.

11. Nam ſi hoc evidenter conſtet, *x)* adeo ut ſpes emendationis civiliter nulla ſit, eo caſu vel rectores excidere poteſtate ſua, vel terminos illos fruſtra poſitos eſſe oporteret.

12. Idcirco tali caſu exiſtente, pœnam aliquam *y)* adverſus ejusmodi imperio functos, decerni poſſe, ratio dictat.

13. Multo magis id quidem, ſi rectores ſimpliciter conſtituti hoſtilem erga cives ſuos animum induant totumque rectoris officium omni immanitate pervertant.

14. Atque his ita de tyrannis *titulo* ſive uſurpatione & exercitio ſeorſim collocatis, nihil hærendum, quid de uſurpatoribus efferis & cruentis ſtatuendum ſit.

15. Supereſt, ut qui pœnam exigere poſſint, videamus; quod etſi invidioſiſſimum tamen nec omitti poteſt. Deus equidem hoc officium frequenter occupavit, ut in ſacris legimus; eoque ultore ſi defungi liceret, contenti forent tyranni, qui hunc ſolum a-

---

n. 5. *w)* videtur) *Nobis ſufficit, quod autor hic fateatur, ignorari, quis ſit verus tyrannus, adeoque applicationem doctrinæ de pœna tyrannorum eſſe ſaltem hypotheticam & merè ſpeculatibam.*

n. 11. *x)* conſtet) *Atqui non conſtat per toties dicta, & quia ipſo autore fatente ignoratur, i. e. non pòteſt oſtendi, quis ſit tyrannus.*

n. 12. *y)* aliquam] *Imò nec hoc ſequitur, Tyrannus excidit imperio, E. poteſt puniri. Neque enim qui imperio excidit, eſt ſub imperio ſuorum ſubditorum. Conf.* modò dicta lit. t.

lum agnoſcere gaudent.

16. Jus Dei, vicarius ejus in terris pontifex Romanus ſæpe ſibi & verbis arrogavit & facto exercuit, prætextu excommunicationis, cujus ſequela ſit, interdictio communionis cum principe devoto, facta omnibus Chriſtianis ei ſubjectis, quæ vinculum obligationis in imperando & parendo fidemque mutuam tolleret.

17. Sed jam pridem edocti ſumus, vicariatum Chriſti, quem pontifex ſibi arrogat, ſiquidem ei deberetur; conſiſtere in excluſione *τῶν ἔσω τῆς ἐκκλησίας, à myſteriis ſacris*, cum quibus nihil habet commune civilis poteſtas; ſiquidem & infidelibus in imperio conſtitutis obſequium nihilo ſecus debetur. Neque Chriſtus ejuſmodi potentiæ cauſâ in mundum ſe veniſſe declaravit, aut in apoſtolos ſuos tale quicquam contulit unquam.

18. Ex ſuprà dictis intelligi datum eſt, tyrannum, hoc ipſo, quod deſinit habere jus ſummæ poteſtatis, & incipit eſſe privatorum loco, fieri ſubjectum z) iis, ad quos, ipſo amoto, pertinet imperium; Unde hos oportet eſſe eos, à quibus pœnæ exigi poſſunt.

19. Secundum hos eandem poteſtatem habere videntur, qui graviſſimis criminibus coercendis & judiciis publicis ſunt præpoſiti.

20. Igitur uſurpatores alienorum regnorum à veris regibus; & invaſores liberorum populorum ab his ſuum jus vindicantibus plecti poſſe, inquam, non eſt dubium.

21. Poſſunt etiam à ſenatu vel ſummis magiſtratibus tam uſurpatores, quam tyranni exercitio animadverti, ſicut à Romano ſenatu, damnatus eſt Nero.

22. Scilicet, tyrannidis commiſſum eſſe debere manifeſtum ac indubitatum, & perſonam tyranni in poteſtate, res ipſa & ſuperius dicta loquuntur: Alioqui res non tàm juriſdictionis quam belli a) eſt & in dubio pro imperantibus præſumemus.

23. Privatis non eſſe permittendum hoc puniendi arbitrium, niſi quo antea modo circa tyrannos titulo, dum adhuc in vi flagrante verſentur, vel, ſi lex in certa quædam facta tyrannica ſingulos armet, omnimodo ſtatuendum eſt.

24. Supereſt de genere modoque pœnæ tyrannis infligendæ, conſideratio, qua parte diſtinguendum eſt iterum inter uſurpatores ſive titulo tyrannos & exercitio tales.

25. Abdicatio ſive dejectio ab uſu imperii in tyrannis titulo ſive uſurpatoribus pœnæ loco haberi non poteſt, cum nihil ſuum amittant, etſi aliquando populos vel principes pro rerum ſuarum ſtatu hactenus fuiſſe contentos accepimus, ut cum Piſiſtratidis actum Athenis.

26. Exſilium publicatis aut etiam ſalvis patrimoniis ſæpe uſurpatoribus irrogatum; quominus tamen pœna mortis iisdem infligatur nihil obſtat, maximè ſi uſurpationi ſævitiam aliaque injuſta facta addiderint, ac ita ſimul titulo & exercitio tyranni fuerint.

27. Plane, ut juris ratio de mortis pœna dubitare non ſinit, ita prudentia & politica conſideratio ſæpe aliud ſuadet; etſi nos hic de jure quærimus; ſecundum quod uſurpatio eſt perduellio, ſi res inter ejusdem reipubl. conſortes agatur.

28. In qua hypotheſi nihil vetat, ordinaria juriſdictione, cognitione modoque in executione uti, quomodo Solon adverſus uſurpatores procedi voluit, ut teſtis eſt Plutarchus.

29. Verum ſi id tuto fieri nequeat, ut plerumque uſu venit, non abhorret à ratione juris, vi ſubita invadere & opprimere invaſo-

n.18. z) ſubjectum) *Unde hanc illationem negamus.*

n.22. a) belli.) *Scilicet hic tangit autor chordam, ubi tangi debebat. Si modo conſtaret de tyranno exercitio, tum tamen non poſſet puniri à ſubditis, ſed res deveniret ad cauſam belli.*

Digitized by Google

invaſorem, quomodo Jojada ſacerdos jure & nomine regis pueri aviam hujus Athaliam oppreſſit ac interfecit. 2. *Chron.* 23.

30. Eadem ratione percuſſorem invaſori immittere licebit, ut veteres arbitrati ſunt etiam ubi leges non erant id ſancientes, quemadmodum poſt Solonem non fuerunt Athenis; ubi tamen Harmodius & Ariſtogiton hoc nomine tantopere laudati ſunt, ut diſſentire vix licuerit.

31. Quod ſi tamen bellum ſit inter regem verum & invaſorem, non videtur recedendum à communi jure gentium, quo immiſſiones percuſſorum & propinationes veneni, utcunque ſimplici jure naturæ permiſſæ adverſus eos qui mortem meruerunt, in bello prohibitæ ſunt, ut Grotius probat *l. 3. c. 4. n. 15. ſequ.*

32. Quod ad tyrannum exercitio rurſus attinet, difficilior eſt articulus. Multi negant ullo modo pœnam in eum competere, qua de re Bodinus ita; *Quod ſi monarchia quadam eſt ſumma*, inquit, *unius poteſtate conſtituta, qualis eſt Francorum, Hiſpanorum, Anglorum, Scotorum, Turcarum, Tartarorum, Perſarum, Indorum, & omnium pene Aſiæ & Africæ Imperiorum, ibi reges ſine controverſia jure omnia majeſtatis habent, nec ſingulis civibus nec univerſis fas eſt ſummi principis vitam, famam aut fortunas in diſcrimen vocare; etiamſi omni ſcelerum ac flagitiorum, quæ in tyrannos ante convenire diximus, turpitudine infamis eſſet. lib. 2. de republ. c. 5.*

33. Huic per omnia de jure non poſſumus adſentiri. In facto hæret omnis difficultas, an aliquis princeps verè ſit tyrannus: quod ubi conſtet, ratio noſtra ſuperius expoſita vult, eum deſinere ſummam habere poteſtatem & privati loco habendum, ideoque nec omni pœnæ eximendum. *b)*

34. Nec recedimus à definitione tyranni, quod ſit is, qui notorie & præfracte egreditur poteſtatis ſibi delatæ terminos; quos ſemper eſſe aliquos in loco demonſtravimus.

35. Bodinus imperia voluntaria & violenta Francorum, Turcarum; Anglorum & Perſarum malè confundit; etſi hactenus ſane conveniunt, quod in omnibus, ſi imperantes ſe, ut hoſtes populi gerant, rectores eſſe deſinant. *c)*

36. Præterea in voluntariis, ſi notorie & præfractè ea quæ tacite in imperiis ſimpliciter delatis excepta diximus antea, adverſus omnes vel majorem aut notabilem populi partem inſtituant, dicendum eſt, tyrannidem committi & pœnæ eſſe locum.

37. Nam ſi nonniſi contra ſingulos vel paucos vim faciant, ob ea quæ imperio excepta ſunt, etſi jus reſiſtendi datur illis paucis vel ſingulis, non eſt tamen adhuc, quod pro tyrannis habeantur

38. Similiter alienatio totius imperii vel ſubjectio, quod idem, infra aliam poteſtatem, ſi fiat præfracte ad effectum, pro tyrannide habenda fuerit; non æque partis alicujus alienatio, tametſi hæc etiam ipſo jure nulla ſit.

39. In imperiis majore quidem parte ſummis, attamen limitatis, ſi imperantes aperte violenterque in eo ſint, ut leges fundamentales evertant, commiſſam videri tyrannidem, antea probavimus,

40. De genere modoque pœnæ in his exercitio tyrannis, quicquam ſtatuere peremptoriè, res eſt difficilis & periculoſa inprimis. *d)*

n. 33. *b)* eximendum) *Sed ad hæc omnia reſponſum jam fuit in præcedentibus.*

n. 35. *c)* eſſe deſinat) *Ergo etiam pro Bodino afferri poteſt, quod & hactenus conveniant illa imperia, quamdiu oſtendi non poteſt exemplum præſens tyranni exercitio, ad quod doctrina autoris applicari poſſit, quod reges omnes non poſſint puniri à populo.*

n. 40. *d)* imprimis) *Ut non opus habeamus in ſequentibus ea ſingula notare, in quibus ſe fruſtrà torquet autor, breviter notamus, difficilem hanc & periculoſam quæſtionem fruſtra & inutiliter inſtitui, ſi in facto ignoratur quis ſit tyrannus. Non entis enim nullæ ſunt affectiones.*

41. Nam & in proclivi abuſus eſt veræ doctrinæ, nec usquam juridicæ, & politicæ rationes, facultatis & dignitatis reſpectus magis confligere & ſibi mutuo officere videntur.

42. Quibus fit, ut in hypotheſi, regem in judicium adducere & ad cauſam cogere dicendam, denique ſubeundam condemnationem atque pœnam, abſurdum videatur.

43. Nec ullum magis in promptu Bodinus argumentum habet; *Quod ad judicium attinet*, inquit, *nulla magiſtratibus ac multo minus privatis in ſummum principem poteſtas eſt; cum non ſolum ab ejus unius omnia omnium imperia pendeant, ſed etiam eo præſente magiſtratuum & collegiorum omnium poteſtas conquieſcat. Subditis igitur principem jure rogare aut in jus vocare, judiciumque de vitâ famâ ac ſtatu illius conſtituere ſi nefas eſt; ſi denique nulla clienti in patronum, ſervo in dominum juriſdictio eſt, quonam modo manus intentare Tyranno licet?*

44. E contra juridice procedit hoc argumentum. Si pœna poteſt irrogari tyrannis, ut poſſe vidimus, oportet judicium de illis poſſe celebrari. Et tamen, cum tyrannorum exempla punitorum non deſint, judicii tamen exemplum adhuc inauditum eſt, Nam quod noſtro tempore vidimus actum, non fuit in tyrannum; fuit in regem, qui, ut exceſſus & errores aliquos obierit, tyrannidem nullo modo commiſerat. Et tamen, ſi maxime exceſſus illi fundamentales & præfracti fuiſſent ad notam usque tyrannidis, indignatio tamen hominum major fuiſſet ob proceſſum judicialem & manum carnificis, quam ſi clam fuiſſet necatus.

45. Sed non hic ſolus eſt caſus, quo grave ſit oculis, quod diſputando ſuſtineri poteſt; & quo dignitatis reſpectus à juris merito difficulter ſeparari poſſit, ut olim Mariæ Scotorum Reginæ judicialis executio inexpiabilem Elizabethæ creavit invidiam, præ quam more clandeſtina feciſſet; Et tamen Burlegus JCtus in ejus conſilio contra Leiceſtrium comitem venenum ſuadentem ſancte proteſtatus eſt, urgens judicium; rectè pro jurisconſulto; *e*) politicè rectius alter. Etiam Johannes Sueciæ Rex amotum quaſi ob tyrannidem Ericum fratrem condemnavit quidem, attamen judicio abſtinuit & venenum dedit.

46. Perinde, quod ſenatus Romanus in Neronem decrevit, non fuit judicium, ſed decretum quaſi in re notoria: tametſi cauſæ cognitio juridice ne quidem in maxime notoriis omitti poſſit.

47. Tenendum igitur, juridice tyrannos, qui verè ſint tales, judicio poſſe condemnari; politice recte conſuli, ut oculis multitudinis parcatur.

48. Bodini autem vis argumenti ex his quæ pridem poſuimus, tyrannum deſinere eſſe poteſtatem, eumque ipſo jure, ſi commiſſum tyrannidis ſit indubitatum, fieri privatum, ſatis labefactatur.

48. Videndum, ne adhuc obſtet, quod antea diximus, regis perſonæ parcendum, etſi vis contra eum juſta ſit: Quod eſt verum, ſi caſus extet; quo ſingulis vel paucis reſiſtendi facultas competit, non etiam ubi tyrannis in univerſum perpetrata extat,

49. Non ſpernimus equidem aliud ejusdem Bodini argumentum: *O quanta ſit tyrannorum multitudo*, inquit, *ſi tyrannos ſubditis occidere liceat, quam multi innocentes ac optimi principes ſuorum conſpiratione perituri;* ut parum abſit, quin tutius videatur populis, malos principes, ita ut tempeſtates vel iram Numinis ferre, quam bello civili vindicare libertatem.

50. At non ſemper ab utilitate pendet juris conſecutio, neque certæ rationes probabilibus evertuntur: Nec veritati rerum vitiis

n. 45. *e*) JCto) *Planè non. Nam in quæſtione erat, an Eliſabetha habeat poteſtatem judicandi reginam alterius populi, etſi quædam inimica adverſus eam tentaſſet. Unde exemplum aria SMcotica planè ad quæſtionem præſentem non pertinet.*

vitiis hominum aut detorſione calumniantium præjudicatur.

51. Sed qua tandem pœna utendum in tyrannos? magnam ut commiſſorum, ita pœnarum varietatem eſſe oportet. Si intestabilis ſævitia & immanitas fuerit, ut miſeratione dignitatis præteritæ conſumptâ; nihil quam homo & ſceleritas in conſpectu ſit, vix eſt, ut ullum mortis ſupplicium videatur eſſe nefarium, ne quidem, quod in Neronem placuiſſe conſtat & quidem genus indigniſſimum, quo viliſſimus quisque mactari ſolebat, ut verberibus exanimatum corpus ſecuri percuteretur, vel etiam, ut virgis ad mortem capite furcæ inſerto cæderetur, ut Suetonius refert.

52. Nec poſſumus admittere exceptionem Bodini, qui negat, Neronem habuiſſe jus ſummæ poteſtatis, & imperatores Romanos tantum fuiſſe primores contendit. Aliter à nobis probatum in *ſect. 2. c. 7.* & luculentius in *lib. 1. Digreſſ. c. 16. & ſeqq.*

53. Magis tamen laudemus eos, qui dejectione & exilio tyrannorum contenti fuere; quomodo Athenienſes in Piſiſtratidas, Romani in Tarquinios conſuluerunt, vel carcere perpetuo, quod Suecis in *Ericum* ſuperiore ſeculo placuit.

54. Si non propter immanitatem, ſed ob inſtitutum violandi leges fundamentales decretorium & pertinax, in tyrannidem incidiſſe judicati ſint, non videtur ultra abrogationem poteſtatis procedendum, quomodo noviſſimè in Scotia expreſſè verbis, in Angliâ tacite atque re ipſa decretum videmus.

55. Niſi, quod exilium vel cuſtodia perpetua, ſecuritatis cauſa accedere ſolet & fere neceſſaria eſt. Quando poſt Cyrum non conſtat, ullum regem in poteſtatem redactum, imperio, ſalva libertate, fuiſſe dejectum, niſi quod nuper eo modo in magna Britannia vidimus conſultum.

56. Sed de amiſſione ſummæ poteſtatis locus adhuc inferius occurret.

CAP. V.

DE FIDE ET PERFIDIA SUMMARUM POTESTATUM IN CONTRACTIBUS.

Hoc capite agi de conventionibus, quibus ſummæ poteſtates jam conſtitutæ obligentur. n. 1. 2. Teneri illas cunctis promiſſionibus naturaliter: n. 3. 4. civiliter per ſe nunquam, n. 5. 6. ſed tantum ſi velint, quod præſumi in contractibus privatis. n. 7-13. In jus tamen vocari & judicari ne tum quidem poſſe, niſi voluntariè certis judicibus ſe ſubmittant; quo præſuppoſito nec naturaliter abſolute, neque civiliter, eos poſſe negare ſolutionem ſine manifeſta injuriâ. n. 14-17. Quatenus pœnæ aut dominio eminente hic ſit locus. n. 18-25. Conventionibus quæ regimen civitatis ſpectant, jure naturæ principem duntaxat teneri: conſenſum in civilem obligationem heic non præſumi. n. 26. 27. An reſtitutio in integrum contra effectum naturalis obligationis hic locum habeat. n. 28-35. De uſu hujus obligationis in executione, tam reſpectu exterorum, quam ipſius populi aut certæ populi partis. n. 36-49. Alia obſervatio de contractibus optimatium &c. n. 50. Civitas quatenus obligetur ex conventione rectorum. n. 51. 52.

Quomodo ſucceſſores teneantur, per diſtinctionem explicatur. n. 53-73. Et quid jusjurandum promisſionibus addat, n. 74. 75. 76.

Tyrannidem committi factis, quæ conſtitutioni ſummæ poteſtatis & fundamentis imperii adverſentur, è ſuperioribus intellectum eſt: At ſæpe fit, ut perfidia regnantium ſine tyrannide committatur.

2. Quod ut intelligatur, videndum paucis, quid de illis conventionibus, quibus non defertur aut minuitur *imperium*, ſed quæ *poſtea* contrahuntur, & quibus nullum jus ſummæ poteſtatis aufertur, vel cum alio communicatur, ſit habendum. Cum enim vis obligationis, quæ neceſſitate adſtringit, à ſuperiore, vel ſaltem à pari proficiſci debeat, & per ejusmodi conventiones, quibus nemo in participium imperii vocatur, rectores nulla parte deſinant habere ſummam poteſtatem; meritò, qui talis obligatio juſtum habere poſſit effectum, dubitatur.

3. Jure naturali gentiumque regnantes obligari ſatis eſt clarum, quia nihil præ cæteris habent mortalibus, quam jus certi populi, qui cum ipſe legibus naturæ totiusque humani generis inſtitutis teneatur, imperantes iisdem teneri neceſſum eſt.

4. Jam promisſiones expreſſæ de jure in alium transferendo pleneque acceptatæ ſine dubio vim habent obligandi naturalem, jusque perfectum alteri contrahenti tribuunt, ut bene probat *Grotius lib. 2. c. 11. de jur. Bell. & Pac.* & nos alibi adſtruemus.

5. At civili vinculo, contractus ſummarum poteſtatum per ſe nunquam obſtringuntur, ſeu cum ſubditis imperio, ſive cum exteris ineantur.

6. Non, ſi cum civibus contraxerint, quia obligatio eſt juris vinculum, quod neceſſitate obſtringit ſecundum jura civitatis; Atqui ſummam poteſtatem non poſſe cogi, & omni jure civili ſolutam eſſe, jam toties dictum eſt; Cum externis autem non ſunt termini habiles civilis obligationis, quia non ſunt ejusdem civitatis. *f)*

7. *Per ſe*, inquam; nam ex natura negotii & circumſtantiis præſumptio naſci poteſt, quod ſecundum jus civile, prout eſt in loco, partes ſive ejusdem ſive diverſi imperii agere voluerint.

8. Quod de privatis regnantium conventionibus, ut ſunt emptiones venditiones, locationes conductiones, ſtipulationes, transactiones ſimilesque, omnino ſtatuendum.

9. Quoniam tales actus non à rege qua rege, ſed quaſi ab alio quovis inſtituuntur, adeoque, ut in membrum *communitatis*; quod & ipſius utilitas poſtulat, quia nemo alioqui cum principibus contrahere vellet.

10. Hinc imperantes ex emptione ſine pretio, locatione ſine mercede, pacto nudo ex hypotheſi juris Romani, nec agere nec conveniri poſſunt.

11. Perinde ex teſtamento imperfecto ut non cogitur princeps ſolvere legata, ita nec ipſe de tali quicquam petere poteſt, *§. ult. inſt. quib. mod. teſtam. infirm.*

12. Imo & leges municipales cujusque loci, in quo contractus celebratur, æque in principibus ac in aliis ſervabuntur.

13. Poſſunt tamen exprimere in anteceſſum, ſe illis legibus nolle teneri; quomodo, ſi rex faciat ipſe *teſtamentum ſine ſolennibus* aut *emphyteuſin ſine ſcriptura*, ubi lex eam requirit.

14. Etſi vero leges heic obligationem actionemque adverſus ſummas poteſtates producant, coactio tamen ſequi non poteſt adverſus eos, quatenus, à quo cogantur, nemo exi-

n. 6. *f)* civitatis) *Ergo non poterit princeps coram judice conveniri. Sed tamen fides exteris data violata parcit jus belli, ut recte autor* n. 14. in fine.

mo exiſtit, *niſi quod exteris belli jus comparatum ſit.*

15. Hoc ut evitent, ſimul & æquitas ac utilitas impulit principes, ut tam à ſubditis quam ab reliquis conveniri ſe apud certos judices patiantur, cum alioquin ipſi in ſuâ cauſa judices eſſe poſſent, quia neminem habent ſuperiorem.

16. Porro, in illis tribunalibus, iisdem juris remediis, quibus alii cives utuntur, ſe tueri, neque plus ulla parte privilegii arrogare ſibi poſſunt aut debent.

17. Neque planè ſatisfactionem negare poſtulantibus, niſi petant *reſtitutionem in integrum*, ex iisdem cauſis, è quibus alii cives eam jure communi impetrare poſſunt.

18. Quia tamen hæc ſiunt ſubmisſione, non ex amisſione ſummæ poteſtatis; ſciendum eſt, imperantes, ſicut reliqua ſuis ſubjectis, ſic etiam ea, quorum ipſi debitores ſunt, juſtâ ex cauſâ adimere poſſe.

19. Primò, in pœnam admisſi, publicatione omnium vel partis bonorum facta, vel etiam *illius ſpecialiter*, quo ipſa delinquenti obſtricta eſt, quod tamen, ut invidiæ plenum, ut evitetur opera danda eſt.

20. Potius id fiat ex probabili cauſâ dominii eminentis, ob utilitatem magnam vel necesſitatem reipubl. modo tali prætextu non tegantur iniquitates & calumniæ.

21. Si quid tale fiat, & generaliter, quoties ſine delicto creditoris, aut ſine extrema reipubl. necesſitate obligationi ſe ſubducit princeps, tenetur ad reparandum damnum.

22. Proinde ſic etiam, ſi ſola utilitatis publicæ ratione, res unius è civibus publicatæ fuerint, nam etſi hac cauſâ, dominii eminentis aliquis uſus eſſe queat, tamen alia via patientibus indemnitatem respubl. præſtare debet.

23. Quod enim *aliàs* dictum eſt, ſingulos jura ſua publicæ utilitati ſubmiſiſſe rebusque ſuis renuntiaſſe videri, idque libero civium conſenſu ſancitum eſſe, non poteſt accipi, niſi ſub conditione quam minimum lædendi ſingulos & reducendæ æqualitatis inter cives, quatenus fieri poteſt.

24. Proinde, ſi privatorum agri munitionibus in ſecuritatem publicam occupandi ſint, nulla eſt cauſa, cur non pretium boni viri arbitratu vel ſtatim vel deinde ſolvendum ſit, etſi quibusdam in his & ſimilibus diſſentire viſum eſt.

25. Imo ſi contra agant imperantes, faciunt quod illi, qui pro lubitu cives ſpoliant, quo caſu quid juris aut patientiæ comperat, *ſuperius* dictum eſt.

26. Paulo diverſa eſt ratio conventionum de rebus ad ſummam poteſtatem pertinentibus initarum, quas reges non ut membra, ſed ut capita civitatis, aut ut civitates ipſæ contrahunt.

27. In his palam eſt, non habere locum leges civiles, quoniam illæ conſiſtunt in imperando, cogendo, quod non cadit in ſummam poteſtatem; proinde nulla exinde quā ex præſumptione volūtatis oriri poteſt obligatio.

28. Porro ab hac naturali obligatione princeps in ejusmodi negotiis ſemet in integrum reſtituere, propter cauſas jure civili proditas, non poteſt, ut contra Bodinum *Grotius* recte ſtatuit *l. 2. c. 14. in pr.*

29. Quia reſtitutio in integrum à ſuperiori poteſtate proficiſci debet, qualem non dari ſupra poteſtatem, quæ eſt ſumma, res ipſa declarat, etſi aliter Bodinus *lib. 1. c. 8.*

30. Rem tamen fere eodem in effectu recidere oportet, uti regibus per modum exceptionum, quæ ſunt juris Gentium proſint cauſæ juſtæ, propter quas obligatio naturaliter reſolvi nequeat, ut ſunt dolus malus, metus injuſtus, *haud perinde ætas*, niſi quid rex pupillus ſuo motu, ſine Tutore conſilioque, pueriliter egerit.

31. Atque eo modo conciliari poſſunt hac in re diſcrepantes hominum doctorum opiniones; qui frequentes hac parte diſcedunt à Grotio: quemadmodum & mores populorum interpretamur, qui viam reſtitutionis in integrum ignorant, ut ad eundem effectum

effectum per modum actionis aut exceptionis homines ducant.

32. Quod autem quæritur, an exceptio metus, doli, ætatis habeat locum in legibus regnorum fundamentalibus; dicendum, habere, ſi à rege pridem ſimpliciter conſtituto ejusmodi promisſiones eliciantur metu, dolo, ætatis lubrico: In imperiis novis aut electivis vix eſt ut quæſtio locum habere queat.

33. Quid ſtatuendum, ſi promisſiones jurejurando firmatæ fuerint, in loco proprio de *juramentis* conſiderandum, & mox aliquid ſubjiciemus.

34. Hoc vero è prædictis ultro intelligetur, An & quatenus recte ſit dictum, *Principum contractus eſſe leges*. Reſpectu eorum qui cum iis contraxerunt, id nullo modo verum eſſe palam eſt; niſi ipſas conventiones, quibus imperio ſe quis alieno ſubjicit, contractus appellare velit, ut ſunt revera. Vel etiam, quibus leges fundamentales ſtatuuntur; Tales enim hæ ſunt leges, quæ non minus ipſos principes quam populum proceresque ligant ac obligant.

35. Reliqui contractus tribuunt jus illis, qui cum principe contraxerunt in ipſos, quod à vi legis eſt alienisſimum. Reſpectu tertii tamen fieri poteſt, ut contractus aliquam legis vim habeant, quatenus executio contractuum ad cives aliquando pertinet, ut uſu venit in locationibus vectigalium initis cum publicanis.

36. Porro effectus obligationis illius, quam diximus, naturalis, quis ſit, reſpectu exterorum, facile dictu eſt; nam ubi deſinunt *judicia*, *ibi incipiunt bella*.

37. Quid etiam, ſi cum toto populo initus ſit contractus, *eâ mente*, *ut in legem abeat fundamentalem*, ſit juris, perinde diximus *in ſect. 3. c. 5.*

38. Nam ſi tacite longoque uſu contrario poteſt recedere princeps à jure ſuo, nihil eſt cauſæ, quare non idem uno acto & expreſsâ voluntate fieri posſit.

39. Quod autem ſponte & liberaliter per modum privilegii, (ſecus in donationibus proprie dictis) conceditur, id contrario *privilegio* tolli poteſt, *uti lex lege contraria poteſt abrogari* qua de re vide quæ dix. d. cap. 5. n. 60.

40. In cæteris cum populo initis contractibus ſuper rebus ad majeſtatem ſpectantibus, (*non tamen, quibus ipſum jus aliquod majeſtatis tollatur*) idem ſine dubio juris eſt, quod modo de privatis negotiis per ſe conſideratis tradidimus.

41. Scil. ut naturalis inde naſcatur obligatio, eaque efficacisſima, & jus perfectum populo acquiratur, ita *ut contra quam conventum eſt, imperantes facere non posſint*.

42. Sed ut leges civiles ad hos contractus non producuntur, ita nec tribunal aut judicium datur ullum, in quo de hiſce controverſiis diſceptetur; quin ſi tale tribunal daretur, hoc ipſo deſiueret eſſe ſumma poteſtas.

43. Qui ſunt in ſtatu naturali, his licet obligationem naturalem armis exequi; ſed populus ſub imperium redactus longisſime ab eo ſtatu remotus eſt.

44. Quare ſi pactis ſtare nolint imperantes, ratio cogendi illos; nulla datur ſubjectis; niſi quatenus hi in ſocietatem imperii, ſaltem pro parte, recepti ſunt.

45. Proinde, ſi rex *ἀνυπεύθυνος* civilibus armis cum populo vel ejus parte colluctatus, pacem certis pactionibus iniverit, easque jure-iurando quoq; firmaverit, tenetur quidem omni modo, *grabisſimeque perjurus eſt, ni ſtet conbentis*.

46. Si tamen ſtare uolit, dabiturne ad arma regresſus? Nulla quidem juris ratio id populo permittit, niſi in partem imperii recepto.

47. Quod ſi populus in regem abſolutum extra cauſas, *in capitulo de tyrannide* expoſitas, arma ceperit, ſuperatoque conditiones extorſerit, non videtur rex ad eas ſervandas cum effectu obligatus.

48. Quia

48. Quia metus injuſti auctor, ut *aliàs dictum*, tenetur ad eum, quem coegit, obligatione, qua ſummo jure & directe obſtrictus eſt, liberandum. *g*)

49. Hæc eſt ratio, quod omnes, qui in ſuos principes inſurgunt & ſapiunt, poſt arma capta nunquam ei ſe fidunt; quia norunt principes, non modo ſe non putare obligatos, ſed etiam nihil ultioni prævertere, ſi poſſint; quod Angliæ ordines in edicto publico, quominus pactioni ſe cum rege victo committerent, aperte præ ſe tulerunt.

50. Contractus optimatium inter ſe de jure imperii valent equidem & pariunt obligationem naturalem; ſed ut quælibet conventiones contrario partium conſenſu tolluntur, ita quominus ab his contractibus, etſi jurejurando firmandis, communiter abire poſſint, nihil obſtat, ut in Hollandia factum anno hujus ſeculi LXXII. de ſeparanda civili & militari præfectura provinciæ. Plane, ſi cives in regno vel Ariſtocratia pactum conventum de republ. iniverint, jura tum, vel ſecus, ut in Anglia & Scotia ante annos fere quinquaginta factum, id ipſo jure nullum eſſe, ratio manifeſta docet, quia jus publicum pactis privatorum mutari vel adfici non poteſt. *L. 38. ff. de Pactis.*

51. Hæc de obligatione rectorum, & qui cum illis contrahunt. Civitatem ex illis teneri ſatis inde conſtat; quod ſumma poteſtas eſt ipſa civitas, ut *ſæpius* dictum. An etiam populi tenentur, è contractibus cum tertio initis, ab his qui invaſerunt imperium? Qui reſpondent, *deciſionem eſſe difficilem*, magis ad difficultatem diſcernendi invaſores à rectoribus legitimis, & quando definunt eſſe invaſores, quam ad ipſius quæſiti meritum reſpicere videntur.

52. Nemo enim juris gnarus dubitare poteſt, quin populus non teneatur eorum contractibus, qui nullum jus imperandi habent, quos privatorum loco de jure habendos pridem oſtendimus, nec dubitat Grotius in *lib. 2. c. 14. n. ult.*, ſecus ac alii, qui ad illum commentati ſunt.

53. Videamus de ſucceſſoribus, quomodo hi ex contractibus reneantur.

54. Notum eſt, jure naturæ haud minus quam civili, obligationem, quæ ex conventionibus eſt, tranſire ad heredes.

55 Sed hoc ideo, quia qualitas heredis ex tacita vel expreſſâ defuncti voluntate deduci ſolet; *tacitâ*, cum ſucceſſio ab inteſtato defertur, *expreſſâ* vi teſtamenti. *h*]

56. Quam in regnis voluntariis utramque ſecus ſe habere, ex iis quæ ſupra de ſucceſſione dicta ſunt, intelligitur.

57. Nam ibi ſucceſſores non accipiunt ſuum jus ab eo, qui proxime deceſſit, ſed à populo, *qui voluntatem ſuam lege perpetuâ ſemel ſtabilivit.*

58. Nihilo ſecus dicendum, ſucceſſores regum, etiam ex contractibus teneri, ſed

Tt cum

n. 48. *g*) liberandum] *Sed huic obſervationi obſtant ea, quæ jam prænotavimus* ad cap. præced. 1. n. 18. lit. n. *quia ſcilicet alius modus non eſt evadendi ac decidendi controverſias eorum, qui ſuperiorem non habent, quales ſunt etiam ſubditi conſiderati in ſtatu belli cum principe ſuo. Quæ vero adduntur in* n. ſeq. *pertinent ad quæſtionem prudentiæ & Politicam, quæ cum Jurisprudentia non eſt miſcenda, ut autor ſæpe monuit ipſe.*

n. 55. *h*) teſtamenti) *Sed infrà ad* lib. 2. ſect. 5. cap. 6. & 7. *oſtendemus, hæc fundamenta ſucceſſionis teſtamentariæ & ab inteſtato haud eſſe genuina. Et ipſe autor videre potuiſſet, quod ea nihil inferant, cum ipſe fateatur* ſeq. n 58. *quod iis non obſtantibus tamen ſucceſſores teneantur contractibus anteceſſorum. Ergo potius ratio reducenda ex natura juris hereditarii, quod ex impoſitione gentium eſt jus ſuccedendi in univerſa jura & obligationes defuncti, ex regula æquitatis naturalis, quod, qui ſentit commodum etiam incommodum ſentire debeat.*

Digitized by Google

cum diſtinctione.

59. Rex enim habet & *patrimonium* peculiare & regnum, quæ poſt mortem diverſa relinquit, tam ubi hereditaria quam inſtitutiva viget ſucceſſio.

60. Regnum quid ſit, per ſe intelligitur; *Patrimonium* peculiare eſt omne id, quod vel ante imperium delatum habuit, aut aliunde ei advenit, vel tempore imperii lucratus eſt, atque à rationibus publicis ſeorſim habuit. In jure Romano vocantur *res dominicæ, res Cæſaris.*

61. Hæc etiam in hereditariis imperiis à regno ſeparata ſunt, quia, ut ſupra diſputavimus, hoc rex plerumque manere vult unitum & in unum devolvendum, *quemadmodum & in voluntariis,* non æquè privatum peculium.

62. Niſi quatenus aliter diſertè conſtitutum eſt, quemadmodum in regno Francorum, res dominicæ, ſive bona, quæ Valeſii, quæ Borbonii principes ante regnum quæſitum habebant, ſtatim atque regno admoti ſunt, ad coronæ jus uniuntur & coaleſcunt.

63. Alioqui patrimonium *i*) defertur ab inteſtato ad omnes in pari ſanguinis gradu conſtitutos, *qui proinde pariter defunctum repræſentant*, ac ita omnes pro hereditariis partibus è privatis illius contractibus obligantur.

64. Proinde qui regno potitur, ſi is partem de patrimonio tulerit, pro virili etiam tenetur; ſin excluſus vel ſponte abſtinuerit, æris quoque alieni omniumque præſtationum liber eſt.

65. Sed obligationes, quæ propter rempublicam initæ ſunt, tenent omnino ſucceſſorem, non ut heredem, ſed ut caput civitatis, imo ut ipſam civitatem.

66. Hæc enim abſolutè conſiderata, ut omnes cœtus uniti; facultatem habet obligandi ſe ipſam, idque jus in alium transferre poteſt.

67. Tranſtulit autem in ſummos imperantes, qui perſonam civitatis conſtituunt, ejusque jus omne & integrum exercent.

68. Limitant hoc tamen graviſſimi ſcriptores, ut procedat, *ſi acta Regum deceſſorum habeant probabilem rationem*, non, ſi ratione careant probabili. Grot *l. 2. c. 14. §. 12. n. 2.*

69. Prorſus ut de adminiſtratoribus civitatum jure Romano proditum eſt, valere contractus, ſi res in utilitatem civitatis verſa ſit, valere transactiones ab illis factas in rebus dubiis, non ſi quod in dubitato debeatur remiſerint; & de tutore, cum domini loco haberi, cum rem adminiſtrat, non cum pupillum ſpoliat. *l. 28. §. 1. ff. de pact. l. 22. C. eod. l. 7. §. 2. Pro empt.*

70. Non intelligimus, ſi quid turpe aut manifeſto abſurdum planeque ſtultum contraxerit Rex, aut deciderit, quod in ipſius poteſtate non erat, ut ſi partem regni alienaverit, id non eſſe in terminis habilibus propagandæ obligationis ad ſucceſſores.

71. Verba tamen *probabilis rationis* nimis laxa videntur, magisque exempla tutorum & adminiſtratorum, qui legibus tenentur.

72. Etenim imperantes ſupremi poſſunt omnia

n. 63. *i*) patrimonium) *Communiter qui de bonis dominicis vel domanialibus tractant, diſtincta confundere ſolent, à quâ confuſione nec immunis eſt autor noſter. Erat olim differentia apud Romanos inter Fiſcum & Ærarium, ad illum pertinebant bona, quæ princeps ad utilitatem publicam impendebat, ad hoc bona, quæ quotidianæ diſpoſitioni principis permittebantur. Priora dicebantur patrimonium publicum: Poſteriora patrimonium privatum principis. Utraque vero differunt à patrimonio privato principis, quatenus conſideratur ut quilibet civis vel ut privatus. Sed hæc duo confunduntur & hic, unde poſſes diſtinguere inter patrimonium privatum regni & regis, aut inter patrimonium privatum regis ut talis, & prout privatus eſt.* Conf. *Anton. Perez* ad tit. C. de jure fiſci, *Choppinus* Tom. 1. de Domanio Franciæ cap. 1. *Seidel.* de Sacro Domaniorum jure Aſſert. 2.

omnia facere, quæ civitas ipſa poteſt, ſi non egrediantur terminos poteſtatis ſibi delatæ; & civitas poteſt, quicquid dominus & quilibet arbiter rerum ſuarum, qui pro libitu de rebus ſuis diſponit, teneturque, tam ſi male, quam ſi bene rem geſſerit, veluti, ſi prodigus fecerit donationes.

73. Plane, quod à ſummâ poteſtate populo imperatum, non haberet vim eos obligandi *k*) id neque per contractum in obligationem deductum poterit obſtringere cives: ſed è contra, quod vim adverſus illos parendi haberet, id cum in poteſtate regnantium ſit, valebit, utique etiam, ubi per conventionem alii jus inde comparatum fuerit.

74. Sed de jurejurando promisſionibus ſummarum poteſtatum adjici ſolito, non eſt hoc loco prætereundum; quod aliqui putant, inde multum accedere ad arctitudinem obligationis, id magis eſſe, ut ita ſe non habeat; Erga Deum equidem rectè *l*) ſed hominum reſpectu jusjurandum nihil mutare poteſt.

75. Nam vel adjectum eſt legibus imperii fundamentalibus, vel aliis publici privatique iuris conſtitutionibus & conventionibus. Prioribus tenentur rectores omnimodo, etiam vi coactivâ, idque ſine jurejurando, non minus quam jurati; quoniam per has leges excepta ſunt, in quibus non haberent jus ſummæ poteſtatis, ideoque eorum reſpectu videntur & revera ſunt privati, ut ſuprà *in cap. de legibus Imp. fundamentalibus* dictum eſt.

76. Si jusjurandum aliis legibus acceſſerit, tenentur quidem rectores civitatis, ut tamen æquè tenerentur è ſimplici promisſione; niſi quod jam perjurii crimen erga Deum accedit. Verum tamen, quia promisſio circa res, quæ non ſpectant ipſum jus ſummæ poteſtatis, non facit, ut deſierint eſſe omnibus ſuperiores, apparet, vim coactivam ſuper ejusmodi legibus aut conventionibus non ſequi ex jurejurando, ſed notam perfidiæ & impietatis ſequi è ſpreta religione, quâ de re dix. in Eunom. Rom. ad *l. 31 de legib.*

CAP. VI.

QVIBUS MODIS SUMMA POTESTAS FINIATUR.

Modi recenſentur decem indubitati, n. 1. amotâ prius falsâ opinione; n. 2. 3. 4. 5. Mors, n. 6. 7. tempus imperio præfinitum, n. 8. præſcriptio, n. 9-16. abdicatio, n. 17-21. derelictio, n. 22. 23. 24. exiſtentia conditionis commiſſoriæ, n. 25. feloniæ, n. 26. animus imperantis hoſtilis, n. 27. jus belli, n. 28. unio. n. 29. Modos, de quibus dubitari queat, n. 30. 31. eſſe, captivitatem, n. 32. alienationem, ſubjectionem infra alium factam, n. 33-37. negligentiam, n. 38. furorem n. 39. bellum contra cives, regno necdum delato, geſtum. n. 40.-44.

 Abſolu-

n. 73. *k*) obligandi) *Scilicet res turpes & jure naturali prohibita ut modo* n. 70.

n. 74. *l*) rectè) *non, quaſi in jurejurando aliquid Deo promittatur, quam hypotheſin ſæpe arcana Papismi docuimus alibi, & quam in mente etiam videtur habuiſſe Autor per ea, quæ habet* n. 76. *ſed quod in promiſſo juſto juramento confirmato dupliciter peccet erga Deum perjurus, initio ut perfidus, tum inſuper ut perjurus. Plura dicentur inferius ſuo loco* lib. 2. ſect. 6. cap. 3. n. 25. *ubi eſt primaria ſedes hujus doctrinæ.*

1. ABſolutis, quæ pro hujus inſtituti ratione de juribus ſummæ poteſtatis ſuppetebant, non erit abs re *modos* percurrere, *quibus finiatur ſumma poteſtas;* in quod omnis methodica deſinit oratio atque tractatus.

2. Quo loco prius amovenda eſt ab hac arte eorum ſententia, qui libertatem eſſe volunt rem meræ facultatis, quam ſemper populis, ſi poſſint, repetere liceat ac imperium excutere; quod ſane eſt verum in imperiis voluntariis, ſi rectores nihil ſint quam mandatarii.

3. Sed quia nos pridem oſtendimus, imperium ſimpliciter delatum eſſe alienationem quod presſius in calce hujus libri demonſtrabitur; id autem quod eſt alienatum ſine nova cauſà repeti non poteſt, ſequitur in imperiis voluntariis id ita procedere.

4. Nec etiam in violentis ſeu jure belli fundatis imperiis illa ſententia valet, niſi quatenus adhuc in ſtatu belli partes conſiſtunt: nam ſi illo finito, intervenerit pactio, ut fere uſu venit, ſaltem tacita, exinde jus quæſitum victori auferri non poteſt. vide Grotium *lib. 2. c. 4. n. 14.*

5. Finitur autem vel unà cum civitate tota, vel conſiſtente reliquo corpore, ſola extinguitur. De illo caſu poſtmodum in loco *m)* agetur.

6. Primus igitur, quo ſola majeſtas finitur, modus eſt mors, cunctarum ultima linea rerum, eſt enim poteſtas ſumma, facultas perſonalis ſupra *ſect.* 3. *cap.* 1.

7. Idque non tantum in electivis, ſed etiam in regnis maxime & immediatè ſucceſſivis, utcunque receptum ibi ſit dictum, *Reges non mori*; Hanc enim patet eſſe fictionem ejus generis, quod Juriſconſulti ſuo heredi adſcribunt, in quem potius continuari quam transferri dominium, ut nulla videatur ſucceſſio fuiſſe, tradunt *l. 11. π. de lib: & poſth.* Quod etiam multarum gentium leges de ipſa poſſesſione receperunt, ubi dictum uſus Gallicani obtinet, *Le mort. Saiſit le vif.*

8. Secundò, finitur *tempore*, quod ab his, quorum eſt primævum jus imperandi, paucis vel uni præfigitur; poſtquam ſupra obtinuimus, temporariam non deſinere eſſe vere ſummam poteſtatem.

9. Tertio, *præſcriptione*, cujus, ut alias & in tempore præcipua vis eſt, eaque duobus modis exercetur; primo ſi rex verus populo, vel proceribus ſubjiciatur, aut populus liber proceresve ſuum jus ſummæ poteſtatis amittant, & manente eodem corpore civitatis, Principi ſubjiciantur, qua de re dictum *ſect. 3. cap. ult.*

10. II. Si populi vel principes, qui partem alicujus imperii fecerant, huic ſe ſubducant, nec id amplius agnoſcunt, ſed libertate palam utantur, ejusque uſum & quaſi poſſesſionem à tempore immemoriali continuaverint. Idem eſt, quando rex aliquis alienam ditionem ſine juſto titulo occupat & longisſimo tempore posſidet, quo caſu prioris domini ſumma poteſtas finitur.

11. Nam & in his caſibus præſcriptionem duntaxat *immemorialem* habere locum, iisdem rationibus evincitur, quæ de priore caſu prolatæ ſunt in *d. cap ult.* & confirmantur à Grotio *lib. 2. cap 4.* Etiam à nobis in *Vindiciis Amelandicis: cap. 8. 9. 10.*

12. Modo etiam in eo caſu, quo populus aut princeps aliquis ita ſe alieno imperio ſubducit, ut novum reip. corpus ſeorſim conſtituat, animum independentiæ palam præ ſe tulerit. Id enim in omni uſucapione & præſcriptione requiri, non modo juriſperiti docent, ſed etiam res ipſa loquitur; quia ſine animo ſibi habendi nulla acquiſitio perfici vel inchoari poteſt *l. 2. C. de præſcript.* XXX. *vel* XL. *ann.*

13. Immemorialem autem poſſesſionem, non reſpectu memoriæ literarum cujusmodi nulla, niſi apud gentes literarium expertes, dari queat; ſed nimirum, recordationis hominum præſentis generationis, intelligendam

n. 5. *m)* in loco] cap. ult. totius tractatus.

eſſe, non opus eſſet moneri, niſi quosdam ejusmodi opinionis errore ineptiiſſe animadverſum eſſet. Temporis autem ejus ſpatium non eſt certo definitum; utique maximum eſſe trium γενεῶν, id eſt, centum annorum, convenit inter juris publici privatique Scriptores.

14. Sed in iis caſibus, quibus præſcriptio tendit ad diverſum corpus reipubl. conſtituendum, facilior & frequentior, quam in eadem civitate ſolet eſſe *proteſtatio*, qua jus ſuum qui poſſeſſione carent, reſervant; cui fini aptiſſima eſt uſurpatio continua nominis & titulorum, quam principes haud facile negligunt.

15. Modo uſurpatio illa ſpecialis ſit. Nam generalis hac parte non ſufficit, qualis eſt, imperatoris Romani, dum ſe ait, ſemper Auguſtum *n*) id eſt, amplificatorem imperii; quomodo Germani vocabulum Auguſti interpretantur.

16. Non ſufficiunt etiam ad interrumpendam præſcriptionem, declarationes per modum conventiones inter imperantem & Ordines ſuos; quales ſunt *Capitulationes* Cæſareæ, quas aliqui in hunc finem adducunt; Conventionum vis ad tertium non pertinet, qua de re diximus in *Vindic. Ameland. cap. 11.*

17. Quarto, finitur S. Poteſtas *abdicatione*, quando rex imperium deponit, ſive reddat populo rempubl. ut *Servius Tullius* voluit, ut *Auguſtus* ſimulavit, ut perpetuus dictator *Sylla* fecit; ſeu transferat in alium, ut *Diocletianus* & *Maximianus*, nec non *Carolus Cæſar V.* & Chriſtina Seciæ.

18. Sed an hoc ipſo, quod abdicavit, etiam ſit ſubjectus vel ſubjecta? Non poteſt aliter; quia non eſt in civitate medium inter imperantes & ſubjectos *o*) etſi Magiſtratus aliquo ſenſu medii inter rectores & privatos apppellentur.

19. Quid ſi pactus vel pacta ſit independentiam, *p*) ut Chriſtina Seciæ? Hoc quidem vim ſuam habebit, eorum, à quibus id eſt pacta, reſpectu: Æque enim ſinguli imperio eximi poſſunt, ac urbes aut pagi intra terminos imperii alicujus ſiti, ſicut olim Ivetotienſe regnum, vel hodie principatus Arauſionum in Gallia.

20. Sed extra fines imperii, in quo ejusmodi pactum interceſſit, nullam juris effectum habere poteſt; quia pactum non egreditur paciſcentium perſonas. Proinde, quod alibi Ex-regibus ejusmodi honos, ut nulli ſubjectis habetur, id humanitatis & indulgentiæ, non juris eſt, in quo ſit vinculum neceſſitatis.

21. An autem qui in aliquà civitate ſummam habet poteſtatem, ſi in alieno territorio verſetur, ejus juriſdictioni ſubjectus ſit, diverſi loci quæſtio eſt.

22. Quintò, ſi rex imperium *pro derelicto* habeat, vel revera deſerat atque deſtituat; hæc enim nihil aliud quam tacita abdicatio eſt.

23. Derelictionem oportere eſſe volun-

 tariam,

n.15. *n*) Auguſtum) *Nec etiam, dum ſe dicit imperatorem Romanum, ob facta uſurpationi tituli contraria, & ob alias rationes, quas latius proponis adverſus Conringium Illuſtr. Dn. ab Henniges in notis ad jus publ. Beckeri.*

n.18. o) ſubjectos) *Scilicet regulariter, & ſi nihil ſit exceptum. Nam per exceptionem medium fieri, ipſe autor concedit* n. ſeq.

n.19. *p*) independentiam) *Fatemur tale pactum independentiæ non eſſe nullum, nec etiam talem independentiam referri debere ad res moraliter impoſſibiles. Interim eſt res valde irregularis, & indecens, quod vel ipſa Regina Sueciæ exemplo ſuo docuit, quam poſtquam ſemel egreſſa erat ex regno, iſtud vel ob hanc independentiam iterum recipere eam noluit. Et in Galliis eidem, cum Marchionem Monaldeſchium trucidari mandaret, eadem independentia non contemnendas difficultates peperit: Adhuc plures Romæ, ut ex multis circumſtantiis apparet, ab iis collectis, qui vitam reginæ ediderunt.*

tariam, ipſa res loquitur. Proinde, qui juſto vel injuſto metu commotus ſe regno ſuo populoque ſubduxit, hunc abdicationis aut derelictionis reum arguere non licet. At oportet etiam hoc animo fiat, quod quis amplius rex eſſe nolit; nam ſi abeat è regno peregrinandi, belligerandi aut novi regni ſuſcipiendi cauſâ, abdicaſſe vel dereliquiſſe dici non poteſt; ne quidem *Henricus* Poloniæ rex eo quod è Polonia aufugit, ut Franciæ regnum ſuſciperet; quia tamen rex manere voluit & nomen regis Poloniæ per omnem vitam præ ſe tulit.

34. An vero Poloni ob ejusmodi abitum eum animo, ut videbatur, non redeundi, ut eſt ibi reſpubl. juſtam illum regnò privandi cauſam non habuerint, alia quæſtio fuerit.

25. Sextò, finitur ſumma poteſtas, exiſtentia conditionis, ad quam delatum eſt imperium, ut ſi lex commiſſoria regiæ electioni adjecta ſit; ubi hoc vel illud rex admiſerit, fore, uti jure ſuo cadat.

26. Septimo, per *feloniam* amittitur feudale regnum, id eſt, prave delictum vaſalli adverſus dominum: poſſe enim in feudo ſummam eſſe poteſtatem jam dudum probavimus.

27. Octavo, ſi rex *hoſtilem animum* contra populum ſuum induat, aut aliter Tyrannidem committat, excedendo notorie & præfracte terminos poteſtatis ſibi jure delatæ, quâ de re *ſupra q*) diximus, imperium haud dubie perdit.

28. Denique, nono, *jure belli* ſumma poteſtas auferri poteſt & ſolet, quia victor in devictos jure Gentium, cujusmodi vult, imperium adipiſcitur.

29. Decimus finiendæ majeſtatis modus eſt, unio cum aliâ majore civitate; nam tunc, *ut ſuprà dictum eſt*, civitas, quæ prius ipſa per ſe habebat ſummam poteſtatem, fit membrum majoris imperii & pars corporis ſubjecti, quomodo in Gallia majores provinciæ *Normandia*, *Britannia*, *Aquitania*, *Delfinatus*, *Provincia* aliæque majeſtatem amiſerunt.

30. Secundum hæc aliqui ſunt modi, de quibus *ambigi* poteſt, tollant, an non tollant ſummam poteſtatem.

31. Inter quos tamen non referimus voluntatem populi; qua regiam vel optimatium poteſtatem ſemper abrogari poſſe volunt, qui rectores nil niſi mandatarios populorum eſſe volunt, quam ſententiam eſſe falſam, poſt ea quæ à nobis dicta ſunt alias, probare ſupervacuum eſt.

32. De *captivitate primum*, quæ eſt aut erat olim mors civilis; utique ex hypotheſi ſervitutis antiquæ, dicendum videbatur, ſummo jure amitti regnum, ſed *poſtliminio*, quod eſt juris Gentium, reſtitui: at inter eos populos qui ſervitutis rigore non utuntur, *r*) exercitium amittitur, jus ipſum retinetur, ſicut in Gallia Rege Johanne & *Franciſco* captis, illo apud *Pictaviam*, hoc apud *Paviam*, accidit.

33. *Alienatione* aut *ſubjectione* regni in alium aut ſub alio facta à rege, jus majeſtatis amitti tradit *Barclajus l. 4 c. 16. contr. Monarchom.* à *Grotio* reprehenſus, eò quod talis actus ſit ipſo jure nullus, cujus proinde nullus

n. 27. *q*) ſuprà) c. 2. 3. 4. hac ſect. *Sed vide etiam, quæ de exiguo uſu hujus doctrinæ ibi paſſim notavimus.*

n. 32. *r*) non utuntur) *Infrà* lib. 3 ſect. 4 c. 5. ad n. 10. *videbimus, quâ ratione poſtliminium ſit juris Gentium, quâ ratione juris civilis. Etiam intuitu ſervitutis communiter ea quæ ſunt juris Romani erroneè habentur pro jure Gentium, cum tamen pleraque quæ jus Romanum de ſervis diſponit, æque ac ea, quæ habet de patria poteſtate ſint juris civilis. Ergo mallem & hic ſimpliciter dicere: Captivitate jure Gentium exercitium majeſtatis amitti, jus retineri. Quanquam ſtatus captivitatis intuitu regis nondum ſatis ſit excuſſus à ſcriptoribus juris naturalis, ſed mereatur peculiarem diſſectionem.*

Digitized by Google

nullus eſſe queat effectus, *s*) niſi ut populus alienationem vel ſubjectionem regi executuro vi reſiſtat, ut Angli adverſus Johannem, qui ſe Pontifici vaſallum addixerat, fecerunt. *Grot. lib. 1. cap. 4. §. 10.*

34. Equidem in reguo patrimoniali non poteſt eſſe vera *Barclaii* ſententia, ſi modo loquatur de illo. In voluntario tunc erit vera, ubi alienationem rex jam ſit executus & traditione impleverit; nam rex novus non eſt rex, eoque excuſſo, nihil eſt cauſæ, cur venditor ſit reſtituendus in locum quem dereliquit.

35. Verum ob nudum alienandi conatum, etſi contractus ſit perfectus, non poſſe regem ſpoliari imperio, prorſus cum Grotio ſtatuendum eſt, nec etiam, ſi duntaxat alii ſe ſubmiſerit: ſed ultra nullitatem juſtamque impĕdiendi cauſam non videtur procedendum; nec enim ulla cauſa liquet, cur plus decerni debeat, quam ne conatus ſortiatur effectum.

36. Quanquam exempla non deſunt efficaciora; Veluti *Johannis Balioli in* Scotia, & *Caroli Lotharingi*, in Gallia, quibus hoc imputatum fuit ad juris regii commiſſionem, *Buchanan. Hiſtor. Scot. lib. 8. Reg. 95. Mezeray compend. Hiſtor. Gall. regn. Hug. Capeti.* Joh. de Serres *ibidem*; qui ſic ea de re; *Ainſi per cet hommage & recognoiſſance il avoit comme quitté tout le droit, qu'il pouroit pretendre à la Couronne de France.*

37. Id eſt, *per* illud *homagium & ſubjectionem omne jus, quod in Gallia Coronam præferre poterat, quaſi dereliquerat.* Atqui non Galliæ regnum, ſed Lotharingiæ Ducatum duntaxat ab Othone Cæſare agnoverat. Quid hoc ad commiſſum regni Gallicani?

38. Poteſt etiam quæri, an per negligentiam rex cadat imperio, ut Franci in ultimis *Merovingiorum* ſervarunt. De facto nil frequentius eſt. De jure tamen non videtur; ſed ſi per eam civitas περὶ τῶν ὅλων periclitetur, dicendum eſt, populum aut optimates regi aliquos adjungere poſſe, qui pro conſervatione totius, quod primum civitatis fundamentum, invigilent, haud tamen ultrà quam poſtulet neceſſitas, ut jam diximus, in loco ſuo.

39. Idem juris eſt, ſi rex incidat in furorem, ut Carolus VI. Galliæ.

40. Sæpe quæſitum eſt, an, quod rex ante regnum initium hoſtis regni fuiſſet, hinc in ſucceſſivo imperio amittat jus regni, quomodo Galli *Carolum Lotharingum* hac etiam cauſâ excluſere, non *Ludovicum Aurelianenſem*, in quo brevi murmure parem cauſam transmiſerunt. *Guicardin. lib. 4. de bell. Ital. ſub fin.*

41. Quod fuit juſtius; nam juris ratio minime commiſſum regni ob illam cauſam infert, modo non maneat hoſtis, ubi regnum ipſi delatum fuerit.

42. *Hinc jus ſtirpis Capetingæ*, nobilis Galliæ hiſtoricus, niti inquit *benedictione divinâ & poſſeſſione continuâ*, cui præteritio Caroli prioris locum fecerat, *Serreſius in regno Hugonis Capeti*, ubi, *Cette Election eſtant eſté authoriſée par la benediction de Dieu, qui en a maintenue*

n. 33. *s*) effectus) *Sed pro Barclajo adverſus Grotium & Autorem* n. ſeq. 35. *afferri poteſt alius canon: ſi actus meus non valet in quantum valore volo, valeat in quantum valere poteſt; ex quo etiam doctores juris Romani veriorem interpretationem ſecuti docent dominum in fraudem creditorum manumittentem, ſi creditores jure ſuo non utantur, ſervum in dominio ſuo non retinere, etſi ad regulam hic ab autore adductam de nullitate manumiſſionis provocet. Ergo manet res in dubio, & poterunt adeo exempla in contrarium allata* n. 36. *ex talibus & ſimilibus rationibus defendi, niſi ad hunc locum ex aliis rationibus non ſpectent ut in* n. 37. *Porrò quæ* n. 34. *Autor de patrimoniali regno memorat, nos non attinet, qui toties patrimonialia regna rejecimus.*

tenue la poſſeſſion en la poſterité ſucceſſive de Capet &c. perinde ac diceret; *uſurpatione felici & longiſſimo tempore.*

43. Rem tamen aliter accipit Hottomannus in *Franco Galliâ*, qui id factum docet ab univerſo corpore populi Franco-Gallici, quemadmodum adverſus priorem ſtirpem Merovingicam decretum fuerat. Cujus facti ratio inde pendet, utrum poteſtas regia tum vere ſucceſſiva fuerit παμβασιλικὴ, an verò νόμιμος & populo ſubjecta.

44. Quomodo nunc in Gallia ſe res habent, inde ab aliquot ſeculis, omnibus conſtat; neque jam à Gallis ulla ratio mutationum illarum, quam quæ eſt in verbis *Serreſii* reddi poſſet; neque tum quidem olim quod ad ſucceſſionem attinet, aliter ſe res habuiſſe videtur.

CAP. VII.

DE FINE VEL DURATIONE ROMANI IMPERII, AD GROTIUM LIB. 2. C. 9. N. XI.

Proponitur quæſtio, cujus hodie ſint ea, quæ olim Romani imperii fuerunt. n. 1. 2. 3. Varietas opinionum ea de re, ex Peckio, & hujus ſententia ipſius abſurda ſatis. n. 4.-7. Removentur à quæſito ea quæ jure belli, derelictione vel præſcriptione populo Romano ſubducta ſunt. n. 8. Imperium Romanum non eſſe quidem translatum ad Germanos, ſed tamen Regem à Germanis electum ipſo jure fieri ac eſſe imperatorem Romanum. n. 9.-14. Populum Romanum eſſe nunc eundem, qui fuit olim, Grotio conceditur; verum inde non ſequi, illum idem jus habere, quod olim, ſiquidem eligendi jus imperatorem ſuum tranſtulit in Germanos. n. 15.-21. Olim jus eligendi Imperatoris fuiſſe penes S. P. Q. R. conceditur: qui nec conſtitutione Antonii deſiit eſſe princeps gentium populus. n. 22. 23. 24. Verum hoc jus principale communicatum fuiſſe cum novâ Roma, ſive Conſtantinopoli. n. 24. Nec imperatorum electionem, ſecus ac Grotius, ibi factam, à populi Romani approbatione pependiſſe. n. 26.-31 Per Herulos & Gothos omne jus antiquum populo Romano fuiſſe ademptum, n. 32.-35. nec à Græcis, qui deinde Romam ceperunt, veterem principatum illi eſſe reſtitutum, nec poſtliminio eſſe recuperatum. n. 36. 37. Populum Romanum à Græcis non videri jure deſciviſſe, quod hi feminæ imperium detuliſſent. n 38. 39. Nec imaginum fracturam, nec imbecillitatem fuiſſe cauſam ab illis deficiendi juſtam. n. 40. 41. Jus eligendi Carolum magnum, nullo alio jure habuiſſe populum Rom. quam belli n. 42. 43. Non liquere, quod electio Caroli M. fuerit perſonalis. n. 44. Certe imperium Romanum illi delatum, fuiſſe diſtinctum à regno Francorum & Longobardia n. 45. 46. nec quicquam tribuiſſe Carolo ſuprà titulum, præter id, quod jam Ponti-

pontifex habet jure ſupremo, n. 47. 48. etſi dein Italiæ ſive Longobardiæ regnum imperio ſit adnexum, haud tamen cum eo confuſum: nec ideo ſubjectum fuiſſe populo Romano. n. 49. Sed hunc, translato in Germanos eligendi jure, non retinuiſſe pro ſe vel Papa jus confirmandi electum à Germanis imperatorem, ſed nihil habuiſſe, quam ritum inaugurandi. n. 50.-57. Male à Grotio ſtatui, jus regni Italiæ acquiri ab Imperatore, per approbationem pontificis, nomine populi Rom. cum Italiæ regnum nunquam à Papâ vel urbe Roma dependerit, poſt invaſionem Longobardicam: denique, imperatori Romano poſt uſurpationes pontificias nihil ſupereſſe quam titulum majeſtatis Romanæ. n. 58.-62. Pontificem non habere jus tribuendi inveſtituras in regno Italiæ, vacante Imperio. n. 63. 64. 65. Nec eundem eſſe vicarium vel poſſe vicarium conſtituere, Imperatore mortuo vel mente defecto, ſecus ac Grotius, qui in his præ ſtudio adulandi Papæ minus valide inſtituerit. n. 66.-72.

1 PRo mantiſſà, placet addere diſputatiunculam de fine vel duratione imperii, quod populus Rom. habet habuitve, nunc aut olim, quà de re prolixius quam ſolet, de rebus ſingularibus, & tamen minus ſolide, niſi valde fallor, agit Grotius *t*) in loco ſupra ſcripto: quem heic exhibere & aliquid inſtar commentarii, cum ad hujus maxime ſectionis materiam pertineret, addere viſum fuit.

2. *Nobilis admodum eſt & illa quæſtio*, inquit, *apud Hiſtoricos & Juriſconſultos, de his quæ Romani imperii fuerunt, cujus nunc ſint.* Non eſt igitur hæc de urbe Roma, ſed de omni Romanorum imperio, quod olim fuit, quæſtio, quam Grotius movet.

3. *Multi ea nunc eſſe volunt, Germanici ſive regni, ut olim vocabatur, ſive imperii; utro autem nomine appelles, ad rem non refert.* An igitur de nihilo eſt, quod imperator ſe vocat diſtinctè in Edictis & nummis cuſis, *Electum Romanorum Imperatorem, Regem Germani*

Uu

n.1. *t*) Grotius) *Communiter commentatoribus hic vapulat Grotius, quorum ſtructuras congeſtas refert editio Becmaniana, jungendas adeò cum hâc autoris digreſſione ab harum rerum curioſis. Et cum adeo tota hæc diſſertatio magis ad jus publicum Germaniæ aut ad hiſtoriam Germaniæ, pertineat quàm ad jus publicum univerſale, nolumus prolixius ea adnotare, quæ Autor & hic ſubinde ſecus ac par erat diſſeruiſſe videtur. Ita in* n. 3. *objectio autoris vereor ut tangat mentem Grotii, qui reſpexit ad vulgatum illud Germanorum imperium Romanum, de quo integrum tractatum ſcripſit Conringius. Ita* n. 4. *JCtorum disquiſitio de imperatore mundi domino, et, quam Grotius tractat quidem affinis, ſed non eadem eſt. Ita Peckius* n. 5. *per Auguſtum ſolum, ut ex contextu apparet, videtur intelligere imperatorem hodiernorum temporum, non Cæſarem Octavianum Auguſtum, ut Autor intellexit* n. 7. *Ad conſtitutionem Antonini cujus mentio fit* n. 22. ſeq. *ut à multis lectam, à paucis intellectam, commendandus Auditoribus noſtris eſt illuſtris Spanheimii diſſertatio eruditiſſima de Orbe Romano. Aſſertio autoris* n. 48. *de dominio directo exarchatus in Carolum M. translato, ſi quis circumſtantias donationis, ſub quibus donatio exarchatus à Carolo M. Pontifici facta fuit, conſideret, vix probabilis eſt.*

maniæ &c? Quin etiam differunt regionibus: Nam imperium ſe refert ad urbem Romam & Italiam, Regnum ad Germaniam. Etſi verum eſt, in concreto Germaniæ Regem etiam dici Imperatorem, reſpectu Germaniæ, & hanc vocari imperium; Sed abſtractione civili differunt omninò.

4. Eſt ſane vetus quæſtio apud juris interpretes, an imperator hodieque ſit dominus mundi, *quam illi quæſtionem deduxerunt in centum opinionum myriadas*, verba ſunt Peckii *ad l. 9. d. L. Rhod. de jact.* inter quas ſane, de re tralatitia multæ ſatis ineptæ ſunt opiniones.

5. Haud facile tamen dixerim, an ulla ſit abſurdior, quam Peckius ipſe in eodem loco adſeruit his verbis: *Ego ſane*, inquit, *in eorum ſententiam transeo, qui Imperatorem reſpectu univerſalis regiminis, de jure, mundi dominum eſſe declarant; & quamvis alia ad Particulares Principes pertineant, Univerſitas tamen de jure ad Auguſtum ſolum. Igitur etſi diverſa regna diverſi Reges obtineant, tamen omnes, niſi ſpeciali privilegio exempti reperiantur, imperatori non ſecus ſubeſſe, quam Pontifici Cardinales cæterique eccleſiaſtici ordinis videntur.*

6. Qui de jure publico ſcribunt, imperiti juris privati, non poſſunt evitare, quin aliquando impingant; Non putarem, juris privati interpretes, quos inter Peckius eminet, juri publico non deditos, tam enormiter evagari poſſe, quam uſu venit in hac expoſitione Peckio, cujus ſingula refellere nec opus eſt nec libet.

7. Quid enim inſanius, quam Imperatorem Romano Germanicum habere nunc idem jus propriè, quod Auguſtus olim habuit non ſine ingenti hyperbole.

8. Bene Grotius, quæſtionem infinite in ſuprà dictis propoſitam, inferius limitat, ut excipiantur ea, quæ *pactionibus aut derelicti occupatione, aut victoriæ jure in aliorum populorum imperium conceſſerunt*, ideoque de his tantum loquitur, quæ *adhuc hodie* ſub imperio Romano comprehenduntur.

9. Hæc igitur ipſa pertinere ad Imperium Germanicum, negat Grotius, contra eos, *qui neſcio*, inquit, *quam ſurrogationem hujus imperii in locum illius ſibi confingunt; cum tamen notum ſatis ſit, Germaniam magnam, id eſt, transrhenanam, totam maxima temporis parte fuiſſe extra complexum Romani imperii.*

10. Veritatem hujus facti hiſtoria adſeverat. Sed cum ſurrogatio nihil hac parte ſit aliud quam translatio juris, quid obſtat, quominus hæc fieri poſſit in alium populum? Quare populus Romanus ſuum jus in Germanos transferre non potuit, æque ac alius privatus in alium privatum juris tranſlationem committit? Et ſi hoc fieri poſſit, ut certè poteſt, diverſitas imperiorum non impedit ſurrogationem imperii Germanici in locum & jus Romani.

11. Verum tamen eſt, quod Grotius ſubjungit; *Mihi non præſumenda videtur*, ait, *mutatio aut translatio, niſi certis documentis probetur.* Modo non urgeat aliquod inſtrumentum transferendi jus imperii ſpeciale, quod heic ſcilicet, deeſſe fatetur Hiſtoria.

12. Videndum, ne non ſufficiat, quod Grotius *infrà* collocat, *populo Romano placuiſſe, quo certius præſidium haberet, Regem non proprium ſibi ſumere, ſed eum, quem Germani feciſſent*, quod ipſum etſi nullo ſpeciali decumento ſit conſignatum, tamen eſſe factum conſtat, & uſu plurium ſeculorum eſt confirmatum.

13. Hoc decretum, *ſi* forte Romanum imperium non faciebat partem regni Germanici, tamen illud regibus Germaniæ ſubjiciebat, imperii jure ſimpliciter conſtituti, & efficiebat, ut ea quæ ad imperium populi Romani pertinerent, Germaniæ Regibus eſſent ſubjecta.

14. Unde patet, Grotium non male contendere, populi Romani Imperium non eſſe translatum ad Germanos, neque Germanicum

Digitized by Google

nicum imperium Romano ſurrogatum eſſe; verum tamen jus imperiumque populi Romani translatum eſſe ad Germaniæ Reges: quicunque à Germanis eligerentur, ut hoc ipſo forent Imperatores Romani.

15. Pergit Grotius; *Quare & populum Rom. eundem eſſe dico, qui olim fuit, quanquam extraneorum acceſſione admixtum & imperium penes eum manſiſſe, tanquam penes corpus, in quo eſſet ac viveret.* Identitas, ut ſic loquar, populi Romani poteſt concedi, ſecundum philoſophiam Alpheni in l. LXXV. *ff. de judic.* Etiam imperium penes eum ut corpus remanſiſſe concedi poteſt, ſubjective; ſed non utanimam, formaliter, quo ſenſu fuit apud reges Germanorum.

16. *Nam quæ olim,* Grotius, *jure potuit facere populus Romanus, antequam imperatores Romani regnarent, idem faciend jus habuit, ut quisque imperator mortuus erat, alio nondum exiſtente.* Electivum ſcilicet imperium fuiſſe Romanum ſtatuit, in quo jus ſummum mortuo cui delatum id fuerat, redierit ad populum.

17. Inde videtur velle, quod hodieque populus Rom. imperatore mortuo in Germania, ſi velit alium creare ſibi imperatorem, id faciendi jus habeat. Id enim vult connexio cum priore periodo, qua populum Romanum idem jus hodieque habere dixerat, quod olim Quirites habuerunt.

18. Quod ita ſuſtineri poterat, ſi nihil juris à populo Romano in Germanos translatum fuiſſet: Sed exiſtimo, ſi decretum, quod Grotius agnoſcit, de habendis iisdem regibus quos Germani haberent, Romanum imperium, non facit partem regni Germanorum; ſaltem his tale jus tribuere quo Romanum imperatorem eligere poſſint, electusque rex ab ipſis, ſit ipſo jure ſimul imperator Romanus, quod ſatis in confeſſo habetur.

19. Atqui hoc ſufficit ad impediendum, ne populus Romanus, Imperatore mortuo, quicquam de novo Imperatore ſurrogando ſtatuere poſſit; ſiquidem hoc jus alienavit, eamque alienationem ſemel factam tot ſeculorum decurſu firmatam approbavit; etſi interim ſubjectionem, quâ ipſe populus Romanus Germaniæ regi aut imperatori ſuo, verâ ſubmiſſione addictus erat, ſuſtulerit & deleverit; quam uſurpationem Grotius in hoc loco, & ratione quæ ſequitur, juris prætextu induere velle videtur.

20. Grotius; *Imo & electio imperatoris ad populum pertinebat, & aliquoties à populo per ſe, aut per Senatum facta eſt: Quæ autem à Legionibus modo his, modo illis fiebant electiones, non erant rata ex jure legionum (nam in vago nomine jus certum eſſe non poterat) ſed ex approbatione populi.*

21. Hæc ad ſtatum veteris Romæ ſpectant, quæ ad quæſtionem propoſitam, cujus nunc de jure ſit imperium urbis Romæ ejusque ditionum, nihil faciunt, ut in progreſſu videbimus; Tantum eo pertinent, ut probetur, populum Romanum eundem eſſe idemque jus habere, quod Roma vetus olim habuit. Prius jam conceſſimus, Poſterius inde non ſequitur; non magis quam ut idem homo ſemper idem jus habere dicatur.

22. *Cum his non pugnat, quod Antonini conſtitutione quotquot in orbe Romano ſunt, cives Romani effecti ſunt.* Hac re populum non deſiiſſe eundem populum eſſe, nec amiſiſſe jus ſuum in ditiones ſubjectas fateri licet.

23. *Conſecuti enim ſunt ea conſtitutione ſubditi Romani Imperii, ea jura, quæ olim habebant Coloniæ & municipia & provinciæ togata, ut & honorum participes eſſent & jure Quiritium uterentur.* Nihil hic eſt, quod concedere non liceat, ſine detrimento ſententiæ noſtræ, quod hodie ditiones, quæ de populi Romani imperio ſuperſunt, ad reges Germaniæ pertineant, ut jam diximus & amplius patebit. Egimus hac de re in *Eunom. Rom. ad l. 17. ff de Stat. hom.*

24. Pergit: *Non ut in aliis populis, itidem ut in populo Rom. fons imperii eſſet: quod facere in poteſtate Imperatorum non fuit, qui*

habendi Imperii modum ac cauſam mutare non poterant. Propius ad controverſiam accedit, an per conſtitutionem Antonini in *l. 17. ff. de Stat. hom.* qua omnes qui ſunt in orbe Romano facti ſunt cives Romani; jus Imperii ſubjective conſiderati, per univerſum orbem Rom. æquabiliter ſit diffuſum, an vero manſerit orbis Reipubl. in urbe Roma, reliquis gentibus ut ſubjectis imperii membris ſecundum ſua diſcrimina conſideratis, ut antea res ſe habuerat; quod eſt verius, cum Antonini Conſtitutio, ſicut omnis juriſprudentiæ corpus, non tam ad juris publici, quam ad privati juris rationes facta & comparata fuerit.

25. *Nec quod imperatores poſtea Conſtantinopoli quam Romæ habitare maluerunt, de jure populi Rom. quicquam imminuit.* Si nihil aliud mutationis à Conſtantino M. introductum fuerit, quam quod locum habitationis, Româ tranſtulit Byzantium, hæc ſola res in jure Reipubl. nihil mutare potuit. Sed omne jus quo Roma præcelluit, cum Byzantio, una cum nomine; quippe nova Roma dicta; communicavit, quod & effectum habuit & ſecutis temporibus obſervatum eſt; dubioque procul & ab initio cum S. P. Q. R. conſenſu factum, vel dein ab eodem approbatum. Hujuſmodi communicatio juris, quod ad ſummam rempubl. pertinebat, & quo re ipſa Conſtantinopolis exinde Romam exſuperavit, non potuit, quin de facto non tantum, ſed etiam de jure civitati Rom. detraxerit.

26. Grotius; *Sed tunc quoque electionem factam à parte ſui, quæ Conſtantinopoli habitabat, unde Byzantinos Quirites vocat Claudianus, ratam populus totus habuit, juriſque ſui monumentum non tenue ſervavit in urbis ſua prærogativa.* Primo adverte, Grotium agnoſcere communicationem juris quod habuit Roma, factam cum Byzantio, ſive Conſtantinopoli, etiam in ipſo conſulatu, quæ non poteſt non eſſe juris diminutio, niſi quis hoc captet.

Πλέον ἥμισυ παντός,

Præſtat pars una duabus.

27. Illam potius nota captionem logicaſtro quam gravi juriſcto dignam, quod populum Rom. vocat unum totum, cujus Byzantini pars fuerint; ita, ut quicquid Conſtantinopolitani agerent, id populus qui Romæ erat, agere cenſeretur, utique id ratum habere deberet, ante quam valere poſſet.

28. Quid nugamur? Duo populi fuere; qui Romæ & qui Conſtantinopoli erat, neque hæc, ab illo tempore ſubjecta fuit Romæ, nec utique hujus colonia. Fuit nova Roma, par antiquæ, ut in omnibus, ita iisdem elogiis ornata, quibus Roma vetus. Conſtantinopolis Æterna urbs *Nov. 23. de præd. c. fin.* Sacratiſſima urbs *l. 7. C. de Advoc. diverſ. jud. l. 30. C. de Donat.* Regia urbs *l. 25. C. de Nupt. §. ult. Inſt. de ſatisdat. ubi etiam caput omnium civitatum & nova Roma* inquam, *l. 4. C. de oper. publ.* Socrat. *hiſt. Eccl. l. 3. c. 8.*

29. Neque verum eſt, electionem Conſtantinopoli factam non valuiſſe, niſi per ratihabitionem populi Romæ habitantis. Hic ſua functus ſit electionis parte, vel potius alterius præjudicium ſequi ſolita eſt? Quando enim imperatorem Conſtantinopoli creatum agnoſcere detrectavit populus Romæ? Fuerit hoc facti; quanquam ego non dubito, quin & juris, ſtabilito in Græcia imperio, ſit habitum, ut imperator Conſtantinopoli electus Romæ quoque Cæſar & Auguſtus eſſet: Utique par jus cum eſſet Conſtantinopoleos Roma hujus partes occupare vel juſtificare non potuit.

30. Non agnoſcimus igitur ſequentia Grotii; *Quare jus omne, quod hi, qui Conſtantinopoli habitabant, ad eligendum imperatorem Romanum habere poterant, pendebat à voluntate populi Romani* Nec enim de jure, id ulla vel ratione vel auctoritate probat; de facto contrarium obtinuiſſe palam eſt in hiſtoriâ.

31. Grotius; *Et cum illi,* Græcos intelligit, *contra mentem ac morem populi Romani fœmina im-*

na im-

næ Irenes ſubiiſſent imperium,ut alias cauſas omittamus. Ingentem ſaltum committit heic Grotius, à ſtatu imperii,quem ſtabilivit Conſtantinus magnus cum Byzantii, tum Romæ, ad id tempus quo Carolus magnus à Romanis eſt electus Imperator,quod fuit Irene regnante apud Græcos.

32. Nam interea temporis immane quot & quantas mutationes populus Romanus & urbs olim domina gentium ſubiit! Primo rex Odoacer cum ſuis Herulis & Turcilingis Italiam invaſit,urbem occupavit & omne jus imperii quod habuerat,belli jure illi ademit & extinxit. Hunc iterum Gothi expulerunt & regno per integrum fere ſeculum Romæ potiti ſunt.

33. An tunc etiam vetus imperii jus populo Romano manſiſſe Grotius contendet, ut idem populus idemque jus ſemper habuiſſe dicendus ſit? Id quidem ab ipſius inſtitutione fuerit alieniſſimum, quo docuit, hoc eſſe jus belli,ut victor imperet victis uti libet,& populus liber,victus victoris ſervus & ſubjectus fiat.

33. Quod ſi jus Imperii, quod olim Roma ſola, dein juxta Conſtantinopolin pariter habuit, per Gothicam & Herulicam ſervitutem amiſerit; quæram, quando & quomodò jus amiſſum recuperavit? Nam quod ſemel eſt extinctum ſine nova cauſâ reviviſcere non poteſt, ut jurisconſulti, non minus quam philoſophi naturales intelligunt.

34. Pulſi deinde ſunt Gothi à Juſtiniano & ejus ſucceſſoribus, Græcis imperatoribus, viribus Græcorum, ſive Orientalis imperii, cujus ſedes erat Conſtantinopolis, & Roma rurſus Imperio adjuncta eſt Romano, quod dicebatur, non jam amplius à populo veteris Romæ, quæ ſerviebat, nec fons erat Imperii quod ipſa plane carebat, nec iſti nomen dare poterat Imperio; ſed hoc à novâ Roma tum fuit petendum; jure veteris Romæ penitus, inquam, extincto.

35. Nec verò poſtliminii jus datur populo à majori imperio vi bellica abſtracto & dein recuperato, niſi per novum novi victoris decretum, qua de re in *capite de poſtliminio* preſſius agetur;& habuimus exemplum recens Belgæ, cum quædam nationes fœderatæ à Gallis ſubactæ, armis recuperatæ, primo ita ſunt habitæ, quaſi bello captæ: dein ſpeciali decreto in fœdus denuo receptæ ſunt.

36. Sed Imperatores Græci Romanos tam liberaliter non habuerunt: nunquam aliter quam ſubjectis uſi ſunt, jure victoriæ & odio æmulantium nationum; Tantum abeſt, ut veterem excellentiam juris & Imperii pridem amiſſam illis reſtituerint. Manſit igitur amiſſum jus iſtud & Roma ab illo tempore nihil fuit aliud quam municipium majoris Imperii.

37. Unde igitur hoc, quod Grotius ſubjicit; *merito populus Romanus illam conceſſionem ſive expreſſam ſive tacitam revocavit, & per ſe Imperatorem legit, Carolum Magnum.* Qui jus ſuum ante aliquot ſæcula amiſerat, nec unquam ullo juris actu reſtitutionem in integrum acceperat, quam ille conceſſionem expreſſam vel tacitam in victorem dominumque ſuum jure belli factum conferre potuit, aut revocare collatam?

38. Imo ſi victor populus, qui fuit Conſtantinopolitanus, à quo Gothis ereptus & Imperio iterum ſubditus erat, in animum induceret, Irenæ feminæ parere, quod uſu venit ſub finem ſæculi VIII, quid hoc ad populum, qui nihil amplius ad electionem conferebat, qui imperia à Conſtantinopoli accipiebat, veteremque præcellentiam inde jam olim perdiderat? non poterat recuſare communem cum dominante civitate fortunam atque parendi legem.

39. Verum ſi hæc ita ſunt, ut à nobis diſputatur, quo jure Carolus Magnus à Romanis imperator electus dicetur? ſi enim populus Rom. Imperatoribus Conſtantinopolitanis ita ſubjectus fuit, ut ipſe nec amplius eſſet Princeps populus, ſed pars ſubjectarum gentium, ex quo libertate à barbaris capta

Digitized by Google

capta exciderat, nec à Græcis Imperatoribus antiquo principatui reſtitutus erat, non apparet, quo jure ſe Græcis ſubducere aliumque Imperatorem creare potuerit.

40. Grotius alias dari cauſas indicat; quæ ſint, non expoſuit. Pontifices præ ſe tulerunt *εἰκονοκλασίαν*, cum Leo imper. circa annum Xρ. MCCXXXII. cœpiſſet imagines è templis ejicere, quo tempore Gregorius II. & III. Papæ Leonem videntes in Græcia & in Aſia ſatis occupatum, & opibus Longobardorum, qui Græcis æmuli erant, confiſi, non modo Synodales Græcorum canones de vetito cultu imaginum abolere deteſtarique & auctores excommunicare, ſed ipſam quoque Romam cum ſuis dependentiis Leonis & Græcorum imperio, rebellione facta, ſubducere ſunt auſi & ſuſtinuerunt.

41. Hanc cauſam à Græcis deficiendi fuiſſe juſtam, Grotius ipſe, credo, non contenderet; nec quod præterea allegatur, Græcos non fuiſſe pares tuendæ Romæ contra Longobardos, & Saracenos; opus fuiſſe potentiore patrocinio. Prætextus hi ſunt, quos Romanis nequidem periclitari viſum eſt.

42. Nihil reperio, quam belli qualecunque jus, idem quo aliæ gentes ab Imperio Romano defecerunt. Etenim eſt verum, Romanos per annos ſexaginta & amplius fuiſſe in ſtatu belli cum Græcis, uſurpata *αὐτονομία* & libertate, quam & ad extremum usque, Græcis invitis, retinuerunt: Quo autem jure defecerant à Græcis imperatoribus, eodem jure novum ſibi Imperatorem adſciverunt. *Ac voce primi civis* ita pergit Grotius, *id eſt, Epiſcopi ſui* [*quomodo & in Judaicâ Republ. rege non exiſtente, prima erat ſummi Pontificis perſona,*] *pronuntiarunt.*

43. Satis pellucet animus, quo Grotius in hunc locum digreſſus ſit, adulandi Pontificiis gratiâ: Quid enim ſimile habuit jus Pontificis Judaici, ex inſtituto poſt captivitatem Babilonicam in gente ſtabiliro, ſacrorum & Reipublicæ Præſidis, cum Pontifice Romano? Ubinam liquet, illo tempore, populum Romanum, Epiſcopo ſuo dediſſe principem locum in Republ.? Epiſcopi ſui ductu & miniſterio tunc uſi ſunt, ex more illius & ſequentium ſeculorum, adhibendi vocem manumque ſacram actibus inaugurationum.

44. *Fuit autem hæc electio perſonalis in Carolum Magnum & quosdam ejus ſucceſſores.* Velim hoc probetur; Nam Ludovicus quidem Pius à Patre Carolo in comitiis Francorum Aquisgrani congregatis, declaratus eſt imperator & collega patris, ſine ulla Pontificis aut populi Rom. interventione, quod conſtet, nec auctoritate vel approbatione requiſita. Inter ſucceſſores quidem variæ fuere contentiones, quas Pontifex inauguratione feſtinata, ſæpe decidit aut prævenit, facto magis quam jure. Sed primam Imperii in Carolo conſtitutionem veriſimilius eſt fuiſſe ſucceſſivam. Etſi ab hac re meritum quæſiti principalis ſatis eſt alienum. Magis ad eam pertinet, quod ſequitur.

45. *Qui ipſi jus imperii, quod habebant in Francos, ut & in Longobardos, à jure Imperii in Romanos, ut novâ causâ quæſito, ſolicitè diſtinxerunt.* Et merito, quia pridem illas ditiones, antequam imperatores ſalutati eſſent, obtinuerant.

46. Unde patet, quantum ſit, quod populus Romanus Carolo tum dare potuerit; Germaniam & Galliam jure regni Francici tenebat, Italiam jure victoriæ Longobardicæ, Exarchatum Ravennenſem, qui nunc Romania dicitur, dederat ipſe Pontificibus. Extimam Italiæ partem, quæ nunc eſt regnum Neapolitanum, Græci adhuc tenebant.

47. Nihil igitur extra urbem accepit illâ creatione imperatoriâ, præter *ἀξίωμα* nominis, ut imperator Romanorum diceretur; cujus populi gloria vetus & memoria potentiæ priſtinæ adhuc aures hominum implebat opinione majeſtatis, etſi tam res quàm jus omne ſuum pari jure belli, quo creverat, jam funditus amiſiſſet.

48. Imperium certe in urbem ejusque territori-

ritorium, quod patrimonium S. Petri appellatur, ipſumque, opinor, Exarchatum Ravennenſem jure *directo* illa delatione conſequutus eſt; nec enim aliter donationes Pontifici factæ, quam ſalvo jure ſupremi dominii, quod tum quidem pontifices adhuc poteſtate ſeculari præ ſe non ferebant, intelligi poſſunt.

49. Enim vero, Longobardiæ regnum, à Carolo ſeorſim nomine regni Italiæ tunc & deinceps habitum eſt, ſiquidem eodem tempore, quo Carolus Magnus Imperator Romanorum proclamatus eſt, filius ejus Pipinus Italiæ Rex inauguratus fuit. Poſtea cum Imperatoriâ dignitate conjunctum fuit, ne penitus inane fieret, Imperium Galliâ & Germaniâ inde aliquantiſper alienatis; donec ab Othone conjunctio Germanica commiſſa fuit: qua de re ſic ait Grotius.

50. *Poſtea diviſo Francorum populo in Occidentalem, qui Galliam nunc obtinet, & Orientalem, qui Germaniam ſive Alemanniam tenet (duo Francorum regna vocat Friſingenſis) cum populus Francorum Orientalis eligendo ſibi Reges facere cœpiſſet (nam & ad id tempus Francorum regum ſucceſſio quaſi agnatica, non tam à jure certo, quam à populi ſuffragiis pependerat) placuit populo Romano, quo certius præſidium haberet, regem non proprium, ſibi ſumere, ſed eum quem Germani feciſſent.*

51. His de facto nihil habemus adverſum, ſed collectio Grotiana meritò diſplicet; *populus Romanus*, ita inſtituit, *ſemper fuit idem, nec aliud hodie quam fuit olim, jus habuit.* Olim imperatore mortuo, ſui juris erat & de imperio diſponere poterat; Ideo & deinceps idem facere potuit, hodieque poteſt, adeoq; in promptu eſt ratio, juſtificandi uſurpationes Pontificum ſeculares contra Cæſares ipſumque imperium quà tale Pontifici ſubjiciendum.

52. Quam non idem jus populo Romano ſemper fuerit, demonſtratum eſt ſuprà; quod decretum de agnoſcendo ut imperatore quē Germani regem elegiſſent, fuerit actus alienandi jus imperatorem creandi perpetuum, ſimiliter dictum, eaque eſt in dubio natura obligationis, ut perpetua ſit; denique verba hujus pactionis, ut à Grotio ipſo relata ſunt, translationem juris eligendi imperatorem in proceres Germaniæ, manifeſto præ ſe ferunt: nec enim decretum fuit μονόκλινον populi Romani, ſed conventio inter Imperatorem atque Germanos & Romanos, ut hiſtoria declarat, etſi inſtrumentum & verba ſpecialia non extant.

53. Quod ſi populus Romanus, aut qui poteſtatem ejus poſtea nactus eſt, pontifex, eam facultatem ſemper revocare potuiſſent, aut ſingulis imperatoribus, ſi diſplicerent, obſequium negare, fuiſſet illa quidem abſurda & eluſoria conceſſio; præter quod ipſius Grotii verbis contraria, quæ non de ſingulis, ſed de univerſo jure eligendi concepta ſunt; placuiſſe, uti, quem Germani regem ſumſiſſent, is etiam ſuus imperator eſſet: quod ipſum eventus efficaciter demonſtravit; ſiquidem conſenſus gentium haud aliunde, quàm ab hoc inſtituto, faſtigium imperiale Cæſareum Germanis proprium fecit.

54. Niſi quod Grotius addit; *Ita tamen, ut jus ſibi aliquod probandæ vel improbandæ electionis, quantum ſcilicet ea res ad ſe pertinebat, retineret. Jus aliquod*, incertitudinis nota; cum, ſi vere jus probandi & improbandi fuiſſet, id diſerte reſervatum oportuiſſet. Præſertim, cum per illud tantum non adimeretur facultas, quæ delata fuerat. Probandi jus *aliquod* reſervatum fuiſſe, ut appareret, non eſſe Romanum imperium regni Germanici partem, non eſt abs re; ſed improbandi facultas Germanicam electionem ludibrio exponebat, ſi præcipuum dignitatis faſtigium ſuo imperio adimeretur. Et Pontifices tum necdum eo provecti fuerunt arrogantiæ, ut cum ab Othonibus pontificum approbatio dependiſſet, ac ab illis aliquoties exercita ſit improbatio; eodem tempore (nam ad hanc ætatem hujus rei origo refertur) auſi ſint ſtipulari, ut ipſis competeret jus imperatores appro-

approbandi vel improbandi. Si quid unquam ejuſmodi, Cæſarum alicui impoſitum fuerit,id,ut alia nonnulla quibuſdam ex iis, indigna majeſtate Auguſta, leguntur extorta,tranſitorium fuit,neque in facultatem convaluit,cum ſemper à Germanis iſta Pontificum arrogantia, de jure & de facto refutata fuerit.

55. Credo,quicquid ejus eſt, reſolvi in ſolennem coronationis actum,de quo Grotius porro; *Hac quoque approbatio per Epiſcopum edici & ſolenniter teſtata fieri peculiari coronatione ſolebat.* Hanc Pontifices Romanos impertiri ſolitos eſſe imperatoribus usque ad Maximilianum I. ſatis conſtat. Sed ut hic, & poſt Carolum V. omnes imperatores illam coronationem neglexerunt, eoque nihilo minus Cæſares Romani fuere, quam qui coronæ capiendæ cauſa Romam profecti erant; ita clarum eſt,actum illum coronationis nihil fuiſſe quam ritum inaugurationis, ſine quâ jus regium habet integritatem ſuam,non minus quam ſi maxima pompa coronatio celebrata fuiſſet.

56. *Quare ex electione ſeptem Principum, qui Germaniæ corpus referunt, qui lectus eſt, jus habet imperandi Germanis, ſecundum eorum mores: Ex approbatione verò populi Romani fit idem rex,aut imperator Romanus,aut ut hiſtorici ſæpe loquuntur, rex regni Italiæ.* Cui bono igitur decretum illud,quo ipſe refert, placuiſſe populo Romano, & quod ſatis uſu veniſſe conſtat, Germanis imperatoribus ipſis id agentibus & in ipſorum gratiam; ut quem Germani regem elegiſſent, hic imperator Romanorum eſſet; ſi non vi electionis Germanicæ juxta illud decretum,incontinenti imperator Romanus fieret.

57. Negandum adeo, quod electus Germaniæ rex fiat imperator Romanus, vi approbationis à populo Rom.id eſt, à Pontifice faciendæ; fit imperator Romanus virtute decreti illius perpetui & electionis ſecundum illud in Germania factæ; quemadmodum ratio exigit & uſus tot ſeculorum probavit.

58. Quod autem imperatoris Romani & regis Italiæ jus unum idemque ſtatuit eſſe, non fit etiam accurate. Nam quo tempore Carolus magnus imperator eſt ſalutatus, regnum Italiæ, quod fuerat Longobardorum, Carolus jam pridem tenebat,idque nunquam à Pontifice populove Romano profectum, ab eorum confirmatione nullo modo pendere potuit: ſed imperium, quod illi Carolo tribuerunt, in urbe Roma ejusque territorio latino conſiſtebat; quod dein uſurpatione & præſcriptione, vel potius impotentiâ Cæſarum Germanicorum, imperatorio juri penitus ſubtraxerunt.

59. Verum quidem eſt, Caroli magni poſteros deinde regnum Italiæ cum imperatorio nomine conjunxiſſe; verum idcirco jus regni illius in populum Romanum, à quò diu fuerat amiſſum,non contulerunt,ut Grotius hic loci falſo ſupponit.

60. Prorſus hodieque jus Imperii Romani à regno Germanico, & Italico ſive Longobardico,diſtinctum, nihil habet materiæ, quam ab urbe Roma & patrimonio ejus περιχώρῳ; Quod ipſum quia penitus Imperatoribus ſublatum eſt, apparet, nihil de Imperio reliquum eſſe, quam quod ipſi Imperatores Carolini cum eo conjunxerunt, & quod Otho Magnus dein acquiſivit,jure belli ademptum Berengario: quod proinde non habent Germani à Romanis aut à Pontifice, neque per vetus illud decretum, neque multo minus per ſingulares confirmationes, quæ penitus ſunt commentitiæ.

61. Ex quibus apparet, quid quantumque ſit in his verbis Grotii; *Atque eo titulo* approbationis ſcilicet Pontificiæ, *ſub ſe habet quæcunque populi Rom. fuerunt, neque pactionibus aut derelicti occupatione, aut victoria jure in aliorum populorum imperium conceſſerunt.* Quam modicum hoc ſit, demonſtravimus, & hoc ipſum modicum non habet imperator titulo confirmationis identidem renovatæ, ſed ex vetere æternoque decreto,

habendi

habendi pro Imperatore regem à Germanis electum, ut toties dictum eſt.

62. Pergit Grotius; *Unde illud quoque intelligi facile poteſt, quo jure Epiſcopus Romanus vacante Imperio, inveſtituras tribuat feudorum imperii Romani, quia ſcilicet in populo Rom. tali tempore libero, primas obtinet.* Huc omnia redeunt, epiſcopo Romano ut conſulatur; Huic enim placere voluit Grotius in hoc quidem *articulo* juris non levis momenti, contra veras ſolidasque juris & hiſtoriæ rationes; vix enim eſt ut aliter ab homine doctiſſimo ſed cum Pontificiis *ſyncretizante*, liceat ita loqui, tam male cohærens accipi poſſit diſputatio.

63. Quod attinet ad inveſtituras vacante imperio tribuendas novis imperii vaſallis in regno Italiæ (nam de hoc intelligendus eſt Grotius, quia in urbe Roma & ditione ſubjecta imperator Romanus nihilo plus juris habet aut exercet hodiè, quam Lutetiæ Pariſiorum & per inſulam Franciæ) non videtur eas Pontifex ullo jure ſibi vindicare, quia regnum Italiæ à populo Rom. non dependet, nec unquam poſt invaſionem *Longobardorum* ab ea dependit; unde nec ad Papam, ut primam urbis perſonam, quomodo Grotius loquitur, id eſt, principem, diſpoſitio de partibus ejus regni ſpectare poteſt. Jus enim Vicarii, quo Palatinus & Saxo præditi ſunt in Germania; nunquam in Pontificem, quod ad Italiam attinet, tranſlatum eſt; etſi Grotius in notis, Papæ jus cum illorum vicariatu comparat.

64. Hinc evaneſcit, quod Grotius ſubjungit his verbis; *Solent autem quæ ſunt corporis alicujus, per primam perſonam, corporis nomine, expediri.* Nec enim corpus Romanæ civitatis jus regni Italiæ à Longobardis jure belli ademptum unquam recuperavit; unde nec primæ ejus perſonæ quocunque prætextu adſcribi poteſt.

65. Quid autem de prima perſona nugetur Grotius, conferens Papam cum primate Poloniæ Archiepiſcopo Gneſnenſi, qui vacante regno ſedeat in throno? quaſi Epiſcopo Romano idem jus competat. Nam ad regnum Italiæ nihil attinet ille; In urbe vero eique ſubjecto territorio non primæ perſonæ jus arceſſitum è Polonia & Judæa, quemadmodum Grotius inſtituit, ſed verum jus principis & regis habet atque exercet.

66. Ideo inde à pluribus ſeculis, ſi regnum Italiæ ab urbe Româ dependet, Papa non vicarius Imperatoris, ſed jure ſuo rex eſt regni Italiæ, & imperator nihil habet quam dignitatis ἀξίωμα, adhuc reliquum in opinione gentium ab excellente memoria populi Romani.

67. Sed, ut dictum, Italiæ regnum ab imperio populi Rom. ſeparatum, & cum eo deinde quidem conjunctum, non tamen confuſum fuit; ut Papa ejus feuda minimè conferre poſſit, abſque ſpeciali conceſſione Imperatorum aut populorum, quæ nunquam facta legitur; quemadmodum de vicariatu Saxonis & Palatini factum videmus

68. Quis igitur eſt vicarius, dicat aliquis dum vacat imperium in regno Italiæ? Nihil profertur, quare neceſſe ſit, aliquem ſtatuere vicarium, ubi nemo conſtitutus legitur, non magis quam in principatu pontificis Romani, vacante ſede, vicarius eſt quiſquam.

69. Iterum quæritur, quo jure rex Germaniæ ſit pariter regni Italici rex; ſi decretum æternum populi Romani, quo placuit, imperatorem ſuum eſſe, quem Germani regem ſuum elegiſſent, ad regnum Italiæ non pertinet?

70. Reſpondetur, id eſſe clarum è tacita populorum, qui regnum Italiæ conſtituunt ac indubitato conſenſu, qui per tot ſecula nunquam id egere poſt Othones, à quibus pleno jure redacti ſunt in poteſtatem, ut alium regem quàm eum quem elegiſſent Germani, haberent.

71. Sequuntur ultima Grotii verba; *Neque vero male Cynus & Ramerius tradidere, ſi Imperator Romanus morbo aut captivitate*

Xx *impedi-*

impediretur, fungi Imperio, poſſe ei vicarium dari ab ipſo populo Romano. Nugatoria quæſtio, pari deciſione; nam in Germania dandi jus vicarii nequidem ipſe pontifex jure populi Romani vindicabit; in regno Italiæ nemo in ipſum hoc jus contulit, nec id ab urbe Roma dependet. In hac autem ipſa non laborabunt de vicario Imperatori dando; à cujus imperio ipſum non minus quam Galliæ aut Poloniæ regem excluſerunt.

72. Et hæc quidem hactenus ad locum Grotii, notabilem, magis ſtudio in pontificem Romanum, quod niſi plurimum fallor, ejus judicio præſtrinxit; quam ſoliditate collectionis juridicæ vel hiſtoricæ; qui tamen propter auctoritatem viri & momentum negotii, ſilentio neutiquam tranſmittendus videbatur. Qui plura cupit, videat Limnæum *addit. ad jus publ. tom. 5. ad lib. 1. c. 4 n. 24.* & Commentatores Grotianos *ad h. loc.*

SECTIO X.

Exhibens diſſertationem de imperio, ſine vi, a populo ſui juris conſtituto.

Primum editam anno MDCLXXXIX. adverſus Orationem ejusdem inſcriptionis, habitam Franckeræ in templo Academico, Kalendis Junii ejusdem anni, quâ rationes Auctoris in *Lib. 1. Sect. 2. & 3. de Jure Civitatis* expoſitæ, primum oppugnatæ fuerant. *u)*

CAP. I.

CONSTITUTIO QUÆSTIONIS ET DE ORIGINE IMPERII VOLUNTARII.

Incertitudo quæſtionis de imperio, ut non male dictum ſit, fidei magis eam eſſe quam doctrinæ. n. 1-14. Occaſio præſentis diſputationis, contra ſententiam, quod imperium ſimpliciter conſtitutum primitus & unice à naturâ mandati ſit arceſſendum. n. 15-23. Ampliationem, quod pacto deinde plus juris in Imperantes ſit translatum eſſe irritam; quia pacta ſemper detrahunt imperio ſimpliciter conſtituto. n. 24-28. Ne quidem pactum ſucceſſionis

u) fuerant) *Cum hic nihil novi contineatur ſed ſaltem confirmatio doctrinæ prioris, & nos hac parte cum autore conſentiamus, non opus erit hanc ſectionem de novo explicare, ſed commendanda ſaltem ejus lectio Auditorio noſtro, in uſum repetitionis. Niſi quod intuitu eorum quæ autor* cap. 1. n. 43. ſeq. *differit de* ſtatu belli naturali *jungendæ ſint notæ noſtræ ad* Sect. 1. c. 3. n. 6. & 8. p 12. *Quamvis autor ipſe ſententiam ſuam alibi* (Sect. 3. c. 6. §. 17. 18) *novo modo ſic explicaverit ut tolerari poſſit & à doctrinâ Hobbeſii planè abeat. Similiter in* cap. 4. n. 44. *de textu Samuelis jungendæ erunt notæ noſtræ ſupra ad* Sect. 2.

onis ſi accedat, augere jus imperii ſimpliciter delati, quia ſucceſſio tantum eſt continuatio imperii primum delati. n.29-33. Si imperium mandati jure cenſeatur, imperium regi ſemper abrogari poſſe. n.34-41. Non eſſe improbandam Hobbeſii poſitionem; ſtatum naturalem eſſe ſtatum belli, facto, non jure ſcilicet. n.42-48. Ad hunc evitandum, opus fuiſſe unione civitatis perpetuâ & indiſſolubili, qualis non eſt a mandato. n.49-57.

1. Diſputationes de jure imperii, quod non à vi bellica, *ſed à voluntate liberi & ſui juris populi* originem habuit, noſtro ſæculo à clariſſimis ingeniis agitatæ, his diebus, occaſione motuum Britannicorum denuo incaluerunt.

2. Nec abs re forte quis ita exiſtimaverit, inanem hujus rei eſſe diſputationem; *quando regnantes ubique tantum juris habere creduntur, quantum manu complecti* & viribus exequi *poſſunt*, ut hic fere unicus ſit arbiter hujus quæſtionis.

3. Præſertim, quando tam immanis eſt diverſitas opinionum, ut cum omnium ſingulorumque rationes examinaveris, incertior ſis multò quam pridem.

4. Non diſplicuit adeo inſtitutum cujusdam ex *Anglia* ſcripti, quod publico nomine, vero an prætexto, prodiit his diebus narrans eo rem diſputando eſſe redactam, *ut fidei potius quam doctrinæ quæſtio res videatur.*

5. Proinde ſibi eſſe propoſitum, ajebat, exemplis rem conficere, ut quod *Britanni* fecerunt, id jure factum videri, approbet iis populis, qui exempla duntaxat ab ipſiſmet edita refellere nequeant.

6. Non eſt tamen hæc omni ratione deſtituta res, & quanquam victoriæ ratio non redditur, cauſam tamen quisque ſuæ cauſæ prætendit; quin nec parum in animis populorum momenti habet juris conſcientia.

7. Quanquam enim mortalium res facto magis quam jure conſtant, ita tamen non cedit humano generi, jus in viribus & potentiâ conſiſtere, quod Hobbes & Spinoſa volunt.

8. Cujus rei ratio quanquam ſatis educta & demonſtrata fuit in *lib. 1. de jure civitatis*, nova tamen occaſio nata eſt, de natura ſummi imperii, propriâ agendi diſſertatione, quâ ſi nonnulla ex his quæ alibi collocata ſunt, repeti videbuntur, in ſumma tamen hac parte non metuimus offenſam vel tædium Lectoris.

9. Duæ ſunt opiniones ſummæ, de efficaciâ Imperii non violenti, altera quæ *principibus*, altera quæ *populo* infinitam poteſtatem tribuit.

10. Prior duplici viâ procedit, una, quæ poteſtatem imperantium *à Deo immediate* arceſſit; altera, quæ populum in reges *omnia*, quæ transferre *potuit*, tranſtuliſſe contendit.

11. Sed

cap 6.n.37. p.53. *& ad* c.7.n.13.ſeq.p.57.ſeq. *item ad dicta* cap. 6. n. 14. *adde notas ad* Sect.9.c.3 n.11. *& ad repetitam doctrinam* cap.6. n.26. ſeq. *de definitione tyranni exercitio talis & quid in eum liceat populo, repete etiam notas ad* d. Sect. 9. cap.2.3. & 4. *Caterum in hâc ſectione 10. Autor primam editionem diſſertationis illius* de imperio ſine vi à populo ſui juris conſtituto *ſubinde auxit, non ſolum inſerendo varia verba ad declarationem ſententiæ facientia, ſed & addenda integros paragraphos. Ita in primâ editione non apparent ex cap. 1.* n 7.8.11.21.28.29 32.33 54.55 56.57. *ex cap. 2.* n.1. 38. 41.42. 43. *ex cap 3.* n.23.24.25. *ex cap. 4.* n.10.11.18 19.20.21.54.55. *ex cap 5.* n.12 22. *ex cap. 7.* n.40. & 44.

11. Sed hanc, uti nunc eſt, pauliſper permiſſam faciemus. Utrique ejus membro ſatisfecimus *in loco*, & reſtitavimus utramque hypotheſin. Ut tamen cauſæ voluntatis humanæ ſingulari modo ſupereemineat divina voluntas, quæ ſubmisſionem voluntariam hominum, ſine quâ civitates ipſique homines ſalvi eſſe nequeunt, auctoritatis ſuæ religione ſacroſanctam facit.

12. Poſterior ſententia, *Poteſtatem ſupremam ſemper & in omni republica populi* eſſe commemorat; idque nunc quaſi jure ſuo poſtulat, ab iis, qui ſucceſſu Anglicano gaudent, nec illa conſilia laudare non audent.

13. Angli tamen diligenter id agunt, ne hoc jure ſuum regem nuper expuliſſe videantur; quando ſe regi imperium non *abrogaſſe*, ſed hunc illo *ſe abdicaſſe* videri voluerunt, idque decreto publico enixe proſecuti ſunt.

14. Quo magis neſcio quam gratiam ab illis inituri ſint, qui ſe *Britannicam methodum* aliter quam *Miltonianis* rationibus tueri poſſe deſperant.

15. Meo loco jam pridem factum eſt, ut cum hæc pars juris, cujus eſt, eam tractare quæſtionem, mihi commiſſa fuiſſet, curæ habuerim, ut auditores mei intelligerent, *non opus eſſe ad effrenem dominandi licentiam intra juris cancellos coercendam*, ut omnis imperii vis aboleatur.

16. Quod parum aut nihil abeſt, quin è ſententia, quæ ſtatuit, *imperantes nihil eſſe quam populi* procuratores mandatarios fiat.

17. Procul habeo cauſas ægre ferendi, quod adverſus rationes meas, quibus inter *impotentiam tyrannidis & inſolentiam plebis mediam viam* curatè indagaveram, apud Academiam noſtram diſputari declamarique videmus & audimus.

18. Nam etſi id actum fuerit, ut rationes mihi propriæ refellerentur, quia tamen eſt problema tralatitium, ineptus ſim, id ſi ullo modo ſuccenſendum putem.

19. Quin gaudeo potius, occaſionem mea preſſius examinandi exponendique veritatem liquidius, eſſe datam.

20. Quod quidem plane faciendum mihi fuit, ne primum caput artis, quam fere quotannis vivâ voce tradimus, indefenſum *in loco* deſtituiſſe videamur.

21. Modo æque faciles habeamus eos, qui hanc ipſam diſquiſitionem inchoaverunt, ut ferre queant diſſentientes, quorum ipſi rationes primi impugnarant.

22. Sententia; quam volunt eſſe hujus temporis, novisſime renovata eſt his verbis: *Imperium à libero & ſui juris populo in magiſtratum, principem aut regem ſimpliciter collatum, primitus & unicè ex natura mandati arceſſendum; vim autem majorem aliquam eſſe a pactis inter populum & principem initis.* In quibus terminis prora & puppis, initium & finis orationis hac de re ſcriptæ & habitæ in templo Accademiæ Franekeranæ, kalendis Junii MDCLXXXIX. continetur.

23. Bene habet, quod collator imperii ſtatuitur *populus liber & ſui juris*, ut vis belli, præcipua & antiquisſima regnorum origo, ab hac diſceptatione removeatur.

24. Sed hoc novum eſt in illa propoſitione, quod cum imperii conſtitutio ſimpliciter in civitate facta, MANDATO perpetrari dicitur, *vis aliqua major* è pactis inter populum imperanteſque initis proficiſci ſtatuitur.

25. Nam quæ pacta inter populos atque reges iniri videmus hodie, vel quæ unquam inita fuiſſe accepimus, omnia pertinent *ad regiam poteſtatem limitandam*, ac intra *certos terminos* coercendam.

26. Qualia certe videmus eſſe, quæ Germani, *Britannorum*, *Polonorum aliique* populi olim novisſimeque cum ſuis regibus inierunt.

27. Adeo, ut ſi poteſtas regia ſimpliciter delata nihil ſit quam *Mandatum*, pacta nihil eſſe posſint quam circumſcriptiones & quaſi *inſtructiones* mandati exercendi ac adminiſtrandi, ne ſit procurator *cum liberâ*,

quem

quem vocant.

28. Nec mihi venit in mentem, ulla unquam pacta cum regibus augendi juris eorum cauſa fuiſſe inita, niſi per abolitionem pactorum, quibus ſumma poteſtas prius adſtringebatur, ut noſtra memoriâ factum eſt in Dania.

29. Si facultatem ſucceſſionis ad heredes, quæ ſæpe venit ex pacto, & naturæ mandati non ineſt, huc referendam putes, fac cogites, hoc pactum efficere, ut jus delatum vere alienetur; neque mandatum quod morte extinguitur, amplius eſſe queat; cum translatio in heredes, alienatio in primis liquida & perfecta ſit.

30. Præter quod, jus ſucceſſionis utcunque ſit alienatio, tamen intenſionem augmentumve poteſtatis præſtare non poteſt; cum ſola temporis extenſionem adferat.

31. Nam conſtitutio ſucceſſionis, nihil eſt aliud, quam juris primo delati in heredem continuatio.

32. Quod autem ſucceſſoria regna plerumque videmus eſſe liberioris poteſtatis, non juridicis, ſed politicis cauſis accepto ferendum; eo quod artes & uſurpationes regnantium in ſucceſſivis, facilius quam in electivis imperiis intercedunt.

33. Sed jus heredum per ſe nec majus neque minus eſt, quam fuit ejus, cui imperium ſimpliciter eſt delatum, quemadmodum & de magiſtratibus hereditariis obtinere manifeſtum eſt.

34. Unde colligi poteſt, quam juris & prudentiæ ſit inops hæc ſententia, *qua regiam poteſtatem ſimpliciter & ſine pactis delatam, à natura mandati pendere ſtatuit.*

35. Nam ſi regia poteſtas ſimpliciter delata, *eodem quo conſtituta eſt arbitrio* revocari & aboleri poteſt, ut natura *mandati* fert & novi auctores diſerte ſtatuunt, *palam eſt.*

36. Mandatum cum pactis adjectis, ne ſucceſſorio quidem excluſo, plus continere non poſſe, *quam ut mandatarius ſemper ab arbitrio mandantis dependeat.*

37. Proinde, ſi Britanni ſuum regem ex lege mandati deſtituerint, ut hujus ſententiæ auctores velle debent, non eſt recuſandum, quominus eadem lege mandati, rex novus, ubi populis viſum fuerit, ab re ipſorum adminiſtranda curandaque removeri atque dimitti poſſit.

38. Idque, tametſi leges mandati exactè ſervaverit; ſub præſtatione *indemnitatis*, ratione impenſarum, & *gratiarum actione* pro opera præſtita.

39. Nam hanc facultatem ineſſe mandati obligationi, notiſſima juris omnium gentium ratio & obſervatio dictat.

40. Sed abſit omen! credo, ipſos mandati regalis patronos eſſe dicturos.

41. Quamdiu tamen pacta Britannorum cum regibus ſuis *ad augendam poteſtatem regiam ſimpliciter poſitam inita*, non demonſtrantur, theſin nobis contrariam ita ferre ſatis eſt manifeſtum.

42. Atque hæc ad ſtatum controverſiæ. In ipſo tractatu quæſtionis occurrit primo adverſus *Hobbeſium* diſputatio de jure *naturæ* nobiſcum *oratori* communis.

43. Niſi quod minime negandum eſt, ut viſum illi, *ſtatum naturæ eſſe ſtatum belli;* hoc eſt, naturam hominum adeo eſſe corruptam, ut ſuos *quoque* proximos oderint, eosque ſi prævaleant, ſpoliare cupiant; adeo ut, ſi homines ſine imperio agant, pax inter eos cuſtodiri nullo modo poſſit.

44. Etſi hæc humanæ naturæ perverſitas non juris, ut *Hobbes*, ſed injuriæ cauſa ſit; quandoquidem ratio naturalis, utcunque corrupta in alia omnia concedit.

45. Hunc caſum belli promiſcui, in quem incidit omnis *Anarchia*, tam neceſſariò, quam id ſemper & ubique factum vidimus, *ubi nulla civitatis erat unitas cum imperio*, maximum eſſe malum, cujus ſit capax humanum genus, non poteſt negari & fatentur diſſentientes.

46. Idcirco hanc acerrimam hominibus cauſam extitiſſe *conſtituendi civitates*, tam cla-

ra res eſt, quam certum, *anarchiæ* vitium, nonniſi contrario ſtabiliendi imperii inſtituto poſſe devitari.

47. Non excluſo licet, amore ſocietatis & mutuarum neceſſitudinum communicatione, rerumque judicandarum neceſſitate, de quibus *Orator* prolixè.

48. Quæ bona ſine pace & unione reipubl. haberi non poſſunt, & cum bello promiſcuo pariter amittuntur.

49. Quamobrem *nihil actum erat* ab hominibus, quamdiu talem non ſtatuiſſent *Unionem*, qua ſtatum illum funeſtum arcere bonaque pacis conſervare poſſent.

50. Proinde nec diſſolubilem, *niſi ob mala non minora, quam erat ille ſtatus belli* promiſcuus, abſque imperio inevitabilis.

51. Hoc populos voluiſſe tam eſt dictu neceſſarium, quam illos *bellum omnium contra omnes* quam maximè averſari manifeſtum eſt.

52. Verum enimvero modus formandi talem unionem, *in libero ſuique juris populo* inde ab initio plane eſt arbitrarius.

53. Sive imperium *uni* demandare homini, vel *pluribus* ſimul, aut *ipſi per ſe* retinere velint, ut contendit *Orator* & fateri neceſſum eſt.

54. Sed hoc è neceſſitate unionis illius & cautione neceſſaria vitandi ſtatum belli, ſatis intelligitur, mandati contractum nullo modo videri potuiſſe ſufficientem; utpote, quod ſemper in proxima ſit potentia revocationis, quali facta, ſublato imperio, recidit populus incontinenti in ſtatum belli.

55. Et ſic velim, hoc obſervetur, eum qui ſtatuit, *imperium in principem aut regem ſimpliciter conſtitutum, primitus & unicè ex natura mandati arceſſendum*, idem neceſſario ſtatuere oportere de omnibus imperiis hodieque ſimpliciter conſtitutis.

56. Quippe inter imperia ſimpliciter ſtabilita ſine pactis ſpecialibus, ut ſunt pleræque ariſtocratiæ, ſicuti hodie extant, & quæ primitus ſine pactis ſimpliciter fundata ſunt, non poteſt eſſe diverſitas; quæ ſanè à tempore ſolo proficiſci non poteſt.

57. *Nullam* igitur vim facimus illorum ſententiæ, quando æque illam ad hodierna, quam ad primæva imperia ſimpliciter, inquam, conſtituta, pertinere diximus, quoniam aliter res intelligi nequit.

CAP. II.

DE JURE IMPERII POPULARIS, QVALE FUIT ATHENIS AC ROMÆ.

Populos cordatos imperium ſibi retinere ſolere. n. 1.-6. Formam popularis imperii eſſe pluralitatem ſuffragiorum in ſingulis imperii actibus. n. 7. Ejus rei effectus. n. 8. 9. ſingulos cives intelligi, renuntiare libertati ſuæ, in caſum, ſi numero ſuffragiorum uniantur, ſine diſcrimine juris, an injuriæ; n. 10-17. quo ſpectare obedientiam, vulgo dictam, paſſivam, n. 18. quam tamen non patere in infinitum n. 19-22. etſi ad minora mala non poſſit reſtringi, quod exemplis illuſtratur & objectiones quædam removentur. n. 23-31. Relinquere tamen licere civitatem, ſi qui male habiti ſint. n. 32. Non obſtare huic ſententiæ ſeceſſiones plebis Romanæ. n. 33. 34. Reſpondetur ad aliam objectionem. n. 35-40. Concluditur, in populari omnique imperio, magiſtratus

ſtratus quaſi mandato conſtitui. In exercitio ſummæ poteſtatis nullam dari ſpeciem mandati. n. 41. 42. 43.

1. CONTEMPLEMUR omnes civitatis formas, & videamus, an usquam inveniamus mandati contractum in imperio primitus ſimpliciter conſtituto; & primo quidem ratione democratiæ, ſive imperii popularis.

2. Primo omnium, in quâvis reipubl. forma ſummam poteſtatem, ſi modo *ſumma* ſit, eandem, quod ad vim ac intentionem ejus attinet, eſſe oportere, manifeſtum eſt.

3. Qualis autem illa vis ac intentio ſit, nos via quâdam demonſtrationis propriâ indagavimus, *in libro 1. de iure civitatis*, cujus etſi ab *oratore* comiter irriſæ, cur nos pœnitere debeat, adhuc cauſam non videmus.

4. Initium facimus à facultate imperii in civitate *populari*, quam proxime à ſtatu naturali longisſimeque ab invidia, quæ hominum judicia præſtringere ſolet, abeſſe manifeſtum eſt.

5. *Nihil eſt propius & promptius, quàm ut populus ſui compos & generoſus ipſe retineat imperii moderamen*, nec aliis ſe committat, ſummæ memor hominum improbitatis, avaritiæ ſævitiæque, dum adeſt licentia.

6. Nec aliter cordatisſimi quique populi vel inde ab initio, vel poſt experientiam, *præcipuis auctoribus Romanis & Athenienſibus*, conſuluerunt.

7. Modus exercendi *regimen populare* ab iisdem eſt editum, *idemque eſt unicus, qui in multitudine, dari poteſt; prærogativa numeri SUFFRAGIORUM in rebus ſummis, & MANDATUM improprie dictum in minoribus per magiſtratus* procurandis, quorum jus ſcilicet à majoris partis voluntate pendet.

8. Effectus concluſionis à majori parte factæ fuit idem, *qui eſt in omni univerſitate, quæ certo regimine continetur*, ut decretum majoris partis *omnium & ſingulorum voluntas cenſeatur*.

9. Quod tam liquidæ in campo Martio fuit obſervantiæ, *ut cum pars major centuriarum conſentiebat, reliquæ centuriæ*, cum earum voluntas majori parti ineſſet, ne quidem rogarentur, ut memoriæ prodidit Dionyſius *Halicarnaſſenſis*.

10. Hoc autem ex *prævia* ſubmisſione & *renuntiatione* ſingulorum manaſſe, tam certum eſt, quam clarum, quod in libero populo non detur exitus diſſenſionum, niſi hac via, vel pugna belli.

11. Inſignis igitur juris imprudentiam animadvertere licet in his verbis, de unione liberi populi acta in civitatem, prolatis; *Coiere fœdus & ſocietatem, ſui æqualiter conſervandi cauſâ, nec ulli ſuo jure, in quod erant geniti vel verbis vel animo* RENUNTIAVERANT (*pag.* 26.)

12. Namque libertas faciendi *quod libet, in quam maxime ſumus geniti*, per fœdus civitatis & imperii popularis, majoris partis arbitrio ſubjicitur, in caſum, *ſi quem in minore numero eſſe contingat*, eaque tam late patet renuntiatio, *quam pene ſunt actiones humanæ*.

13. Proinde ſine renuntiatione facultatis illius faciendi quod libet, ſi populo ſecus videatur, nullam poſſe conſtitui civitatem, manifeſta res eſt.

14. Nec quicquam refert, quod ad vim obligandi attinet, utrum rectius an pejus major pars ſentiat; alioqui lis ſuper hoc judicio rem identidem ad primam redigeret confuſionem, quam ut omnium malorum maximum, cives ſupra omnia vitare voluerunt.

15. Nec aliud dicendum, etſi malitia in parte majori adverſus aliquos appareret: ejus enim injuriæ patientia longe optabilior eſt, quam bellum ἀναρχίας, idque ſinguli, antequam eveniret, rogati, præferre non cunctarentur.

16. Proinde, quod in theſi quisque cenſuit eſſe faciendum, id in hypotheſi nemo improbare poteſt.

17. Hoc Cicero dixit verbis: *Eſt enim conditio*

ditio liberorum populorum præcipueque hujus principis populi & omnium gentium domini atque victoris ; POSSE SUFFRAGIIS VEL DARE VEL DETRAHERE QVOD VULT CUIQUE. *Noſtrum autem, qui in hac tempeſtate populi jactamur ac fluctibus, eſt, ferre modice populi voluntates, allicere alienas, retinere partas*, orat. pro *Planco*.

18. Hæc eſt *obedientiâ*, quam vocant *paſſivam*, oratori nimis exoſa, FERRE populi VOLUNTATES & injurias; Nam jus verum populus inique agendo non magis quam privatus quilibet adſequitur: Et hinc pendet judicinm de *Petaliſmis ac Oſtraciſmis* antiquorum.

19. Nec tamen infinitum durat hæc ſubmiſſio & renuntiatio; non ſane, ſi pars major coitione facta id agat, ut reliquos omnes aut magnam partem vita boniſque pro lubitu exuere poſſint: Id enim non eſſet minus malum, quam promiſcuum bellum.

20. Verum ut vis aut damnum ſingulis illatum imperii ſolvendi cauſam præbeat, id reipubl. conditores nullo modo voluiſſe palam eſt; ſalvo tamen moderamine inculpatæ tutelæ; contra vim more latronis illatam.

21. Ita enim animum omnes inducunt; non poſſe rempubl. *ſine magnis injuriarum exemplis haberi*, quæ ferenda, *eo quod utilitate publica contra ſingulos rependuntur*, ut de hoc genere Tacitus.

22. Atque ad hujuſmodi conſenſionem ſubmiſſionemque, populi facile deſcendunt, *quoniam in fœdere democratico conditio, ſpes & ratio par eſt omnium*; Nec quiſquam magis ſe ſuperatum iri, quam alios ſuperaturum, præſumere poteſt.

23. Equidem ab oratore conceditur, minorem partem utcunque diſſentientem *ad ſequendum majoris partis ſententiam* teneri, ferenda, etiam *minora* quævis *incommoda*.

24. *Sed majora mala*, liberorum abductionem, mancipationem, decimationem gregum, armentorum omniumque proventuum *non eſſe ferendam*.

25. Ad ea ſic eſt ratio; Si pars major in id conſpiret, ut minorem partem ſimul, aut carptim eo modo vexet, affigat & exhauriat, hic caſus à nobis jam olim eſt exceptus, *etſi vix facultatem habeat neque extet, opinor, exemplum*.

26. Injuriæ ſingulorum paucorumve ferendæ ſunt, ut Cicero monet: *Eſt enim hæc conditio & facultas populi ex primævo inſtituto acquiſita, faciendi injurias impune*.

27. Nec ideo tantum laudabiliter fecit *Ariſtides* & *Camillus*, quod exilia injuſta patienter tulerunt, ſed *Themiſtocles* & *Coriolanus* injuſtè quoque feciſſe judicantur, quod ob ſimiles injurias, quas pati debuiſſent, bellum patriæ intulerunt aut paraverunt;

28. Imo, ajunt diſſentientes, nec injuriæ neque juris iniqui quicquam, *major pars civitatis in minorem habet aut exercere ullâ ſpecie vel colore poteſt*.

29. Imo, pars major, addam, agit *perfide & ſceleratè*, quis neget? jus tamen ex conſenſione ſtabilitum eſt, propter injurias privatis illatas, *imperium civitatis non reſolvi* nec vi agendum.

21. Dictum vetus & ſanctum eſt, *vim patriæ & parentibus non inferendam*. Hoccene tantum de patria parentibuſque beneficis accipiemus? Digna res monitu, ſcilicet! ad duros & iniquos inprimis ſpectat.

31. Quid opus heic notiſſimam juris, *quod eſt bonum & æquum*, & juris, quod eſt, *facultas ad aliquid habendum vel agendum* inculcare diſtinctionem? qui neſcit vim ejus etſi terminos uſurpet temere ſe talibus immiſcet.

32. Sed ajunt; *Saltem ſecedere fas erit*. Fugere quominus liceat male habitis, nulla vetat ratio. Sed novam per ſeceſſionem in iiſdem ſedibus inſtituere temp. contra fœdus unitatis eſſet, & belli principium inevitabilis.

33. Ajunt; *Romana plebs, quam à ſenatu, quocum comparata, erat veluti minor, certe*

inferior

Digitized by Google

inferior civitatis pars, durius tractaretur, ſeceſſit plus ſemel ex ſede patria, quod nemo veterum non laudabit pag. 66.

34. Verſamur in hypotheſi *popularis imperii*, quale fuit Roma vetus, & hæc verba majorem partem è dignitate metiuntur. Tu dic, ſenatus fuit inferior pars, quia numero *minor*. Auctoritatis aliquid, poteſtatis nihil habuit, *quæ tota fuit populi, ut partis majoris.* Denique, nihil aptius in rem noſtram, quam ſpecimen illud exempli proferri poteſt.

35. Supereſt aliud argumentum, *Major*, ajunt, *pars, ſi à toto populo ſeparari ac diſtingui poteſt, omni populo eſt inferior; quippe qui ſemper reſcindendi poteſtatem habet, quicquid major illa pars ſtatuerit.*

36. Argutantur & fingunt majorem partem, quaſi ſemper eandem, iisdem ſemper hominibus conſtantem; etſi ne ſic quidem hæc conſecutio valeret; nam major pars per ſe & ſemper eadem, nunquam ſubjecta fieri poſſet.

37. Sed *major pars in ſingulis decretis cum minore comparanda eſt, ut ratio imperii intelligatur*, neque ulterius extendi poteſt; cum ipſa facultas perpetua penes populum ſit, qui imperium in ſe habere, ſaltem actu exercere non poteſt: ſed ratio imperii, inquam, in ſingulis actibus, decretis & maximè in ultimo quovis decreto elucet.

38. Non quidem eſt impoſſibile, ut totus populus, nullo excepto, conſentiat; ſed quia hoc utplurimum aliter ſe habet, ponendum eſt id, quod fallere non poteſt, ut decreta populi voluntate majoris partis inita intelligantur. Neque totus populus etſi conſentiens plus juris habet, quam major pars; ac ideo nulla inter eos eſt oppoſitio.

39. Id vero plus quam manifeſtum eſt, partem majorem eventu ſuffragiorum identidem repertam obligare cæteros, non vi *mandati* ab his accepti, ſed per modum renuntiationis & ſubmiſſionis in hunc eventum à ſingulis antea factæ.

40. Si qua pacta in anteceſſum, quæ major pars ſervare debeat, adjecta ſint, hæc ſervari debere non eſt dubium; ſed de his commodius infra agetur.

41. Non deeſt equidem mandati uſus aut ſimilis in imperio populari; Nam magiſtratus quibus adminiſtratio reipubl. quotidiana committitur, per mandatum, vel ſaltem per juſſum conſtituuntur.

42. Qui proinde ſemper obnoxii ſunt populo ad reddendas rationes, noviſque præceptis regi & circumſcribi poſſunt, injurias etiam ferre populi, non ſecus ac quilibet privati: Sed hoc ad ſummum reipubl. imperium, quod eſt identidem in numero prævalente, nullo modo pertinere, non eſt quod moneamus.

43. Illud verò, quod magiſtratus juſſu potius quàm mandatu conſtitui diximus, id hanc habet rationem; quod mandatum ſit inter pares, juſſus eſt ſuperioris ad inferiorem, & habet parendi neceſſitatem; quæ eſt etiam in muneribus publicis reſpectu ſummæ poteſtatis.

CAP. III.
DE IMPERIO OPTIMATIUM.

Momentum differentiæ, utrum imperii cauſa ſit mandatum, an alienatio, exhibetur in exemplo Ariſtocratiæ. n. 1-6. Cujus poteſtatem raro pactis limitari. n. 8-13. Si imperium ex mandato ſit, unam modo eſſe reipubl. formam, Democratiam. n. 14-20. Plerumque Ariſtocratias præſcriptione temporis atque ita tacite & ſine pactis conſtitui. n 21-25. Poſſe tamen & ex-

 preſſe,

preſſè, exemplo declaratur, n. 26-28. eum actum non eſſe mandatum. n. 29. Jus Ariſtocratiæ lapſu temporis ſtabilitæ demonſtratur & explicatur. n. 30-51. Si tamen expreſſè pacta cum optimatibus ineantur; hæc & ſervanda, & quæ contra fiunt, ipſo jure nulla eſſe. n. 52-57.

VErum ejusmodi ſpecies *popularis imperii* jure modoque adminiſtrandi, vix eſt, ut ulla detur amplius in mundo: Confuſionum tumultuumque experientia *Monarchias vel Ariſtocratias*, ſive regna & *optimatium* imperia *paſſim introduxit*.

2. Utraque, ſi de vi bellica non conſtet, *populi voluntate ac conſenſu expreſſo vel tacito, poſt Deum, conſtituta eſſe oportet*. Tertium enim non datur, niſi tyrannides ponas.

3. Nos de *Optimatium poteſtate*, quæ proxime à populari civitatis genere abeſt, primo videbimus; *ſitne per mandatum, an per translationem juris irrevocabilem*, conſtituta.

4. Quantum interſit, utrum ſtatuas, ex ſuprà dictis intelligi poteſt. Nam ſi *mandatum* ſit principium Ariſtocratiæ, *Populus aut major ejus pars ſemper eſt ſuperior optimatibus reipubl. præpoſitis. Hi ſemper tenentur ad rationes reddendas; ſemper in ordinem redigi & puniri poſſunt; Denique, ſemper iis poteſtas, etſi ad tempus certum aut ad vitam conſtituti ſint, adimi poteſt.*

5. Hæc enim eſt notisſima mandati natura, quod cum totum ſit in gratiam mandantis; *quicquid de tempore aliisve conditionibus ſit adjectum, à mandantis nutu, qui manet rerum ſuarum arbiter & moderator, dependet.*

6. Non valde acutum eſſe opus eſt, ad intelligendum, quantum è republica petatur hoc imprudentisſimo poſtulato, *quod omnis imperii ſimpliciter conſtituti vis & jus petendum ſit à natura mandati.*

7. Nec minuitur inſolentia dicti, hac limitatione; *quod pactis inter populum & imperantes major aliqua poteſtas deferri ſoleat.*

8. Quid enim hæc limitatio *in regibus* valeat, NIHIL ſcilicet, jam *primo capite* probatum eſt.

9. In Ariſtocratiis adhuc minorem habet uſum; *quia in ſtabiliendis Ariſtocratiis, præſertim laxioribus, rarior aut pene nullus pactorum uſus venit.* Nulla ſunt in *Venetis*, nulla, vel pauca, ſi qua ſunt, in *Batavis*, in *Friſiis* & vicinis nationibus.

10. Singulorum municipiorum ſua ſunt privilegia; ſed totus populus non habere ſolet pacta *cum Proceribus reipubl.* ad univerſum regimen ſpectantia, quemadmodum Friſiæ populus *nulla habet pacta cum Immobilium poſſeſſoribus*, quos penes eſt ſumma poteſtas.

11. Nihil apparet, quam ſimplex Imperii conſtitutio, quæ proinde ex Oratoris diſciplina, pendet unice ex lege mandati, neque differt ab imperio primitus & ſimpliciter conſtituto, ſiquidem nihil ad ſummam novi è pactis accesſit.

12. Ac ita ſubjecta eſt populo, *ſemper ab eo dependet*, huic reddenda ratio, ab hoc aboleri, mutari, ad mandantes revocari aliisve deferri poteſt.

13. Hæc non ſunt conſequentia, quibus adverſam opinionem oneramus, ſed explicitæ notisſimæque mandati proprietates, quæ hunc titulum audienti ultrò ſeſe offerunt.

14. Si quis autem in his rebus optimatium imperio adſcribendis nihil incivile reperiat, eum nec hoc movebit, *quod ſecundum hanc ſententiam, una tantum ſit reipubl. ſpecies*, DEMOCRATIA, modis adminiſtrandi variata.

15. Nam *Democratia* eſt, *quando ſumma poteſtas eſt penes totum populum*, qui *mandat*, vel injungit exercitium ſui juris magiſtratibus, ut miniſtris ſuis. *Mandatum ſemper relinquit jus ipſum penes mandantes.*

16. Proinde, ſi mandatum à populo proficiſcatur in regnis & ariſtocratiis; *hæ non ſunt ſpe*

Digitized by Google

ſunt ſpecies oppoſitæ, quomodo adhuc creditum eſt, *Democratiæ*; ſed huic *ſubordinatæ*, ſive modi illius.

17 Summa poteſtas eſt *anima* civitatis eique dat formam; *Si hac ſemper eſt penes populum, non poteſt aliunde forma reipubl. quam à populo arceſſi.*

18. Quanto rectius *populi* jus in *optimates* translatum, iisque ſumma poteſtas, in ariſtocratiis, *nulli extero ſubjectis*, competere dicitur.

19. Nemo quidem antehac dubitavit, quin ſumma poteſtas, ut in democratia penes populum eſt, ita in ariſtocratia penes *proceres*, in regno nullis pactis limitato penes regem eſſet; ita finire ſunt ſoliti juris publici intelligentes.

20. Sed qui ad omnia ſolita pridem nauſeare ſunt viſi, non eſt mirum, ſi & alia paradoxa præferant.

21. Cæterum, exempla populorum, quæ democratiam, habita deliberatione & expreſſo conſenſu, mutaverint in ariſtocratiam, vel hanc primitus conſtituerint, pauca memoriæ prodita ſunt, adeo ut *pleraque ſanè à tacità voluntate repetenda videantur.*

22 Cujus rei hanc ego rationem exiſtimo eſſe; quod plebs libentius paret uni celſo principi, quam pluribus ſe paulo majoribus, quibus non facile per ſpecialem voluntatis actum ſe ſubmittit.

23. Facilius patitur, quando à demagogis non incitatur in optimates, ut hi ſummam poteſtatem exerceant & præſcriptione temporis adipiſcantur, quo modo ſummum jus æque perfecte quam per actum voluntatis expreſſum acquiri, in capite *de præſcriptione* S. P. *ſupra* demonſtratum eſt.

24. Quo caſu cum locus non ſit pactis, imperium ſimplex & quaſi primitus delatum ſeſe conſpiciendum præbet.

25. Quo minus tamen Ariſtocratia expreſſo quoque ſtabiliatur actu, ratio nulla vetat; exempla quoque non deſunt; etſi pleraque, ut in Belgis uſu venit, è præſcriptione longiſſimi temporis, aut memoriam excedentis, profecta videantur.

26. De Florentinis notabile eſt, quod cum hi populariter agerent, aliqnando ſuum jus totum in paucos conferre ſunt ſoliti, ad tempus & ad certas cauſas, inſtar dictaturæ.

27. Modus, quem deinceps in perpetua translatione ſed involuntariâ, ſimiliter obſervarunt, his verbis deſcribitur à Guicciardino *Hiſtor. Ital. lib. XI.* quæ cum venia lectoris heic collocabo.

28. *Conuocato in ſu la piazza del Palagio, col ſuono della campagna groſſa, il popolo ab Parliamento, conſentirono, che à circa cinquanta cittadini fuſſe data ſopra le coſe publiche la medeſima autorità, che haveva tutto il popolo. Chiamano Florentini queſta poteſta coſi ampla,* "*BALIA*; Id eſt, Convocatus in forum pa"latii, per ſonitum campanæ magnæ, popu"lus ad comitia, conſenſit, ut in quinqua"ginta circiter cives conferretur eadem po"teſtas in res civitatis, quam totus populus "habebat. Hanc poteſtatem adeo amplam "vocant Florentini *Baliam*, quaſi projectio"nem.

29. Credo nec oratorem negaturum, ſi hoc modo liber & ſui juris populus optimates in perpetuum civitati præficiat, *quin hi verè ſummam poteſtatem non ex mandato, quod ſummo juri repugnat*, ſed per translationem habeant.

30. Verum ubi de tali translatione non conſtat, videndum, quid tacitus conſenſus ferat; Qualis erat futurus, ſi populus Romanus acquieviſſet in uſurpatione ſenatus, poſt reges expulſos eique rempublicam permiſiſſet.

31. Quemadmodum in noſtra patria contingit, poſt ejuratum dominum; Summa poteſtas nonniſi ad populum *per ſe* redire poterat, nec adeo ad rectores civitatum in *Hollandiâ*, nec ad poſſeſſores immobilium in *Friſiâ*.

32. Quoniam pauci vel ſaltem longe minor pars populi non poſſunt in omnes ha-

Digitized by Google

bere poteſtatem, niſi vel ex *conſenſu*, vel ex *Bello*.

33. Poſterius cum nullum fuerit, quo proceres plebem ſubegerint, nihil ſupereſt, quam *conſenſus*, quo ſumma poteſtas vacua denuo ſtabilita fuerit.

34. Quando igitur nihil expreſſum eſt, fieri debet, quod unice in rebus humanis fieri poteſt, ut dubia voluntas è conjecturis & effectis colligatur.

35. Ex his autem manifeſto liquet, noſtrates populos non mandaſſe tacitè, ſed abdicaſſe ab ſe jus ſummæ poteſtatis, ac ita transtuliſſe in optimates.

36. Paſſi enim ſunt inde ab initio, rectores civitatum & poſſeſſores immobilium non expreſſè ab ipſis conſtitutos, ſine ullis pactis ſuo arbitratu rempubl. adminiſtrare.

37. Ipſi populi nunquam de publicis rebus in unum convenerunt, ut vel præſcriberent optimatibus, vel rationes ab illis exigerent.

38. Exiſtimarunt quod res erat, ejusmodi conventibus univerſi populi, bonum publicum retardari, & omnium rerum foveri confuſionem.

39. Neque deinceps dubitatum eſt, quod optimates egiſſent, perinde habendum, ac ſi à populo toto id actum fuiſſet.

40. Ardua quæque pacis & belli negotia ultimis & peremptoriis procerum decretis conſtitui & finiri, nec tacitis quidem rumoribus unquam ſunt queſti, idque jam toto ſæculo continuatum eſt.

41. Nullus ordo, nulla facultas, nulla potentia totius populi in unum convocandi. Nec ulli unquam fuere tales conventus, niſi per deformes & inſanas ſeditiones.

42. Quas qui jure ſummæ poteſtatis, in populo ſitæ, factas adſeveret, tàm egregius auctor politicus fuerit, quam qui omne civitatis imperium è populi mandato arceſſat.

43. Quod igitur nunquam habet actum exercitum, ei nec actum primum nec adeo juris facultatem adſcribere fas eſt.

44. Atqui jus totius populi majoriſve partis apud Friſios & in cæteris noſtratibus liberis populis (ſive *provinciis*, ut more ſæculi loquar) nullum habet actum exercitum, nec habuit unquam.

45. Ergo nec actus ei primus, qui ſemper & neceſſario eſt in mandante, poteſt adſcribi.

46. Conſequenter, tam ſua voluntate noſtrates populi jus ſuum, quod ipſi plurium prærogativâ exercere potuiſſent, transtulerunt in optimates, quam populus Romanus id ſe nolle facere palam teſtatus eſt, quando ſenatui ſummam poteſtatem uſurpanti ſe oppoſuit, apud Livium *lib. 2.*

47. Non poteſt igitur populus *Venetorum, Batavorum, Friſiorum* à ſuis optimatibus repetere jus quod alienaverunt, quod transtulerunt, & quod repetere iisque adimere poſſent, ſi proceres mandatam à populo haberent poteſtatem.

48. Ne quidem etſi perverſe conſulant proceres, etſi publicam rem negligant, majorem ſui commodi, ut fit, quam communis rationem habeant, multisque hominibus præter rationem graves & iniqui ſint, non eſt tamen populo jus arma capiendi atque reſiſtendi.

49. Cum enim nihil ſit conteſtatius & liquidius hodiè, quàm quod olim Plato ad Dionem de ſui temporis civitatibus ſcripſit, *ὅτι κακῶς ξύμπασαι πολιτεύονται*, *quod omnes malè adminiſtrentur;* ſententia, quæ mandantis jus populo, mandatarii regnantibus adſcribit, nullum unquam ſtabile jus parendi imperandique relinqueret.

50. Duntaxat, niſi palam ſit, hoc agere optimates, quod vix fieri poteſt, *ut hoſtes ſe populi ſui gerant*, vel datâ opera civitatem peſſundent; hoc caſu ceſſare fœdus civitatis, antea demonſtratum eſt.

51. Quod ſi populus *certa pacta* cum optimatibus inierit, inde ab initio vel deinceps, aut ſi *ad tempus* illos præeſſe voluerit, non eſt dubium, quin acta factaque optimatium,

Digitized by Google

matium, poſt illud tempus, aut contra leges conventionis, *ſint ipſo jure nulla*.

52. Tantum abeſt, ut pacta *vim aliquam majorem mandato* ſcilicet *imperii*, quod *orator* volebat, circumdent.

53. Neque tamen etiam illa pacta conditionesque faciunt, ut delatio imperii fiat *mandatum*; verum, ut ſit translatio conditionalis efficiunt.

54. Hac ratione decemviri apud Romanos, accepta ſane poteſtate ſumma, verum ad tempus & ad certum finem, elapſo tempore vel expleto fine præſcripto, nihil erant quam privati; ut jure cives, etiam privati illis reſtiterint.

55. Nec idem adfirmare verear, ſi qua respublica rectores habeat annuos, cum ſumma poteſtate, qui poſt annum ut imperantes ſe gerere perſeverent.

56. Ut adeo fruſtra decemvirali exemplo in rem ſuam & mandati probationem utantur oratores.

57. Verum, ut antea dictum, pacta vitandæ tyrannidis cauſa in optimatium imperiis adeo pauca ſunt, quam rata tyrannidis in *Ariſtocratiis*, præſertim laxioribus, exempla, memoriæ ſunt prodita.

CAP. IV.

DE JURE REGNI SIMPLICITER DELATI.

Conſtitutionem regis ſine pactis non habere naturam mandati, probatur è mandati proprietatibus; quæ in tali regno non habent uſum. n. 1-21. Ergo nihil ſupereſſe, quàm ut ſit translatio juris & alienatio, eligentesque fiant ſubjecti, ut in matrimonio, tutelà curàque fit. n. 22. 23. 24. Eam rem eſſe evidentiorem, ſi populus aut ordines nullos habeant ſtatos conventus. n. 25. 26. Idem ſentire populos, quotquot regum primitus & ſimpliciter conſtitutorum poteſtatem limitant pactis, quod in mandato fieri nihil eſt neceſſe, cum mandatarius ſemper à mandante leges accipere poſſit & debeat. n. 27-34. Rurſus idem indicare populos, qui ut regnum faciant abſolutæ poteſtatis, nihil aliud agunt, quam ut pacta prius adjecta aboleant; quod Danico exemplo illuſtratur. n. 35. 36. 37. Unde concluſio formatur ad ſubjectionem populi totius in regno ſimpliciter delato. n. 38-41. Denique, jus divinum confertur & explicatur. n. 42-53. Et de jurejurando, quod rectores ſimpliciter creati præſtant. n. 54 55.

SEd imperium regale, quod jure belli non eſt fundatum, voluntate populorum expreſſa plerumque conſtituitur, idque vel *ſimpliciter*, vel cum certis pactis.

2. Quantum interſit, utrum conſtitutio regis ſimplex ſit *mandatum*, an *translatio* juris, quod populus habet, ſuperius intellectum eſt.

3. Nos ita exiſtimamus, *conſtitutionem regis ſimpliciter factam, eſſe translationem* juris imperandi totius, *quod habet populus*, aut alioquin optimates; cui *pacta* tantum *derogant*, quantum in iis *continetur*.

4. Orator conſtitutionem regis ſimpliciter factam vult eſſe *mandatum*; ſed pactis fieri, ut quandoque major aliqua poteſtas regnan-

gnantibus tribuatur, contendit (*pag. 10.*)

5. Videamus primo de rege ſimpliciter conſtituto, ſine ullis pactionibus, quales pleſique orientis reges olim hodieque habentur, qualis & *Galliæ* & *Daniæ* rex nuper creatus.

6. Ejusmodi ſimplicem regis conſtitutionem non eſſe *mandatum*, probabimus, tam ex naturâ mandati, quam ex jure, quod in talibus regnis, omnes inveniri fatentur.

7. Ad naturam mandati pertinet, primò, quod *mandans eſt ſuperior*, mandatarius *inferior & miniſter*, ac ita appellantur.

8. II. Mandans de ſingulis rebus mandatario præſcribere poteſt, & hic non tantum de dolo, ſed etiam de culpâ negligentiâque tenetur.

9. III. Mandans *ſemper revocare poteſt mandatum*, modo indemnem præſtet mandatarium; non tantum ſi male res gerat, ſed etiam, quoties *mandator* per ſe vel per alium res ſuas adminiſtrare mavult.

10. IV. Mandatum ſuâ naturâ non tranſit in heredem, ſed morte ſemper extinguitur; quia in illo certæ perſonæ induſtria eligitur, cujus æſtimatio non ſemper tranſit in heredes, idque non modo civili, ſed etiam univerſo jure moribusque gentium ſervatur.

11. V. Conceſſio alicujus juris illi & heredibus ejus facta, nihil eſt aliud quam alienatio, quæ eſt actus, quo jus aliquod de perſona in perſonam transfertur. Proinde nec magiſtratus jure hereditario delati, ſunt amplius officia demandata, ſed munera proprio jure competentia, quæ nec adimi poſſunt, etſi legibus certis & nomine ſuperioris adminiſtrentur.

12. Quippe omnes hæ proprietates non modo in privatis, ſed etiam *in publicis procuratoribus*, id eſt, *magiſtratibus*, *qui mandatu* vel juſſu *ſummæ poteſtatis conſtituuntur*, ita ſe habent, ac ita obſervantur, tam in democratia quam in aliis civitatibus.

13. Sed in regibus ſimpliciter conſtitutis nullo modo habent uſum.

14. Nam I. Reges à populis ſuis vocantur *Domini clementiſſimi*, non tantum à ſingulis, ſed etiam ab univerſis, nec modo per *complementum*, ut ajunt, civitatis, ſed etiam *πραγματικῶς* & ſolenniter; populi ſe appellant, *ſubjectos fideliſſimos*, ut non modo *Dani*, ſed etiam *Angli πανδημεὶ* congregati.

15. Ita nemo unquam dominus mandans adverſus mandatarium ſuum locutus eſt, aut loqui poteſt.

16. II. Nunquam populi regibus ſimpliciter conſtitutis de ſingulis rebus præſcribere inſtituunt; etſi aliquando ſupplicantes, quod mandantis qualitati repugnat, videas; extremis ſolummodo violentiis reſiſtere quandoque ſolent.

17. III. Nullus unquam populus contendit, ut jam poſtulatur, *jus ſibi eſſe regi ſimpliciter conſtituto abrogare poteſtatem pro lubitu & pari libertate quâ conſtituit illum*, ut naturæ mandati conſentaneum eſſe diximus. Nihil naturæ negotii manifeſtæque partium voluntati magis eſt contrarium.

18. Quod ſi regnum certis legibus ſit delatum, ut nuper Anglicanum; in cæteris, extra leges exceptas, aliter habere ſe non poteſt, quàm ut primitus & ſimpliciter conſtitutum.

19. At ſi hoc à mandati naturâ ſit æſtimandum, nihil obſtat, quominus ordines populi, deinde novas leges regi præſcribant, quibus ejus poteſtas magis magisque reſtringatur.

20. Quod tamen ita non eſſe juris, Angli ipſi, quorum diſciplina minus quam aliarum gentium à mandatariis opinionibus abhorret, arbitrantur, aliterque obſervant.

21. Regna primitus & ſimpliciter delata, pleraque ſucceſſiva ſunt, multo paucioribus electivis: Atqui jus ſucceſſionis mandati naturæ adverſum eſſe, nihilque liquidius arguere alienationem antea demonſtravimus.

22. Ex his omnibus liquet, regiæ poteſtatis conſtitutionem nihilo ſecus ſe habere,

quam

Digitized by Google

quam fert natura cujuslibet poteſtatis, cui ſe aliquando volentes, ſubjiciunt.

23. Minor, qui curatorem; Uxor quæ virum, ſervus qui dominum eligit (ut juris eſt Hebræi, atque Romani,) quam poteſtatem voluntate ſua fecerunt, ei ſubjecti ſunt, ut eadem ſe eximere nequeant.

24. Quod ſi jus regium non *ſit ex mandato*, ſicut inde non eſſe probavimus, debet eſſe e translatione juris, quod eligentes habent & quod regi ceſſerunt, dederunt.

25. Hoc eſt evidentius, quando populus, rege conſtituto, dilapſus eſt, ut nunquam redeat, nec ullus ordo, nulla facultas conveniendi & de publicis rebus deliberandi jubendique reſervata eſt:

26. Nullum enim poteſt evidentius ſignum eſſe, quod totum jus ſuum abdicaverit, idque univerſum in regem transtulerit, quam hujusmodi infinita diſſolutio.

27. Præſertim ſi antea, cum juris non parum ipſe populus & optimates retinuiſſent, convenire ſint ſoliti, quemadmodum in *Dania* vidimus factum.

28. Quod tenendum ad hanc poſitionem, *rex nunquam in mandata ſibi à populo republica tantundem juris obtinet, quantum ipſe populus; niſi is diſertiſſime id ei conceſſerit, & clariſſimis verbis indubitisque locutionibus ſuum à ſe jus prorſus & plane in regem illum transtulerit (pag. 67.)*

29. Valde vereor, ut qui ſic loquuntur, quid *mandatum* ſit intelligant, dum à mandato *translationem* juris, quæ ſunt res oppoſitæ, excipiunt.

30. Verum qui antea mandatum ita explicuerunt, quod ſit, *ubi poteſtas quo arbitrio data eſt, eodem adimi poteſt*, oportet heic memoria connexionis ſint lapſi.

31. Tu potius ita collige; Si imperium non ſit ex mandato, ut demonſtratum eſt, ſed ex translatione juris, ſimplex ejus conſtitutio eſt alienatio univerſalis.

32. Propter hanc regulam; *Oratio indefinita æquipollet univerſali*, non minus in populari ſermone, quàm in definitionibus artium.

33. Hoc agnoſcunt omnes populi, quibus ſolenne eſt, ſimplicem regni delationem limitare pactis, & exprimere, quas res imperio delato velint exceptas.

34. Quod nullius uſus & ineptum foret, ſi vera eſſet oratoris ſententia; *ſimplicem imperii delationem unice æſtimandam à natura mandati.* Tunc enim nihil proprium haberet rex, nihil quod excipi opus eſſet, aut excipi poſſet penes eum exiſteret.

35. *Dani* cum abſolutum in regem ſuum imperium totumque jus populi & optimatium nuper in illum transferrent, nihil aliud fecere, *quam quod pacta legesque regiæ poteſtati praſcriptas aboleverunt, librumque earum, regi tradiderunt*, ut teſtatur oculatus teſtis *Terlonius* in ſuis memorialibus.

36. Argumento; ſe pactis ſublatis, rem intelligere eſſe redactam ad ſtatum imperii primitus & ſimpliciter conſtituti, & ad ſummam ſine ſine poteſtatem, niſi quem ſinem populus & optimates ipſi habuiſſent.

37. Verba Terlonii cum venia lectoris, etſi peregrina, apponam; *Les Eſtats s'aſſemblerent dans la grande ſaalle au Chateau, ou le ſenateur Trolle preſenta au Roy de Dannemarc, de la part de la Nobleſſe*, le Handfeſtnung, *qui eſt un livre, que l'on nomme ainſi, ou ſont toutes les Loix contraires à la ſouveraineté, qui s'alloit eſtabli.* Id eſt, *Ordinibus in aula majore congregatis, ſenator Trollius Regi Daniæ tradidit librum, cui nomen erat* Handfeſtnung, *quia in eo continebantur omnes leges contrariæ abſolutæ poteſtati, quam erigebant, idque nomine nobilitatis*, urgente imprimis populo, ut ſatis conſtat.

38. Omnis igitur ratio generis humani omnino conſpirat in hoc, quod juriſconſulti Romani colligunt ex lege regia; Imperio populi *ſimpliciter* in regem vel optimates *translato, totum* quod populus in ſe ſuasque res habuit, jus eſſe translatum.

39. Atque adeo populum vi ſuæ voluntatis non

tis non poſſe redire ad bellum, *niſi rex hoſtis populi ſit factus*, atque ut talem ſe gerat, quem caſum & in Democratia excepimus.

40. Quod facere intelligitur, *ſi datâ operâ quoslibet ex populo perimat, ſpoliet, vexet*; in eoque præfractè perſeveret, fere ut unus olim talis; *Hoc agamus*, ait, *ne quisquam quicquam habeat*.

41. Verum ut ſinguli ob ejusmodi injurias, *quamdiu inſtitutum illud non patet nimis late, nec ſit generale*, ſe armis opponant, non convenit cum natura fœderis, quo civitas conſtituitur.

42. Multo minus cum patientia Chriſti populo impoſita, neque cum literis ſacris, aut uſu veterum Chriſtianorum.

43. Quatenus ſatis conſtat, in Dei literis nihil eſſe, quo poteſtas fiat, ob injurias corporis aut bonorum, vel populo toti aut ejus parti, ob talia quæ non arguant animum hoſtilem, aut præſentem civitatis magnæve partis ejus ruinam, ſe regum actis opponendi armis belli. De moderamine inculpatæ tutelæ contra vim more latronis illatam, antea diximus, nec eſt hic agendi locus.

44. De textu Samuelis *περὶ δικαιώματος τοῦ βασιλέως* alibi à nobis abſoluto, probatum eſt, nihil opus eſſe, ut vocem Hebræam aliter quam ſolito more per *jus* reddamus; Sed *jus*, quale prætor facit, quando *inique* decernit, ut Paulus docet in *l. pen. de Juſtitia*, obligans ſcilicet *ad patientiam, ſive paſſivam obedientiam*, in quam vocem valde ringuntur politici mandatarii.

45. Novi quidem ad locum iſtum nihil admodum adtulerunt. Nam quod multis verbis populo non fuiſſe propoſitum, ſe regum injuriis ſubjicere, ſed judicia & ducatum in bellis quæſiiſſe contendunt, hæc eſt indubitata mens omnium qui veniunt in civitatem.

46. Sed quia prudentium eſt ſcire, quam perverſe homines potentia ſibi delata ſoleant uti; ſecunda conſideratio eſt, quam Samuel iis inculcat, fore ut, ſi reges male regnent & injurias committant, idcirco jugum excutere nequeant.

47. Nec id unquam legimus populo auctores fuiſſe prophetas, ne quidem adverſus reges impientiſſimos.

48 Nam defectio decem tribuum à Roboamo, unde juris argumentum ducit orator, juſto quidem Dei judicio & decreto, ſed nullo bono exemplo conſiliove, via pervulgata tumultuantis plebis, & ambitione tyrannidis imminentium perpetrata eſt.

49. Valde ſibi placent diſſentientes in eo, quod prophetam à Deo inſpiratum, morem tyrannicum juris nomine fuiſſe demonſtraturum, minime credendum ſit.

50. Ego vero jus eſſe ſtatuo, per quod filius à patre, uxor à marito, ſervus à domino, civis à civitate male habitus, ad *paſſivam*, fas erit hac voce, opinor, uti, *obedientiam* tenentur.

51. Ejusque juris Deum auctorem, atque eundem injuriæ à parte facientis vindicem eſſe probo, quæ nullo modo pugnare ſciunt divini atque humani jurisconſulti.

52. Deſinendum igitur in hoc eſt. Regiam poteſtatem ſimpliciter à populo, nullam imperii partem excipiente, delatam, non eſſe mandatum, ſed eſſe juris quod populus habebat, translationem, ita, ut de Ariſtocratiis antea intelleximus.

53. Atque ideo de regibus ita conſtitutis, recte dixeris, quod Argivi antiquisſimi ad ſuum regem, apud *Æſchylum*:

ΣΥ ΤΟΙ ΠΟΛΙΣ, ΣΥ ΔΕ ΤΟ ΔΉΜΙΟΝ.
ΠΡΥΤΑΝΙΣ ΑΚΡΙΤΟΣ ΩΝ.

TU QVI ES POPULUS TOTAQVE CIVITAS
JUDEX JUDICIS EXPERS.

Quod hodie nemo de Senatu Veneto, de ordinibus Batavorum & poſſeſſoribus immobilium in *Friſia*, juxta urbium rectores, prædicari nimium arbitretur. Ergo nec de regibus inſolens haberi poteſt.

54. Multi opinantur, reges ſimpliciter conſtitutos per jusjurandum, quo ſe jus & juſtitiam

ſtitiam adminiſtraturos ſpondent, arctius obligari.

55. Sed probatum eſt aliàs, per jusjurandum non contrahi novam obligationem, ſed eam quæ fuit, ſanciri, firmioremque non arctiorem fieri, reges male conſulentes fieri perjuros & divinæ vindictæ obnoxios; populos ad reſiſtendum nihilo plus juris quam prius habuerant, adipiſci.

CAP. V.
DE CONTRACTU ORIGINALI ET JURE REGNI PACTIS LIMITATI.

Sententia illorum, qui negant inter imperantes & ſubjectos ullum dari contractum originalem, nihilque eſſe quam compromiſſum inter ſubjectos, pluribus exponitur. n.1-18. Non probatur tamen, ſed in diverſum diſputatur. n. 19-27. Poſſe rectores à populo per mandatum conſtitui, ſi hoc expreſſè agatur. n. 28 31. Sed mandati hypotheſin in imperio ſimpliciter delato eſſe ab re alienam. n.32-36. Dari ſane contractum originalem in imperio. & hunc eſſe cesſionem ſive juris ſui in alium translationem; n. 37. In quâ factâ etiam ſimpliciter, exceptiones dari tacitas, n.38. cum generales, n. 39. tum regno ſpeciales, quæ recenſentur. n.40.41. Expreſſas aliquando tollere. aliquando arctius reddere imperium. n. 42-47. Jus ex illis acquiri, & leges fundamentales fieri, non modo ex mutuo conſenſu inde ab initio, ſed etiam ſtabilito imperio & ex præſcriptione. n.48. 49. Quando thronus regni vacare dicatur. An & quo jure ſucceſſionis ordo interrumpi poſſit, n. 50-56.

PRobavimus, delationem monarchiæ primitus & ſimpliciter factam non eſſe à mandati natura arceſſendam. De regno pactis inter populum & imperantem munito, non eſt, quo id agamus, ut mandati naturam ei convenire probemus; quia diſſentientes ipſi per pacta recedi volunt ab originali mandato.

2. Sed tamen ad imperii ſimpliciter aut certis pactis conſtituti naturam pertinet quæſtio, nuper etiam in Anglia mota, an inter imperantes atque ſubjectos intercedat omnino aliqua conventio, ſive *contractus*, quo primum fundetur imperium, unde *originalis* vocetur.

3. Qui negant, hi ſimplicem imperii conſtitutionem per modum *compromiſſi* omnium ſingulorumque civium inter ſe conſiderant.

4. Ne de illis, qui imperium à Deo, ſine medio ſuprà cives impoſitum, derivant, loquamur, ut aliàs factum.

5. Quando litigantes metu belli judiciarii in arbitrum *compromittunt*, hoc fit mutua conventione inter ipſos; *Quod Titius de noſtra controverſia ſtatuet, id tu ſervaturum te ſpondes? Et Tu* vicisſim? *Spondeo*, dicitur utrimque. Hoc eſt compromiſſum, cujus vi partes ſtare coguntur arbitri ſententia, *ſive*

Digitized by Google

æqua ſive iniquâ, ſine ullo provocationis remedio.

6. Quanquam autem omnis arbitri poteſtas ex compromiſſo veniat, nullus tamen inter litigantes & arbitrum vertitur contractus, quo hic ſe bene judicaturum promiſerit, ſed tantum *contractus*, quo arbitrium recepit.

7. Interim, litigantes certos limites arbitro futuro præſcribere ſolent, quos ſi excedat, ipſo jure nullum eſt, quod facit & jubet; quia poteſtas ejus unicè de compromiſſo partium pendet.

8. Eodem modo, ajunt, qui illorum ſunt moderatiores; Civitatis imperium metu belli fundatur in reciproca promiſſione civium, hujusmodi in *Democratiâ; Quod pars major populi ſtatuet, id tu facere, pati ſpondes? Spondeo. Et Tu vicſſim? Spondet* ſimiliter: ſic totus populus conjungitur. In Ariſtocratia, in regno: *Quod optimates, quod rex ſtatuet* imperabit, faciet, *ei te pariturum ſpondes?*

9. Hactenus cives inter ſe conjuncti ſunt; pars major, quæ tum adhuc nulla eſt, cæterique imperantes, etſi recipiant imperium, ſub lege, certo modo regnandi, eo, quem diximus, nullo tamen contractu tenentur.

10. Si tamen ante receptum imperium, certæ leges regnandi præſcribantur, has limitare poteſtatem regnantis, ut acta contraria ſint ipſo jure nulla, dictum & certum eſt.

11 Non quod leges iſtæ per modum contractus eum obligent, ſed quia vim habent legum *fundamentalium*, nec plus juris habere poſſit quam populus voluit.

12. Sicut enim arbiter, qui compromiſſi limites excedit, nihil quam jus privati, ſicut eſt, in reliquis habet, ita nec imperantes extra terminos in primæva imperii conſtitutione ſibi præfixos, aliud quam privati intelliguntur.

13. Jusjurandum, quod fere ſequitur imperii delationem, non facere novum cum populo contractum, imperio jam pridem ſtabilito, ſed obſtringere imperantes Deo, jam diximus, ac ita ſancir leges priores, aut officium imperantis ſimpliciter conſtitui.

14. Quin ante præſtitum jusjurandum rex electus aut hereditarius eandem poteſtatem exercet, quam poſtea; Niſi aliter expreſſe cautum ſit, ut nuper à *Scotis* factum accepimus.

15. Hæc in caſu regni conſtituti, ſic, ubi de contractu inito non conſtat, haud inſubtiliter diſceptantur.

16. Imò, in dubio contractum inter regem populumque, præter acceptationem ejus quod cives inter ſe compromiſerunt, præſumi non poſſe videtur, quia contractus ſunt *facti*, quos ut probari oporteret, præſumi non licet.

17. In Democratia non videtur ejusmodi contractui locus eſſe poſſe, quia pars major, quæ exercet imperium, ſtabilito demum imperio, exiſtet.

18. In optimatium quoque republica, vix eſt ut talis ſtipulatio interveniat; quia plerumque ſtabilitur in incertas perſonas, ſicut in exemplo *Baliæ* Florentinæ ſuperius demonſtratum eſt.

19. Adverſus hanc tamen ſententiam diſputavimus in *lib. 1. de jure civit. ſect. 2. c. 4.* ubi probatum, in ipſa quoque democratia dari *fœdus* inter imperantes atque ſubjectos.

20. Idcirco illos, ſi non proponant ſibi, ut legem ſupremam, populi ſalutem, perfidiæ reos non modo in Deum, ſed in ipſum quoque populum fieri demonſtravimus.

21. Sic tamen, ut ab illo fœderis articulo ſeparatus ſit alius, qui eſt de imperio ob injurias imperantium non diſſolvendo.

22. Quâ ratione rectores male conſulentes ſunt quidem perfidi, ſed tamen ad injurias regnantium ferendas tenentur ſubjecti.

23. Niſi ob demonſtrationem hoſtilis in populum animi, vel ob cauſas ſpecialiter expreſſas.

24. Tenemus igitur in univerſum, dari contractum originalem, inter quemlibet populum imperantesque à populo conſtitutos.

25. Sed contractus ejus partes plerumq; multo

multo evidentiores ſunt in regno quam in ariſtocratia.

27. Qualis ſit contractus ſpecies ex re geſta naturaque negotii intelligendum eſt.

28. Plane ſi populus ita faciendum putet, ut regem mandato conſtituat, quominus ita faciat, nihil magis impedimento eſt, quam in magiſtratibus conſtituendis.

29. Quia ſi magiſtratibus ſuis regum nomen tribuere velint, nec vocis etymologia, nec forſitan exempla deficiant, etſi à more populorum, imprimis latinorum id eſt alienum.

30. Talis rex mandatarius fuit Theſeus Athenienſium, ut ipſe quidem fatetur apud Euripidem.

Δῆμος ἀνάσσει, κ' ὐχ' ἑνὸς
Πρὸς ἀνδρὸς ἄρχεται πόλις.
Heic populus imperat, nec uni
Subjecta civitas tenetur.

31. Hoc autem fit, quando ipſe populus jura ſummæ poteſtatis ſibi reſervat, pacis & belli, ferendarum legum, ſummam provocationem, creationem magiſtratuum præcipuorum, & cætera τῦ κράτυς inſtrumenta.

32. Quando autem populus regem ſimpliciter conſtituit nihilque ſibi retinet; ſi quis tum velit mandatum concipere, is amat contradictoria, nec poteſt aliam imperandi formam habere in animo, quam fuit in caſtris apud Trojam ex ſententia Achillis, Ajacis & aliorum; Qui ſic Agamemnoni parituros ſe quatenus bene imperaret; ſi perperam conſuleret, dicto ſe non fore audientes profitebantur. Verba Euripidis in hanc rem alibi exhibuimus.

33. Hæc omnino eſt ratio mandati, quamdiu placet adminiſtratio, continuatur; quando piget, revocatur.

34. Et credo eos, quibus *à puero* civitatis imperium à mandato pendere viſum eſt, difficulter limites inventuros, quos ultro citroque rectores ſimpliciter creati procedere nequeant.

35. Aut enim mandatum non eſt; aut à populi arbitrio, non à rectorum prudentiâ judicium, bene an male fungantur regimine, dependet.

36. Quam bene autem ſe talis civitas habitura ſit ad pacem, ſi quis ad intelligendum demonſtrationis egeat, cum eo de his rebus diſputari non poſſe, merito quis dixerit.

37. Qualis igitur eſt contractus? Eſt ceſſio & alienatio, cujus titulus imperium, eaque vel ſimplex vel limitata pactis & conditionibus.

38. De ſimplici actum, *capite præcedenti*, deque ea tenendum; Etſi nullæ conditiones ei palam adjiciantur, ineſſe tamen nonnullas ex natura negotii, quod agitur.

39. Præter eas, quibus etiam in democratia locum eſſe diximus, de animo hoſtili & de vi more latronum facta.

40. In voluntariis tacite intelligitur, I. Salvam civibus eſſe debere libertatem perſonarum, rerumque ſuarum dominium.

41. II. Imperantes non poſſe alienare civitatem vel ejus partem, regesque nihil ultra terminos vitæ de imperio ſtatuere poſſe, & ſi qua ſimilia.

42. Sed expreſſa pacta in imperiis voluntariis plura vel pauciora ſunt, ut quisq; populus libertatis ſuæ providus aut fiducia erga principes ſecurus eſt.

43. Nam in ariſtocratiis, ut ſæpe dictum, maxime laxioris numeri, pauca vel nulla ſunt, inter populum & optimates, pacta conditionalia.

44. Utrum autem tollant conditiones poteſtatem ſummam, an arctius duntaxat exercitium ejus faciant, ex qualitate ſententiaq; ſingularum eſt colligendum.

45. Tolli videtur, quando ſic conſtitutum eſt, ne quicquam rex in ſumma republ. ſine conſenſu ſenatus vel ordinum populi facere poſſit.

46. Quo caſu, ſumma poteſtas inter populum proceresve cum rege communicatur, atque ita omnino in hujus perſona definit

 eſſe

Digitized by Google

eſſe *ſumma*, ſicut uſu venit in *Polonia*.

47. Quod ſi communicatio non fiat in univerſum, ſed de certis capitibus, ibi non tolli, ſed minui ſummam poteſtatem, ratio dictat, ut fit in magna Britannia.

48. Hujusmodi conditiones tribus modis conſtitui videntur. Aut per modum ferendi leges, inde ab initio, vel prævio conſenſu regnantis, vel per præſcriptionem.

49. Inde ab initio, per modum legis, prius quam regnum conſtituatur, vel cum poſtea *thronus vacat*.

50. Vacare thronus dicitur in electivis regnis, quoties rege mortuo, novus eligitur, cui novæ conditiones identidem præſcribi poſſunt, ut fit in *Capitulationibus*, quas vocant.

51. In ſucceſſivis regnis *vacat thronus*, quando regia ſtirps deficit, aut quando ſucceſſio interrumpitur.

52. Quod jure fieri nequit, ſi verum eſt, quod probavimus, imperium à populo eſſe alienatum; niſi quando *vere* caſus exiſtit, quo reſpubl. *aliter ſalva* eſſe non poteſt, qui caſus eſt *facti*.

53. Quod ſi demonſtrare voluerint, qui nuper in vicino regno ingeminabant, *rege opus eſſe de jure, vel de facto*, & hunc modum poſſe legitimari; nec ratione neque exemplis deſtitui videntur.

54. Quatenus nulla forte gens tam monarchica aut ſucceſſoria eſt, in qua plura ejusmodi exempla juris facultatem non induerint, ſicut bis apud Francos Galliæ uſu venit.

55. Non vacante throno, novæ regnandi leges ſtabiliri non poſſunt, niſi rege conſentiente per modum contractus, quorum obvia ſunt exempla, nullumque πραγματικώτερον, quam in Friſia orientali.

56. Denique, præſcriptione regna ſimpliciter delata ſæpe fieri conditionata, quemadmodum limitata quandoque ſimplicia & abſoluta fiunt; probavimus in *lib. 1. de Jure Civit. cap. 23*.

CAP. VI.

DE SANCTIONE LEGUM FUNDAMENTALIUM

Leges fundamentales habere ſanctionem, ſive clauſulam executoriam, eamq; expreſſam vel tacitam. n. 1. 2 3. 4. Quid illæ, quoad effectum, differant. n. 5-10. A quo & quomodo fundamentalium executio legum fieri poſſit. n. 11-19. An violatis illis legibus, imperantes excidant jure poteſtatis ſuæ, ubi de clauſulâ commiſſoriâ. n. 20-25. Quis ſit tyrannus; eaque res exemplis illuſtratur, Belgarum & Anglorum. n. 26-37.

Conditiones alienationi ſummæ poteſtatis adjectæ, ſive per modum legum, quas fundamentales vocant, ſive per modum paciſcendi concipiantur, *Sanctione* ſive clauſula executoria, quæ det illis effectum, confirmantur.

2. Sanctio autem illa eſt expreſſa vel tacita. Expreſſa, quando populus aut proceres ſtipulantur, *ut ſi rex non ſervet eas leges eave pacta, tum cives ad obſequium non teneantur.*

3. Talem Poloni & Hungari ſuis electionibus adjicere ſunt ſoliti, & illi quidem non deſierunt; hi novo regi ſuo volentes nolentes, eam nuper ſub titulo de edicto regis Andreæ tollendo, remiſerunt.

4. Tacita *Sanctio*, quæ verbis non exprimitur, ſed ex animo ſententiaque partium negotiique naturâ tacite intelligitur.

5. Inter expreſſam autem & tacitam, hoc intereſt, ut videtur. Vi expreſſæ ſanctionis, ſinguli cives aut magnates habent jus opponendi ſe & reſiſtendi his, quæ contra pacta fundamentalia fiunt.

6. Sicut in Polonia ſinguli nobiles habent jus tri-

jus tribunitium intercedendi & comitia rumpendi, atque in edicto regis Andreæ continebatur, rebelles non fore, qui regum actis contra leges ſuſceptis vim opponerent.

7. Ex tacita ſanctione, quam recte dicas ineſſe cunctis imperii pactionibus originariis, duplex effectus oriri videtur, primus & ſecundarius.

8. Primus eſt nullitas, quatenus acta regum pactis fundamentalibus contraria, ſunt ipſo jure nulla.

9. Quia rex poteſtatem ſibi delatam notorie excedens, hactenus ipſo jure fit privatus.

10. Secundarius effectus eſt, qui inde mediate oritur, jus *de facto*, ut ajunt, ſe opponendi atque reſiſtendi.

11. Hoc ſinguli s non competit, verum his qui pacti ſunt, aut parti illorum majori.

12. Nam ſinguli, qui non pacti ſunt, jus univerſorum occupare non poſſunt, quibus competit exiſtimare, quando leges exequi vel pacem præferre velint.

13. Proinde, ſinguli tenentur *ad obedientiam duntaxat paſſivam*, ut ne conſentiant, nec faciant quicquam parendi cauſa, ſed vim duntaxat ne opponant.

14. Quod ſi tantus ſit exceſſus legum & tanta vis dominationis, ut nullum ſit dubium, quin hi quorum eſt jus pacti, ſi poſſent, opponere ſe vellent, dicendum eſt, initium à paucis fieri poſſe.

15 Ratihabitio quoque libera eorum, qui jus pacti habebant, eandem vim heic loci, quam ſemper, obtinebit, ut pro mandato habeatur.

16. Harum rerum evidens uſus venit in motibus Belgicis, qui à paucis proceribus & infima plebe, non ab iis quibus ab antiquo jus populi erat, ſunt inchoati.

17. Sed poſtquam de nullitate plurium à principe actorum non dubitabatur, nec etiam de animo majoris procerum partis, ut ex ratihabitione liberrima dein approbatum eſt, acta geſta paucorum legitimata ſunt.

18. Idem in noviſſimo Angliæ Scotiæque proceſſu ac eventu curatè obſervatum eſſe, palam animadverſum eſt.

19. Ex his facile colligitur, in regnis & in ariſtocratiis ſimpliciter conſtitutis, ubi nulla ſunt pacta originalia, non oriri tale jus primævum aut ſecundarium, niſi faciant imperantes contra quod tacite in omnibus imperiis excipi ſuprà demonſtravimus.

20. Sed an violatis quibusdam pactis originalibus, imperantes idcirco excidant regno, ſi clauſula *commiſſoria* expreſſe non ſit addita, non facile dictu eſt.

21. Fit autem clauſula commiſſoria, hoc modo; Si is, *in quem res vel juris aliquid tranſlatum eſt, non ſtet pactis; tunc illam rem vel jus illud amiſſum iri.*

22. Satis conſtat, ſi pacta contractibus adjecta non ſerventur; agi ad reparationem, non ad reſciſſionem contractus.

23. Nam illi plurimum errant, qui inter pacta contractibus adjecta & inter conditiones, à quibus contractus ſuſpenduntur, non diſtinguunt.

24. Dicendum igitur, jus removendi imperantes, non oriri ex violatione quorundam pactorum fundamentalium: ſed jus in ordinem illos redigendi.

25. Veruntamen & hoc certum eſt, tyrannos poſſe removeri, non tantum eos *qui titulo* tales dicuntur, ſed etiam qui jure conſtituti in *exercitium* tyrannidis degenerant.

26. Quid autem ſit *tyrannus*, perplexa diſputatio eſt. Tu nihil errabis, opinor, ſi dicas; Tyrannum eſſe in imperio ſimpliciter delato, *qui hoſtilem animum induit adverſus ſuum populum.*

27. Et in imperio pactis limitato; *Qui jus ſibi delatum notorie atque præfracte egreditur, idque exequitur.*

28. Egreſſus notorius inchoat executio *præfracta* abſolvit tyrannum.

29. Ne quis putet, hoc vocabulum ſolis convenite *ſanguinariis*.

30. Quando igitur princeps non contentus egredi terminos poteſtatis ſibi delatæ, monitus aut rogatus non deſiſtit; ſed iis ſe nolle teneri demonſtrat, in eoque præfracte perſeve-

perſeverat, hunc eſſe tyrannidis reum & poſſe removeri, nulla de jure dubitatio eſt.

31. Hac ratione, Belgarum populi ſunt uſi, qui plus decennio ſe intra terminos reſiſtendi continuerunt; antequam principi ſuo imperium abrogarent.

32. Nec id faciendum credidere, niſi poſtquam τὸ *præfractè* multiplici experientia conſtiterat, cujus momenta in decreto *abrogationis* ſollicite recenſuerunt.

33. Ut, tamen longi temporis ſpatio, quod decennio à JCtis finitur, non ſit opus, ad colligendam ejus rei certitudinem: præſertim ſi quis populus regem ſuum habeat præſentem, ejusque acta teſtis oculatus inſpiciat.

34. Hoc etiam inter tyrannum populi hoſtem & pactorum violatorem, intereſſe, merito ſtatuetur.

35. Ut qui animum erga populum hoſtilem ultro & ex libidine ſuſcipit, eumque demonſtrat, is etiam jure poſſit occidi, adeoque ſi res ferat, per ſententiam damnari, ut factum eſt in Neronem.

36. Qui vero pacta duntaxat ſervare præfractè noluit, in hunc pœna, remotio ab imperio & cautio, ne redeat, ex juris quoque ratione ſufficit.

37. Denique, perſonam principis extra conſequentiam remotionis, male haberi, nec juris neque dignitatis, nec humanitatis ratio patitur, ut exemplo Davidis in Saulum recte probatur.

CAP. VII.

COMPARATIO MANDATI, A QVO IMPERIUM PENDERE DICITUR, CUM PRIORE SENTENTIA.

Non eſſe mandatum in imperiis ſimpliciter conſtitutis repetita probatio. n.1. 2.3. Alienationis & mandati differentia exemplis reipubl. Venetorum, Batavorum, Friſiorum demonſtratur. n.4-21. Quid periculi in ſententia de imperio mandatario reſideat. n. 22. 23. Quæ utcunq; non imputentur auctoribus hujus ſententiæ, populum tamen habentem jus domini mandantis, rectores jure ſuo ad quaslibet, etiam iniquas conditiones adigere poſſe. n. 24-34. Comparatio malorum ex opinione, de abſolutâ poteſtate ſimplicis imperii & de mandato. n.35-40. Concluditur. n. 41-44.

EX his rebus expoſitis denuo ſatis evidenter intelligitur, nullos populos imperium ſimpliciter deferentes ita exiſtimare, ſeſe cum imperantibus ſuis inire *mandatum* & hos eſſe procuratores ſuos.

2. Cui bono leges fundamentales, jura reſervata, pacta limitantia regiam poteſtatem, ut his violatis poteſtas imperantium revocetur; cum mandata ſemper revocari poſſint?

3. Quin ſatis indicant populi, inquam, in imperiis etiam primitus conſtitutis, ſe excipiendo caſus certos, quibus rectoribus ſuis negare poſſint obſequiū, ita ſtatuere; quamdiu leges illas ſervant, non poſſe iis obſequium à civibus negari, & ſic non eſſe mandatum.

4. Denique, mandati & alienationis diſcrimen circa imperium non minus eſt ob oculos in quibusdam ariſtocratiis, ut *Venetorum* exemplo jam pridem illuſtratum eſt, quàm in ſingulorum imperiis.

5. Manifeſtior quam in *Venetis*, datur oppoſitio mandati & alienationis in florentiſſima *Batavorum* republ. ubi ſumma poteſtas eſt penes *Ordines*, hoc eſt, equites & civitatum rectores, veriſſima ariſtocratia.

6. Hi per legatos in unum coeunt, quos eſſe veros procuratores & mandatarios ordinum, non ordines ipſos, res ipſa demonſtrat.

7. Quia de ſingulis rebus ſibi mandatis, quas egredi nequeant, inſtruuntur, denique perpetuo à ſuis mandatoribus dependent.

8. Sed hi mandatores iterum non ſunt mandatarii

datarii populorum, ut ab his ita, quemadmodum procuratores à ſuis mandantibus, dependeant.

9 Cujus enim rei nulli ſunt effectus, hanc in civilibus non exiſtere certum eſt: Nec tamen ulla pacta ſunt, quibus majorem aliquã poteſtatem acceperint ordines à populo: ut adeo imperium ſit verè ſimpliciter ac ut primitus conſtitutum.

10. Unde igitur, quod à populo non dependent, quod rationes ei reddere non coguntur, quod populus formam regiminis mutare non poteſt?

11. A Deo, ſine medio, voluit Graswinkelius in *tract. de ſumma poteſt. Ordd. Holl.* & vult Ziegler. in Grotium, volunt alii plures.

12. Sed non eſt recedendum à doctrinâ Petri Apoſtoli, quod imperium ſit *κτίσις ἀνθρωπίνη, humana creatio*; licet ad curam divini moderaminis eximie pertinens.

13 Proinde, ſi volente & conſentiente populo, ut hic eſt neceſſarium, inde ab antiquo ſtructum eſt imperium, quod populus nullo modo participat, oportet eſſe ſimplicem atq; inrevocabilem alienationem, à mandati natura diverſiſſimam.

14. Vi ſimilis mandati, cum eo, quod eſt in Batavis, patrum noſtrorum memoria. Conventus ordinum Friſiæ agebantur: Legati erant veri procuratores & mandatarii.

15. Nomen idem manet hodieque: Tabulæ quibus inſtructi ad comitia mittuntur, vocantur *procurationes*, ipſi procuratores *cum liberâ*, barbare, *plenipotentiarii.*

16. Sed accidit, quo nihil in jure frequentius, ut re mutata, nomen idem manſerit.

17. Olim à mandantibus, qui ſunt immobilium poſſeſſores & ſenatus urbium, dependebant, ad quos de rebus majoris momenti referebant, nec iis inconſultis, quicquam novi decernere poterant.

18. Deinde, comperto, multitudine mandantium, publica conſilia inretiri, placuit, ut annua poteſtas independenter & ſine relatione legatis daretur.

19. A quo tempore conſtitutio legatorum fuit, *tranſlatio* juris, quod habent conſtituentes; ita, ut omne eorum jus ad rempubl. ſpectans habeant *plenipotentiarii*, ſic jam dicti *ἐμφατικῶς*, non ut mandatarii, ſed ut ita loquamur, *ceſſionarii, jus plenum habentes,*

26. Non tamen ultra annale ſpatium, quo finito, jus eorum ſponte finitur: Nihil enim vetat, translationem juris æquè fieri ad tempus ac in perpetuum.

21. Non tenentur igitur tales legati ad rationes reddendas, non poſſunt ante annum elapſum revocari aut circumſcribi, juberi, vetari à conſtituentibus: quæ facultates ſunt inſeparabiles à mandato.

22. Cujus quidem hypotheſi nihil periculoſius aut imperantium majeſtati inimicius & imprimis à juris ratione alienius excogitari poteſt.

23. Ultimum iſtHuc abunde demonſtratum eſt, & conſequentia reliqua res ipſa loquitur.

24. Credendum eſt equidem obteſtantibus viris egregiis diſſentientibus, *nunquam illos faviſſe tumultuanti & ſeditioſæ plebi, quam fatentur eſſe teterrimam peſtem & ſentinam civitatum.*

25. Sed qualiscunq; ſit populus, etſi fæx Romuli, ſi modo cives & major pars ſit, in mandatore & ejus poteſtate non diſtinguuntur mores. Quisque liber eſt arbiter & moderator ſuarum rerum, bonus an malus, prudens an imprudens ſit, nihil intereſt.

26. Si populus ſemper habet ſupremam poteſtatem, ſi mandator ſit imperantium, hi debent *ὑπομένειν*, nec ægre ferre, quod à peſſimis dominis pendeant, & repoſcentibus rationes aut ſummam imperii non habent negandi cauſam.

27. Quod igitur mandati regalis aut optimatium imperii auctores teſtantur; *nihil ſibi cum plebe ſeditioſâ, neque nunc nec unquam alias commercii aut negotii velle*, bene habet ac credi fas eſt.

28. Sed hæc ratio non convenit cum hypotheſi mandati. In democratia major populi pars, etſi peſſime conſulat imperio, poteſtatem magiſtratibus optimè meritis abroget omniaque miſceat, jure tamen ſuo, licet injuriam committat, utitur.

29. Idem-

Digitized by Google

29. Idemque juris eſt, ubicunque ſumma imperii à mandato populi, quod eſt fundamentum democratiæ, pendet.

30. Si plus juris habet populus *quam ipſi expediat*, ut de quadam in Belgis civitate ſcribit Grotius, hoc ad juris quæſtionem non pertinet; non magis quam prodigentia patrisfamilias, cui nemo interdicit, vim dominii infringit.

31. Fruſtra dantur imperantibus *vires & copiæ*, ab oratoribus, per quas cohibeant tumultuantes; Fruſtra additur modus; *ne tales ſint copiæ, quibus ipſum populum opprimere & in ſervitutem redigere queant*.

32. Hæc ſunt monita prudentiæ; Jus mandatarii à voluntate mandantis populi pendet, qui vel nullas tribuit copias, vel quas tribuit, has iterum, ubi viſum fuerit, adimit.

33. Ut nihil ſit manifeſtius, quam motus populi rerum domini & mandatoris, ſi quando major pars conſenſit, quicquid etiam moliatur, nullo juris repagulo poſſe cohiberi.

34. Plane, deſtitutam ratione & ordine ſententiam ratione & ordine velle gubernare, tam eſt irritum, quam conciliare rem ipſam cum philoſophia juris eſt ἐν τῶν ἀδυνάτων καὶ ἀσυστάτων.

35. Ajunt præterea, *infinitis modis plura eveniſſe mala in humanum genus ex eo quod fræna laxantur tyrannidi*, quam quod ſumma poteſtas populo vindicatur.

36. Sed præter quod Anarchias mala facile vincunt tyrannidem, velim & mihi viciſſim credant oratores politici, *me nunquam faviſſe tyrannidi*, ſed contemnere populos, qui imperia ſimpliciter & ſine exceptione transferunt in principes.

37. Laudare me Ariſtocratias, populosque prædicare beatos, quibus ſub optimatibus agere licet, in quibus parum à tyrannide periculi.

38. Aut ſi regno careri non poteſt, cenſeo id agendum eſſe, ne poteſtas regum ſit effrenis & neſcia legum.

39. Verum ut populi, qui ſponte ſe abdicant imperio nihilque facultatis reſervant, ſupremam poteſtatem in reges & optimates retinere dicantur, miror civili judicio præditos homines non animadvertere, quam ſit alienum à ratione juris & evidentia rei geſtæ.

40. Præter quod nondum liquet, res v. g. Danorum ſe domi foriſque multo pejus habuiſſe, poſtquam abſoluto, quam dum limitato ſunt uſi imperio; vel Poloniæ aut Germaniæ populos eſſe multo beatiores, quam Francogallit ab aliquot ſeculis egerint.

41. Atque hæc ad explicationem ſententiæ noſtræ & demonſtrationem, quam inconſulta ſit contraria, ſufficere arbitramur.

42. Ex his quæ mandatum originale, quod omnibus imperiis det fundamentum, noviſſimè adſtruxerunt, nihil quod ullam oppoſitionis ſpeciem haberet, omiſſum recordamur.

43. Pleraque utrimque conceſſa transmiſimus, qualia cum oratoribus ingeminare licet: *Utinam ubivis Gentium re ipsâ eſſet, ſimul ſalus populi ſuprema lex, ſimul declarata ejusdem voluntas & conſenſus, ſupremum jus* & id genus alia paſſim.

44. Atque hæc eſt repetita collectio & refutatio rationum, quæ contra noſtram de imperio ſententiam inde à quinto anno publicatæ fuere, quas incontinenti excepit hæc diſſertatio. Jam bis terve replicatio publicè condicta fuit, quam ſperavimus tot annis & votis notabilibus nimis dilatam, ante iteratam hujus libri editionem eſſe prodituram, quo nobis occaſio fuiſſet, rationes, ſi quæ novæ collatæ fuiſſent, ſuis locis occupandi & refellendi. Nam ſeorſim, reciprocare ſerram contentionis ſuper hoc quæſito, cur minus placeat, aliquoties *in loco* & in tempore demonſtravimus. Ideo finem ejus diſputationis, quicquid imposterum proferatur aut intra veteres minas ſubſiſtat, heic eſſe volumus.

FINIS LIBRI PRIMI.

JURIS PUBLICI UNIVERSALIS
SIVE
DE JURE CIVITATIS
LIBER II.
Qui eſt de jure eorum, qui ſubjecti ſunt imperio civitatis.

SECTIO I.
De jure Familiæ.

CAP. I.
DE JURE PERSONARUM UNIVERSO.

Poſt imperium civitatis ſequi de ſubjectis, eorumque perſonis aut rebus. n. 1-4. Perſonas primo conſiderari cum reſpectu ante familias. n. 5. 6. Hoc ſenſu diſtingui homines in natos & naſcituros, & his primo ſuum jus competere. n. 6-13. De tempore, quod inter conceptionem & nativitatem ſit legitimū. n. 14-19. De certitudine patris. n. 20. 21. Differentia juris inter mares & feminas, ubi & de hermaphrodytis. n. 22-26. Differentia majoris & minoris ætatis, item ſanorum vel mente captorum &c. n. 27-32.

SCita eſt admodum comparatio *Ariſtotelis*, quâ civitatem ait eſſe *animalis inſtar*, quod ut ex animo & corpore conſiſtit, ita civitas imperio & multitudine conſtituitur *lib. 1. Polit. cap. 4.*

2. Quemadmodum naturale eſt corpori, parere animo, ſic etiam vult ratio naturalis, ut multitudo pareat imperantibus. Ita Philoſophus, *κατὰ φύσιν καὶ συμφέρον, τὸ ἄρχε-*

Digitized by Google

χεσθαι τῷ σώματι ὑπὸ τῆς ψυχῆς, ut corpus regatur ab animo, ſecundum naturam & utile eſt. Τὸ δὲ ἐξ ἴσου ἢ ἀντίπαλιν, βλαβερὸν πᾶσι. Æqualitas autem vel ut contra fiat, utrique damnoſum eſt, ait d. cap. 4.

3. Pertinent hæc ad ea, quæ ſuperiore libro diſputata ſunt, nec minus ad ea quæ nunc aggredimur, ad jus, inquam, eorum, qui ſubjecti ſunt imperio.

4. Scilicet, cum duabus omnino partibus conſtet civitas, imperantibus atque parentibus ſive ſubjectis, abſoluto imperio, res jubet, ut de his qui ſubjecti ſunt, eorumque rebus loquamur, qui in definitione civitatis monſtrantur, voce *Familiæ*.

5. Prius tamen de ſtatu ſingulorum hominum ſive *perſonarum*, quatenus familiam præcedunt & ad juris rationem pertinent, agendum. Ideo de jure perſonarum hoc caput inſcripſimus; etſi plura ſub hoc titulo comprehenduntur, quam quæ familiæ reſpectum præcedant.

6. Perſonam idem ſignificare, quod hominem ſemper & rotunde, quod communiter ajunt, vix eſt ut obtineat. Etſi enim juris Rom. tituli de ſtatu hominum & de jure perſonarum pro parallelis habeantur, minus tamen latinè dici *tot perſonas*, pro, *tot homines*, arbitror. Nec adeo *perſonam* aliter quam cum relatione ad certum ſtatum vel jus aliquod, reperiri exiſtimem.

7. Qui nondum eſt natus tamen dicitur homo, *a) perſona*, quod putem, nusquam. Sic Paulus juriſconſultus eum qui poculum abortionis propinavit, ita ut mulier, id eſt, *mater*, aut homo, id eſt, *fœtus* inde pereat, ſummo ſupplicio adficiendum ſcribit in *L. 38. §. 5. ff. de Pœn.*

8. Eſt igitur prima hominum differentia, quod ſint vel nati vel naſcituri, quorum hi ventres à juriſconſultis tropice vocantur, etiam poſtumi; ſed hoc diſcrimine, quod poſtumi, dum in utero ſunt, heredes quidem inſtituuntur & tutores accipiunt, habito reſpectu ad uſum nativitatis, ut pro jam natis & pro perſonis habeantur *b*) nam que dum in ventre ſunt non accipiunt v. gr. tutores, qui dantur perſonis; ſed curatores, ut juris auctores obſervant.

9. Sed fœtus in utero dicuntur homines, *c*) quando ſunt animati; prius homines non ſunt, etſi vita illis adſcribitur: quando autem

NOTÆ AD LIBRUM II.

n. 7. *a*) homo) *Autor diviſiones perſonarum magis hic conſiderat quoad uſum juris Romani, quàm, ut fieri debuiſſet, ſecundum uſum juris Gentium. Et immiſcentur etiam quoad expoſitionem juris Romani aliquando errores, quamvis communes. Ita initio falſum eſt, nondum natos dici homines à JCtis Romanis. Nusquam id fit. JCti Romani erant Stoici. At qui Stoicorum doctrinam ex Senecâ vel Lipſio novit, ſcit eos ſtatuiſſe, partum, quamdiu eſt in utero non eſſe hominem, ſed animam humanam demum infundi et à primo momento nativitatis. Nec probat aſſertionem contrariam autor ex* d. l. 38. §. 5. de pœnis. *ubi totus contextus oſtendit, vocem* mulieris *reſpicere ad poculum abortivum, utpote quòd ſolis mulieribus datur, vocem vero* hominis *ad poculum amatorium, ut quod datur tàm maſculis quàm fœminis.*

n. 8. *b*) habeantur) *Etſi JCti, non accuratè capientes ſenſum* l. 7. & 26. de ſtatu hom. *ut regulam ponant, naſcituros i. e. & qui in utero ſunt, haberi pro jam natis, quoties de ipſorum commodo quæritur, verius tamen eſt, ex doctrinâ juris Romani, eos qui in utero ſunt, uti non ſunt homines, ita nec pro perſonis haberi, aut natis æquiparari, ne quidem in univerſum, quoties de eorum commodo quæritur. Caſus legum illarum habent exceptiones à regulâ illa, ubi finguntur eſſe nati.*

n. 9. *c*) homines) *In jure Romano nunquam. Spes hominis dicitur quidem: ſed nusquam homo. Et jus Romanum ignorat diſtinctionem inter fœtum animatum & inanimatum, quæ patribus Eccleſiæ originem debet, ex hypoth. ſi de infuſione animarum. Conf. modo* n. 12.

Digitized by Google

do autem animati cenſeantur, & an mentes à prima generatione fœtibus adſint, non eſt quærere, multo minus, decidere noſtrum.

10. Sed quicquid hac de re ſit, homines dici non poſſe, priusquam organicum corpus formatum ſit, indubitatum eſt. Quod enim Tertullianus, *Homo eſt*, ait, *etiam qui futurus & qui in ſemine eſt*, *Apolog. c. 9.* improprie dictum patet, æque ac illud Martialis in maſtupratorem.

> *Iſtud, quod digitis, Pontice, perdis,*
> *homo eſt.*

11. Sed pro homicidio non habetur, ſi quis fœtum antequam formatus ſit, abegerit, quo modo plerique JCti conciliant *l.4. D. de extraord. crim.* quæ crimen abacti partus exilio temporali punit, cum *d. l. 38. §. 5. d)*

12. Eſt hac de re locus *Exodi* xxi. v. 22. *Si quis percuſſerit mulierem gravidam, ita ut ejiciatur fœtus ejus, nec tamen ſit exitium, omnino mulctator, prout impoſuerit ei maritus mulieris. Sin autem exitium ſit, reddes vitam pro vitâ.* Quæ verba, ut in Hebræo textu ſunt, tam de mulieris, quam de fœtus exitio intelligi poſſunt: Interpretes Græci locum ita vertunt, ut diſtinguant inter fœtum ἐξεικονισμένον καὶ μὴ ἐξεικονισμένον; *fœtum formatum & informem*, quos ſequitur Auguſtinus in *cap. 8. & 9. c. 32. qu. 2.* ubi diſputat contra eos, qui volunt animam eſſe è traduce.

13. In favorabilibus tamen nihil vetat, etiam fœtui nondum formato, quaſi jam homini, aliquid juris adſcribere, quomodo juriſconſulti inde à primâ conceptione, libertatem fœtui quæſitam conſervari, nec ſequuta matris ſervitute rurſus adimi ſtatuunt, ut docent *in tit. Inſt. de ingen. & alibi.*

14. Secundum hæc, ad juris rationem pertinet, ſpatium temporis, quod inter conceptionem & nativitatem partus vitalis, minimum & maximum intercedit, quâ in re multum valet auctoritas naturæ interpretum *f)* quos inter laudatur Hippocrates, qui minimum tempus ſtatuit eſſe menſis ſeptimi, ut refert Paulus in *l. 12. ff. de ſtatu hom.* quod tempus impleatur die *centeſimo octuageſimo ſecundo l. 3. §. ult. ff. de ſuis & legit. hered.* Hippocrates ſic ait; Οἱ μὲν ἑπτάμηνοι γίνονται ἐκ τῶν ἑκατὸν ἡμερῶν καὶ ὀγδοήκοντα καὶ δύο, καὶ προσόντος μορίου; *Septimeſtres naſcuntur, diebus octuaginta duobus & parte diei ſequentis. Prius enim ſex menſes non ſunt impleti*, quam major pars diei ſupra octuageſimum, tertii ſit elapſus.

15. Quod tam exactè determinandum, quia vir natum poſt ſextum à nuptiis adimpletis menſem, ex ratione juris agnoſcere cogitur; prius non tenetur, etſi de ſexto menſe, ſi nullum ſequioris extet ſuſpicionis argumentum ex æquitate judices indulgere ſolent, *g)* ut à ſenatu Gratianopolitano judicatum refert Autumnus *confer. ad tit. de ſtat. hom.* de aliis alii.

16. Maximum inter conceptionem & partum mulierum tempus eſt, decem menſium completorum, ut magno generis humani conſenſu receptum eſt, etiam à Juriſconſultis,

n.11. *d)* l.38. §.5.] *Sed hâc conciliatione non eſt opus ob dicta ad* n. 7. *Et cum adeo jus Romanum crimen abacti partus non habeat pro homicidio, nusquam etiam punit capite.*

n. 12. *e)* poſſunt) *Sed poſſunt etiam intelligi de muliere ſolâ, & multo convenientius cum contextu.*

n.14. *f)* interpretum) *Sed non deberet valere ultrà rationem aut ſenſum communem. Unde ſalſè ridet D.Paulus Ammannus, in medicinâ criticâ paſſim, talia reſponſa Medicorum, in quæſtionibus de legitimitate partus affectibus indulgentium.*

n.15. *g)* ſolent) *Juriſprudentia univerſalis, quam hic tractare vult Autor, non ſollicita eſt de eo, quod fieri* ſoleat, *ſed quod fieri* debeat. *Adde dicta ab ipſo autore ſequente n. 16. & maximè n. 18,*

qui nec in hoc termino ad auctoritatem Medicorum, ut re ſatis manifeſtâ, provocant *l. 3. §. pen. ff. de ſuis & legit. hered. l. pen. C. de poſth. hered. inſt.* nec aliud à Juſtiniano jure noviſſimo conſtitutum eſſe, probavimus in *prælect. ad tit. ff. de ſtat. hom.*

17. Exempla rara longioris geſtationis pleraque ſunt dubiæ fidei, quemadmodum ſane eſt illud de principe *Condæo*, quem tredecim menſibus poſt obitum patris natum eſſe volunt, famâ quæ valde increbuit, adſerta quoque à Buiſſono in vitâ *Turennii.* Deberet præſentis *Condæi* eſſe avus, de quo eſt editio vulgi, quem tamen ex hiſtoria nonniſi ſex à patris obitu menſibus editum eſſe conſtat, ut teſtis eſt Mezeræus in *Henrico IV.*

18. Quod ſi vera quædam ejusmodi exempla dentur, & phyſicæ rationes ſuprà decem menſes eniti poſſint, ea tamen ejus momenti non ſunt, ut legem infringere vel mutare queant univerſalem. Τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς; παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται; *Quod enim ſemel aut bis uſu venit, hoc prætereunt legumlatores*, qui jura conſtituunt in his, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον, *plerumque*, non quæ ἐκ παραλόγου, *ex inopinato* eveniunt *l. 3. & l. 6. ff. de legibus.*

19. Si quid durius in eo ſitum eſſe videatur, quod poſt decem menſes matronæ dehoneſtentur; longe majus eſt incommodum, feneſtram partubus aperire ſupponendis & hereditaribus per occulta viduarum ſtupra captandis. Valeat hactenus etiam Taciti dictum, vix ullam eſſe legem, quæ non exquiſitis caſibus *habeat aliquid ex iniquo, quod utilitate publica contra ſingulos rependitur.*

20. Cujus quisque ſit filius aut filia, quod ad genitricem attinet, facile demonſtrari poteſt; de patre opus eſt fide implicita, quo quo pertinet Telemachi reſponſio ad Minervam, ſe filium Ulyſſis eſſe dicentis.

Μήτηρ μέν μ' ἐμὲ φησι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε,
Οὐκ οἶδ', οὐ γὰρ πῶ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀ-
νέγνω.
Mater enimvero me gnatum dicit Ulyſſis,
Aſt ego qui ſcirem, quis patrem noverit
unquam?

21. Sed jure gentium *b*) reperta eſt nota certi patris, *matrimonium*, quod tamen in mulieris fidem reſolvitur. Unde Minerva Telemachum honore paternæ nobilitatis ſolatur, hac ratione,

Ἐπεὶ σε γε τοῖον ἐγείνατο Πηνελόπεια.
Quoniam talem genuit te Penelopæa.

Quare ſicubi gentium matrimonia jure publico clauſa non ſunt, ut in pluribus Indiæ populis, patresfamiliarum non ſuæ domus, ſed ſororum liberos, habent ſucceſſores bonorum ſuorum. Sed hujus rei conſideratio, quemadmodum & legitimorum ac illegitimorum diſtinctio ſequitur & pendet ab expoſitione familiæ.

22. Hujus loci diſcrimen adhuc eſt inter mares & feminas; nam in dichotomia ſubſiſtere licet, etſi natura quandoque producat hermaphrodytum vel hermaphrodyten;

Cui forma duplex, nec femina dici
Nec puer ut poſſit, neutrumque & utrumque
videtur,
Nec duo ſunt, ut Ovid. 3. *Metamorph.* 7.

At quia rara ſunt hæc portenta, non viſum fuit operæ pretium, inde tertiam conſtituere ſpeciem: Proinde, cum Ulpiano jurisconſulto, ſatius eſt dicere, *hermaphrodytum ejus ſexus æſtimandum, qui in eo prævalet.* Vix enim utriusque ſexus officio pares ſunt, vel ſi fuerint, τὸ magis & minus heic oportet variare ſpeciem.

23. Etſi

n. 21. *b*) Gentium) *Potius jure Romano. Nam apud alias gentes liberi, etiam naturales, extra matrimonium progeniti, legitimis æquiparabantur in multis. Niſi fortè autor ſub voce Gentium intellexit Chriſtianas, poſtquam videlicet ex politicâ clericali matrimonium inter ſacramenta relatum eſt, & adeo contra mores Romanorum aliarumque gentium liberi naturales pro ſpuriis haberi cœperint &c.*

Digitized by Google

23. Etſi autem portenta vocavimus hermaphrodytos, haud tamen *monſtra* ſunt; Hæc enim vocantur, *i*) quæ contra formam humani generis converſo more procreantur, ut loquitur Paulus in *l. 14. ff. de ſtat. hom.* non *humanæ figuræ, ſed alterius magis quam humani partus l. 135. de V. S.* A quibus differunt *oſtenta*, tribus forte manibus aut pedibus prædita *l. 31. d. t. de V. S.* quo & hermaphrodytos referre licet: Vera monſtra, ſi non habeant ejusmodi conformationem, e quâ rationis indicia colligi poſſunt, adhibita cognitione magiſtratuum è medio tolluntur. *Anton. Matthæi de Crim. tit. de Sicar. c. 1. n. 6. in fin.*

24. Differentia ſexus laxiorem habet uſum in civitatibus, & quidem multis à naturæ ſimplicitate magis quam ab utilitate civili abhorrentem. Simplicitas apud Juſtinianum Romani juris, ut nunc eſt, conditorem prævaluit, adeò ut is increpet diſcriminum inter mares & feminas auctores, tanquam *naturæ accuſatores*, quia *non omnes maſculos generaverit, ut unde plures generarentur, ne exiſterent l. 4. C. de lib. præt.* Qui tamen effectus differentiarum à Juſtiniano vituperati, invitâ ipſius erga molliorem ſexum indulgentiâ, in plerisque populis renovati & ampliati ſunt.

25. Noſtræ diſciplinæ ratio ſimplicitatem præfert naturalem & Juſtinianæam; è quâ reſultat una ſumma diſcrepantia, quod in his quæ ad dignitatem ſpectant, Viri præcellunt; in iis vero quæ ad infirmitatem, feminæ magis exemptæ ſunt. *Quis enim mulierum non miſereatur!* ait uxorius Cæſar *k*) in *l. ult. C. Qui pot. in pign.*

Γυναῖκες ἐσμὲν ἀθλιώτατον φυτόν,

Quid feminæ ſumus? miſerrimæ creaturæ;

ait Medea apud Euripidem.

26. Bene igitur eſt, quod feminæ ab omnibus officiis civilibus & publicis remotæ ſunt, & ideo nec judices eſſe poſſunt, nec magiſtratus gerere, nec poſtulare, nec pro aliis intervenire, nec procuratores exiſtere, ſed à maribus ſolis omnia iſta fieri poſſunt *l. 2. de Reg. Jur.* Etiam in pœnis feminæ mitius habentur *L. 38. §. 2. ff. ad L. Jul. de adult. l. 6. pr. ad L. Jul. pecul.* quod tamen ad notabile diſcrimen in gravioribus delictis non erat producendum, ut viſum Juſtiniano, qui pœnam capitalem adulteris viris inſligi, feminas virgis cæſas monaſterio includi voluit, unde à viris mollioribus bis biennium repeti poſſent *nov. 134. c. 10.* Quod miror in graviſſimâ Germanorum gente multis locis obſervari, ut teſtis eſt Carpzovius in *crimin. quæſt. 53. n. 27. ex conſtit. crim. Car. V. art. 120.* Monaſterii loco relegatione ſubſtituta, quam vir, ſi libet, pariter ſubire poteſt. Non poteſt alia talis indulgentiæ, quicquid adferat Carpzovius, ratio reddi, quam quod vir facilius unâ muliere, quam hæc ſub uno viro exercere poſſit τὴν παιδοποιὸν ἡδονὰν, ut Jocaſta loquitur *in phœniſſ.* quæ tamen ratio Theodorâ quondam ſcenicâ,

n. 23. *i*) vocantur) *Sc. in ſignificatu monſtri pro ſpecie eminente. Cæterum in ſignificatu monſtri communi ad monſtra omnino pertinent Hermaphroditi. Si enim monſtris accenſentur partus quatuor brachiis aut pedibus præditi, cur non & monſtra forent, qui duplici ſexu abundant?*

n. 25. *k*) Cæſar) *Obſcurius hic loquitur Autor ut neſcias quid in* n. 24. 25. 26. *præcisè in Juſtiniano taxet, quid approbet. Cæterum cum ea quæ hic tractantur, magis pertineant ad explicationem juris Romani, aut alterius juris civilis particularis, quàm ad jus univerſale, inde nolumus ea prolixius proponere quæ circa hanc differentiam inter mares & fœminas hoc loco propoſitam ſubinde moneri poterant, quod ſemel monuiſſe ſufficiat. Ita enim & in ſequentibus raro tangemus ea, quæ autor paſſim immiſcet ad jus Romanum magis quàm ad jus naturæ vel gentium pertinentia, etiamſi paſſim ab eo diſſentiamus.*

nicâ,[1] dein Auguſtâ, quam Cæſare dignior eſſe videtur.

27. Denique, ad hunc locum pertinet hominum diviſio in majores & minores annis. Quouſque autem minores intelligantur, non eadem omnium populorum & temporum obſervatio fuit. Romani veteres eos, qui togam puram ſive liberam & virilem acceperant, pro viris habebant, cunctiſque virilibus officiis in foro militiàque adhibebant. Tempus autem tyrocinii illius, ſicut appellabant, erat ab anno decimo quinto uſque ad decimum nonum, prout tardius aut celerius animi corporiſque vigor implebatur, neque tunc amplius erant in tutelâ neque curæ ſubjiciebantur, niſi dementes aut prodigi eſſent, quemadmodum eâ de re latius actum in *lib. 3, digreſſ. 6, 15*.

28. Poſtea Marcus philoſophus inſtituit, ut non modo prodigi & furioſi, ſed omnes adoleſcentes acciperent curatores, quibus ſe ſubducere non poſſent ante annum xxv. impletum, quouſque minores annis vocabantur; niſi principis ſpeciali privilegio veniam ætatis impetraſſent, puellæ annis xviii, adoleſcentes xx. annis impletis. *Capitolin. in Marc. l. 1. §. 3. π. de minor.* atque ab eo tempore minores annis diſcreti ſunt in impuberes, qui ſub tutoribus, & puberes, qui curatores habebant, niſi ambo eſſent in Patriâ poteſtate.

29. Mores gentium recentiores, etſi noviſſimam humani moris differentiam frequenter amplexi ſunt, in ea tamen omnes nequaquam ſubſtitere; cum plures viginti aut uno amplius annis ætatem majorem ſive virilem definiverint.

30. Nec revera inde abhorrent, qui minores uſque ad annos xxv. cenſent, quando veniam ætatis largiuntur omnibus frugi adoleſcentibus, qui viginti annos attigerint & biennio citius puellis veniam deſiderantibus.

31. Poſtremo ad præſentem de perſonis locum pertinet differentia hominum, quod ſint vel ſanæ mentis vel inſani: quæ non pendet à reſpectu familiæ; Sed quia deinceps aliæ plures hominum differentiæ nobis occurrent explicandæ, rectius conſulturi videmur, ſi & hanc in eum locum reſervemus.

32. De ratione, de natura, *dignitate* hominum, multa philoſophice, & oratoriè multa dici poterant, quæ prætervehimur. Pleraque juris habentia relationem, in præcognitis, maxime in capitibus de jure naturæ, dein etiam, ubi de eccleſiaſticis actum, abſolvimus.

Nunc igitur ad *familiam* tranſeamus.

CAP. II.
DE FAMILIA.

Rectene tractatus de familiâ ad hanc artem pertineat. n. 1.-4. Quot modis familiæ vox uſurpetur. n. 5. Quid ſit hoc loco. n. 6. Explicatur definitio, & defenditur contra Bodinum & Arniſæum. n. 7-15. Conſtare eam ſocietate triplici, & quatuor perſonis ad minimum, ſi perfecta ſit. n. 16-19. Quis ſit maximus familiæ numerus. n. 20. Ejus imperii diverſitas. n. 21-24. Imperfecta familia quot modis dicatur, n. 25-29.

1. A Familiâ Ariſtoteles tractatum *politices* auſpicatur; quæ ars cum iiſdem terminis contineatur, quibus hæc *de jure civitatis* diſciplina; nobis ſaltem eam partem, quæ de

Digitized by Google

quæ de ſubjectis reipublicæ membris agit, ab eâdem ordiri licebit: Quare autem de imperio prius agere viſum ſit, ratio, ni fallor, ſatis in conſpicuo eſt, neque minus hæc; quod jus familiarum ad juris univerſi de civitate conſiderationem vel maximè pertineat.

2. Unde tamen non ſequitur, rectè Ariſtotelem à Bodino reprehenſum eſſe, quod Oeconomicam artem Xenophontis exemplo à libris de republ. ſeorſim tractaverit, quaſi membra ſingula ab univerſi corporis compage divelleret & quaſi urbem ſine ædificiis conſtruere vellet *d. cap. 4.*

3. Incepit quidem politica ſua, ut liquet & diximus, ab expoſitione familiæ; verum non omnia, quæ ad exactam ſervorum liberorumq; educationem, ſervorum occupationes, bonorum acquiſitionem pertinent, in politicis tractanda putavit. Sed ut diſciplinæ quamlibet diverſæ, manus tamen ſibi muruo commodant, ita quod de familiâ nonnihil in politicâ prælibat, artium diverſitati non derogat.

4. Nobis hac parte minus eſt difficultatis, quia de jure diverſorum ordinum qui familiam conſtituunt, ſolummodo, non de rebus ad utilitatem, quæ eſt œconomicæ tractationis, ſpectantibus, agendum habuimus. *l)*

5. Familiam Græci οἶκον vel οἰκίαν, id eſt, domum appellant: at uſum ejus variè tam hi, quam latini accipiunt; origo vocis monſtrat, eam primo ſignificare multitudinem *famulorum* ſive ſervorum, qui ſunt in ejusdem patris-familias poteſtate, quomodo paſſim *Cicero* & *JCti*; ſi tamen non potius famuli à familia dicti, ut Feſtus. II. Pro corpore ſervorum, qui certi uſus gratia pariter habentur, ut grex gladiatorum, apud *Ciceronem* alioſque; item numero ſervorum vectigalibus colligendis præpoſitorum, ut in edicto *pratoris de publicanis.* III. Sumitur pro bonis & patrimonio, unde *familiæ emptor apud JCtos.* IV. Pro omnibus, qui ab ejusdem ultimi progenitoris ſanguine proficiſcuntur, adeoque, pro gente, ſicut familia Julia. *l. 195. ſ. ult. ff. de V. S.* V. Pro ſtirpe peculiari gentis; duæ familiæ claruerunt, *Calvinorum* & *Aenobarborum*, Suetonius *in Ner.* VI. Pro corpore hominum, qui ſunt in una domo, ut heic. vid. Briſſon. *d. V. S. lib. 4.*

6. Poſteriore ſenſu definiemus familiam, hoc modo. *Cœtus plurium perſonarum, quæ unius poteſtate, natura aut jure, quotidiani uſus cauſa, ſociata ſunt.*

7. Genus *m)* dicere maluimus *Cœtum*, quàm, ut Bodinus in *lib. 1. de republ c. 2. Moderationem*, Arniſæus *lib. 4. polit c. 2. Gubernationem*, exemplo differentiæ, quæ eſt inter civitatem & rempublicam, quarum hæc eſt ordo,

---

n.4. *l)* habuimus) *Poterant hi quatuor numeri planè omitti. Studioſus ſapientiæ non curat ſubtiles illas diſputationes de methodo, quæ magis arbitrio cujuslibet ſanâ ratione utentis eſt relinquenda, quam ut curanda ſint præcepta ſcholaſticorum inania de methodo. Si de matrimonio poterit conjunctim tractari cum reliquis ſocietatibus domeſticis, & ſeparatim, uti ob ubertatem doctrinarum tales tractatus plurimi extant, eadem erit ratio tractatus de Familia &c. Diſciplinæ non ſunt ſubſtantiæ creatæ certis formis à naturâ præditæ, ſed ſunt partes unius ſapientiæ, quas totidem quilibet facere poteſt, quot velit.*

n.7. *m)* Genus) *Eadem admonitio eſt de nimis ſubtili ſtudio definitionum ad regulas philoſophiæ ſcholaſticæ exactarum. Definitiones ſunt propter res inventæ, non res propter definitiones. Non ita ſubtiliter diſputabant Stoici, non ita JCti Romani. Sufficit ſi definitione explices, quid ſit res de qua agitur. Non curandum an vox abundet, an definitio quatuor rei cauſas contineat &c. Ipſe autor definitionem hanc familiæ formare voluit in gratiam JCtorum Romanorum ut conſtat ex n. 9. & tamen ſi conferas, multum ab eâ dif-*

eſt ordo, illa *multitudo*, ut ipſi docuimus in *lib. 1. cap. 8.*

8. Verum civitas & reſpublica tam re quam verbis eo modo diſtinguuntur, ut *ſuprà* vidimus; in familia ſimile diſcrimen, ut verbis inuſitatum, ita reipsà ignotum eſt.

9. Non quod regimen à perſonis non differat, ſed quia id nusquam *familia* dicitur; ad hæc ſemper ad perſonas refertur, etiam à Juriſconſultis, à quibus noſtra definitio leniter inflexa mutuo ſumpta eſt. *l. 195. §. 2. ff. de Verb. Sig.*

10. Addito tamen fine, quem Ariſtoteles ait eſſe, *εἰς πᾶσαν ἡμέραν, ad uſum quotidianum lib. 1. Polit. cap. 1.* nam his verbis à collegiis diſcernitur, quibus & Juridicam familiæ definitionem convenire putat Arniſæus.

11. Ideo vult addi vocem, *patris-familias*, pene fruſtrà; nam qui neſcit, quid ſit familia, eum vox *patrisfamilias* certiorem non faciet.

12. Sed differentia ab reliquis collegiis, præter finem, conſtat inde, quod de illorum eſſentia non ſit, ut ſub unius poteſtate habeantur, neque ut perſonas contineant tam *naturâ* quam *jure* ſociatas, quod utrumque eſt in familiæ definitione.

13. Perſonæ *jure* ſociatæ ſunt conjuges & ſervi; *Naturâ*, liberi, ex quibus familia perfecta componitur.

14. Nam quod idem *Arniſæus*, liberos negat eſſe partem familiæ, eò quod finis familiæ ſint, non habet rationem. *Arniſæ. lib. 1. cap. 1. ſect. 8. de republ.*

15. Quia, præter quod partem & finem eſſe diverſo reſpectu non eſt abſurdum, videtur proles matrimonii potius quam familiæ finis eſſe.

16. Perfecta igitur familia conſtat triplici conjunctione patrisfamilias, cum *uxore*, cum *liberis*, cum *ſervis*.

17. Ita & Ariſtoteles Πρῶτα καὶ ἐλάχιστα μέρη οἰκίας, δεσπότης καὶ δοῦλος, πόσις καὶ ἄλοχος, Πατὴρ καὶ τέκνα; Prima & ſimpliciſſima membra familiæ, dominus ac *ſervus*, vir & *uxor*, pater & *liberi. d. lib. 1. polit. c. 3.*

18. Sunt tria paria, ſed quatuor perſonæ, non pauciores; quia dominus, vir, pater ſunt unus paterfamilias. Liberi poſſunt eſſe plures, eſt etiam ubi uxores plures in unitate familiæ ſunt; Deficiente ex his uno, fit imperfecta familia, magis aut minus, prout deficiens membrum magis aut minus eſt neceſſarium.

19. Arniſæum tres perſonas duntaxat requirentem, eliminatis liberis, modo notavimus. Bodinus quinque perſonas ad familiam requirit *lib. 1. cap. 2. a pr.* Patrem ac matremfam, & tres, quà liberos quà ſervos, quod nihilo plus habet rationis; nam ſervi tres forte requiruntur ad familiam ſervorum, ut diximus, eam vocem ſumi; at hoc ſenſu noſtro familia, id eſt, οἶκος, uno filio filiâve & uno ſervo ancillave contenta eſt ad perfectionem ſui.

20. Numerus familiæ, qui maximus *n*) eſſe queat, non eſt expreſſus. Sane poteſt eſſe major quam aliquando civitas. Dari enim civitates,

---

fert. Cur non retinuit vocem ſocietatis *loco generis. An enim elegantius eſt genus vel ſubtilius* cœtus plurium perſonarum ſociatarum, *quam ſi dicas uno verbo*: Societas? *Sed relinquamus & nos libertatem loquendi Autori, quam aliis ſuademus: modo ejus definitio ſit perſpicua, modo libertas eadem relinquatur & nobis. Quidſi ergo dicamus.* Familiam eſſe ſocietatem compoſitam ex conjugali, paternâ & herili quotidiani uſus gratiâ? *Eadem res hic deſcribitur quamvis diverſis verbis. Et fortè hæc magis apta eſt communi doctrinæ, fortè magis perſpicua, quam id, quod Autor hic ex* l. 195. de V. S. *repetit de* perſonis natura aut jure ſociatis. *Conf. ſtatim notam* lit. p.

n. 20. *n*) maximus) *Memini B. Patrem ante annos triginta & ultra Lipſiæ habuiſſe diſputationem Anti-Bodinianam de minimo numero perſonarum familiæ itemque civitatis, quæ*

civitates, quæ non poſſunt trecentos in armis exhibere, quot, & quod amplius fuit, Abraamus eduxit adverſus reges Meſopotamiæ, palam eſt. Quadringentos ſervos ſub uno tecto habuit *Fundanius* præfectus urbi apud Tacitum, qui non abſurde ſcribit, fuiſſe, *qui nationes* ſervorum haberent.

21. Porro Ariſtoteles imperium patrisfamilias triplex eſſe tradit, in *lib. 1. polit. cap. 8.* δεσποτικὸν, o) βασιλικὸν, πολιτικὸν, illud in ſervos, iſtud in liberos, hoc in uxorem competens.

22. Ad hanc formam juris civilis ratio comparata eſt. Pater-familias eſt *princeps familiæ & in domo dominium habet l. 196. π. de verb. ſignif.* juxta Homericum illud Ariſtoteli laudatum, Θεμιστεύει ἕκαστος Παίδων ἠδ' ἀλόχων. *Jus quisque dicit liberis & conjugibus.*

23. Etiam verò ſervis; at his quidem *beriliter* & duriter; liberis *regiè*, id eſt, abſolutè quidem, at cum *pietate*, non cum *atrocitate*, uxori cum multâ *æqualitatis* obſervatione; ſicut magiſtratus agunt in republica libera cum civibus; hoc enim eſt πολιτικῶς.

24. Nec abs re Ariſtoteles aliique monent, familiam videri parvam eſſe rempubl. ubi ſunt imperans & ſubjecti, mediâ uxore, quæ unà cum viro præeſt domui, etſi infrà virum ut principem domus; quemadmodum magiſtratus medio loco ſunt inter rectores & cives. Finem certe regimenque familiæ ad utilitatem publicam eſſe dirigendum, quia partes civitatis integrantes familiæ ſunt, ratio dictat: Nec minor quam reipubl. cura eſſe debet, ut bene ſit familiis; qua parte non eſt dicere nefas, aliquanto minorem hoc ſeculo, quam apud cultiores veterum fuit, adhiberi diligentiam.

25. Cæterum, ea, quam deſcripſimus tripartito compoſita familia intelligitur eſſe *perfecta.* Non raro autem uſu venit, uti palàm eſt, aliquam ex enumeratis quatuor perſonis in domo deſiderari, quæ tum adhuc quidem familia manet ac vocatur, ſed defectu laborans & *imperfecta.*

26. Nam primo, ſi deficiat ſervus aut ancilla, nemo neget, defectum aliquem ad bene commodeque vivendum in uſu quotidiano, qui eſt finis familiæ, committi.

27. Major, imo maxima eſt imperfectio in defectu liberorum, quorum gratiâ vel imprimis inſtituitur familia, & quorum reſpectu ad rempubl. plurimum confert; imo vix eſt, ut definitio familiæ ſine liberis conſtet, ob verba *jure p) ſociata*, quæ in liberis ſolis uſum habeat. Vult tamen uſus populorum, ut ſocietates domeſticæ absque liberis, etiam fa-

multum illuſtrabit ea quæ Autor hic adverſus Bodinum diſputat. Videntur & illæ diſputationes de maximo & minimo numero perſonarum familiæ vel civitatis magis ſubtiles eſſe quàm utiles, nec multum abſimiles diſputationi de maximo & minimo numero granorum manipuli & acervi. Apud Apuleium locus eſt in apologia. Quindecim liberi homines populus eſt, totidem ſervi familia: totidem vincti ergaſtulum.

n. 21. *o)* δεσποτικὸν) *Et hæc comparatio magis ſpeculativa eſt, quam ut habeat uſum in ipſis rerum argumentis, inprimis poſtquam ſupra negavimus fundamentum diſtinctionis inter regnum* δεσποτικὸν *&* βασιλικὸν. *Sæpè paterfamilias liberis imperat ut ſervis, ſæpe ſervis ut pater. Nec liberis competit remedium corrigendi rigorem dominicum patris.*

n. 27. *p)* jure) *Videtur legendum* naturâ *ob dicta* n. 13. *Quamvis illa verba* jure vel naturâ *habeant dubiam & obſcuram explicationem. Cur enim non poſſes dicere* uxorem *æquè naturâ eſſe ſociatam marito, ut liberos patri, imò & ſervos domino, quia & ſocietas dominica eſt naturalis, omnium vero maximè conjugalis. Imo &* natura *&* jus *hic parum convenienter ſibi invicem opponuntur, cum & uxor, & liberi & ſervi jure ſociati ſint cum patrefamilias. Et vereor adeo, ut Autor illâ explicatione tetigerit mentem JCti* in l. 195. §. 2. de V. S. *quam tamen hoc modo voluit explicare. Videantur* Dd. ad illam legem.

Digitized by Google

iam familiæ appellentur.

28. Matris-familias defectus addit novam imperfectionem, nempe ſi fuerit ac eſſe deſierit: Nam ſi nulla domum ducta ſit, verum cælebs cum ſervis aut ancillis eam occupet, hæc, ut ſocietas domeſtica ſit, familia ex arte dici non poteſt, utcunque latitudo vocabuli ad hanc quoque ſignificationem adhiberi poſſit ac ſoleat.

29. Quod ſi morte patrisfamilias deſtituta ſit domus, an adhuc erit familia? Imperfecta quin ſit omnium maxime non eſt dubium; vocabuli tamen uſus adhuc manet, & forte definitio conſiſtere poteſt, ſi jus patrisfamilias defuncti, quantum ad familiæ regimen attinet, transferatur in matremfamilias, quod nec à jure naturæ forſitan abhorrere videtur, qua de re diximus in *l.1.Digreſſ.c.3.*

CAP. III.
DE MATRIMONIO.

Definitio matrimonii Grotiana improbatur. n. 1. 2. Juriſconſultorum præfertur. n. 3. Quid in ea, *individua*. n. 4. 5. 6. Polygamiam ne quidem naturali ratione probari. n. 7.-10. Secundas nuptias omni jure eſſe licitas, etſi odioſas. n. 11. 12. Conſenſum perficere connubium, n. 13. ſed determinatum ad concubitum, unde agitur de impotentibus, ſterilibus, frigidis, ſenibus, n. 14-17. Ad eſſentiam conjugii non pertinere deductionem in domum, neq; ἱερολογίαν, n. 18. 19. Communionem bonorum non niſi per legem ſtabiliri. n. 20.-24. De concubinatu n. 25. 26. & matrimonio ad morganaticam n. 27. de conſenſu reciproco n. 28. 29. & de conſenſu parentum. n. 30. De matrimonio vi metuve contracto. n. 31. 32. 33. De dolo n. 34. & errore n. 35-38. De conditionibus adjectis n. 39. 40. De prohibitione contrahendi nuptias ratione affinitatis. n. 41-49.

1. PRima conjunctio, quæ conſtituit familiam, fit per matrimonium, quod *Grotius* ex ratione juris naturalis & Moſaici nihil ait eſſe, quam cohabitationem maris & feminæ, quæ feminam conſtituat quaſi ſub oculis & cuſtodia mariti, eamque fide data mari obſtringat. *lib. 2. c. 5. n. 8. inf. & n. 9. in pr.*

2. Neſcio, quid ſibi velit ὁ μέγας hoc commento definitionis: niſi concubinatum, polygamiam & divortium ejus complexu protegere & velamento juris, ſaltem naturalis, induere tentet.

3. Magis placent juriſconſulti q) quibus matrimonium eſt, *viri ac mulieris conjunctio indivi-*

n. 3. q) JCti) *Ita eſt, etſi Grotius valde placeat Autori, magis tamen ubique placet Jus Juſtinianeum. Nobis præ omnibus autoritatibus magis placet ratio. Unde quemadmodum JCti Romani magis reſpexerunt ad jus patrium peculiare, quam ad jus civitatis univerſale, laudanda eſt intentio Grotii, quod naturam conjugii aſtutiâ Cleri Papalis valde confuſam accuratius inquirere inſtituerit, etſi forte non ubique rem acu tetigerit, ut regulariter fieri ſolet ab iis, qui glaciem in veritate inquirendâ primi frangunt. Quare cum toto hoc capite conferenda ſunt, quæ de naturâ conjugii prolixius diſſerumus* in Inſtit. Juriſpr. div. l. 3. c. 2. & 3. & in Fundam. Juris N. & Gent. ibid.

individuam vitæ conſuetudinem continens. §. 1. Inſt. de Patr pot.

4. Individua conſuetudo ſignificat arctiſſimum illud conſortium corporis, animorum omniſque vitæ, *r*) quod natura & mos Gentium, non minus, quam jus divinum conjugio ineſſe debere dictat, *de quo in l. 1. ff. de rit. nupt.*

5. Prorſus nihil eſt aliud *individuum* conſortiunt, quam conjunctio in carnem unam, quæ non eſt juris poſitivi divini, ſed ab ipſa origine, negotii naturæ inſita fuit à creatore, qua de re *dix. in digreſſ. Juſtinian. lib. 2. cap. 10. & 11.*

6. Sic verbis *individua conſuetudo*, major ineſt efficacia, ad vim matrimonii exprimendam, quam in his quæ *Grotius* ponit, *ut femina ſub oculis & cuſtodia viri ſit.*

7. Neque placet, quod uxoris ille fidem viro dandam exprimit ſolam, ſine viri mutua fide: multò minus cauſa, cur id fecit; ne quid obeſſet, quominus viro plures jure naturæ & Hebraico ducere liceat uxores, ut ille quidem exiſtimat.

8. Verius videtur, multitudinem uxorum non poſſe cum arctitudine illius conſiſtere, adeoque internæ conjugii naturæ adverſari polygamiam, haud obſtante peremptorie, ſingulari conniventiâ, qua Deo viſum fuit uti adverſus patres veteris teſtamenti, ut latius oſtendimus in *d. lib. 2. digreſſ. c. 16. s*)

9. Cæterum, *Polygamia*, quæ *ſimultanea* dicitur, nec ad eam rem. cui unice inſervire debebat, utilis *t*) reperitur, ſcilicet ad replendam populo civitatem: quatenus compertum eſt, non tam huc facere gignendi, quem alendi liberos facilitatem.

10. Etenim terræ Muhamedanorum & paganorum, qui pluribus utuntur uxoribus, frequentia hominum cum Chriſtianis populis comparandæ non ſunt; ſive divina benedictio, *creſcite & multiplicamini*, irrita reddatur iis, qui non ſervant primævum inſtitutum; ſive ab exhauſtis onere domeſtico familiis, propagatio novarum domuum haud perinde poſſit adminiſtrari.

11. Secundæ nuptiæ etſi apud veteres minus honoratæ & pene vituperatæ fuerint, tam à Chriſtianis quam à gentibus, ut multis probavimus in *part. 2. digreſſ. l. 1. c. 44.* ſunt tamen legitimæ, tam jure naturæ quam divino; ne de civili dicam, ut ibidem probavimus.

12. Scilicet, etſi hic locus, juxta alios plures, ſit

n.4. *r*) vitæ) *Scilicet contextus oſtendit Autorem id hic agere, ut oſtendere velit, JCtos in eo melius definiviſſe matrimonium, quam Grotius, quod ille divortia protegere, hi vero ea excludere voluerint hâc voce* conſvetudinis individuæ. *Sed facile oſtendi poteſt, JCtos Romanos, apud quos magna licentiâ divortiorum erat, nil minus intendiſſe, quam iſtud. Et liceat adeo Autorem refutare ex iis quæ alibi* in prælect. ad Inſt. tit. de Nupt. n.4. *diſſeruit.* Vocem *individuam* plerique de ſcopo & voto contrahentium, non de eventu explicant, quia crebro nuptiæ divortiis ſolvuntur, jure Romano præſertim. Ego malim hoc verbum ad arctitudinem ſocietatis, quam ad perpetuitatem temporis referre, ut ſocios dicimus *individuos* qui arctiſſimè, non qui ſemper ſunt juncti. Sic Tacitus Tiberii *individuum*, ab ipſo oppreſſum memorat, amicum, utique non perpetuum *6. Annal. c. 10.*

n. 8. *s*) Digreſſ. c.16.) *Verius, Polygamiam repugnare ſaltem juri civili particulari & moribus Chriſtianorum, per ea quæ diximus* in Fundam. J.N. & G. l.3.c.2. & 3.

n.9. *t*) utilis) *Adeoque quæſtio hæc non ad jus civitatis univerſale, ſed ad politicam pertinet. Et fortè ratio diverſitatis in regionum diverſitate quærenda, cum fœminæ in regionibus calidioribus & orientalibus non ita facile concipiant uti in frigidioribus ſeptentrionalibus.*

Digitized by Google

res, ſit ex iis, qui concurrentem juris publici & privati tractatum recipiunt, ea tamen in utroque genere diſcrepantia manet, atque à nobis ſervabitur, ut heic ea ſolummodo quæ juris naturæ vel gentium ſunt, educamus, eaque à juris civilis principiis ſeparemus, quod habet utilitatem in ipſa juris privati diſciplina.

13. *Conſenſu* perfici matrimonium, ratio dictat, corporum conjunctio illud implet; mos tamen populorum ita fert, ut ſolum conſenſum *ſponſalia* vocent; *& ſponſos*, qui tantum conſenſu matrimonium inierunt, qua de re latè diximus in *lib. 2. digreſſion. c. 7. 8. 9.*

14. Etſi autem concubitus ad implementum magis quam ad eſſentiam matrimonii pertinet, aptitudo tamen ad concubitum in contrahentibus requiritur; alioqui nullum eſt matrimonium, ſi de impotentia conſtet; ut ſi vir eunuchus, mulier tam arcta ſit, ut mulier fieri nequeat, qualis apud Ulpianum in *l. 14. §. 7. d. Ædil. Ed.*

15. Cum ſterili tamen muliere vel frigido non deſperatæ facultatis, matrimonium conſiſtit; cum priore ſimpliciter, quia, ſi cum tali non licet adſequi τὸ τεκνογονεῖν, *procreationem liberorum*; evitatur tamen τὸ πυροῦσθαι uri; *u*) quem utrumque finem apoſtolus agnoſcit *1. Cor. 7.* Sed cum frigido non conſiſtit diutius, quam de impotentia peremptorie conſtet, cujus rei tempus olim biennio, poſtea triennio definitum eſt à Juſtiniano *nov. 22. c. 6.*

16. Quid ſi partes conſentiant? durabit ſocietas & cohabitatio: Quod ſi ab initio conſtet impotentia, ne quidem volentibus permittenda videtur copulatio, ut recte judicatum eſt à ſenatu Pariſienſi *d.* VIII. *Januar. 1665*, referente eruditorum diario.

17. Ne quidem ſenibus admodum decrepitis, ex ratione juris gentium benedictio conjugalis impertienda videtur, ob eandem rationem; maxime ſi alter adhuc vegetior ſit, ut olim lege Papia rectè conſultum fuit, etſi remiſſum in *l. 27. C. de nupt.*

18. Sed & meritò plerisque placuit gentibus, ut publico ritu matrimonium celebretur, veluti deductionis in domum apud Romanos; Chriſtianis verò, in cœtu publico fidelium copulatio, prævià publicatione ſponſaliorum, ſi forte aliorum interſit.

19. Horum tamen rituum neglectus nullitatem *w*) actus, matrimonio inferre non poteſt; niſi vi legis expreſſæ, quoniam individua conſuetudo ſine hoc ritu conſiſtit; & multis gentibus iſtæ ceremoniæ inuſitatæ fuerunt.

20. *Individua vitæ conſuetudo*, quam tenet definitio, non includit communionem bonorum, nec tamen eam penitus excludit; quatenus ſine bonis & aliquâ communione rerum, individua vitæ conſuetudo haberi non poteſt.

21. Ergo ut omnium bonorum communio inter conjuges ſtatuatur; *opus eſt lege vel pacto; Sed quatenus ad ſuſtentandum vitæ conſortium requiritur*, neceſſitas illam inferre videtur.

22. Hactenus enim ratio vult, ut ſinguli contribuant quod quidem poſſint, quoniam aliter matrimonium, quod individuum ineunt, conſiſtere non poſſe intelligunt.

23. Mores gentium hac parte variant, Romani nullam bonorum communionem inter conjuges habebant; quædam nationes hodiernæ univerſam confuſionem probant, eamque

n. 15. *u*) Uri) *Potius, quia ſpes eſt, finem matrimonii obtineri poſſe, ut vel ipſe autor hic innuit, in verbis:* non deſperatæ facultatis. *Alia quæſtio eſt: annon abſtrahendo à legibus civilibus ſterilitas ſit juſta cauſa divortii?*

n. 19. *w*) nullitatem) *Conf. quæ de copulatione ſacerdotali diximus* ſuprà ad lib. 1. ſect. 5. c. 4. n. 3. lit. o. p. 196.

amque laudat Martialis *lib. 4. Epigramm.* in Nigrinà

Te patrios miſcere jubat cum conjuge cenſus,
Gaudentem ſocio participemque viro.

Eamque comparationum idem cum *Euadne* & *Alceſti*, quæ morte voluntaria cum, vel pro viris obita, celebrantur, inducit.

24. Placet, tamen, ut in omnibus, ita heic quoque *medium*; ac ideo videntur optimæ leges eorum populorum, quæ ad quæſitum & diſpendia reſtringunt ſocietatem; nam quæ ad ſubſtantiam rerum eam producunt, matrimonia qaaſi captatoria reddere videntur.

25. Fuit definitio matrimonii, & quicquid jure naturæ vel gentium ad ejus eſſentiam requiri videtur; quod in duobus conſiſtit: In conſenſu & individuitate, per quam concubinatus à matrimonio diſtinguitur; etſi Grotius hunc pro vero & rato haberi poſſe conjugio tradit, quemadmodum in ſervi atque ancillæ, civis & peregrini cojunctione nihil ad matrimonii naturam deſit, ſi jus gentium ſpectemus *lib. 1. d. jur. b. & p. c. 5. n. 15.*

26. Sed in contrarium nos vocat, quod in concubinatu dici non poteſt ineſſe *individua conſuetudo*: quià procul hinc eſt illa ſocietatis arctitudo, quæ in matrimonio deſideratur; cum vix ulla quam voluptatis communicatio in concubinatu fiat, qui & in eum modum inde ab initio contrahitur, ut pro lubitu ac unius voluntate diſſolvi queat, x) uti fert uſus ac etiam tulit apud Romanos *l. 1. pr. ff. de concubin.* etſi vulgo turpitudini velandæ *matrimonium conſcientiæ*, oppoſitum publico, appelletur.

27 A concubinatu vero multum diſcrepat inſtar y) conjugium, quod vulgò ad *morganaticam* vocant, iniri ſolitum à viris principibus, qui & amori & conſcientiæ & dignitati pariter obſequi cupientes, feminas ignobiles ducunt in matrimonium, ſine præjudicio liberorum prioris matrimonii vel agnatorum. Tales enim quominus ſint verè matres-familiarum, quando nullum matrimonii requiſitum deficit, nihil obſtat. Vid. Puſendorff. *l. 6. de jur. N. c. 1. §. 36.*

28. Conſenſus, quod eſt alterum eſſentiale nuptiarum requiſitum, debet eſſe reciprocus, cum aliter non ſit conſenſus. Ideo, quamdiu alter non acceptavit, alterius oblatio revocari poteſt, non modo ſine injuſtitia; ſed etiam ſine inconſtantia, ſi credimus Grotio *l. 2. c. 11. n. 14. 15.* Sed poſterius magis eſt, ut pendeat à ſingularibus facti, & à causà mutationum impulſivâ.

29. Quid ſi arrha ſit data, ut fit?. Adhuc videtur revocari poſſe conſenſus ab eo, qui arrham dedit: z) Obligatio enim ante acceptationem non erat perfecta, & arrha quæ

n.26. x) diſſolvi queat) *In hoc ferè conſiſtit unicè differentia inter concubinatum & matrimonium juris Gentium quoad diſſolubilitatem. Nam quod dicitur, vix ullam quam voluptatis communicationem in concubinatu fieri, id de concubinatu clericali fortè nullum haberet dubium, at intuitu concubinatus Hebræorum, Romanorum, imo & Germanorum docent antiquitates hiſtoricæ & documenta varia concubinatum à matrimonio ad morganaticam, de quo autor* n. ſeq. *planè non differre niſi diſſolubilitate & benedictione ſacerdotali, quam tamen poſteriorem Autor rectè negat* n. 18. *pertinere ad eſſentiam matrimonii. Unde cum Grotius ſtatuat indiſſolubilitatem non pertinere ad eſſentiam matrimonii, non poterat etiam concubinatum non habere pro verò & ràto matrimonio.*

n.27. y) inſtar) *Sed cur inſtar, cum ipſe Autor fateatur, hic nullum matrimonii requiſitum deficere.*

n.29. z) dedit) *Non quaſi is, qui arrham accepit, ſit obligatus ad matrimonium contrahendum, ſed quia de hoc nullum erat dubium, quin poſſit arrham reddere, utpote qui conſenſum alterius nondum acceptaverat, ut autor disertè ſupponit.*

tantum eſt acceſſio, non poteſt operari ultrà conventionem ipſam: Quod ſi tam diu expectaverit is qui dedit arrham, donec altera pars acceptationem profeſſa fuerit, tum quidem fruſtra revocare conabitur; quà de re non ſemel uſu venit diſputari.

30. Conſenſum parentum, in quorum poteſtate ſunt contrahentes, naturalis quidem ratio ſvadet ut probabile requiſitum, non præcipit, ut neceſſarium, ſicut demonſtravimus in *l. 2. digreſſ. c. 15. n. 3.*

31. Conſenſui adverſatur invitum, quod duplex eſt, per vim & per ignorantiam. Per vim eſt vel merè invitum vel mixtum. Illud οὗ ἡ ἀρχὴ ἔξωθεν, cujus principium agendi eſt extra agentem, quando is qui cogitur, nihil ad actionem confert, ut ſi ab alio impulſus nolens te lædam. Hoc genus inviti in matrimonio non poteſt habere locum.

32. Mixtum aliàs quoque dictum eſt, quod majoris mali metu fit, idque facultatem habet crebram in hac mareria. Tales autem nuptiæ metu v. gr. mortis initæ, ſimplici jure *a*) valent, quia conſenſus ibi fuit μετὰ προαιρέσεως, cum deliberatione & electione, ut Ariſtot. docet 3. *ad Nicom. c. 1.* deliberavit enim & elegit nuptias præ malo inſtante; comparato ſenſu non valent.

33. Nam is qui metum injuſtum intulit, eum qui promiſſo ſtare nolit, liberare tenetur, etſi in actu illicito verſatus fuerit; Adeoque deprehenſus in ſtupro *.b*] & vi coactus inire matrimonium, reſtitutionem implorare poteſt, quemadmodum JCri docent, de fure, qui ἐπ αὐτοφόρῳ deprehenſus pecuniam dare vel promittere coactus fuit, ne detegeretur *l. 7. §. 1. π. Quod met. c. Grot. lib. 2. c. 11. n. 7.*

34. Invitum per ignorantiam contrahitur aut dolo partis alterius. aut temere. Dolus dans cauſam contractui vel marrimonium ipſo jure nullum reddit, vel cauſam reſtitutioni præbet; quia promiſſio fundata in aliqua præſumprione facti, quod factum ita ſe revera non habeat, naturaliter nullam habet vim, ut Grotius docet *l. 2. c. 11 n. 6.* idque ſive error dolo procuratus ad eſſentiam negotii pertineat an ſecus, indiſtinctè, quia conſenſus deficere intelligitur, ut Grotius *ibidem.*

35. Sed in errore fortuito *c*) diſtinguitur, inter ea quæ neceſſaria ſunt, & quæ abeſſe poſſunt. Ad primum genus pertinet error circa perſonas contrahentium & eſſentiales conjugii qualitates.

36. Qui

n. 32. *a*) ſimplici jure) *Quid hoc eſt*: ſimplici jure, *& quid alterum*: comparato ſenſu. *Sunt termini certe parum ſignificantes. Dic potius, matrimonium metu injuſto initum eſſe ipſo jure nullum, quia ad obligationem ex conſenſu non ſuffi???t ſcientia & electio ex parte promittentis, ſed inſuper requiritur jus acceptandi in eo cui promittitur, quod latro non habere poteſt dum in dolo verſatur.*

n. 33. *b*) in ſtupro] *Sed hic eſt caſus diverſus à præcedente, & præjudicialis quæſtio eſt, an metum injuſtum inferat, qui ſtuprantem cogit ad matrimonium. Suppono, quod cogens pater ſit ſtupratæ. Nam ſi naturali jure ſtuprans obligatur ad ducendam ſtupratam, ſanè in ſtatu naturali pater non infert metum injuſtum ſtupratori, ſi ad ſatisfaciendum ipſum metu adigat: in civili verum quidem eſt, patrem ſtupratæ non debere eſſe judicem in propriâ cauſâ. Sed ſi tamen jure civili etiam hæc obligatio ſtupratoris ad ducendum ſtupratam eſſet introducta, fruſtranea foret reſtitutio, nullum alium ſcopum habitura, quam ut poſt reſtitutionem ſtuprator cogeretur à magiſtratu.*

n. 35. *c*) fortuito) *Mallem & hic aſſerere, diſtinctionis illius nullum eſſe uſum. Naturalis ratio poſtulat ut error fortuitus, id eſt, qui caret dolo alterius partis, in dubio imputetur erranti: niſi ubi divortiorum licentia recepta eſt.*

Digitized by Google

36. Qui aliam pro alia ducit, proculdubio nihil agit, nec tenetur, etſi patriarcha Jacobus *d)* ſibi paſſus eſt imponi *Geneſ. 29.* quomodo & alios pudore temeritatis accidit acquieſcere in eo quod irritum facere potuiſſent:

37. Idem eſt, ſi faciendæ proli alter ineptus, aut ſervilis conditionis, aut prohibito gradu ſanguinis reperiatur: quæ cum ipſam conjugii facultatem tollant, conſenſum quoque mutuum ſine dubio intervertunt.

38. Sed error abſque dolo in rebus ad eſſentiam matrimonii non ſpectantibus, non eximit errantem obligationi. Quid ſi pro virgine duxerit aliquis corruptam? non eſt utique eſſentialis error, ſed an non repudio cauſam præbeat, *infrà e)* videbimus.

39. Plane, ſi per modum conditionis adjecta ſint talia, quæ ad eſſentiam matrimonii non pertineant, hujuſmodi conditione tamen deficiente, non eſt dubium, quin obligatio nulla ſit; deficiente videlicet conſenſu; quatenus generaliter verum eſt, promiſſiones ſub conditione qualibet factas ſpem facere duntaxat obligationis, quæ nonniſi poſt exiſtentiam conditionis impletur, ut non minus jure naturæ, quam civili & Canonico cautum eſt *§. 4. I. de Verb. obl. c. de illis. 3. c. ſuper eo 5. X. de condit. appoſ.*

40. Sed hic bene diſtinguendum eſt inter conditionem, qua ſuſpenditur obligatio, & modum, quo limitatur & ordinatur uſus negotii, qualia multa pactis nuptialibus comprehenduntur, etſi forte per SI, concipiantur, quod è cujusque promiſſi natura *f)* dijudicandum. Talia licet officiant matrimonio, corrumpendo non ſufficiunt.

41. Sed laudatum aliquoties requiſitum matrimonii, de juſta propinquitatis inter contrahentes diſtantià, ſuam exegeſin requirit. *g)*

42. Rationem juris naturæ, quâ nuptiæ per tot cognationis & affinitatis gradus prohibeantur, quod uſu populorum & jure divino obſervari videmus, ſolidam adſignare, non modo difficile, ſed etiam ex iis eſſe quæ fieri nequeant, haud temere Grotius adfirmat in *lib. 2. c. 5. de jur. b. & p. §. 1. 2.*

43. Plutarchi rationes hac de re in *quæſt. Rom. n. 105.* meliores ſunt ad utilitatem juris poſitivi quam ad characterem juris naturæ demonſtrandum, ut probavimus in *lib. 2. digreſſ. c. 14.* neque diverſi generis eſt Rabbinica à Grotio adoptata, ne familiaritas quotidiana cognatorum, nimis crebram ſtupris & adulteriis occaſionem præberet, ſi nuptiis conglutinari poſſet *d. cap. 5. §. 13.*

44. Nihil ſolidius eſt, quam quod Paulus JC. Naturale jus & *pudor*, inquit in *contrahendis matrimoniis, inſpiciendus eſt l. 14. §. 2. ff. de Rit. nupt.* Cujus pudoris ratio quâ in re conſiſtat, variè philoſophantur auctores de jure naturæ, nec id dicere ſatis expeditum eſt. *Humana*, inquit Auguſtinus, *verecundia generatricem libidinem*, NESCIO QUOMODO, *à propinquitate continet l. 15. de C. D. c. 16. divina QUADAM providentiâ, Juſtin. §. 11. Inſt. J. N. G.*

45. Inſitam eſſe naturæ humanæ illam averſationem negant, qui nihil ejusmodi in jure naturæ, qua de re *alias* dictum, agnoſcunt; & tamen, dum hujus pudoris cauſas rationales adducunt; parum abeſt, quin hæ tam

---

n.36. *d)* Jacobus) *Sed hoc exemplum huc non pertinet, quia error Jacobi non erat fortuitus, ſed conjunctus cum dolo non ſolum Labanis ſed & Leæ.*

n.38. *e)* infrà) *cap. ſeq. n. 32.*

n.40. *f)* natura) *Non poteſt deciſio quæſtionis intelligi, ſi non formetur caſus, quod utinam hic feciſſet autor.*

n.41. *g)* requirit) *Adde quæ de hâc quæſtione intricata diſſeruimus* in Fundam. J. N. & G. l. 3. c. 2. & 3. *Confer autorem ſupra* l. 1. ſect. 1. c. 2. n. 27. 28. p. 10.

Digitized by Google

tam ſint obſcuræ, ut nihil magnopere, quam inſitum naturæ affectum declarent; fere ut nuper in phyſicis, qui occultas rerum qualitates in ſcholaſticis irrident, nihil nobis aliud quam illud ipſum in *tali & tali* diſpoſitione particularum exponunt.

46. De cognatis ac adfinibus in linea rectâ fere conveniunt ſcriptores, horrorem ab ejusmodi nuptiis in naturâ hominum eſſe talem, ut plenam efficiat eodem jure naturæ prohibitionem; quâ de re Grotius *ibidem* & nos in *d. lib. 2. digreſſ. c. 14. n. 4.*

47. De collateralibus multi exiſtimant, non eſſe rationem juris naturæ neceſſariam ad prohibitionem, quod etiam Romani juris interpretes ſentire videntur in *l. ult. π. de rit. nupt.* ubi; *Jure gentium*, inquit, *inceſtum committunt qui ex gradu deſcendentium vel adſcendentium uxorem duxerit: Qui vero ex latere &c.* ubi inceſtus in lineâ collaterali opponitur inceſtui juris gentium.

48. Sed nos contrarium in *d. lib. 2. cap. 18. digreſſionum*, rationibus & auctoritate probavimus, idemque adverſus Grotii ſententiam in *capite ſequ.* de gradu tertio ſanguinis duntaxat, tentavimus. Circa adfinitatem gradus ſecundi & tertii, non idem juris eſſe videri, quod ad naturale jus attinet, verum prohibitionem hactenus eſſe juris poſitivi, copioſe demonſtravimu in *cap. 21. & 22. d. libri. 2.* quæ huc transferre nihil attinet

49. An & qualis actio detur è matrimonio ad *ſequentia* reſervabimus.

CAP. IV.

DE POTESTATE MARITALI, JURE AGENDI INTER CONJUGES, MODISQUE FINIENDI MATRIMONII.

Poteſtas maritalis, quæ & unde ſit, diſtinctè exponitur. n. 1. 2. 3. An & quatenus ei renuntiari poſſit; n. 4. 5. 6. quousque extendi queat aut nequeat. n. 7 - 10. Romanus hac parte mos. n. 11. 13. Qualis actio inter conjuges detur: n. 13 - 18 & de modis, quibus ſolvitur matrimonium. n. 19 - 34.

1. Diximus, quid ſit matrimonium, & quomodo contrahatur, ut initium det familiæ. Jure ſocietatis & ſecundum primam naturæ ſimplicitatem familiæ imperium feminæ pariter cum viro debebatur, ut probavimus *lib. 2. digreſſ. cap. 3. n. 3.*

2. Sed quia æqualitas parit rixas, ἡ ἰσοτιμία μάχην ποιεῖ, ut ait *Chryſoſt. ad cap. 4. Ephes.* idcirco viri ob præſtantiam ſexus *b)* prævalet auctoritas, ordinis tamen magis quam ſubjectionis causâ, ex ſententia *Ariſtotelis*, quam ſupra audivimus.

3. Idque notiſſimo jure Gentium, monſtrante naturali ratione, nec minus jure divino, in tantum invaluit, ut neque lex neque pactum in diverſam partem ſine probro valeret; quo ſcil. vir imperio in uxorem renunciaret, etſi id ipſo facto non paucis hominibus

n. 2. *b)* ſexus) *Sed quia præſtantia ſexus etiam in primâ naturæ ſimplicitate adeſt, ideò melius erit ſimpliciter aſſerere marito imperium in uxorem, etiam quoad primam naturæ ſimplicitatem, ſimulque etiam ſeponere diſtinctionem obſcuram hujus numeri inter cauſam ordinis & ſubjectionis, modo obſervetur diſtinctio inter regulas juſtitiæ & decori ut diximus loco ſæpius citato.*

Digitized by Google

minibus claris & integris nationibus imputetur.

4. An autem illa ſexus præſtantia viro imperium in uxorem tam neceſſario addicat, ut id nullo modo aliter ſe habere poſſet, haud facile dixerim: quia muliebre in regnis imperium, quod domeſticum abſorbet, utique juris eſſe creditur. Unde videndum, ne non ex jure gentium poſitivo, naturali ratione, quid rectius ſit, monſtrante, petita videatur.

5. Principatus autem ille viri ſuper uxorem pertinet ad ordinem regimenque familiæ duntaxat. Nam univerſa cura bonorum, quæ viris hodie plerumque tribuitur, eſt à jure civili, cui proinde nihil obſtat, quominus renuntietur.

6. Hinc ſequitur, illud jus pacto quoque nuptiali amitti poſſe, quemadmodum mulieres in *Hollandia* ſæpe ſtipulantur à viris, ne ſub cura illorum ſint. Imo vidi pacta dotalia, in quibus mulier ſtipulata erat, ut *auctoritas maritalis ceſſaret*; his ipſis verbis; ratione bonorum ſcilicet; alioqui contra bonos mores fuiſſet pactum, cujusmodi dotalia pacta non valent *l. 5. ff. de pact. dotal.*

7. Tantum abeſt, ut pares ſimus eorum ſententiæ, qui jus vetus Romanorum Germanorumque, de vitæ necisque poteſtate in uxores, reſtitutum *i*) cuperent; qua de re *Vid. Bodini lib. 1. de Republ. cap. 4.*

8. Nec enim ſatis cauſæ habet ille, quamobrem privatæ diſciplinæ rigor ad capitalem animadverſionem procedere debeat, tanto præſertim periculo à perverſitate ſuſpicionum irarumque maritalium: Potius iis adſentiendum, qui ne verbera quidem mariti permittenda putent, quod ipſe Cato ſacrilegium putabat. *Plutarch. in Vit. Cat. Cenſ.*

9. Quia vix aliter in liberos & ſervos, quo in officio contineantur, pater dominusque animadvertere poſſunt; & quoniam ad regimen familiæ plus adverſus hos, quam illos, opus eſſe videtur: eſt autem inter hos & uxores evidens diſcrimen.

10. Nec tamen id eò pertinet, ut maritis præcidatur facultas, indomitam uxorum contumaciam ſalutari ſeveritate juſtaque gravitate privatim coercendi, potius quam ut jurgia domeſtica foras proferantur, quod merito *Bodinus d. cap. 4.* vituperat, ac *Alcibiadem* laudat, qui uxorem id agentem humeris ſuis à tribunali domum reportavit. Utique, ſi non ſit animus, præceptorem Alcibiadis *Socratem* imitari, tolerantia infinita muliebris inſolentiæ ſemet efficaciter in patientia exercentem.

11. Quid autem rei, *obiter*; hoc eſt? quod Romani jus vitæ necisque in uxores habuiſſe dicuntur, ſi verum eſt quod Plutarchus narrat in *Quæſt. Rom. 30.* ſolitam fuiſſe apud priſcos Romanos mulierem nubentem dicere novo marito, *Ubi tu Cajus, ego Caja*; quæ verba Plutarchus ita interpretatur, ὅπου σὺ κύριος καὶ οἰκοδεσπότης, καὶ ἐγὼ κυρία καὶ οἰκοδέσποινα. *Ubi tu dominus & paterfamilias, ibi ego domina & materfamilias.* Recentiores autem Romani in pandectis quid? *Peto à te domina uxor*, ajebat maritus in *l. 41. in pr. ff. de legat. 1. Domina ſanctiſſima in l. 12. §. 1. ff. de ann. legat.* Semproniæ dominæ meæ *l. ult. §. 1. ff. de Aur. & arg. leg. in §. 2.* At uxor ibidem ſimpliciter ſcribit, *Vir meus.* Et alibi, *Gajum virum meum commendo tibi filia l. 34. §. 7. ff. de legat. 2.*

12. Scilicet, illud dicterium nuptiale vel erat licentiæ ſponſalitiæ, vel eo ſpectabat, quod mulier nupta ſui juris, nec in poteſtate viri, civiliter accepta, erat *l. 4. ff. de his qui ſui vel al. jur.* imperio interim familiæ illæſo. Jus autem vitæ necisque poſterior ætas ſuſtulit; denique ſalutationes iſtæ nuncupationesque honorificæ, civilitatis forte nimiæ

Ccc ac a-

n. 7. *i*) reſtitutum) *Non confundendæ ſunt quæſtiones juris cum quæſtionibus utilitatis. Quoad has facile conſentio Autori, modo addatur, mores, ubi maritis relinquitur jus vitæ in uxores non repugnare principiis juris naturæ.*

ac adulatoriæ fuerunt, ad juris conſequentiam non pertinent.

13. Quanquam autem recte Bodinum intelleximus improbare judicia inter uxorem virumque, non eſt tamen hoc ita capiendum, quaſi cuncta de matrimonio judicia ceſſarent.

14. Nam primò, quæ inter veteres Romanos obtinebat actio è ſponſu in id quod intereſt, teſte *auctore noct. Att. l. 4. c. 4.* juri naturæ ſatis conveniens erat, etſi ad cogendos eos qui recuſarent implere matrimonia, non dabatur actio, quia licitum erat dicere, *conditione tua non utor.*

15. Sed repudiis ſublatis, an jam non datur actio adverſus recuſantes implere matrimonium? non eſt dubium & fiunt omni die condemnationes. Sed in executione laboratur. Jure canonico non placet, ut invitus aliquis aut invita nuptiis, in eccleſia ipſo actu celebrandis adigatur *c. 17. X. de Sponſal.* Idque in multis locis ſervatur, ubi vis executionis conſiſtit in eo quod intereſt ſolvendo, impediendoque damnato, ne ad alias nuptias tranſeat.

16. Sed efficacior exequendi ratio non abhorret à natura negotii, nec ideo reprehendendi mores eorum, *k*) qui condemnatum per executorem publicum duci jubent in templum, ut ibi ſolennibus promiſſionis & cærimoniis defungatur, domumque ducat uxorem invitus vel invitam. Quod ſi deinde neget τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν, mulctæ dictione, vel pignorum capione ſubigi poſſe videtur.

17. Quid ſi pactum adjiciatur ſponſalibus, ne liceat alteri alterum judicio convenire ad implendum matrimonium? Non videtur valerè pactum, quia conditiones matrimonio adverſantes illi adjicere, bonis moribus ac utilitai publicæ repugnat *l. ult. x. de condit. oppoſ. in deſponſ.*

18. Porro, apud Romanos hac parte graviſſimi exempli auctores, *de moribus* ut agere liceret inter conjuges, cautum fuit, idque ne pactis quidem dotalibus excipi potuit *d. l. 5. π de pact. dotal.* Mulier etiam pro extremo ſævitiæ & prodigentiæ maritalis remedio, auctoritate judicis carere non poteſt, agendique jus habet ad petenda alimenta, ut interdicatur ei bonis ſævitiaque, ſub lege ſuæ modeſtiæ &c. Vir quoque, ſi uxor apud parentes alioſque latitet, agere poteſt ad exhibendam uxorem *l. 4. π. de lib. exhib.*

19. Sequuntur modi, quibus ſolvitur matrimonium, qui ſunt repudium inter ſponſos, divortium inter conjunctos, etſi hæc vocabula ſæpe confunduntur *l. 101. π. de V. S.* Prius mutua partium gratia fieri poſſe videtur, nec non alterutro graves ob cauſas renunciante. *Cap. 5. & cap. 10. x. de ſponſal. cap. 25. x. de jurejur.*

20. Matrimonium partium conſenſu nullo modo ſolvi poteſt; quia non, ut reliqui contractus mere conſenſuales contrario conſenſu ad ſtatum infecti poſſunt redire, ſic quoque ſtatus prior conjugum eodem modo poteſt redintegari; quoniam arctiſſima illa conjunctio, per quam duo in unum coaluerunt, ita comparata eſt, ut non recipiat ſeparationem neque retractari poſſit. *l*)

21. Er-

n. 16. *k*) mores eorum) *Sed profecto neque commendandi præ moribus numeri præcedentis. Et vellem, ut Autor diſtinctius explicaſſet naturam negotii, & quomodo ex eâ deducere vellet defenſionem ſuæ aſſertionis. Sanè nihil videtur rationi magis repugnare, quam ut inviti cogantur ad ſocietatem quæ requirit arctiſſimam amicitiam. Huic ſanè repugnat omnis coactio. Ex dictis etiam aliter reſpondendum erit ad quæſtionem numeri ſeq.*

n. 20. *l*) poſſit) *Sed hæ rationes autoris parum inferunt. Non prima, quia ſi ſtatus prior conjugum poteſt redintegrari ex cauſis* n. 21. ſeq. *recenſitis, non impoſſibilis etiam eſt redintegratio ex mutuo conſenſu. Non poſterior, quia, ſi arctiſſimæ illi conjunctioni (quæ per*

Digitized by Google

21. Ergo ejuſmodi oportet eſſe cauſas, *m*) quæ fœdus conjugale penitus deſtruant, quales duæ eſſe videntur, adulterium & deſertio, quæ fit cum animo non revertendi, quam *malitioſam* vocant, ut jure divino cautum: Matth. 5. ꝟ. 32. & *cap.* 19. ꝟ. 9. 1. *ad Corint.* 7. ꝟ. 17.

22. Adulterium proprie cum nuptâ committitur, ac ita cum de accuſatione pœnâque publicâ agitur, accipiendum eſſe videbimus in loco, probatumq; eſt in *prælect. ad tit. Inſt. de nupt. n.* 5. & *ad tit. ff. L. Jul. de adult.*

23. Attamen vinculum conjugii non modo à muliere, ſed etiam à viro rem cum aliâ ſoluta habente diſrumpitur, quia fides mutua jus in corpora utrique largitur idem 1. *ad Corint.* 7. ꝟ. 4. tametſi gravius vir quam uxor ſuppoſitione partus lædatur.

24. Unde licet diverſæ delicti ſpecies & nomina eſſe queant atque pœnæ, ut multis viſum legiſlatoribus, *l.* 6. §. 2. *π. ad l. Jul. de adulter. Levit.* 20. ꝟ. 10. *Deuteron.* 22. ꝟ. 22. tamen utraque ſpecies matrimonio ſufficit diſſolvendo *d. cap.* 5. & 19. *Matth.*

25. Idem efficit malitioſa & obſtinata derelictio tecti aut thori, quæ tollit peremptoriè omnem *συνουσίαν* & *συμβίωσιν*, non minus naturaliter quam jure divino, etiam thori, inquam, uti noſtro tempore princeps illuſtris, hoc prætextu divortium novasque nuptias velabat, ut dix. *Prælect. ad π tit. de divort. & repud. n.* 12.

26. Si aliter mores feminæ ſint intolerabiles, non ultra quam domo exigi poteſt. Nec illa ſe alio modo ſævitiæ viri opponere, aut luxuriæ ſuas res ſubducere poteſt; quanquam Juſtinianus, princeps religioſus, exemplo Moſaico, libellos divortii pro ultima diſcordantis matrimonii medela permittit. *Nov.* 140.

27. Et hæc quidem jure divino, juri naturæ, ſaltem ſuaſorio magis conſentanea, quam ſunt cauſæ plures in jure Romano traditæ, de quibus actum *ἐπιμελῶς* in *parte* 2. *digreſſ. lib.* 1. *c.* 18. *n.* 4. & 5. etſi non deſunt tam Theologi, etiam ex rigidioribus, quam JCti, qui hac parte multo ſunt remiſſiores, de quibus in *d. c.* 18. & *in prælect. ad tit. π. de divort. & repud.*

28. Diverſæ à cauſis divortii ſunt rationes *nullitatis*, per quas ab initio nullum fuiſſe conjugium intelligitur, ut eſt impotentia poſt experimentum triennale, de quo *ſuperius*; propinquitas ſanguinis aut affinitatis ignorata prius, & quæ præterea matrimonium inde ab initio nullum reddere diximus *in cap. præced.* & *in prælect. ad π. tit. de divort. n.* 16.

29. De impotentiâ ſi dubitetur, quid juris aut conſilii in re ancipiti? In foro pontificio mos eſt vetus, inſtituendi viſitationem & exigendi ſpecimen congreſſus, quod inſtitutum impudentiſſimum graphice deſcribit Robertus *lib.* 4. *Rer. judic. c.* 10. multasque rationes, quibus id improbandum ſit, adducit; quemadmodum à magno ſenatu Pariſienſi ante aliquot annos, occaſione ſingularis & illuſtris eventus, eum inquiſitionis morem fuiſſe prohibitum accepimus. Dix. ad *tit. π. de rit. nupt. ſub. fin.*

Ccc 2 30. Sed

dicta ad cap. præced. n. 14. lit. r. *cum perpetuitate non eſt confundenda*) *non repugnat ipſa alienatio animorum mutua etiam non repugnabit ſeparatio. Nihil enim magis naturale eſt, quam ut illi, qui alienatos habent animos, ubi nulla ſpes eſt reconciliationis, ſeparentur.*

n. 21. *m*] cauſas) *Graves utique oportet eſſe cauſas divortiorum, ſi regulas decori naturales ſpectes, neque adeò res permittenda mera libidini privatorum. At inter illas cauſas etiam ſunt alienatio animorum irreconciliabilis, & mores alterutrius conjugum intolerabiles. Unde & propter has cauſas lege Moſaicâ permiſſa erant divortia, cujus genuinam explicationem defendit Chriſtus in diſputatione cum Phariſæis, non novam legem tulit, ut palpabiliter probavit Seldenus* de uxore Hebraicâ, & *nos ex illo* in Fundam. J. N. & G. l. 3. c. 3.

Digitized by Google

30. Sed quæ ratio igitur finiendæ litis ſuper impotentiâ virili? Si vir neget & res dubia ſit, viro potius adfirmanti, quam mulieri neganti credendum videtur: Niſi graviſſimæ præſumptiones & circumſtantiæ faciant, ut mulieri jusjurandum quandoque deferendum videatur.

31. Hoc etiam ad juris publici rationem pertinet, reſcripto principis, ob exquiſitas æquitatis aut publicæ utilitatis cauſas, rigorem nullitatis poſſe mitigari, maxime propter temporis diuturnitatem ſtatumque liberorum, ut notabili exemplo Marcus & Verus demonſtrant in *l. 57. ff. de rit. nupt.*

32. Sed hujus loci quæſtio eſt; Si corrupta pro virgine, ab ignorante ducatur (ſcienti enim nulla querela) utrum hæc ſit nullitas, vel divortio ſit locus an neutrum? Nullitas, ſi non hæc conditio adjecta fuerit vel dolo cauſam dante ſecus adfirmatum ſit, hac re non committitur. Divortio magis eſt, ut cauſa dari videatur; maxime, ſi res ab initio ſtatim detecta ſit: Nam inveteratum conjugium hac cauſâ difficulter diſtrahitur *Deuteron. 22. v. 21. in nov. Leon. 93.* Dix. latius in *prælect. ad. tit. ff. de divort. & repud. n. 17.*

33. Hactenus de vero divortio. Eſt & aliud inſtar divortii, quod dicitur, à menſa & thoro; propter mariti ſævitiam, aut uxoris procaciam intolerabilem, vel utriusque, ut fere uſu venit, odium inreconciliabile; Idque vel diſceſſione ſimplici, vel cauſa cognitâ, judicis auctoritate fieri ſolet. Privatim ita, ut apud Homerum Il. Ξ.

> Ἤδη καὶ δηρὸν χρόνον ἀλλήλων ἀπέχονται
> Εὐνῆς καὶ φιλότητος, Ἐπεὶ χόλος ἔμπεσε
> θυμῷ:
>
> *Inter eos pridem chari communio lecti.*
> *Et conſuetudo triſtem ceſſavit ob iram.*

34. Sed ut effectum juris habeat illa ſeparatio, cauſæ cognitione opus eſt; tentatis prius omnibus & auctoritatis & ſuadendi remediis: plerumque enim mulierum querelæ ſunt, quales in Plauti *Menæchm.*

> *Pater, vivere hic non poſſum, neque durare ullo modo;*
> *Proin tu me hinc abducas:*

idque de vitilitigiis, ut illic à patre filiæ inculcatur.

CAP. V.

DE PARENTIBUS ET LIBERIS, ET DE TUTELA.

Poſt conjuges, membra familiæ eſſe, liberos ex juſtis natos nuptiis; n. 1. 2. è concubina tamen editos, mediante legitimatione, poſſe familiæ aggregari, modo mater fuerit, cum qua nuptiæ eſſe potuiſſent. n. 6. 7. Improbatur mos exponendi liberos, aut fame inceſtuoſos necandi. n. 3. 4. 5. 8-14. Adoptatos quoque ad familiam pertinere, n. 15-21. Patria poteſtas jure gentium qualis eſſe debeat. n. 22-27. Refellitur Hobbes, qui jure naturæ partum, matris in poteſtate ſolius eſſe putat. n. 28-31. In nuptiis liberorum, quæ ſit patria poteſtas, quæ in publicis cauſis & in bona liberorum. n. 32-41. Quibus modis patria poteſtas & regimen familiæ ſolvatur, ubi de tutelis. n. 42-56.

1. Videntur quidem hæc imprimis ad jus privatum pertinere, ſed quia tractatus de familia, ad civitatem neceſſarius eſt; nec ea, niſi partes explicentur, intelligi poteſt, res jubet, ut obiter hæc delibentur; ſed obiter, ut fit, ac quatenus ad jus univerſale,

quod

Digitized by Google

quod eſt naturale vel Gentium, ſufficit.

2. Igitur, altera in familia ſocietas orta è priori, inter parentes liberosque ex juſtis nuptiis natos, intercedit. Nam qui absque matrimonio ſuſcipiuntur, non fiunt membra familiæ, quia deficit principium familiæ, quod conjugium eſſe vidimus.

3. Hoc igitur qui contraxere, dare debent operam proli multiplicandæ, licet moleſta ſit futura liberorum multitudo. Proinde vel abortus procurare, vel exponere & necare infantes, jure naturæ, quo στοργὴ, prolis amor hominibus inradicatus eſt, illicitum; ſicut primævo conjugii inſtituto, quod ſacra literæ produnt, adverſus eſt; haberi oportet.

4. Etſi aliter gentes antiquæ & philoſophi, interque eos Ariſtoteles *lib. 7. polit. c. 16.* ubi expedire docet civitati, τῆς τεκνοποιίας ὡρίσθαι τὸ πλῆθος. *Multitudinem prolis generandæ limitari;* quia civitatis incremento non tam ſervit numerus natorum, quam facultas educandi & elocandi natos & natas. Si lex vetet expoſitiones, auctor eſt ille πρὶν αἴσθησιν ἐγγενέσθαι καὶ ζωὴν, ἐμποιεῖσθαι τὴν ἄμβλωσιν, *antequam fœtus ſit vitalis, abortum procurari.*

5. Sed rectius aliæ Leges, crimen id eſſe ſtatuunt *l. 38. §. qui abortionis 5. π. de pœnis,* levius quidem in principio, necdum animato fœtu; ut illo tamen caſu etiam crimen ſit, non tantum, ſi quis partum perfocat, ſed etiam, ſi alimenta deneget *l. 4. π. de agnoſ. & alend. lib. d. §. 5.* convenienter iſti Euripideo, Ἅπασι δ᾽ ἀνθρώποισιν ἦν ψυχὴ τέκνα. *Cunctis hominibus liberi vita altera* idque donec ætate, vel arte aliqua, cui à parentibus addicti fuerint, exhibere ſe posſint *l. 5. §. 7. π. d. tit de Agnoſc. & alend. lib.*

6. Qui tamen è muliere, cum quà conjugium eſſe poſſet, ſunt nati, ſuppleto defectu, quo à familia removebantur, poſſunt cum illa redintegrari. Scilicet, ſubſequente parentum connubio, aut ſublato alterutro, per reſcriptum ſummæ poteſtatis, quæ eſt *legitimatio*, aggregans illos familiæ, ſine præjudicio legitimè natorum, & ſine effectu ſuccasſionis in regna & feuda, de quibus in *loco.*

7. Sed differentia juris Romani inter eos, qui domi è concubinis & qui foris è furtivo amplexu naſcuntur, non eſt juris gentium, quo ſufficit patrem eſſe certum, ut liberi pro naturalibus & aptis ad legitimandum, habeantur.

8. Verum nati è coitu nefario, inceſtuoſo vel adulterino, non ſunt in terminis habilibus, ut cum familia parentum unquam coaleſcant, quia vitium illis obſtans nunquam poteſt tolli, & turpe videtur eo modo natos familiis aggregare. Quominus tamen principes ſpeciali reſcripto jubeant eos in civitate, effectisque civilibus haberi pro honeſtis & quaſi pro legitime natis, ratio non prohibet, idque *fit pasſim.*

9. Sed quod ad eos attinet, qui ex nuptiis ſine parentum conſenſu initis ſunt nati; horum ſtatus per ratihabitionem avorum ad originalem integritatem reduci poteſt, qua de re prolixa quæſtio juris non eſt hujus loci. dix. ad *tit. π. de rit. nupt.*

10. Neutiquam tamen nefariæ proles abjici alimentisque privari debent, quæ ſententia Juſtiniano, *in nov. 89. cap. ult.* minus merito adſcribitur, ut in *prælect. & pr. lib. III inſt. exeg. nov. 118.* demonſtratum eſt; quanquam ut inhonorati in civitate degant, id juris ratio non abnuit, imò poſtulat.

11. Mulro minus ille mos veterum probandus, quo patribus erat permiſſum, liberos etiam juſte natos tollere aut exponere, quo pertinet τὸ ἐγχυτρίζειν Athenienſium, Ἐπεὶ ἐν χύτραις ἐξετίθεσαν τὰ παιδία, ut Scholiaſtes Ariſtoph. *Ran.* quia, *infantes exponebant in ollis fictilibus,* quod nec Romanis incognitum fuiſſe, probavimus *2. Digreſſ. 5.* etſi Juſtinianus id execratur in *nov. 153. c. 1.*

12. Sed ubi ſervitus in uſu eſt, ibi nefas non videtur, vendere liberos, ſi quos parentes ultima preſſi paupertate alere non

 poſſint,

eſt ordo, illa *multitudo*, ut ipſi docuimus in *lib. 1. cap. 8.*

8. Verum civitas & reſpublica tam re quam verbis eo modo diſtinguuntur, ut *ſuprà* vidimus; in familia ſimile diſcrimen, ut verbis inuſitatum, ita reipsâ ignotum eſt.

9. Non quod regimen à perſonis non differat, ſed quia id nusquam *familia* dicitur; ad hæc ſemper ad perſonas refertur, etiam à Juriſconſultis, à quibus noſtra definitio leniter inflexa mutuo ſumpta eſt. *l. 195. §. 2. π. de Verb. Sig.*

10. Addito tamen fine, quem Ariſtoteles ait eſſe, *εἰς πᾶσαν ἡμέραν, ad uſum quotidianum lib. 1. Polit. cap. 1.* nam his verbis à collegiis diſcernitur, quibus & Juridicam familiæ definitionem convenire putat Arniſæus.

11. Ideo vult addi vocem, *patris-familias*, pene fruſtrà; nam qui neſcit, quid ſit familia, eum vox *patriſfamilias* certiorem non faciet.

12. Sed differentia ab reliquis collegiis, præter finem, conſtat inde, quod de illorum eſſentia non ſit, ut ſub unius poteſtate habeantur, neque ut perſonas contineant tam *naturâ* quam *jure* ſociatas, quod utrumque eſt in familiæ definitione.

13. Perſonæ *jure* ſociatæ ſunt conjuges & ſervi; *Naturâ*, liberi, ex quibus familia perfecta componitur.

14. Nam quod idem *Arniſæus*, liberos negat eſſe partem familiæ, eò quod finis familiæ ſint, non habet rationem. *Arniſa. lib. 1. cap. 1. ſect. 8. de republ.*

15. Quia, præter quod partem & finem eſſe diverſo reſpectu non eſt abſurdum, videtur proles matrimonii potius quam familiæ finis eſſe.

16. Perfecta igitur familia conſtat triplici conjunctione patriſfamilias, cum *uxore*, cum *liberis*, cum *ſervis*.

17. Ita & Ariſtoteles Πρῶτα καὶ ἐλάχιστα μέρη οἰκίας, δεσπότης καὶ δοῦλος, πόσις καὶ ἄλοχος, Πατὴρ καὶ τέκνα; Prima & ſimpliciſſima membra familiæ, dominus ac *ſervus*, vir & *uxor*, pater & *liberi. d. lib. 1. polit. c. 3.*

18. Sunt tria paria, ſed quatuor perſonæ, non pauciores; quia dominus, vir, pater ſunt unus parerfamilias. Liberi poſſunt eſſe plures, eſt etiam ubi uxores plures in unitate familiæ ſunt; Deficiente ex his uno, ſit imperfecta familia, magis aut minus, prout deficiens membrum magis aut minus eſt neceſſarium.

19. Arniſæum tres perſonas duntaxat requirentem, eliminatis liberis, modo notavimus. Bodinus quinque perſonas ad familiam requirit *lib. 1. cap. 2. a pr.* Patrem ac matremſam, & tres, quà liberos quà ſervos, quod nihilo plus habet rationis; nam ſervi tres forte requiruntur ad familiam ſervorum, ut diximus, eam vocem ſumi; at hoc ſenſu noſtro familia, id eſt, οἶκος, uno filio filiàve & uno ſervo ancillave contenta eſt ad perfectionem ſui.

20. Numerus familiæ, qui maximus *n*) eſſe queat, non eſt expreſſus. Sane poteſt eſſe major quam aliquando civitas. Dari enim civitates,

---

ſert. Cur non retinuit vocem ſocietatis *loco generis. An enim elegantius eſt genus vel ſubtilius* cœtus plurium perſonarum ſociatarum, *quam ſi dicas uno verbo*: Societas? *Sed relinquamus & nos libertatem loquendi Autori, quam aliis ſuademus: modo ejus definitio ſit perſpicua, modo libertas eadem relinquatur & nobis. Quidſi ergo dicamus.* Familiam eſſe ſocietatem compoſitam ex conjugali, paternâ & herili quotidiani uſus gratiâ? *Eadem res hic deſcribitur quamvis diverſis verbis. Et fortè hæc magis apta eſt communi doctrinæ, fortè magis perſpicua, quam id, quod Autor hic ex* l. 195. de V. S. *repetit de* perſonis natura aut jure ſociatis. *Conf. ſtatim notam* lit. p.

n. 20. *n*) maximus) *Memini B. Patrem ante annos triginta & ultra Lipſiæ habuiſſe diſputationem Anti-Bodinianam de minimo numero perſonarum familiæ itemque civitatis, quæ*

civitates, quæ non poſſunt trecentos in armis exhibere, quot, & quod amplius fuit, Abraamus eduxit adverſus reges Meſopotamiæ, palam eſt. Quadringentos ſervos ſub uno tecto habuit *Fundanius* præfectus urbi apud Tacitum, qui non abſurde ſcribit, fuiſſe, *qui nationes* ſervorum haberent.

21. Porro Ariſtoteles imperium patrisfamilias triplex eſſe tradit, in *lib. 1. polit. cap. 8.* δεσποτικὸν, o) βασιλικὸν, πολιτικὸν, illud in ſervos, iſtud in liberos, hoc in uxorem competens.

22. Ad hanc formam juris civilis ratio comparata eſt. Pater-familias eſt *princeps familiæ & in domo dominium habet l. 196. π. de verb. ſignif.* juxta Homericum illud Ariſtoteli laudatum, Θεμιστεύοντας ἕκαστος Παίδων ἠδ' ἀλόχων. *Jus quisque dicit liberis & conjugibus.*

23. Etiam verò ſervis; at his quidem *heriliter* & duriter; liberis *regiè*, id eſt, abſolutè quidem, at cum *pietate*, non cum *atrocitate*, uxori cum multâ *æqualitatis* obſervatione; ſicut magiſtratus agunt in republica libera cum civibus; hoc enim eſt πολιτικῶς.

24. Nec abs re Ariſtoteles aliique monent, familiam videri parvam eſſe rempubl. ubi ſunt imperans & ſubjecti, mediâ uxore, quæ unà cum viro præeſt domui, etſi infrà virum ut principem domus; quemadmodum magiſtratus medio loco ſunt inter rectores & cives. Finem certe regimenque familiæ ad utilitatem publicam eſſe dirigendum, quia partes civitatis integrantes familiæ ſunt, ratio dictat: Nec minor quam reipubl. cura eſſe debet, ut bene ſit familiis; qua parte non eſt dicere nefas, aliquanto minorem hoc ſeculo, quam apud cultiores veterum fuit, adhiberi diligentiam.

25. Cæterum, ea, quam deſcripſimus tripartito compoſita familia intelligitur eſſe *perfecta*. Non raro autem uſu venit, uti palàm eſt, aliquam ex enumeratis quatuor perſonis in domo deſiderari, quæ tum adhuc quidem familia manet ac vocatur, ſed defectu laborans & *imperfecta*.

26. Nam primo, ſi deficiat ſervus aut ancilla, nemo neget, defectum aliquem ad bene commodeque vivendum in uſu quotidiano, qui eſt finis familiæ, committi.

27. Major, imo maxima eſt imperfectio in defectu liberorum, quorum gratiâ vel imprimis inſtituitur familia, & quorum reſpectu ad rempubl. plurimum confert; imo vix eſt, ut definitio familiæ ſine liberis conſtet, ob verba *jure p) ſociata*, quæ in liberis ſolis uſum habeat. Vult tamen uſus populorum, ut ſocietates domeſticæ absque liberis, etiam fa-

multum illuſtrabit ea quæ Autor hic adverſus Bodinum diſputat. Videntur & illæ diſputationes de maximo & minimo numero perſonarum familiæ vel civitatis magis ſubtiles eſſe quàm utiles, nec multum abſimiles diſputationi de maximo & minimo numero granorum manipuli & acervi. Apud Apuleium locus eſt in apologia. Quindecim liberi homines populus eſt, totidem ſervi familia: totidem vincti ergaſtulum.

n. 21. o) δεσποτικὸν) *Et hæc comparatio magis ſpeculativa eſt, quam ut habeat uſum in ipſis rerum argumentis, inprimis poſtquam ſupra negavimus fundamentum diſtinctionis inter regnum δεσποτικὸν & βασιλικόν. Sæpè paterfamilias liberis imperat ut ſervis, ſæpe ſervis ut pater. Nec liberis competit remedium corrigendi rigorem dominicum patris.*

n. 27. p) jure) *Videtur legendum* naturâ *ob dicta* n. 13. *Quamvis illa verba* jure vel naturâ *habeant dubiam & obſcuram explicationem. Cur enim non poſſes dicere* uxorem *æquè naturâ eſſe ſociatam marito, ut liberos patri, imò & ſervos domino, quia & ſocietas dominica eſt naturalis, omnium vero maximè conjugalis. Imo &* natura *&* jus *hic parum convenienter ſibi invicem opponuntur, cum & uxor, & liberi & ſervi jure ſociati ſint cum patrefamilias. Et vereor adeo, ut Autor illâ explicatione tetigerit mentem JCti* in l. 195. §. 2. de V. S. *quam tamen hoc modo voluit explicare. Videantur* Dd. ad illam legem.

Digitized by Google

iam familiæ appellentur.

28. Matris-familias defectus addit novam imperfectionem, nempe ſi fuerit ac eſſe deſierit: Nam ſi nulla domum ducta ſit, verum cælebs cum ſervis aut ancillis eam occupet, hæc, ut ſocietas domeſtica ſit, familia ex arte dici non poteſt, utcunque latitudo vocabuli ad hanc quoque ſignificationem adhiberi poſſit ac ſoleat.

29. Quod ſi morte patrisfamilias deſtituta ſit domus, an adhuc erit familia? Imperfecta quin ſit omnium maxime non eſt dubium; vocabuli tamen uſus adhuc manet, & forte definitio conſiſtere poteſt, ſi jus patrisfamilias defuncti, quantum ad familiæ regimen attinet, transferatur in matremfamlias, quod nec à jure naturæ forſitan abhorrere videtur, qua de re diximus in *l.2.Digreſſ.c.3.*

CAP. III.
DE MATRIMONIO.

Definitio matrimonii Grotiana improbatur. n. 1. 2. Jurisconſultorum præfertur. n. 3. Quid in ea, *individua*. n. 4. 5. 6. Polygamiam ne quidem naturali ratione probari. n. 7.-10. Secundas nuptias omni jure eſſe licitas, etſi odioſas. n. 11. 12. Conſenſum perficere connubium, n. 13. ſed determinatum ad concubitum, unde agitur de impotentibus, ſterilibus, frigidis, ſenibus, n. 14-17. Ad eſſentiam conjugii non pertinere deductionem in domum, neq; ἱερολογίαν. n. 18. 19. Communionem bonorum non niſi per legem ſtabiliri. n. 20.-24. De concubinatu n. 25. 26. & matrimonio ad morganaticam n. 27. de conſenſu reciproco n. 28. 29. & de conſenſu parentum. n. 30. De matrimonio vi metuve contracto. n. 31. 32. 33. De dolo n. 34. & errore n. 35-38. De conditionibus adjectis n. 39. 40. De prohibitione contrahendi nuptias ratione affinitatis. n. 41-49.

1. PRima conjunctio, quæ conſtituit familiam, fit per matrimonium, quod *Grotius* ex ratione juris naturalis & Moſaici nihil ait eſſe, quam cohabitationem maris & feminæ, quæ feminam conſtituat quaſi ſub oculis & cuſtodia mariti, eamque fide data mari obſtringat. *lib. 2. c. 5. n. 8. inf. & n. 9. in pr.*

2. Neſcio, quid ſibi velit ὁ μέγας hoc commento definitionis: niſi concubinatum, polygamiam & divortium ejus complexu protegere & velamento juris, ſaltem naturalis, induere tentet.

3. Magis placent juriſconſulti *q)* quibus matrimonium eſt, *viri ac mulieris conjunctio indivi-*

n. 3. *q)* JCti) *Ita eſt, etſi Grotius valde placeat Autori, magis tamen ubique placet Jus Juſtinianeum. Nobis præ omnibus autoritatibus magis placet ratio. Unde quemadmodum JCti Romani magis reſpexerunt ad jus patrium peculiare, quam ad jus civitatis univerſale, laudanda eſt intentio Grotii, quod naturam conjugii aſtutiâ Cleri Papalis valdé confuſam accuratius inquirere inſtituerit, etſi forte non ubique rem acu tetigerit, ut regulariter fieri ſolet ab iis, qui glaciem in veritate inquirendâ primi frangunt. Quare cum toto hoc capite conferenda ſunt, quæ de naturâ conjugii prolixius diſſeruimus* in Inſtit. Juriſpr. div. l. 3. c. 2. & 3. & in Fundam. Juris N. & Gent. ibid.

Digitized by Google

individuam vitæ conſuetudinem continens. §. 1. Inſt. de Patr pot.

4. Individua conſuetudo ſignificat arctiſſimum illud conſortium corporis, animorum omniſque vitæ, *r*) quod natura & mos Gentium, non minus, quam jus divinum conjugio ineſſe debere dictat, *de quo in l. 1. π. de rit. nupt.*

5. Prorſus nihil eſt aliud *individuum* conſortiunt, quam conjunctio in carnem unam, quæ non eſt juris poſitivi divini, ſed ab ipſa origine, negotii naturæ inſita fuit à creatore, qua de re *dix. in digreſſ. Juſtinian. lib. 2. cap. 10. & 11.*

6. Sic verbis *individua conſuetudo*, major ineſt efficacia, ad vim matrimonii exprimendam, quam in his quæ *Grotius* ponit, *ut femina ſub oculis & cuſtodia viri ſit.*

7. Neque placet, quod uxoris ille fidem viro dandam exprimit ſolam, ſine viri mutua fide: multò minus cauſa, cur id fecit; ne quid obeſſet, quominus viro plures jure naturæ & Hebraico ducere liceat uxores, ut ille quidem exiſtimat.

8. Verius videtur, multitudinem uxorum non poſſe cum arctitudine illius conſiſtere, adeoque internæ conjugii naturæ adverſari polygamiam. haud obſtante peremptorie, ſingulari conniventiâ, qua Deo viſum fuit uti adverſus patres veteris teſtamenti, ut latius oſtendimus in *d. lib. 2. digreſſ. c. 16. s*)

9. Cæterum, *Polygamia,* quæ *ſimultanea* dicitur, nec ad eam rem. cui unice inſervire debebat, utilis *t*) reperitur, ſcilicet ad replendam populo civitatem: quatenus compertum eſt, non tam huc facere gignendi, quem alendi liberos facilitatem.

10. Etenim terræ Muhamedanorum & paganorum, qui pluribus utuntur uxoribus, frequentia hominum cum Chriſtianis populis compatandæ non ſunt; ſive divina benedictio, *creſcite & multiplicamini*, irrita redfatur iis, qui non ſervant primævum inſtitutum; ſive ab exhauſtis onere domeſtico familiis, propagatio novarum domuum haud perinde poſſit adminiſtrari.

11. Secundæ nuptiæ etſi apud veteres minus honoratæ & pene vituperatæ fuerint, tam à Chriſtianis quam à gentibus, ut multis probavimus in *part. 2. digreſſ. l. 1. c. 44.* ſunt tamen legitimæ, tam jure naturæ quam divino; ne de civili dicam, ut ibidem probavimus.

12. Scilicet, etſi hic locus, juxta alios plures, ſit

n.4. *r*) vitæ) *Scilicet contextus oſtendit Autorem id hic agere, ut oſtendere velit, JCtos in eo melius definiviſſe matrimonium, quam Grotius, quod ille divortia protegere, hi vero ea excludere voluerint hâc voce* conſvetudinis individuæ. *Sed facile oſtendi poteſt, JCtos Romanos, apud quos magna licentiâ divortiorum erat, nil minus intendiſſe, quam iſtud. Et liceat adeo Autorem refutare ex iis quæ alibi* in prælect. ad Inſt. tit. de Nupt. n.4. *diſſeruit.* Vocem *individuam* plerique de ſcopo & voto contrahentium, non de eventu explicant, quia crebro nuptiæ divortiis ſolvuntur, jure Romano præſertim. Ego malim hoc verbum ad arctitudinem ſocietatis, quam ad perpetuitatem temporis referre, ut ſocios dicimus *individuos* qui arctiſſimè, non qui ſemper ſunt juncti. Sic Tacitus Tiberii *individuum*, ab ipſo oppreſſum memorat, amicum, utique non perpetuum *6. Annal. c. 10.*

n 8. *s*) Digreſſ. c.16.) *Verius, Polygamiam repugnare ſaltem juri civili particulari & moribus Chriſtianorum, per ea quæ diximus* in Fundam. J.N. & G. l.3.c.2. & 3.

n.9. *t*) utilis) *Adeoque quæſtio hæc non ad jus civitatis univerſale, ſed ad politicam pertinet. Et fortè ratio diverſitatis in regionum diverſitate quærenda, cum fœminæ in regionibus calidioribus & orientalibus non ita facile concipiant uti in frigidioribus ſeptentrionalibus.*

res, ſit ex iis, qui concurrentem juris publici & privati tractatum recipiunt, ea tamen in utroque genere diſcrepantia manet, atque à nobis ſervabitur, ut heic ea ſolummodo quæ juris naturæ vel gentium ſunt, educamus, eaque à juris civilis principiis ſeparemus, quod habet utilitatem in ipſa juris privati diſciplina.

13. *Conſenſu* perfici matrimonium, ratio dictat, corporum conjunctio illud implet; mos tamen populorum ita fert, ut ſolum conſenſum *ſponſalia* vocent; *& ſponſos*, qui tantum conſenſu matrimonium inierunt, qua de re latè diximus in *lib. 2. digreſſion. c. 7. 8. 9.*

14. Etſi autem concubitus ad implementum magis quam ad eſſentiam matrimonii pertinet, aptitudo tamen ad concubitum in contrahentibus requiritur; alioqui nullum eſt matrimonium, ſi de impotentia conſtet; ut ſi vir eunuchus, mulier tam arcta ſit, ut mulier fieri nequeat, qualis apud Ulpianum in *l. 14. §. 7. d. Ædil. Ed.*

15. Cum ſterili tamen muliere vel frigido non deſperatæ facultatis, matrimonium conſiſtit; cum priore ſimpliciter, quia, ſi cum tali non licet adſequi τὸ τεκνογονεῖν, *procreationem liberorum*; evitatur tamen τὸ πορνεύεσθαι uri; u) quem utrumque finem apoſtolus agnoſcit *1. Cor. 7.* Sed cum frigido non conſiſtit diutius, quam de impotentia peremptorie conſtet, cujus rei tempus olim biennio, poſtea triennio definitum eſt à Juſtiniano *nov. 22. c. 6.*

16. Quid ſi partes conſentiant? durabit ſocietas & cohabitatio: Quod ſi ab initio conſtet impotentia, ne quidem volentibus permittenda videtur copulatio, ut recte judicatum eſt à ſenatu Pariſienſi *d.* VIII. *Januar. 1665*, referente eruditorum diario.

17. Ne quidem ſenibus admodum decrepitis, ex ratione juris gentium benedictio conjugalis impertienda videtur, ob eandem rationem; maxime ſi alter adhuc vegetior ſit, ut olim lege Papia rectè conſultum fuit, etſi remiſſum in *l. 27. C. de nupt.*

18. Sed & meritò pleriſque placuit gentibus, ut publico ritu matrimonium celebretur, veluti deductionis in domum apud Romanos; Chriſtianis verò, in cœtu publico fidelium copulatio, prævià publicatione ſponſaliorum, ſi forte aliorum interſit.

19. Horum tamen rituum neglectus nullitatem w) actus, matrimonio inferre non poteſt; niſi vi legis expreſſæ, quoniam individua conſuetudo ſine hoc ritu conſiſtit; & multis gentibus iſtæ cerimoniæ inuſitatæ fuerunt.

20. *Individua vitæ conſuetudo*, quam tenet definitio, non includit communionem bonorum, nec tamen eam penitus excludit; quatenus ſine bonis & aliquâ communione rerum, individua vitæ conſuetudo haberi non poteſt.

21. Ergo ut omnium bonorum communio inter conjuges ſtatuatur; *opus eſt lege vel pacto; Sed quatenus ad ſuſtentandum vitæ conſortium requiritur*, neceſſitas illam inferre videtur.

22. Hactenus enim ratio vult, ut ſinguli contribuant quod quidem poſſint, quoniam aliter matrimonium, quod individuum inierunt, conſiſtere non poſſe intelligunt.

23. Mores gentium hac parte variant, Romani nullam bonorum communionem inter conjuges habebant; quædam nationes hodiernæ univerſam confuſionem probant, eamque

n. 15. u) Uri) *Potius, quia ſpes eſt, finem matrimonii obtineri poſſe, ut vel ipſe autor hic innuit, in verbis:* non deſperatæ facultatis. *Alia quæſtio eſt: annon abſtrahendo à legibus civilibus ſterilitas ſit juſta cauſa divortii?*

n. 19. w) nullitatem) *Conf. quæ de copulatione ſacerdotali diximus* ſuprà ad lib. 1. ſect. 5. c. 4. n. 3. lit. o. p. 196.

Digitized by Google

amque laudat Martialis *lib. 4. Epigramm.* in Nigrinà

Te patrios miſcere juvat cum conjuge cenſus,
Gaudentem ſocio participemque viro.

Eamque comparationnm idem cum *Euadne* & *Alceſti*, quæ morte voluntaria cum, vel pro viris obita, celebrantur, inducit.

24. Placet, tamen, ut in omnibus, ita heic quoque *medium*; ac ideo videntur optimæ leges eorum populorum, quæ ad quæſtum & diſpendia reſtringunt ſocietatem; nam quæ ad ſubſtantiam rerum eam producunt, matrimonia qaaſi captatoria reddere videntur.

25. Fuit definitio matrimonii, & quicquid jure naturæ vel gentium ad ejus eſſentiam requiri videtur; quod in duobus conſiſtit: In conſenſu & individuitate, per quam concubinatus à matrimonio diſtinguitur; etſi Grotius hunc pro vero & rato haberi poſſe conjugio tradit, quemadmodum in ſervi atque ancillæ, civis & peregrini cojunctione nihil ad matrimonii naturam deſit, ſi jus gentium ſpectemus *lib. 1. d. jur. b. & p. c. 5. n. 15.*

26. Sed in contrarium nos vocat, quod in concubinatu dici non poteſt ineſſe *individua conſuetudo*: quià procul hinc eſt illa ſocietatis arctitudo, quæ in matrimonio deſideratur; cum vix ulla quam voluptatis communicatio in concubinatu fiat, qui & in eum modum inde ab initio contrahitur, ut pro lubitu ac unius voluntate diſſolvi queat, *x*) uti fert uſus ac etiam tulit apud Romanos *l. 1. pr. ff. de concubin.* etſi vulgo turpitudini velandæ *matrimonium conſcientiæ*, oppoſitum publico, appelletur.

27 A concubinatu vero multum diſctepat inſtar *y*) conjugium, quod vulgò ad *morganaticam* vocant, iniri ſoiitum à viris principibus, qui & amori & conſcientiæ & dignitati pariter obſequi cupientes, feminas ignobiles ducunt in matrimonium, ſine præjudicio liberorum prioris matrimonii vel agnatorum. Tales enim quominus ſint verè matres-familiarum, quando nullum matrimonii requiſitum deficit, nihil obſtat. Vid. Puſendorff. *l. 6. de jur. N. c. 1. §. 36.*

28. Conſenſus, quod eſt alterum eſſentiale nuptiarum requiſitum, debet eſſe reciprocus, cum aliter non ſit conſenſus. Ideo, quamdiu alter non acceptavit, alterius oblatio revocari poteſt, non modo ſine injuſtitia; ſed etiam ſine inconſtantia, ſi credimus Grotio *l. 2. c. 11. n. 14. 15.* Sed poſterius magis eſt, ut pendeat à ſingularibus facti, & à causà mutationum impulſivâ.

29. Quid ſi arrha ſit data, ut fit?. Adhuc videtur revocari poſſe conſenſus ab eo, qui arrham dedit: *z*) Obligatio enim ante acceptationem non erat perfecta, & arrha quæ

tantum

n.26. *x*) diſſolvi queat) *In hoc ferè conſiſtit unicè differentia inter concubinatum & matrimonium juris Gentium quoad diſſolubilitatem. Nam quod dicitur, vix ullam quam voluptatis communicationem in concubinatu fieri, id de concubinatu clericali fortè nullum haberet dubium, at intuitu concubinatus Hebræorum, Romanorum, imo & Germanorum docent antiquitates hiſtoricæ & documenta varia concubinatum à matrimonio ad morganaticam, de quo autor* n. ſeq. *planè non differre niſi diſſolubilitate & benedictione ſacerdotali, quam tamen poſteriorem Autor rectè negat* n. 18. *pertinere ad eſſentiam matrimonii. Unde cum Grotius ſtatuat indiſſolubilitatem non pertinere ad eſſentiam matrimonii, non poterat etiam concubinatum non habere pro verò & râto matrimonio.*

n.27. *y*) inſtar] *Sed cur* inſtar, *cum ipſe Autor fateatur, hic nullum matrimonii requiſitum deficere.*

n.29. *z*) dedit) *Non quaſi is, qui arrham accepit, ſit obligatus ad matrimonium contrahendum, ſed quia de hoc nullum erat dubium, quin poſſit arrham reddere, utpote qui conſenſum alterius nondum acceptaverat, ut autor diſertè ſupponit.*

36. Qui aliam pro alia ducit, proculdubio nihil agit, nec tenetur, etſi patriarcha Jacobus *d)* ſibi paſſus eſt imponi *Geneſ. 29.* quomodo & alios pudore temeritatis accidit acquieſcere in eo quod irritum facere potuiſſent:

37. Idem eſt, ſi faciendæ proli alter ineptus, aut ſervilis conditionis, aut prohibito gradu ſanguinis reperiatur: quæ cum ipſam conjugii facultatem tollant, conſenſum quoque mutuum ſine dubio intervertunt.

38. Sed error abſque dolo in rebus ad eſſentiam matrimonii non ſpectantibus, non eximit errantem obligationi. Quid ſi pro virgine duxerit aliquis corruptam? non eſt utique eſſentialis error, ſed an non repudio cauſam præbeat, *infrà e)* videbimus.

39. Plane, ſi per modum conditionis adjecta ſint talia, quæ ad eſſentiam matrimonii non pertineant, hujuſmodi conditione tamen deficiente, non eſt dubium, quin obligatio nulla ſit; deficiente videlicet conſenſu; quatenus generaliter verum eſt, promiſſiones ſub conditione qualibet factas ſpem facere duntaxat obligationis, quæ nonniſi poſt exiſtentiam conditionis impletur, ut non minus jure naturæ, quam civili & Canonico cautum eſt *§. 4. I. de Verb. obl. c. de illis.* 3. *c. ſuper eo* 5. x. *de condit. appoſ.*

40. Sed hic bene diſtinguendum eſt inter conditionem, qua ſuſpenditur obligatio, & modum, quo limitatur & ordinatur uſus negotii, qualia multa pactis nuptialibus comprehenduntur, etſi forte per SI, concipiantur, quod è cujuſque promiſſi natura *f)* dijudicandum. Talia licet officiant matrimonio, corrumpendo non ſufficiunt.

41. Sed laudatum aliquoties requiſitum matrimonii, de juſta propinquitatis inter contrahentes diſtantià, ſuam exegeſin requirit. *g)*

42. Rationem juris naturæ, quâ nuptiæ per tot cognationis & adfinitatis gradus prohibeantur, quod uſu populorum & jure divino obſervari videmus, ſolidam adſignare, non modo difficile, ſed etiam ex iis eſſe quæ fieri nequeant, haud temere Grotius adfirmat in *lib. 2. c. 5. de jur. b. & p. §. 1. 2.*

43. Plutarchi rationes hac de re in *quæſt. Rom. n. 105.* meliores ſunt ad utilitatem juris poſitivi quam ad characterem juris naturæ demonſtrandum, ut probavimus in *lib. 2. digreſſ. c. 14.* neque diverſi generis eſt Rabbinica à Grotio adoptata, ne familiaritas quotidiana cognatorum, nimis crebram ſtupris & adulteriis occaſionem præberet, ſi nuptiis conglutinari poſſet *d. cap. 5. §. 13.*

44. Nihil ſolidius eſt, quam quod Paulus JC. Naturale jus & *pudor*, inquit in *contrahendis matrimoniis, inſpiciendus eſt l. 14. §. 2. π. de Rit. nupt.* Cujus pudoris ratio quâ in re conſiſtat, variè philoſophantur auctores de jure naturæ, nec id dicere ſatis expeditum eſt. *Humana*, inquit Auguſtinus, *verecundia generatricem libidinem*, NESCIO QUOMODO, *à propinquitate continet l. 15. de C. D. c. 16. divina QUADAM providentià, Juſtin. §. 11. Inſt. J. N. G.*

45. Inſitam eſſe naturæ humanæ illam averſationem negant, qui nihil ejuſmodi in jure naturæ, qua de re *alias* dictum, agnoſcunt; & tamen, dum hujus pudoris cauſas rationales adducunt; parum abeſt, quin hæ tam

n.36. *d)* Jacobus) *Sed hoc exemplum huc non pertinet, quia error Jacobi non erat fortuitus, ſed conjunctus cum dolo non ſolum Labanis ſed & Leæ.*

n.38. *e)* infrà) *cap. ſeq. n. 32.*

n.40. *f)* natura) *Non poteſt deciſio quæſtionis intelligi, ſi non formetur caſus, quod utinam hic feciſſet autor.*

n.41. *g)* requirit) *Adde quæ de hàc quæſtione intricata diſſeruimus* in Fundam. J. N. & G. l. 3. c. 2. & 3. *Confer autorem ſupra* l. 1. ſect. 1. c. 2. n. 27. 28. p. 10.

tam ſint obſcuræ, ut nihil magnopere, quam inſitum naturæ affectum declarent; fere ut nuper in phyſicis, qui occultas rerum qualitates in ſcholaſticis irrident, nihil nobis aliud quam illud ipſum in *tali & tali* diſpoſitione particularum exponunt.

46. De cognatis ac adfinibus in linea rectâ fere conveniunt ſcriptores, horrorem ab ejusmodi nuptiis in naturâ hominum eſſe talem, ut plenam efficiat eodem jure naturæ prohibitionem; quâ de re Grotius *ibidem* & nos in *d. lib. 2. digreſſ. c. 14. n. 4.*

47. De collateralibus multi exiſtimant, non eſſe rationem juris naturæ neceſſariam ad prohibitionem, quod etiam Romani juris interpretes ſentire videntur in *l. ult. ff. de rit. nupt.* ubi; *Jure gentium*, inquit, *inceſtum committunt qui ex gradu deſcendentium vel adſcendentium uxorem duxerit: Qui vero ex latere &c.* ubi inceſtus in lineâ collaterali opponitur inceſtui juris gentium.

48. Sed nos contrarium in *d. lib. 2. cap. 18. digreſſionum*, rationibus & auctoritate probavimus, idemque adverſus Grotii ſententiam in *capite ſequ.* de gradu tertio ſanguinis duntaxat, tentavimus. Circa adfinitatem gradus ſecundi & tertii, non idem juris eſſe videri, quod ad naturale jus attinet, verum prohibitionem hactenus eſſe juris poſitivi, copioſe demonſtravimu in *cap. 21. & 22. d. libri. 2.* quæ huc transferre nihil attinet

49. An & qualis actio detur è matrimonio ad *ſequentia* reſervabimus.

CAP. IV.

DE POTESTATE MARITALI, JURE AGENDI INTER CONJUGES, MODISQUE FINIENDI MATRIMONII.

Poteſtas maritalis, quæ & unde ſit, diſtinctè exponitur. n. 1. 2. 3. An & quatenus ei renuntiari poſſit; n. 4. 5. 6. quousque extendi queat aut nequeat. n. 7-10. Romanus hac parte mos. n. 11. 13. Qualis actio inter conjuges detur: n. 13-18 & de modis, quibus ſolvitur matrimonium. n. 19-34.

1. Diximus, quid ſit matrimonium, & quomodo contrahatur, ut initium det familiæ. Jure ſocietatis & ſecundum primam naturæ ſimplicitatem familiæ imperium feminæ pariter cum viro debebatur, ut probavimus *lib. 2. digreſſ. cap. 3. n. 3.*

2. Sed quia æqualitas parit rixas, ἡ ἰσοτιμία μάχην ποιεῖ, ut ait *Chryſoſt. ad cap. 4. Ephes.* idcirco viri ob præſtantiam ſexus *b*) prævaler auctoritas, ordinis tamen magis quam ſubjectionis causâ, ex ſententia *Ariſtotelis*, quam ſupra audivimus.

3. Idque notiſſimo jure Gentium, monſtrante naturali ratione, nec minus jure divino, in tantum invaluit, ut neque lex neque pactum in diverſam partem ſine probro valeret; quo ſcil. vir imperio in uxorem renunciaret, etſi id ipſo facto non paucis hominibus

n. 2. *b*) ſexus) *Sed quia præſtantia ſexus etiam in primâ naturæ ſimplicitate adeſt, ideò melius erit ſimpliciter aſſerere marito imperium in uxorem, etiam quoad primàm naturæ ſimplicitatem, ſimulque etiam ſeponere diſtinctionem obſcuram hujus numeri inter cauſam ordinis & ſubjectionis, modo obſervetur diſtinctio inter regulas juſtitiæ & decori ut diximus loco ſæpius citato.*

Digitized by Google

minibus claris & integris nationibus imputetur.

4. An autem illa ſexus præſtantia viro imperium in uxorem tam neceſſario addicat, ut id nullo modo aliter ſe habere poſſet, haud facile dixerim: quia muliebre in regnis imperium, quod domeſticum abſorbet, utique juris eſſe creditur. Unde videndum, ne non ex jure gentium poſitivo, naturali ratione, quid rectius ſit, monſtrante, petita videatur.

5. Principatus autem ille viri ſuper uxorem pertinet ad ordinem regimenque familiæ duntaxat. Nam univerſa cura bonorum, quæ viris hodie plerumque tribuitur, eſt à jure civili, cui proinde nihil obſtat, quominus renuntietur.

6. Hinc ſequitur, illud jus pacto quoque nuptiali amitti poſſe, quemadmodum mulieres in *Hollandia* ſæpe ſtipulantur à viris, ne ſub cura illorum ſint. Imo vidi pacta dotalia, in quibus mulier ſtipulata erat, ut *auctoritas maritalis ceſſaret*, his ipſis verbis; ratione bonorum ſcilicet; alioqui contra bonos mores fuiſſet pactum, cujusmodi dotalia pacta non valent *l. 5. ff. de pact. dotal.*

7. Tantum abeſt, ut pares ſimus eorum ſententiæ, qui jus vetus Romanorum Germanorumque, de vitæ necisque poteſtate in uxores, reſtitutum *i*] cuperent; qua de re *Vid. Bodini lib. 1. de Republ. cap. 4.*

8. Nec enim ſatis cauſſæ habet ille, quamobrem privatæ diſciplinæ rigor ad capitalem animadverſionem procedere debeat, tanto præſertim periculo à perverſitate ſuſpicionum irarumque maritalium: Potius iis adſentiendum, qui ne verbera quidem maritis permittenda putent, quod ipſe Cato ſacrilegium putabat. *Plutarch. in Vit. Cat. Cenſ.*

9. Quia vix aliter in liberos & ſervos, quo in officio contineantur, pater dominusque animadvertere poſſunt; & quoniam ad regimen familiæ plus adverſus hos, quam illos, opus eſſe videtur: eſt autem inter hos & uxores evidens diſcrimen.

10. Nec tamen id eò pertinet, ut maritis præcidatur facultas, indomitam uxorum contumaciam ſalutari ſeveritate juſtaque gravitate privatim coercendi, potius quam ut jurgia domeſtica foras proferantur, quod merito *Bodinus d. cap. 4.* vituperat, ac *Alcibiadem* laudat, qui uxorem id agentem humeris ſuis à tribunali domum reportavit. Utique, ſi non ſit animus, præceptorem Alcibiadis *Socratem* imitari, tolerantia infinita muliebris inſolentiæ ſemet efficaciter in patientia exercentem.

11. Quid autem rei, *obiter*; hoc eſt? quod Romani jus vitæ necisque in uxores habuiſſe dicuntur, ſi verum eſt quod Plutarchus narrat in *Quæſt. Rom. 30.* ſolitam fuiſſe apud priſcos Romanos mulierem nubentem dicere novo marito, *Ubi tu Cajus, ego Caja*; quæ verba Plutarchus ita interpretatur, ὅπου σὺ κύριος καὶ οἰκοδεσπότης, καὶ ἐγὼ κυρία καὶ οἰκοδέσποινα. *Ubi tu dominus & paterfamilias, ibi ego domina & materfamilias.* Recentiores autem Romani in pandectis quid? *Peto à te domina uxor*, ajebat maritus in *l. 41. in pr. ff. de legat. 1. Domina ſanctiſſima in l. 12. §. 1. ff. de ann. legat.* Semproniæ dominæ meæ *l. ult. §. 1. ff. de Aur. & arg. leg. in §. 2.* At uxor ibidem ſimpliciter ſcribit, *Vir meus.* Et alibi, *Gajum virum meum commendo tibi filia l. 34. §. 7. ff. de legat. 2.*

12. Scilicet, illud dicterium nuptiale vel erat licentiæ ſponſalitiæ, vel eo ſpectabat, quod mulier nupta ſui juris, nec in poteſtate viri, civiliter accepta, erat *l. 4. ff. de his qui ſui vel al. jur.* imperio interim familiæ illæſo. Jus autem vitæ necisque poſterior ætas ſuſtulit; denique ſalutationes iſtæ nuncupationesque honorificæ, civilitatis forte nimiæ

n. 7. *i*) reſtitutum) *Non confundenda ſunt quæſtiones juris cum quæſtionibus utilitatis. Quoad has facile conſentio Autori, modo addatur, mores, ubi maritis relinquitur jus vitæ in uxores non repugnare principiis juris naturæ.*

ac adulatoriæ fuerunt, ad juris conſequentiam non pertinent.

13. Quanquam autem recte Bodinum intelleximus improbare judicia inter uxorem virumque, non eſt tamen hoc ita capiendum, quaſi cuncta de matrimonio judicia ceſſarent.

14. Nam primò, quæ inter veteres Romanos obtinebat actio è ſponſu in id quod intereſt, teſte *auctore noct. Att. l. 4. c. 4.* juri naturæ ſatis conveniens erat, etſi ad cogendos eos qui recuſarent implere matrimonia, non dabatur actio, quia licitum erat dicere, *conditione tua non utor.*

15. Sed repudiis ſublatis, an jam non datur actio adverſus recuſantes implere matrimonium? non eſt dubium & fiunt omni die condemnationes. Sed in executione laboratur. Jure canonico non placet, ut invitus aliquis aut invita nuptiis, in eccleſia ipſo actu celebrandis adigatur *c. 17. X. de Sponſal.* Idque in multis locis ſervatur, ubi vis executionis conſiſtit in eo quod intereſt ſolvendo, impediendoque damnato, ne ad alias nuptias tranſeat.

16. Sed efficacior exequendi ratio non abhorret à natura negotii, nec ideo reprehendendi mores eorum, *k*) qui condemnatum per executorem publicum duci jubent in templum, ut ibi ſolennibus promiſſionis & cærimoniis defungatur, domumque ducat uxorem invitus vel invitam. Quod ſi deinde neget τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν, mulctæ dictione, vel pignorum capione ſubigi poſſe videtur.

17. Quid ſi pactum adjiciatur ſponſalibus, ne liceat alteri alterum judicio convenire ad implendum matrimonium? Non videtur valerè pactum, quia conditiones matrimonio adverſantes illi adjicere, bonis moribus ac utilitati publicæ repugnat *l. ult. x. de condit. oppoſ. in deſponſ.*

18. Porro, apud Romanos hac parte graviſſimi exempli auctores, *de moribus* ut agere liceret inter conjuges, cautum fuit, idque ne pactis quidem dotalibus excipi potuit *d. l. 5. π de pact. dotal.* Mulier etiam pro extremo ſævitiæ & prodigentiæ maritalis remedio, auctoritate judicis carere non poteſt, agendique jus habet ad petenda alimenta, ut interdicatur ei bonis ſævitiaque, ſub lege ſuæ modeſtiæ &c. Vir quoque, ſi uxor apud parentes aliosque latitet, agere poteſt ad exhibendam uxorem *l. 4. π. de lib. exhib.*

19. Sequuntur modi, quibus ſolvitur matrimonium, qui ſunt repudium inter ſponſos, divortium inter conjunctos, etſi hæc vocabula ſæpe confunduntur *l. 101. π. de V. S.* Prius mutua partium gratia fieri poſſe videtur, nec non alterutro graves ob cauſas renunciante. *Cap. 5. & cap. 10.* x. *de ſponſal. cap. 25.* x. *de jurejur.*

20. Matrimonium partium conſenſu nullo modo ſolvi poteſt; quia non, ut reliqui contractus mere conſenſuales contrario conſenſu ad ſtatum infecti poſſunt redire, ſic quoque ſtatus prior conjugum eodem modo poteſt redintegari; quoniam arctiſſima illa conjunctio, per quam duo in unum coaluerunt, ita comparata eſt, ut non recipiat ſeparationem neque retractari poſſit. *l*)

21. Er-

n. 16. *k*) mores eorum) *Sed profecto neque commendandi præ moribus numeri præcedentis. Et vellem, ut Autor diſtinctius explicaſſet naturam negotii, & quomodo ex eâ deducere vellet defenſionem ſuæ aſſertionis. Sanè nihil videtur rationi magis repugnare, quam ut inviti cogantur ad ſocietatem quæ requirit arctiſſimam amicitiam. Huic ſanè repugnat omnis coactio. Ex dictis etiam aliter reſpondendum erit ad quæſtionem numeri ſeq.*

n. 20. *l*) poſſit) *Sed hæ rationes autoris parum inferunt. Non prima, quia ſi ſtatus prior conjugum poteſt redintegrari ex cauſis* n. 21. ſeq. *recenſitis, non impoſſibilis etiam eſt redintegratio ex mutuo conſenſu. Non poſterior, quia, ſi arctiſſimæ illi conjunctioni (quæ per*

Digitized by Google

21. Ergo ejuſmodi oportet eſſe cauſas, m) quæ fœdus conjugale penitus deſtruant, quales duæ eſſe videntur, adulterium & deſertio, quæ fit cum animo non revertendi, quam *malitioſam* vocant, ut jure divino cautum: Matth. 5. *v. 32. & cap. 19. v. 9. 1. ad Corint. 7. v. 17.*

22. Adulterium proprie cum nuptâ committitur, ac ita cum de accuſatione pœnâque publicâ agitur, accipiendum eſſe videbimus in loco, probatumq; eſt in *prælect. ad tit. Inſt. de nupt. n. 5. & ad tit. ff. L. Jul. de adult.*

23. Attamen vinculum conjugii non modo à muliere, ſed etiam à viro rem cum aliâ ſoluta habente diſtumpitur, quia fides mutua jus in corpora utrique largitur idem *1. ad Corint. 7. v. 4.* tametſi gravius vir quam uxor ſuppoſitione partus lædatur.

24. Unde licet diverſæ delicti ſpecies & nomina eſſe queant atque pœnæ, ut multis viſum legiſlatoribus, *l. 6. §. 2. π. ad l. Jul. de adulter. Levit. 20. v. 10. Deuteron. 22. v. 22.* tamen utraque ſpecies matrimonio ſufficit diſſolvendo *d. cap. 5. & 19. Matth.*

25. Idem efficit malitioſa & obſtinata derelictio tecti aut thori, quæ tollit peremptoriè omnem *συνουσίαν* & *συνοικίαν*, non minus naturaliter quam jure divino, etiam thori, inquam, uti noſtro tempore princeps illuſtris, hoc prætextu divortium novasque nuptias velabat, ut dix. *Prælect. ad π tit. de divort. & repud. n. 12.*

26. Si aliter mores feminæ ſint intolerabiles, non ultra quam domo exigi poteſt. Nec illa ſe alio modo ſævitiæ viri opponere, aut luxuriæ ſuas res ſubducere poteſt; quanquam Juſtinianus, princeps religioſus, exemplo Moſaico, libellos divortii pro ultima diſcordantis matrimonii medela permittit. *Nov. 140.*

27. Et hæc quidem jure divino, juri naturæ, ſaltem ſuaſorio magis conſentanea, quam ſunt cauſæ plures in jure Romano traditæ, de quibus actum *ἐπιχειρητικῶς* in *parte 2. digreſſ. lib. 1. c. 18. n. 4. & 5.* etſi non deſunt tam Theologi, etiam ex rigidioribus, quam JCti, qui hac parte multo ſunt remiſſiores, de quibus in *d. c. 18. & in prælect. ad tit. π. de divort. & repud.*

28. Diverſæ à cauſis divortii ſunt rationes *nullitatis*, per quas ab initio nullum fuiſſe conjugium intelligitur, ut eſt impotentia poſt experimentum triennale, de quo *ſuperius*; propinquitas ſanguinis aut adfinitatis ignorata prius, & quæ præterea matrimonium inde ab initio nullum reddere diximus *in cap. præced. & in prælect. ad π. tit. de divort. n. 16.*

29. De impotentiâ ſi dubitetur, quid juris aut conſilii in re ancipiti? In foro pontificio mos eſt vetus, inſtituendi viſitationem & exigendi ſpecimen congreſſus, quod inſtitutum impudentiſſimum graphice deſcribit Robertus *lib. 4. Rer. judic. c. 10.* multasque rationes, quibus id improbandum ſit, adducit; quemadmodum à magno ſenatu Pariſienſi ante aliquot annos, occaſione ſingularis & illuſtris eventus, eum inquiſitionis morem fuiſſe prohibitum accepimus. Dix. ad *tit. π. de rit. nupt. ſub. fin.*

dicta ad cap. præced. n. 14. lit. r. *cum perpetuitate non eſt confundenda) non repugnat ipſa alienatio animorum mutua etiam non repugnabit ſeparatio. Nihil enim magis naturale eſt, quam ut illi, qui alienatos habent animos, ubi nulla ſpes eſt reconciliationis, ſeparentur.*

n. 21. *m*] cauſas) *Graves utique oportet eſſe cauſas divortiorum, ſi regulas decori naturales ſpectes, neque adcò res permittenda meræ libidini privatorum. At inter illas cauſas etiam ſunt alienatio animorum irreconciliabilis, & mores alterutrius conjugum intolerabiles. Unde & propter has cauſas lege Moſaicâ permiſſa erant divortia, cujus genuinam explicationem defendit Chriſtus in diſputatione cum Phariſæis, non novam legem tulit, ut palpabiliter probavit Seldenus* de uxore Hebraicâ, *& nos ex illo* in Fundam. J. N. & G. l. 3. c. 3.

30. Sed quæ ratio igitur finiendæ litis ſuper impotentiâ virili? Si vir neget & res dubia ſit, viro potius adfirmanti, quam mulieri neganti credendum videtur: Niſi graviſſimæ præſumptiones & circumſtantiæ faciant, ut mulieri jusjurandum quandoque deferendum videatur.

31. Hoc etiam ad juris publici rationem pertinet, reſcripto principis, ob exquiſitas æquitatis aut publicæ utilitatis cauſas, rigorem nullitatis poſſe mitigari, maxime propter temporis diuturnitatem ſtatumque liberorum, ut notabili exemplo Marcus & Verus demonſtrant in *l. 57. π. de rit. nupt.*

32. Sed hujus loci quæſtio eſt; Si corrupta pro virgine, ab ignorante ducatur (ſcienti enim nulla querela) utrum hæc ſit nullitas, vel divortio ſit locus an neutrum? Nullitas, ſi non hæc conditio adjecta fuerit vel dolo cauſam dante ſecus adfirmatum ſit, hac re non committitur. Divortio magis eſt, ut cauſa dari videatur; maxime, ſi res ab initio ſtatim detecta ſit: Nam inveteratum conjugium hac cauſâ difficulter diſtrahitur *Deuteron. 22. v. 21. in nov. Leon. 93.* Dix. latius in *practil. ad. tit. π. de divort. & repud. n. 17.*

33. Hactenus de vero divortio. Eſt & aliud inſtar divortii, quod dicitur, à menſa & thoro; propter mariti ſævitiam, aut uxoris procaciam intolerabilem, vel utriusque, ut fere uſu venit, odium inreconciliabile; Idque vel diſcesſione ſimplici, vel cauſa cognitâ, judicis auctoritate fieri ſolet. Privatim ita, ut apud Homerum Il. Ξ.

> *Ἤδη καὶ δηρὸν χρόνον ἀλλήλων ἀπέχονται*
> *Εὐνῆς καὶ φιλότητος, ἐπεὶ χόλος ἔμπεσε*
> *θυμῷ:*
> *Inter eos pridem chari communio lecti,*
> *Et conſuetudo triſtem ceſſavit ob iram.*

34. Sed ut effectum juris habeat illa ſeparatio, cauſæ cognitione opus eſt; tentatis prius omnibus & auctoritatis & ſuadendi remediis: plerumque enim mulierum querelæ ſunt, quales in Plauti *Menæchm.*

> *Pater, vivere hic non poſſum, neque durare ullo modo;*
> *Proin tu me hinc abducas:*

idque de vitilitigiis, ut illic à patre filiæ inculcatur.

CAP. V.
DE PARENTIBUS ET LIBERIS, ET DE TUTELA.

Poſt conjuges, membra familiæ eſſe, liberos ex juſtis natos nuptiis; n. 1. 2. è concubina tamen editos, mediante legitimatione, poſſe familiæ aggregari, modo mater fuerit, cum qua nuptiæ eſſe potuiſſent. n. 6. 7. Improbatur mos exponendi liberos, aut fame inceſtuoſos necandi. n. 3. 4. 5. 8-14. Adoptatos quoque ad familiam pertinere, n. 15-21. Patria poteſtas jure gentium qualis eſſe debeat. n. 22-27. Refellitur Hobbes, qui jure naturæ partum, matris in poteſtate ſolius eſſe putat. n. 28-31. In nuptiis liberorum, quæ ſit patria poteſtas, quæ in publicis cauſis & in bona liberorum. n. 32-41. Quibus modis patria poteſtas & regimen familiæ ſolvatur, ubi de tutelis. n. 42-56.

1. Videntur quidem hæc imprimis ad jus privatum pertinere, ſed quia tractatus de familia, ad civitatem neceſſarius eſt; nec ea, niſi partes explicentur, intelligi poteſt, res jubet, ut obiter hæc delibentur; ſed obiter, ut ſit, ac quatenus ad jus univerſale,

quod

quod eſt naturale vel Gentium, ſufficit.

2. Igitur, altera in familia ſocietas orta è priori, inter parentes liberosque ex juſtis nuptiis natos, intercedit. Nam qui absque matrimonio ſuſcipiuntur, non fiunt membra familiæ, quia deficit principium familiæ, quod conjugium eſſe vidimus.

3. Hoc igitur qui contraxere, dare debent operam proli multiplicandæ, licet moleſta ſit futura liberorum multitudo. Proinde vel abortus procurare, vel exponere & necare infantes, jure naturæ, quo στοργὴ, prolis amor hominibus inradicatus eſt, illicitum; ſicut primævo conjugii inſtituto, quod ſacræ literæ produnt, adverſus eſt; haberi oportet.

4. Etſi aliter gentes antiquæ & philoſophi, interque eos Ariſtoteles *lib. 7. polit. c. 16.* ubi expedire docet civitati, τῆς τεκνοποιίας ὡρίσθαι τὸ πλῆθος. *Multitudinem prolis generandæ limitari;* quia civitatis incremento non tam ſervit numerus natorum, quam facultas educandi & elocandi natos & natas. Si lex vetet expoſitiones, auctor eſt ille πρὶν αἴσθησιν ἐγγενέσθαι καὶ ζωὴν, ἐμποιεῖσθαι τὴν ἄμβλωσιν, *antequam fœtus ſit vitalis, abortum procurari.*

5. Sed rectius aliæ Leges, crimen id eſſe ſtatuunt *l. 38. §. qui abortionis 5. π. de pœnis,* levius quidem in principio, necdum animato fœtu; ut illo tamen caſu etiam crimen ſit, non tantum, ſi quis partum perfocat, ſed etiam, ſi alimenta deneget *l. 4. π. de agnoſ. & alend. lib. d. §. 5.* convenienter iſti Euripidæo, Ἅπασι δ' ἀνθρώποισιν ἡ ψυχὴ τέκνα. *Cunctis hominibus liberi vita altera* idque donec ætate, vel arte aliqua, cui à parentibus addicti fuerint, exhibere ſe poſſint *l. 5. §. 7. π. d. tit de Agnoſc. & alend. lib.*

6. Qui tamen è muliere, cum quà conjugium eſſe poſſet, ſunt nati, ſuppleto defectu, quo à familia removebantur, poſſunt cum illa redintegrari. Scilicet, ſubſequente parentum connubio, aut ſublato alterutro, per reſcriptum ſummæ poteſtatis, quæ eſt *legitimatio*, aggregans illos familiæ, ſine præjudicio legitimè natorum, & ſine effectu ſucceſſionis in regna & feuda, de quibus in *loco*.

7. Sed differentia juris Romani inter eos, qui domi è concubinis & qui foris è furrivo amplexu naſcuntur, non eſt juris gentium, quo ſufficit patrem eſſe certum, ut liberi pro naturalibus & aptis ad legitimandum, habeantur.

8. Verum nati è coitu nefario, inceſtuoſo vel adulterino, non ſunt in terminis habilibus, ut cum familia parentum unquam coaleſcant, quia vitium illis obſtans nunquam poteſt tolli, & turpe videtur eo modo natos familiis aggregare. Quominus tamen principes ſpeciali reſcripto jubeant eos in civitate, effectisque civilibus haberi pro honeſtis & quaſi pro legitime natis, ratio non prohibet, idque *fit paſſim.*

9. Sed quod ad eos attinet, qui ex nuptiis ſine parentum conſenſu initis ſunt nati; horum ſtatus per ratihabitionem avorum ad originalem integritatem reduci poteſt, qua de re prolixa quæſtio juris non eſt hujus loci. dix. ad *tit. π. de rit. nupt.*

10. Neutiquam tamen nefatiæ proles abjici alimentisque privari debent, quæ ſententia Juſtiniano, *in nov. 89. cap. ult.* minus merito adſcribitur, ut in *prælect. & pr. lib. III inſt. exeg. nov. 118.* demonſtratum eſt; quanquam ut inhonorati in civitate degant, id juris ratio non abnuit, imò poſtulat.

11. Multo minus ille mos veterum probandus, quo patribus erat permiſſum, liberos etiam juſte natos tollere aut exponere, quo pertinet τὸ ἐγχυτρίζειν Athenienſium, Ἐπεὶ ἐν χύτραις ἐξετίθεσαν τὰ παιδία, ut Scholiaſtes Ariſtoph. *Ran.* quia, *infantes exponebant in ollis fictilibus*, quod nec Romanis incognitum fuiſſe, probavimus *2. Digreſſ. 5.* etſi Juſtinianus id execratur in *nov. 153. c. 1.*

12. Sed ubi ſervitus in uſu eſt, ibi nefas non videtur, vendere liberos, ſi quos parentes ultima preſſi paupertate alere non

poſſint, ut lege Thebanâ atque Romanâ, de liberis recens natis fuit cautum, teſte *Æliano lib. 2. var. hiſt. cap. 7. L. ult. C. De patr. qui fil. diſtrax.* de quorum locorum collatione notabili diximus in *lib. 2. digreſſ. c. 5.*

13. At in bene conſtitutis civitatibus non deſunt, neque debent deeſſe media, per quæ talibus de alimentis proſpiciatur.

14. Parentes ſane tam extra quàm in matrimonio, propter necem liberorum rigidè puniuntur; neque diſcernendus pater à matre, quod fit aliquomodo, dum mater ut jure Romano parricida, pater ut homicida plectitur *l. 1. ad leg. pomp. de parricid.*

15. Denique, tædio orbitatis commentum adoptionis repertum & à multis gentibus uſurpatum eſt, quo extranei in nomen & jus liberorum, auctoritate publica, adſciſcuntur.

16. Publica auctoritas ad hunc effectum eſt neceſſaria, quoniam ſine illa jura gentilitia familiarum & ſucceſſionum, quæ jus liberorum comitantur, privato arbitrio ſtabiliri non poterant.

17. Quodſi illa adhibeatur, non video, quamobrem adoptio & hodie liberorum jura tribuere nequeat, ut plerique tradunt; errore, niſi fallor, infrequentiæ vel ſpuriæ adoptionis, qua privatim adoleſcentes aliquando pro filiis adſciſci dicuntur.

18. In Friſia ſane, ubi non magis adoptio quam alibi frequentatur, dubium tamen non eſt, quin ſi accidat, jus liberorum inter vivos & mortis causâ tribuat; quomodo uſu venit in illuſtri exemplo alibi commemorato, quo jus etiam ſucceſſionis ab inteſtato, vi adrogationis coram ſuprema curia factæ, acquiſitum & exercitum fuit. *Dix. prælect. ad tit. inſt. de adopt. ſub. fin.*

19. Nam adrogationis & adoptionis diſcrimen, quod Romanis placuit, ut qui ſui juris ſunt, imperio principis aut Ordinum liberi populi adrogentur, qui vero alieni juris ſunt, hi per magiſtratus adoptari poſſint; non eſt juris gentium; adeoque nihil vetat, utramque ſpeciem à magiſtratibus adminiſtrari, quomodo Friſiis in illo viſum exemplo, Gentium magis quam Romani juris reſpectu.

20. Forma adoptionis pro more cujusq; populi diverſa, ſed inter vivos fieri debet; nam quæ teſtamento facta memoratur in hiſtoriis, magis eſt adſumptio in nomen honoremque familiæ atque bonorum, quam adoptio; quia nullum continet reſpectum patriæ poteſtatis aut neceſſitudinis filialis; cum nonniſi poſt mortem adoptantis uſum habere poſſit, quomodo Julius Dictator pronepotem ex ſorore Auguſtum adoptavit, & Auguſtus ipſam uxorem Liviam *Tacit. lib. 5. Ann. in pr.* Qua de re latius actum in *lib. 2. Digreſſ. c 23. n. 2.*

21. Sunt etiam adoptionis imitamenta quædam, nomen idem, effectum minime eundem habentia; qualis quæ apud veteres Germanos fiebat per capillum & per arma. Per capillum fiebat adoptio, quotiens ritu ſolenni principes, juvenum cæſariem inciderent, quod ſumere capillum vocabant, de quo Paulus Diacon. *lib. 6. de geſt. Longob.* *Per arma*, quando juvenes è manu illuſtri equos, enſes, clypeos, haſtas aliaque belli inſtrumenta acciperent, ut eſt in epiſtola Theodorici Gothi, quam refert Olaus magnus *lib. VIII. a pr.* quomodo & Juſtinianum ab Athalarico Gotho adoptatum memorat Caſſiodorus *lib. 1. Var.* Nihil aliud hi ritus fuere, quam ſolennes belli initiationes, cum appellatione patrum & filiorum.

22. Poteſtas parentum in liberos ejusmodi eſſe debet, quæ ad regimen familiæ ſufficiat, & quidem, ut par eſt in civitate, ubi major eſt poteſtas prædita gladio.

23. Proinde jus vitæ & necis, quod olim Romæ habebant parentes, recte novis conſtitutionibus *n*) aliarumque gentium moribus in

n. 23. *n*) conſtitutionibus) *Ad hunc locum reſpexit Autor ſupra* l. 1. ſect. 7. c. 3. n. 44. *Sed res non caret dubio per ſtatim dicenda.*

bus in modicam coërcitionem eſt mutatum *l. un. C. de emend. prop. l. 3. C. de patr. pot.*

24. Merito etiam diſplicuit Romanis junioribus aliiſque populis antiqui juris Quiritium rigor, ut patria poteſtas æque valida & infinita eſſet in liberos ac erat in ſervos, etiam ut patri filium ter vendere liceret, qua de re nos egimus in *lib. 1. digreſſ. c. 4.* quod tamen in filiabus an habuerit locum, dubitari poteſt, per ea quæ diximus in *part. 2. digreſſ. l. 1. c. 15. n. 6.*

25. Sufficit, inquam, parentibus, tantum poteſtatis, quantum moderandæ familiæ neceſſarium eſt, ſalva publici privatique juris & coërcitionis differentia; quemadmodum apud Græcos olim Solonis, Pittaci, Charondæ aliorumque legibus cautum fuiſſe, teſtatur Dionyſius *in lib. 2.*

26. Nec quidem ille dubitat, leges Romanas inſtitutis Græcorum præferre, etiam in jure vitæ neciſque & graviori coërcitione per omnem vitam exercenda; quanquam & naturæ & gentium jure poſitivo, mores antiqui Græcorum τῷ τῶν ῥυθμῶν, *ſeculi præſentis uſu*, magis convenire videntur. *o*)

27. Cum autem familiæ imperium ſit penes virum, ſequi debuit, ut poteſtas in liberos, quæ civiles validosque haberet effectus, patri ſoli permitteretur; *honore interim & obſequio pietatis matri æqualiter præſtando.*

28. *Hobbes* argutatur, jure naturæ partum eſſe in poteſtate matris ſolius, quia per naturam puerpera prima ſuo fœtu potitur, verum patriam poteſtatem eſſe vel ex pacto matrimonii, vel ex lege civili. *Tract. de cive cap. 3.*

29. Noſtra ratio contra eſt, honeſtatem naturalem exigere, ut mulier ſe non det pluribus viris, ſed ſub oculis unius agat eique cohabitet.

30. Unde ex eadem naturali ratione ſequitur, virum qui ſolus cum muliere ſemen communicavit, jus in eundem filium recte ſibi vindicare, quia ex ipſo eſt, & dum naſcitur fœtus, æque & facilius manum ei injicere poteſt, quam puerpera.

31. Sed ratione generationis dicendum, utrique parenti commune & par jus comparatum eſſe; prærogativam patris, jure Gentium, naturali ratione quod melius erat monſtrante, fuiſſe introductam. *Dix. in digreſſ. lib. 2. cap. 3.*

32. Cæterum, jura patriæ poteſtatis tam ad perſonas liberorum quam ad res & bona illorum pertinent. *de quib. vid. Grot. lib. 2. cap. 5. §. 1. & ſeqq.*

33. In perſonalibus id juris habet pater, ut quamdiu filius aut filia imperfecti eſt judicii, per omnia patris imperio ſubjectus ſit; Etiam quando adolevit, attamen pars manet

n. 26. o] videntur) *Extra civitatem patria poteſtas etiam infert, ut alibi docuimus, jus vitæ & necis. In civitate an princeps hanc poteſtatem parentibus velit relinquere, in ipſius arbitrio eſt. Nec timenda ſævitia parentum, ſi hæc poteſtas relinquatur patri, ut apud Romanos olim fiebat. Nam parentes plerumque magis indulgentia peccant quàm ſævitiâ erga liberos. Nec imaginari debes dum jus vitæ & necis audis, poteſtatem ex libidine interficiendi liberos, non magis, quam ubi jus vitæ & necis datur principi in ſubditos. Adde pro juſtitiâ morum antiquorum apud Romanos Simplicium* ad Epictetum *apud Grotium* de J. B. & P. II. V. 7. *& Lactantium* l. 4. c. 3. p. m. 353. *Apud Hebræos ſane parentes etiam poterant filium immorigerum capite punire, ita tamen ut id publicè fieret* Deuter. XXI v. 19. ſeq. *& quidèm ut videtur, ut non opus fuerit judicum ſententiâ, quamvis diſſentiat Clericus* ad illum locum. *Ita & novioribus Romanorum temporibus, ſcilicet ſub Alexandro Imperatore, pater poterat præſidi præſcribere ſententiam, quâ punitum vellet filium immorigerum.* l. 3. C. de patr. poteſt.

net paternæ domus, in omnibus quæ ad regimen familiæ ſpectant, ut in iis filius nihil ſine patris conſenſu poſſit, adeo ut pater acta ejus irrita facere queat. In ſeparatum à familia, ceſſat poteſtas; ſed auctoritas in parente, reverentia in liberis manet in perpetuum.

34. Quin etiam alia nonnulla, in quibus liberi, dum adhuc ſunt in familia, tenentur quidem parentes revereri & obſervare, ſed facultas perfecta patri in illis competere non poteſt.

35. Cujus generis videtur eſſe jure naturæ *matrimonium*, quod non ad regimen familiæ, ſed ad ejus diſſolutionem ſpectat; præter quod gignendi facultas tam propria & cuique ſingularis eſſe videtur, ut imperio ſubjici non poſſit.

36. Sed ratio ſumma honeſtatis & gratitudinis communisque utilitatis pleroſque legislatores impulit, ut neceſſitatem vimque coactivam huic rei adderent; adeo ut divino & Romano aliiſque juribus, excepto canonico, invitis parentibus contractæ nuptiæ nullius momenti cenſeantur; *pr. & §. 1. Inſt. de nupt. Exod. 22. v. 17. Deuteronom. Cap. 7. v. 31. 1. Corinth. 7. v. 36. C. ſufficiat ca. 27. qu. 2. cap. cum cauſâ* x *de rapt.*

37. Plura perſonalia Romani patriæ poteſtati adſcripſere, veluti, quod inter patrem & filium nulla lis, nulla obligatio exiſtere poteſt; quod vox patris ut filii, vox filii ut patris intelligitur *l. 4. ff. de Judic. §. ſi quis alii 4. Inſt. de inutil. ſtipul.* Quæ & ſimilia nituntur hac regula; quod pater & filius una eademque perſona eſſe videntur: Quæ cum ſit fictio legum, poſitiones inde pendentes ad jus gentium minime pertinent; niſi quatenus eveniat, ut liberi nihil patrimonii adeoque nullam litis aut obligationis materiam à patre ſuo ſeorſim habeant.

38. Cæterum, in cauſis ad rempublicam pertinentibus, clarum eſt, ceſſare debere patriam poteſtatem; eaque eſt regula juris Romani, gentium juri conveniens *l. 9. ff. de his qui ſui vel al. jur.*

39. Quanquam olim ſecus apud Romanos obtinuiſſe Dionyſius auctor eſt in *lib. 2.* narrans ex lege Romulea de patria poteſtate; *viros illuſtres, ſummos magiſtratus gerentes & conciones pro roſtris habentes, ſenatui quidem adverſas, plebi vero gratas, à patribus ſæpe detractos & domum abductos fuiſſe, pœnas eorum arbitratu daturos: ita quidem, ut nec conſules neque tribuni plebis, aut ipſe populus eos eripere poſſet.* Videtur id omnino facti magis & reverentiæ erga parentes fuiſſe, quam juris publici & neceſſarii: quemadmodum diverſi quoque generis exempla, filiorum, qui patres ſuos magiſtratui honorem habere compulerint, apud eoſdem Romanos non deſunt.

40. Jus in bona liberorum eodem fundamento nititur; ſane, quam diu liberi ſunt pars familiæ paternæ, conſentaneum eſt, fructus reditusque bonorum ei cedere ad familiæ ſuſtentationem, ut & lucra illorum, quæ ad ipſos à patre profecta ſunt.

41. Quæ præterea jure præſertim Romano conſtituta ſunt, ea legum commenta ſuo loco non inutilia, ſed à jure univerſali aliena ſunt; veluti, quod bona, quæ aliunde liberis acquiſita ſunt, olim patris etiam propria fuerint, quod recenriori jure Romano, ad analogiam juris gentium, quam diximus, reformatum eſt in *tit. C. de Bon. quæ lib. & de Bon. matern.* Quod liberi de bonis ſuis per ultimam voluntatem diſponere non poſſunt, niſi de quibus lex iis hanc poteſtatem ſpecialiter dedit *l. pen. C. qui teſtam. fac. non poſſ.* Imo quod pater liberis ſuis impuberibus heredem in bona adventitia dare queat, in *tit. I. ff. & C. de ſubſtit. pupil.*

42. Solvitur patria poteſtas jure gentium, non morte tantum, ſed & ademptione libertatis & civitatis, aut etiam emancipatione voluntaria; qui modi jure Romano ſunt cogniti *tit. Inſt. quib. mod. ſolv. patr. pot.*

43. Sed & matrimonio ſeparatâque habitatione,

Digitized by Google

tatione, quia tunc ipſi liberi novam condunt familiam. Igitur ætate verius eſt, non ſolvi poteſtatem jure gentium, contrà quam nonnullis populis in uſu eſt; modo filius pars maneat paternæ domus; tantiſper enim imperio patris ſui, quod ad regimen domus attinet, ſubjectus manet. Cæterum, educatio liberorum, etſi maximæ in republ. utilitatis & exactam requirat diſciplinam, ab hac arte tamen aliena, neque tam ad politicen quam ad œconomicam, quæ propriis terminis conſtat, referenda ſit.

44. Quid ſi paterfamilias moriatur, an omnis poteſtas familiæ ſolvitur? Ita Romanis viſum; ſed à jure gentium non videtur abhorrere, ut mater, quæ fuit ſocia regiminis, & cui poteſtas, ordinis ſaltem cauſa, utque cederet marito, negata erat, quemadmodum ſuprà intelleximus; ut hæc, inquam, patre defuncto, ſuccedat in imperium, donec ſocietas domeſtica manebit.

45. Quâ ratione bene conſultum eſt recentiori jure Romano moribusque populorum; quod matres ſunt tutrices legitimæ liberorum ſuorum. Quippe tutela eſt patriæ poteſtatis vicaria.

46. Si mater non ſit, vel hæc ſecundo marito ſe ſubmiſerit, aliis tutoribus committendi ſunt adoleſcentes, donec virilis vigor in illis completus fuerit: qua parte quod Romani inter tutelam impuberum & curam puberum diſtinxerunt, non eſt juris gentium, nec ideo ab aliis populis obſervatur, quando & Græci ipſius juris Romani interpretes ἀνήβους & ἀφήλικας eodem modo promiſcue ſumunt, quo Germani Voormunders & minderjarigen.

47. Jus dandi tutores primo quidem ad patres pertinet, non tamen jure patriæ poteſtatis, ſed per conſecutionem diſponendi de bonis ſuis, juxta Legem XII. tabularum, cujus verba conſtat hujusmodi fuiſſe; *paterfamilias uti ſuper pecunià tutelâve rei ſuæ legaſſit, ita jus eſto*, quo jure qui[illegible]bet teſtatores pupillis heredibus à ſe inſtitutis, quos volunt, tutores dare poſſunt, jure gentium.

48. Quin etiam jure Romano *l. 4. ff. de confirm. tut.* etſi poſtmodum à juriſconſultis introducta eſt tutela teſtamentaria, patribus jure poteſtatis ſuæ propria, quæ jus in perſonam & bona liberorum adventitia daret, cujusmodi ſpecies excedit terminos juris gentium.

49. Quando pater aut mater, vel quicunque pupillum heredem ſcripſit, tutorem ei non dedit, ratio vult, ut civitas patrum vicarios, iis qui ſe ipſos regere non poſſunt, conſtituat; quod vel fieri debet generaliter lege, vel officio magiſtratus.

50. Lege, nulli melius vocari poſſunt, quam ſanguine proximi, cum, propter affectum naturalem, tum ob ſpem emolumenti è ſucceſſione, ſi pupillus moriatur, hoc intuitu, quod tutela ſit onus, ut eſt revera.

51. Proinde ſine diſcrimine cognatorum & agnatorum, ut Plato in ſua republ. quam reſpectu univerſali formavit inſtituerat, *ἐπιτρόπους εἶναι τοὺς ἐγγύτατα γένει πρὸς μητρὸς καὶ πατρὸς, tutores eſſe debere proximos è familia paternâ ſeu maternâ.*

52. Quod ſi ad agnatos ſolos ſucceſſio pertineat, ut olim Romæ factum, numquid & hi ſoli ad tutelam vocabuntur? Ita viſum Romanis, ob rationem juris, ut illi putant, naturalis, illic onus tutelæ conſtitui oportere, ubi eſt emolumentum ſucceſſionis. Contrarium placuit Soloni in legibus Atticis, teſte Diogene Laertio, qui *κάλλιστον δὲ κἀκεῖνο*, inquit, *hoc etiam pulcherrimè conſtituit, μὴ ἐπιτροπεύειν, οὗ ἂν ἡ οὐσία ἔρχεται τῶν ὀρφανῶν τελευτησάντων. Ne tutor fiat is, ad quem poſt obitum pupillorum, hereditas perveniet*; metu inſidiarum ab auri ſacra fame. Cur tam varie Romanus & Græcus in eodem negotio legiſlator, ediſſeruimus in *part. 1. digreſſ. cap. 5. n. 2.*

53. Cæterum, modus deferendi tutelam legitimam, qui Romanis placuit, ut ſine medio & facto hominis, adeoque ſine decreto magiſtratus, agnati proximi vocentur ad

tutelam, minime juris gentium, aut univerſalis eſt, nec Græcis olim nec hodiernis populis id uſitatum eſt; ſed ratio magis vult, magiſtratus, qui ſunt miniſtri legum, ex agnatis maxime idoneum eligere, vel ſi nemo reperiatur idoneus, hoc onus imponere extràneo. Quæ præterea ad tutelas & curationes pertinent, ab hoc loco aliena ſunt. Fontes juris gentium aperire, leviterque educere fundamenta, earum rerum, quæ maximè juris privati ſunt, ſatis eſt in hoc quidem tractatu.

54. Porrò per connubia filiorum (nam filiæ innubunt in alienas familias, unde & capita & fines familiarum dicuntur) propagatur familia, omnesque nominis & cognationis participes, ejusdem *familiæ* eſſe dicuntur, *l. 195. §. pen. & ult. ff. de verb. ſignif.*

55. Sed cum origo ſanguinis ultra memoriam hominum provehitur, definit agnatio, & eadem ſtirpe progeniti *gentiles* dicuntur, diſtributi in diverſa familiarum cognomina, licet omnes ultimi progenitoris appellationem retineant, *d. l. 195.*

56. Ita fit progreſſus à familiis propriè dictis ad agnatos, ab his ad gentes, è gentibus civitates colliguntur.

CAP. VI.

DE DOMINIS ET SERVIS, ATQVE FAMULIS.

Connexio n. 1. 2. Definitio ſervitutis Grotiana. n. 3. 4. Præfertur Juris-conſultorum, quæ explicatur; n. 5. 6. ubi de cauſis juſtæ ſervitutis. n. 7-12. Solvitur quæſtio duplex: an liceat illis, reſiſtere dominis, & an ſervi fugere poſſint. n. 13-24. Rectene hodie ſublata ſit ſervitus. n. 25-28. De famulis hodiernis. n. 29-32.

1. Quanquam ſervi per ſe membra civitatis non ſunt, tamen ad familiam ſine dubio pertinent, atque ita ſunt in civitate, cujus partem olim magnam Romæ & per omne imperium aliisque gentibus fecerunt.

2. Qua de re notabile eſt, quod Athenæus *lib. 6. Deipnoſ. c. 8.* ſcribſit, *ὥστε εὐδαιμονῆσαι τὴν Κορινθίων πόλιν, ὡς κτήσασθαι δούλων μυριάδας ἓξ καὶ τεσσαράκοντα.* Adeo floruiſſe Corinthiorum civitatem, ut ſervorum ſex & quadraginta myriadas contineret; hoc eſt, *quadringenta ſexaginta millia:* nihil animadvertente Caſaubono, qui notat eodem loco Dalecampium, quod narrantem de Maſone Phocenſi, illum habuiſſe mille ſervos, Athenæum emendaſſet, legendo *centum.* Quin & Romanos cives fuiſſe, qui ſervorum habuerint decem & viginti & plura millia ſcribit idem.

3. Servum Grotius definit, hominem, qui perpetuas operas pro alimentis debet, exemplo Chryſippi apud Senecam, qui ſervum ait eſſe, perpetuum mercenarium. *Grot. lib. 2. cap. 5. §. 27. Seneca 7. de benef. 4.*

4. Non malè; nam tales ſunt ſervi, quales apud Erythræos Thraciæ, mulieres, quibus *ὥσπερ ἐλεύθεραι ἦν ἐνταῦθα βίος, δούλεια* *cum eſſent liberæ, victum ibi exercebant ſerviendo*, ut ſcribit Pauſanias *in Achai lib. 7.* at non plene, quia plus ex ratione juris gentium ineſſe poteſt ſervituti, quicquid ſcil. dominio rei cujusvis ineſſe poteſt, abutendi quoque & perdendi facultas. *p)*

5. Unde

n. 4. p) facultas) *i. e. jus vitæ & necis, quod ita intelligendum, uti de parentibus modo diximus.*

5. Unde efficacius J Cti, ſervitutem eſſe docent; conſtitutionem juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubjicitur. §. 1. *Inſt. de jur. perſon.*

6. Contrà *naturam* id eſt, contra ſtatum naturæ, ſive conditionem hominum primævam, non contra jus naturæ, ſive dictamen rectæ rationis.

7. Multæ enim ſervitutis juſtæ poſſunt eſſe cauſæ, veluti conventio, cum quis impos ſui tuendi ſe dedit alii defendendum aut alendum; hac lege, ut in ejus poteſtate ſit, & imperata faciat, quod jure *Romano* & *Moſaico* permiſſum, §. 4 *Inſt. de jur. Perſon. Exod. 31. v. 6.*

8. Secundo, alimentorum præſtatio: Nec enim eſt iniquum, ut pro alimentis operæ præſtentur, ut is qui infantem, verbi cauſa, expoſitum aluit, accedente legis autoritate, eum habeat in dominio. *l. 2. C. de infant. expoſ.*

9. Tertio jus belli, nam quos occidere honeſtum eſt, ut jure belli notiſſimo conſtat, eos ſervare ad ſerviendum non poteſt eſſe inhoneſtum neque injuſtum.

10. Quarto, nativitate, cujus ratio non tam eſt, quia, ſi domini nollent, liberi è ſervis non naſcerentur, *ut Grotius, l. 2. c. 5. §. 29. & l. 3. c. 7. §. 5.*

11. Sed potius, quia pars ſequitur jus totius, & quia fœtus à domino, tam ante quàm poſt nativitatem altus eſt; cui non obſtat, quod partus hominis in fructu non eſt §. *In pecudum 37. Inſt. de A. R. D.* ejus enim rei diverſa ratio eſt.

12. Denique, propter delictum poteſt quis juſtè redigi in ſervitutem, ut hi qui in metallum vel ad remos, aut ergaſtulum perpetuum damnantur.

13. Duo præcipue de ſervis quæruntur: primum; an & quâ ratione prohibitum illis ſit, reſiſtere dominis? Dein, an jure ſuo fugere poſſint.

14. *Hobbes* diſtinguit, ut ſi in vinculis aut ergaſtulis habeantur, non modo fugere illis liceat, ſed & reſiſtere, imo occidere dominos. *de cive cap. 8.*

15. Quod ſi dominus ſervum non vinctum neque incluſum teneat, videri tacitum intercedere pactum, quo ſervus ad parendum patiendumque pro vitæ præmio, quod victor ei largitur, ſe obligaverit, cujusmodi plerumque etiam pactum expreſſum intercedit.

16. Plane in his *qui bello ſunt capti*, non videtur aliena à ratione hæc diſtinctio; quin ſolidius ſervilis patientiæ fundamentũ, quam alii tradunt, ſuppeditare videtur.

17. Quapropter reſiſtendi facultas ejusmodi ſervis, juſto, id eſt, ſolenni bello captis neutiquam danda videtur *q*) idque ſine differentia juſtæ vel injuſtæ belli ſuſcepti cauſæ.

18. Neque id tantum externo jure, ſed ita, ut animi quoque ſervorum vi expreſſæ, vel tacitæ conventionis adficiantur, ut nefas ſit occidere eum, à quo, cum haberet jus occidendi, vitam ut ſpolium opimum, adepti ſunt.

19. Verum ad obligationem non fugiendi, tacita illa conventio ſufficere non videtur, maxime ad ſuos & durante bello; longe enim potentius eſt recuperandæ libertatis deſiderium, quam ut ei tacitè renuntiatum videri poſſit.

20. Cæterum, quandiu capti bello non recipiuntur in gratiam, ſed in vinculis habentur, palam eſt, nullum pactum expreſſum vel tacitum inter ipſum atque victorem intercedere. Proinde tum captis omnia, quæ in hoſtem, licere, non eſt dubium.

21. Quod ſi bellum careat ſolennibus juris gentium requiſitis, non ſiunt capti, jure ſervi; proinde nec ejusmodi tacita oritur obligatio, ut in his qui piraticâ aut latrocinio barbarorum capiuntur.

n. 17. *q*) videtur) *Scilicet poſt pactum expreſſum vel tacitum propter dicta* n. 15. & 18.

22. Porro, cum his qui ob delictum fiunt ſervi pœnæ, nullum initur pactum neque tacitum neque expreſſum: jus tamen reſiſtendi non habent jure damnati; fugere quominus jure poſſint, nihil obſtare videtur.

23. Voluntariæ ſervitutis obligatio modum accipit ab expreſsâ vel tacitâ voluntate contrahentium. Expreſſa per ſe terminatur, tacita in qualibet civitate jus habet idem, quod publice de ſervis receptum.

24. Sic tamen, ut liberum jus vitæ & necis, haud competat, quia id ex pacto non oritur, ſed jure externo tantum valet, quatenus in civitate impune exercetur. r)

25. Plura de hiſce nihil attinet dicere; quia Chriſtiani ſervitutis uſum inter ſe pridem ſuſtulerunt, s) iidem infideles armis ſuis minus infeſtant, ſed innumera illis mancipia ipſi undique ſuppeditant.

26. Non deſunt, qui ſervitutis uſum inter populos Chriſtianorum ita penitus nollent ſublatum; ſpecioſum eſſe caritatis obtentum, ſed inutilem; multam inde colluviem hominum redundaſſe, quos licentia & egeſtas ad flagitia aut mendicitatem adigit, qui lege ſervitii melius tenerentur; dum, ut nunc eſt, miniſteria familiarum coarctantur, procacibus ingeniorum operis, *Vid. Busbeq. epiſt. Turc. 3.*

27. Adde, cædes, ſervitute ſublatâ, eſſe frequentiores, quod Romani in civilibus bellis experti, quibus non fiebant ſervi. *Tacit. lib. 1. hiſt. c. 44. Plutarch. in Oth. & Jc. in L. 21. §. 1. ff. de captiv. & poſtlim. rev.*

28. Videntur tamen nonnullæ certis in locis ſupereſſe reliquiæ ſervorum, ejus generis, quos latini *adſcriptitios* vocant, homines certo fundo colendo addictos; qui à Gallis *manus mortuæ*, Germanis, homines *proprii* vocantur; qui pariter cum fundis vendi poſſunt, & quicquid acquirunt, dominis ſuis acquirunt. *Vid. tit. C. de Agric. & cenſit.*

29. Moribus alioquin hodiernis, utimur, ut dictum, ſervis ingenuis, adeò, ut qui ſervi ex Indiis aut aliunde huc adducuntur, ſtatim atque fines noſtros attigerunt, ad libertatem proclamare poſſint, ut omnium fere gentium in Europâ ſcriptores citati à Grœnewegio *ad tit. Inſt. de jure perſon.* teſtantur. t)

30. Igitur famuli famulæque non aliter quam ex ſua conventione, ſecundum naturam rei quæ agitur, idque ad tempus, ſunt obligati. Natura autem negotii, ad quod ſe locaverunt, hæc eſt, ut diligenter imperata faciant, operamque ſedulam dent iis rebus, ad quas ſe locârunt, ita ſicut vir prudens definiverit, idque toto tempore quo ſuas operas addixerunt.

31. Et quoniam ſunt membra ſubjecta familiarum, nulla fiet illis injuria, ſi dicantur è tacita illa conventione, non minus obligati ad patientiam, ac liberi reſpectu ſuorum parentum; conſequenter non tantum pati debent à dominis verbera linguæ, ſed etiam manus, ſi exorbitent; niſi mores gentis aliter ferant; ubi tum, ſi quando ſervitii pactique leges egrediantur, à magiſtratu coerceri poſſunt.

32. Domini viciſſim debent ipſis omnia; de quibus inter eos convenit, victum & mercedem omniaque humanitatis officia, quæ

n. 24. r) exercetur) *Ergo ubi leges civiles jus vitæ & necis etiam adverſus tales ſervos indulgent dominis, id non repugnat juri naturæ.*

n. 25. s) ſuſtulerunt) *Communis quidem eſt hæc aſſertio, ſed omni fundamento deſtituta, ut latius oſtendimus* in lectionibus publicis ad tit. inſt. de jure perſon. *Conf.* diſſertat. noſtr. de hominibus propriis. *Etſi Germani ſemper jure diverſo uſi ſint erga ſervos quam Romani.*

n. 29. t) teſtantur) *Sed & hi mores orti ſunt ex falsâ perſuaſione ac ſi ſervitus apud Chriſtianos ſit ſublata. Vid. Grœnweg.* d. l.

Digitized by Google

quæ ſalva ſubordinatione ſtatus ipſorum, civiliter præſtari queant; nec ante tempus eos, niſi cauſa cognita, dimittere poſſunt: ni lex aut mos locorum aliter ferat, quæ admodum hac parte varians.

SECTIO II.
De civibus eorumque differentiis.

CAP. I.
QVID CIVIS SIT, ET QVOMODO DESINAT ESSE.

Quid ſit civis, obſcurum eſſe. n. 1-6. Quid ſit reverâ explicatur è definitione, n. 7-13. probaturque etiam mulieres, filiosfamil. rusticos & qui imperii nullo modo participes ſunt, eſſe cives. n. 14-17. Etiam qui aliunde orti ſedem fortunarum in civitate collocant; licet aliter jure Romano, quo tales incolæ dicuntur. n. 18-22. An quis poſſit eſſe civis duarum civitatum? n. 23-27. An & quatenus cives liberam habeant diſcedendi facultatem? n. 28-45.

1. Qui domi ſunt membra familiæ, hos in republica cives appellamus.

2. Qui autem verè ſint cives, tam obſcurum ac aliud in tota hac arte quicquam, eſſe videtur.

3. Ariſtoteles pro civibus habere videtur eos tantum, qui imperii & judicii participes ſunt, verum magis ad popularia Græcorum inſtituta, quam ad univerſam civitatem, ut videtur, reſpiciens *lib. 3. Pol. cap. 1. in verbis,* Ὁ μὲν λεχθεὶς ἐν δημοκρατίᾳ μάλιϛ ἐϛὶ πολίτης. *Is quem diximus, in democratia maxime civis eſt.*

4. Romani vocabant civem, qui in urbe habebat tribum, centuriam & jus ſuffragii, quibus ſolis inter ſe jus connubii, ſucceſſionis & commercii aliaque juris civilis effecta competebant, de quibus *Sigon. de jur. civ. Rom. lib. 4. cap. 1.*

5. Habuerunt tamen & cives ex Latio, & colonos & municipes civibus accenſebant, diverſo tamen jure ſingulos, & ab his omnibus provinciales ſeparabant, denique incolas neque cives neque municipes appellabant, *ut idem Sigonius docet.*

6. Moribus hodiernis, cives illi duntaxat haberi videntur, qui in urbibus habitant, ſæpe & ordinis plebeji duntaxat; ita, ut neque ruſticos neque nobiles civium nuncupatione impertiantur; differentiâ interim civium & incolarum minus exactè ſervatâ.

7. Nos ſecundum principia hujus artis univerſæ, remota nube tot diſtinctionum, pro civibus habemus, omnes tam mares quam feminas, filios & patresfamiliarum, tam nobiles quam plebejos, etiam duces, principes & comites; tam ruſticos quam urbanos, tam ſubjectos quam imperii participes, denique tam incolas quam naturales.

8. Prorſus ſenſu Papinianæo, ſecundum quem, conſtitutione Antonini Caracallæ, omnes qui in orbe Romano erant, præter ſervos, effecti ſunt cives Romani *l. 17. ff. de ſtatu hom.*

9. Definiamus igitur civem. *Hic rhodus, hic ſaltus* ! utique ſi politicos *vulgò* conſulas. Nihil tamen facilius, nihil certius, ſi ad defini-

finitionem civitatis dudum collocatam reſpiciamus.

10. Civis eſt, *homo liber, qui juris fruendi vitæque feliciter agendæ gratiâ, cum aliis, ſub eadem ſummâ poteſtate, ſociatus eſt.*

11. Et hoc quidem ad civem in genere conſtituendum ſufficit. Alias excellentiores civium appellationes hæc definitio non implet; imprimis eam, quâ cives intelliguntur, qui civitatem alicujus Imperii principem incolunt, qualis Roma fuit & ſunt hodieque Venetiæ, Florentia, Genua aliæque paucæ; in quibus eſt fons imperii in reliquas ditiones ſubjectas.

12. Liberum autem oportet eſſe civem, quia ſervilis conditio, ut jure gentium conſtituta eſt, non recipit terminos habiles civilis ſocietatis, ut probavimus in *l. 1. ſect. 2. cap. 3. n. 7. & ſeq.*

13. Quin ſervus pro re magis in commercio poſitâ, quam pro perſonâ habetur. Quanquam naturaliter idem rectè perſona dicitur, quatenus eſt membrum ſocietatis humanæ, *l. 2. ✠. de l. Aquil. Rubr. & tit. Inſt. de jur. perſon.*

14. Sed mulieribus tam nuptis, quam ſolutis nihil obſtat, quominus unione & communione civium, juxta naturam civitatis, comprehendantur; ſiquidem & ſociatæ ſunt & jure frui & beatè agere juxta viros cupiunt ac poſſunt.

15. Etiam *filiisfamilarum* definitio illa convenit, nihil obſtante patria poteſtate; quia conſtat, hanc in publicis nullum creare præjudicium, ſed ad familiæ regimen, quod à republ. diverſum eſt, referri duntaxat.

16. Jam ultrò liquet, dignitatis differentiam nihil facere ad ſummum reipubl. & civitatis characterem, nec habitandi locum, in agris an in urbe ſit.

17. Siquidem & Romæ conſtat ex XXXV. civium, quatuor tantum urbanas, omnes reliquas fuiſſe ruſticas tribus. Athenienſes ante Theſeum omnes erant agricolæ, ut Plutarchus auctor eſt in *Theſeo*; denique, in antiquâ Germaniâ nullas urbes, civitates extitiſſe multas, nota res eſt. *Tacit. lib. de mor. German. u)*

18. Quod ne incolas quidem à civibus diſcernimus, multis ab re alienius videbitur; ſed incola quis eſt? tu dices, qui aliunde ortus domicilium ſedemque fortunarum in alia civitate collocavit, ut finiunt Romani, à quibus eſt diſcrimen civium & incolarum *L. 239. §. 2. ſ. d. Verb. Signif.*

19. At hæc ipſa definitio implet manifeſto naturam civitatis; quis enim magis eſt ſocius ad juris fruitionem vitæque civiliter beatæ communionem, quam qui ſedem fortunarum certo loco ſtabilivit?

20. Advenæ temporarii rectè à civibus diſtinguuntur, quia nec ſunt uniti in eandem ſocietatem, neque id agunt, uti vitam in ea civitate tranſigant, etſi imperio illius reipubl. tantiſper ubi degunt, ſubjecti ſint; Bodini tamen definitione continentur advenæ, quæ eſt ideo vitioſa, quando civis dicitur eſſe, *homo liber, qui ſummæ alterius poteſtati obligatur, lib. 1. de Rep. cap. 6.*

21. Scru-

n. 17. *u)* German.) *Sed ex Tacito non probat Autor, quod probare ſtudet. Vult enim probare* ruſticos eſſe cives. *Vide* Summaria capitis & n. 7. *At agricolæ non denotant* Bauren/ *ſed* Landjuncker/ *& apud antiquos Germanos ingenui agricolæ erant cives, illi autem quos vocamus ruſticos, erant ſervi. Et adhuc hodie ſunt, ubi ruſtici ſunt homines proprii. Ubi vero ex errore communi, quaſi inter Chriſtianos ſervitus ſit ſublata, ruſtici habentur pro liberis hominibus, introduxerunt ens veteribus incognitum,* jurisdictionem patrimonialem, *quæ nil aliud eſt, quàm antiqua poteſtas dominica palliata, & illâ opinione erroneâ valde diminuta.*

Digitized by Google

21. Scrupulum movet heic, quod Romanis ita viſum eſt, ut qui civis alicujus civitatis eſt, ille ſi alió transferat domicilium, ibi incola cenſeatur; at civis ſeu municeps ibi, unde diſceſſit, talis manere judicetur *d. l. 239. §. 2. & l. 29. ff. Ad Municip.* unde & cives & incolas differre neceſſe fuerit.

22. Sed diſtinguendus eſt à cive municeps. Civis à nobis cum reſpectu ad univerſam rempubl. dicitur, ac ita cives etiam in Imperio Romano erant omnes liberi homines, non peregrini, in univerſi finibus imperii, tàm incolæ quam originarii *l. 17. ff. de Stat. hom.* Municipes cum reſpectu certæ urbis, quæ ſubeſt majori Imperio vocantur, ſuæ cujusque civitatis cives, ut JC. *in l. 1. ff. ad Municipal.* Atque in his aliam rationem tenuerunt JCti, quæ *adhuc* ad nos non pertinet; noſtro igitur ſenſu non diſtinguitur civis ab incola, qui habeat animum perpetuo in civitate manendi.

23. Verum oritur hinc alia quæſtio; numquid aliquis diverſarum civitatum poſſit eſſe civis uno eodemque tempore. Negabant Romani, non modo reſpectu municipiorum ejusdem imperii, de quibus agit *d. l. 29.* ſed etiam ratione Romanæ civitatis erga populos exteros, ut probavimus in *lib. 3. digreſſ. c. 8.*

24. Vera juris publici univerſalis ſententia hæc eſt; In diverſis municipiis eidem ſummæ poteſtati ſubjectis, nihil vetat, unum duobus locis civium muneribus oneribusque ſubjectum haberi, ut jure Rom. qui migrabat, in priore loco tanquam civis ſeu municeps, in poſteriore tanquam incola tenebatur *d. L. 29. ff. ad municip.*

25. Verum ut unus idemque in diverſis rebuspublicis ſummo imperio diſtinctis proprie ſit civis, id non habet facultatem, non magis quam ut unum idemque duorum corporum eſſe queat membrum.

26. Poteſt quidem civi alterius reipubl. liberum jus commercii aut aliud *civile privilegium concedendo*, jus quoque honorarium civitatis dari; ut olim *Corinthii*, ſolentque hodie *Veneti & Helvetii* exteris quandoque largiri. Sed unio civilis ſub obſequio ſummæ poteſtatis nullo modo uni homini duobus locis tribui poteſt.

27. Atque hoc bene Romani veteres; Nec illi reverà diverſum ſentiunt ab eo, quod nos poſuimus; neque de municipiis diverſis in eodem imperio, neque de civibus imperiorum diverſorum. Etenim de his idem in terminis quod à nobis eſt traditum, affirmantes audivimus. De municipibus urbium variarum, diſcrepantiam potius in verbis, quam in re ipsà conſiſtere intelleximus.

28. Quid autem? An civis non habet liberam diſcedendi facultatem, ita ut vinculo fœderis, quo civitati innexus & imperio obnoxius eſt, ſolvatur? Hæc acerrima diſputatio eſt, ac fuit olim hodieque, de qua *vid. Arniſæ Syſtem. polit. cap. 5. ſect. 7. & 8.*

29. Multi negant; quippe, cum nemo duorum imperiorum civis eſſe queat; volunt, eum qui ex una republ. in aliam ſe confert, manere civem in priori, incolam in poſteriori civitate habendum eſſe.

30. De municipiis ejusdem imperii ſic eſſe doctrinam juris Romani jam diximus; at nos prius de ratione juris univerſalis, & de civibus reipubl. totius agemus; poſtea de municipalibus.

31. Qui negant, hoc imprimis fundamento nituntur; Ajunt, non poſſe originarios reipubl. cives, ſuo diſceſſu liberari obligatione civili, qua & concivibus & ſummæ poteſtati obſtringuntur; denique, obligationem eſſe perpetuam, & quod primo voluntatis, id poſtea neceſſitatis eſſe.

32. Hoc certe evidentius patet in herilibus *w*) imperiis, ubi jus dominii imperantibus

n. 32. w) imperiis) *Sed herilia imperia ſuprà aliquoties negavimus. E. breviter dicendum. In omnibus rebuspublicis licet civibus ſingulis abire, niſi peculiaribus legibus vel moribus id ſit prohibitum.*

tibus nullo modo adimi poteſt. Adeoque de his largiemur, quod cives dominatui ſubducere ſe nequeant; ut in *adſcriptitiis* obtinet; idemque de voluntariis ſtatuendum imperiis, ubi per legem in anteceſſum, migratio ex civitate prohibetur, ut de *Moſchis* & de *Sinenſibus* memoriæ proditum eſt.

33. Sed ubi nihil expreſſum, multi etiamnum acriter contendunt ipſius fœderis vim, quod æternum eſt, ita in perpetuum operari, ut cives qui ſponte diſcedunt, maneant tamen quovis tempore ad reditum obligati, *adeoque ſemper revocari poſſint*.

34. Res inde judicanda eſt, utrum in primævà conſtitutione civitatis id inter contrahentes populos actum cenſeatur; an non potius fuerit tacita fœderis conditio, ut obligatio maneret, dum cohabitatio duraret, eam tamen mutare ſingulis liberum eſſet.

35. Hoc enim videri voluiſſe populos, eſt ratio quæ ſuadeat evidens, & quæ diſſuadeat nulla magnopere, quo faciunt quæ habet *Grot. lib. 2. cap. 5. §. 24. ibi*, *ſolet hic illud quæri*.

36. Quod enim ad rei familiaris commodum & ſæpe neceſſitatem, efficaciſſimum eſt, publico autem nihil præjudicat, hoc nihil eſt cauſæ, cur non ex præſumptà populorum voluntate permiſſum videatur.

37. Atqui talis eſt migrandi libertas, ut privatis aliquando ſummopere optanda, publico nullum inferat detrimentum; maxime, cum ejusmodi libertas ſæpe fit cauſa majoris frequentiæ aliunde redundantis, ut exemplo vicinæ *Hollandiæ* patet, earumque urbium maximè, quæ libertatem veniendi abeundique omnium minime reſtringunt.

38. Inde autem colligitur, ſi contra ſe res habeat, & majore frequentia diſceſſus inſtituatur, eum jure meritoque impediri.

39. Item, ſi intempeſtive aliqui diſcedere parent, aut cum grande æs alienum collatione factà publice exſolvendum, aut belli majus imminet urgetque periculum; *niſi videlicet abitruiens offerat id quod intereſt*.

40. Denique, lege ſemper poteſt caveri, ne impoſterum diſceſſus aliter quam veniâ publice impetrata inſtituatur, præſtationes quædam patrimoniis abeuntium imponantur.

41. Enimvero qui non depoſuerunt animum revertendi, vel de quibus hoc non conſtat, habentque ſuas res adhuc in rep. poſſunt ſub pœnà publicationis bonorum edicto revocari, *ut* fit.

42. Tales plerique ſunt, qui militandi causà foris operas ſuas locant, qui proinde revocari poſſunt. Niſi quatenus obligati ſunt his, quorum ſtipendia faciunt; qui ſuum jus ideo remittere non coguntur, etſi humanitatis causà raro negant patriæ ſuæ rectoribus.

43. Sed eorum, quibus ſtat conſilium abſentiæ perpetuæ, non videntur obſtricti eſſe animi, adeoque nec bona vinculo obligationis teneri. *Adde Grot. loco citato*.

44. Omnes igitur incolas, *qui ſedem fortunarum* laresque ſuos *alicubi fixerunt*, hos rectè *cives* appellamus.

45. Etſi nec jurejnrando nec ullà promiſſione devincti, conſociatione tacita; quatenus ſæpe, & originales maximè, nullà promiſſione expreſſà obligantur, neque etiam allecti, præterquam in urbibus, ibique ſoli *patresfamiliarum*,

CAP. II.

CAP. II.

DE MUNICIPIBUS.

Municeps origine, adoptione & manumiſſione. n. 1 - 9. Qui alio migrat eum & loco originis, ut municipem, & domicilii loco ut incolam ſubjectum eſſe. n. 10 - 13. At ex univerſali jure publico, quemque ibi civem videri, ubi habitat. n. 14. 15. Diverſis quidem municipiis unius Reipubl. poſſe aliquem ſimul eſſe ſubjectum, ut cum jure Rom. aliquis eſt municeps uno, incola ſimul alio loco, ſed diverſarum prorſus rerumpubl. neminem pariter fieri poſſe civem. n. 16. Advenas non eſſe cives, neque municipes qua tales. n. 17. Specialiter & per excellentiam nomen civium quandoque de ſolis qui imperii ſunt conſortes, aut qui urbes; denique vel metropolim incolunt, uſurpari. n. 18. 19. Magiſtratus municipales. Quatenus ex eorum facto obligentur municipes. n. 20 - 30. Modi, quibus finiatur jus civitatis & municipii. n. 31 - 34.

Cives cum reſpectu ad civitatem dicuntur & civitas cum republ. æquiparatur, municipia autem ſunt urbes majori ſubjectæ imperio, ceſſante differentia, inter municipia, colonias, & oppida provincialia: Nos heic omnia majoris imperii membra ſubjecta, civitates intelligimus & municipia vocamus.

2. Eodem modo differt *à municipe* civis; hic, qui unitus eſt cum republ. ille, *qui certo municipio ſe conjunxit*, dictus inde, quod capiendis muneribus in aliquà civitate fit ſubjectus ut ſupra dix. ut hoc & præcedens caput cohærent.

3. Uſus ſeculi fert ita, ut hoc genus peculiariter cives dicantur; reliqui principes, comites, nobiles, agricolæ, quique alii ſunt hominum ordines ſuis ſinguli appellationibus diſtinguuntur, contra uſum veterem & juris rationem.

4. Sed moribus hodiernis, iſti etiam urbani, in pleriſque imperiis ſoli fere jurejurando ſubjectionis & fidelitatis ſinguli obſtringi ſolent, ad quod tamen reliqui, dum exigatur, æque tenentur.

5. Porro, municipem apud Romanos cauſa facit triplex; Origo, manumiſſio & adoptio. *d. l. 1. in pr. ff. ad municip.*

6. Origo cujuſque à patre æſtimatur; ut ubi is fuit municeps, ibi & filius eſſe dicatur; niſi forte materna origo per modum privilegii præferatur; tunc enim juxta eam municipalis origo cenſetur. *d. l. 1. §. 2.*

7. Manumiſſio ad ſervos pertinebat, qui cives fiebant, cum libertate donabantur; idque vel optimo jure, vel latino tantum; aliqui prorſus non erant cives, dedititiis ſeu provincialibus ſimiles, donec hæc diſcrimina ab Antonino Caracallâ tollerentur, *l. 17. de Stat. hom. & Tit. Cod. de Latin. libert. toll.*

8. Denique, adoptio municipem faciebat, ut qui pro filio adſcitus erat, perinde municeps in loco adoptantis fieret, atque ſi natus ex eo foret.

9. Tam autem in adoptatis, quam naturalibus liberis non ſpectabatur locus, quo forte ipſi in lucem erant editi, vel adoptati, ſed quo parentes, inquam, jure municipum gaudebant *d. l. 1. §. 2.*

10. Migrare de loco in locum non erat prohibitum; ſed qui de ſuo municipio in a-

liud tranſibat, is *Incola* dicebatur, & parere tam his magiſtratibus apud quos civis fuerat, quam iis, ad quos ſeceſſerat, nec tantum municipali jurisdictioni in utroque municipio ſubjectus erat, verum etiam omnibus publicis muneribus fungi debebat, *l. 29. d. tit.*

11. Enimvero proprietate vocis incola etiam in nova civitate, dicendus erat municeps, quia muneribus fiebat obnoxius; ſed poſtquam obtinuit, ut ſuæ quiſque civitatis civis municeps diceretur, ſecundum tres cauſas prædictas; conſequenter hunc oportuit *incolam* dici.

12. Hæc ita Romanis viſa ſunt. Atqui ex eo quod de cive reſpectu totius reipublicæ *præced. cap.* diximus, intelligi poteſt, eum quem incolam vocant Romani, quique in civitatem receptus ibi munera capit, vere municipem eſſe.

13. Conſequenter ratio vult, eum deſinere eſſe municipem in eo loco, unde diſceſſit; neque proinde ſubjectum eſſe duobus Magiſtratibus, ſed ei tantum, ſub quo degit.

14. Hæc ita, inquam, ſi lege contra non ſit cautum; quod haud dubie licet; alioqui ex ratione juris univerſalis nec locus originis nec nativitatis, ſed domicilii tantum tribuit forum & munerum capionem, idque convenienter juri gentium, quod moribus hodiernis ubique, ni fallor, obſervatur; ut mutatione domicilii juriſdictionem mutare liceat.

15. Salvis tamen iisdem exceptionibus, quas ſuprà in jure civitatis, ratione totius reipubl. collocavimus, ut *ſi interſit* municipii, ad hoc ille, qui diſcedit, teneatur, nec effuſa migratio concedatur.

16. Tamen & in eo differt jus municipale à jure majori civitatis, quod ratio nulla vetet, municipem eſſe duobus in locis (manet enim ejusdem corporis ejusdemque reipubl. membrum) ut, ſi quis voluntate ſua diverſis in urbibus ſemet inſtruxerit, fortunaſque collocaverit, vel jus municipale utrobique, civium privilegiis uſurus, impetraverit; tunc enim utrique Magiſtratui parebit, oneraque duplicia ferre debet *l. 6. §. 2. d. tit. π. ad Municip.*

17. Ex his liquet, inquam, civium generale nomen eſſe, pertinens ad omnes eos qui cum republ. ſunt uniti; quales tamen non ſunt advenæ, homines peregrini, ad tempus in civitate degentes, cum animo ſe mox alio recipiendi, ſedemque rerum ſuarum alibi habentes aut deſtinantes. Illi dum manent in civitate, ſubditi quidem ſunt Imperio & jurisdictioni, ſed fœdere civitatis non continentur, nec munera capiunt.

18. Eſt etiam per excellentiam civium nomen uſitatum, de his qui Imperii ſunt participes, aut eam incolunt civitatem, in quâ ſedes Imperii eſt, ut tum, qui in ſubjectis habitant civitatibus, municipes dicantur.

19. Sic olim in Imperio Romano ſeſe res habuit; unde diſcrimen civium, qui optimi juris erant, qui ex Latio, atque provincialium, qui olim cives non dicebantur. Generaliter ex uſu juris publici & reſpectu totius Imperii, provinciales quoque cives fuerant, etiam antequam *Antonini* lege tales declarati fuerunt.

20 Rectores municipiorum ſive Magiſtratus municipales etſi à municipibus creantur, jurisdictionis tamen & poteſtatis ſuæ modum habent à ſumma poteſtate, quæ fons eſt omnis in republica poteſtatis, non à municipibus.

21. Proinde, ſi magiſtratus municipales non habeant Imperium merum, municipes id in eos nullo modo conferre poſſunt, nec etiam jus imponendi tributa & vectigalia, cum horum collatio ſit jus Majeſtatis.

22. Ergo perperam dicitur, magiſtratus municipales repræſentare municipes, & obligari municipium ex eo quod rectores eorum contraxerint, quaſi quicquid magiſtratus egerint, id populus municipalis feciſſe judican-

Digitized by Google

judicandus eſſet; cum ejusmodi repræſentatio ſit liberæ duntaxat reipubl.

23. Quando igitur magiſtratus iſti, nomine municipii aliquid inſtituere, contraxere, videndum eſt, an ab ſumma poteſtate jus ita faciendi ac inſtituendi acceperint; ac ita quod actum & contractum eſt valebit aut non valebit.

24. Hinc pendet illa quæſtio, an civitas municipalis teneatur ære alienó à magiſtratibus ſuis contracto. Non teneri cives ideo; quod magiſtratus ipſum repræſentent, jam diximus. Ergo videndum, utrum hujusmodi jus à ſumma poteſtate acceperint, an ſecus.

25. Et, ſi hæc illis poteſtas ſpecialiter facta non ſit, poſſunt tamen obligare civitatem, quod ad bona univerſitatis & municipii propria, quoniam his ſunt præpoſiti.

26. Verum ut municipes ad ſolvendum de ſuo teneantur, à magiſtratibus ſuis obligari non poſſunt; quia non habent jus imponendi civibus præſtationes pecuniarias, veluti tributa & vectigalia; quæ à ſumma poteſtate ſola injungi poſſunt.

27. Qui hoc non poteſt, is multo minus obligare poteſt municipes, ad ſolvendam pecuniam ab ipſis mutuo acceptam.

28. Nec quidem hoc poſſunt ex cauſâ utilitatis vel neceſſitatis municipii. Cum enim pecunias imperare, traditur eſſe jus ſummæ poteſtatis, id vel maxime de caſu, neceſſitatis aut utilitatis intelligendum.

29. Planè, quo minus municipes de ſuo pecunias conferant, aut in futurum ſe obligent ad ſolvendum, nihil impedimento eſt; quà parte tamen qui conſenſum non præbuere, non tenentur.

30. Quia, ut minor pars majorem ſequi debeat, id imperii eſt; ſed hujusmodi collatio mere patrimonialis eſt. Latius hac de re dix. *ad tit. π. de Reb. cred. n. 8. & ſeqq.*

31. Denique, finitur jus civitatis aut municipii non tantum morte, qui modus eſt tralatitius, ſed & *liberâ* cujusque *voluntate*, mutatâ ſede rerum, ut aliquoties dictum; ni lex intercedat.

32. Dein, per ſententiam, ſi quis in exilium agatur, aut in opus publicum, vel ad remos damnetur.

33. Diſcrimen relegationis & deportationis apud Romanos in *l. 4. de Interdict. & releg.* eſt juris peculiaris: Nam relegati, licet præcipua quædam jura civium, quatenus hi per excellentiam dicuntur, & cujusmodi Romæ multa fuerunt, retinere queant; tamen unione reipubl. ex qua ejecti ſunt, non comprehenduntur.

34. Nec quidem refert, temporale an perpetuum ſit exilium, quia quo tempore ſunt expulſi, non ſunt membra civitatis, neque participes functionum publicarum, neque jurisdictioni ſubjecti.

CAP. III.

DE CIVIUM QUALITATE ET DIFFERENTIA.

Cives 1. eſſe mares vel feminas; n. 1. 2. 3. 2. Liberos aut ſervos. n. 3. 4. 5. 3. Legitimos & illegitimè natos. n. 6-13. 4. Majores minoresve annis n. 14-20. 5. Sanos aut morboſos, vel mente captos, n. 21-27. Hoſce rurſus quadruplices. n. 28-32. 6. Bene aut male moratos. n. 33-38. 7. Divites vel pauperes n. 39. Horum ſingulas differentias ſuos habere effectus. Paſſim.

1. Qualitas civium ex variis eorum differentiis intelligitur.

2. Et quidem primo, diſtinguuntur in mares & feminas: ſed juris *diverſitas à*

ſexu dependens in primo hujus ſectionis capite, ubi & aliæ quædam hominum differentiæ, ſunt occupatæ.

3. Secundo, à ſtatu diſtinguuntur homines in *liberos & ſervos*, de quibus ſimiliter dictum.

4. Non eſt autem hæc tam diviſio civium, quam hominum, quia ſervos ſatis conſtat non eſſe cives: ſed, hodie famuli, quibus utimur, ingenui, ſi aut originales ſint, aut animum ſemper habeant in civitate remanendi, merito inter cives numerantur.

5. Altera à ſtatu petita differentia inter filios & patresfamiliarum, perinde occupata eſt *in ſuperioribus*.

6. Habet etiam juris publici effectum differentia tertia legitime & illegitime natorum; priores, qui ex juſto, tempore ſuo, nati ſunt matrimonio. Illegitimi ſunt vel nothi vel ſpurii. Nothi ſive naturales ſimpliciter dicti, aliter ex ratione juris gentium quam ſit à Romanis, intelligendi ſunt.

7. Nam hi ſolos è concubina, quæ cum cœlibe vivit uxoris loco, ſuſceptos habent pro naturalibus: è furtivis amplexibus certo licet patre natos vocant ſpurios, qui *nullum* jus ſucceſſionis, imo nec petitionem alimentorum habent Nov. LXXXIX.

8. Sed juris univerſi hæc eſt ratio, quæ & moribus *x*) obſervatur, ut omnes certo patre nati pro nothis ſive naturalibus habeantur, etſi non è concubina, ſed è furtivo amplexu ſint editi. Spurii vero vel proprie vel latius accipiuntur.

9. Spurii proprie dicti ſunt, *incerto patre nati* ex meretrice. Latius omnes contra præcepta legum nati ſic appellantur; quales è nuptiis ſine conſenſu patris, in cujus poteſtate ſunt, contractis ſuſcepti; item adulterini & inceſtuoſi, quos etiam proprio vocabulo nefarios appellant.

10. De quibus vel maximé capiendum, quod modo de ſpuriis diximus, eos ne quidem alendos eſſe jure Romano, etſi de omnibus illegitimis, præter nothos, id adfirmat Juſtinianus *d. nov. 89. c. f.* Id autem quomodo ſine abſurditatis ſævitiæque notâ ſit accipiendum, diximus in *part. 2. digreſſ. l. 1. c. 3. n. 5. & in prælect. ad Inſt. lib. 3. à pr.*

11. Differentia juris inter legitimè & illegitimè natos conſiſtit in ſucceſſionibus atque honoribus; quibus de rebus, quod ſatis eſt, in juris expoſitione privati diximus, niſi quod de honoribus heic etiam locus *inferior* dari poterit. Hactenus igitur *Νόμῳ νοσοῦσι*, *Lege laborant*, ut *Euripedes*, *male nati*.

12. Præter honoris publici & ſucceſſionis damnum, ſpurii in aliis, civium honeſtorum numero habentur; nec enim infames aut jure gentium aut civili habentur. Quin verum reperitur, quòd apud Euripidem in *Andromache* Peleus ait,

Νόθοι τε πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες.
Sæpe legitimis ſunt meliores ſpurii.
Et alibi:
Ὀνόματι μεμπτὸν τὸ νόθον, ἡ φύσις δ' ἴση,
Nomen nothorum pejus eſt, natura par
vide tamen Deuteron. 23: 2. *y*)

13. Neque deſunt illuſtria nothorum & ſpuriorum exempla, quibus natales non obſtitere,

---

n. 8. *x*) moribus) *Imò vero moribus Chriſtianorum liberi ex furtivis amplexibus & concubina nati habentur pro ſpuriis, ex hypotheſi videlicet Cleri, omnes ſub voce comprehendente ſpuriorum qui citra benedictionem ſacerdotalem extra ſacramentum matrimonii ſunt prognati.* Conf. jam ſuprà notata ad Sect. 1. cap. 1. n. 21. lit. h.

n. 12. *y*) Deuteron. 23. 2.) *Et in hujus legis explicatione Rabbini vocem ſpuriorum ſive Mamzerum latius extenderunt. Vid. Selden.* de J. N. & G. ſec. diſcip. Hebr. l. 5. c. 16. *Cleric.* in notis ad d. loc. Deuteron.

Digitized by Google

ſtitere, quominus & gloria belli & honore populorum, & jure ſucceſſionis potirentur, ut Romuli, Cyri, Conſtantini Magni *x*] aliorumque docent hiſtoriæ. Quin hodieque regum ſpurii, utcunque ſucceſſione non gaudeant, ab aliis tamen præcipuis honoribus minime excluduntur; præter quod nec gentes deſunt, in quibus nothi à legitime natis non diſtinguuntur, ne quidem in ſucceſſionibus. *Grot l.2.c.7.n.1.*

14. Quartò, ab ætate cives dicuntur, majores aut minores annis; punctum dividens hæc intervalla non minus ex ratione naturæ quam exemplo juris Romani & gentium plerarumque eſt, quinque ſupra viginti annorum, etſi aliquæ gentes hoc tempus coarctaverint.

15. Juris diverſitas hinc oriunda, præter rei familiaris effecta, eſt, quod majores ad munera functionesque reipublicæ, haud perinde minores adhibeantur *l. 8. ff. de muner. & honor.*

16. Nam hi propter lubricum ætatis ne ſuis quidem rebus præſunt, ſed curæ aliorum ſubjiciuntur.

17. Sunt autem hi, puberes vel impuberes, quorum illi magis quod ad res ſuas, hi etiam quod ad actus perſonales in curatione habentur; quod diſcrimen latini, terminis quoque *tutelæ* & *curæ* diverſis expreſſerunt, & regula notiſſima, tutor datur perſonis, curator rebus; quod tamen *συγκριτικῶς*, potius quam *Θετικῶς*, nec *ἀποτόμως* accipiendum, ut cura *magis* ſit propter res, tutela *magis* in perſonas dirigatur. *a*]

18. Mulieres jure gentium, majores annis, nullis ſubjiciuntur curatoribus, ne quidem nuptæ; nam maritalis poteſtas longe à curatoria diſtat: & quod bona uxorum à viris reguntur, hoc juris & inſtituti civilis eſt.

19. *Cura* enim illa, ſicut vulgo appellatur, eſſe non poteſt; quoniam hæc vel ob ætatem vel ob ſexum foret; ob ætatem non eſt introducta, quia maritalis poteſtas etiam annus complectitur; neque propter ſexum; quia virgines viduæque non ſunt in cura.

20. Præterea, ætas virilis aut ſenilis eſt, habetque ſuos, etiam juris effectus, quod ſenes à muneribus reipubl. excuſentur; ad honores ſi velint & pares ſint, magis admittantur: ſenectus autem à ſeptuaginta fere annis duci videtur *l.2. ff. de Excuſat. l.3. de jur. immunit.* Olim ſexagenarii vocabantur *depontani*; id eſt, honoribus & comitiis impares, quaſi à ponte, per quem tranſitus erat ad ferenda ſuffragia Romæ, dejiciendi; ſcilicet arbitrio magis vulgi, quam jure publico.

21. Præterea, differunt cives ratione habitus, corporum, animorum, diſciplinæ, famæ, fortunæ, natalium, artificii, dignitatis, & ſi qui modi ſunt alii reſpectum ad juris publici rationem habentes.

22. Quod ad corpus, ſunt vel ſani vel morboſi. Morbus eſt habitus corporis contra naturam, id eſt, qui impedit uſum earum functionum, propter quas natura nobis ſanitatem dedit, ſive ex intemperie, ut febres, tabes, vel ex conformatione pravâ, ut mutus & cœcus *l.1. §. 7. & 8. ff. de ædil. ed.*

23. Niſi quis hoc vitium dicere malit, ſed vitia juriſconſulti dicunt, quæ deteriorem duntaxat uſum functionis alicujus reddunt, ut vitioſi ſint myopes, balbi: *Morbos*, qui tollunt naturales functiones; unde mutos, ſurdos, cæcos pro morboſis habent *d.l.1.§.7. l.9. l.10. §.3. & paſſ. eod.*

24. Morbi præterea vel ſontici, aut ſecus dicuntur. Horum alii excuſant à muneribus, alii excludunt ab honoribus, prout magis aut minus impediunt, levioresque aut graviores ſunt.

25. Ab animo, ſunt etiam ſani vel mente capti: In ſanis magna eſt latitudo magnique gradus prudentiæ noſcuntur, quorum in publicis haud leve quidem momentum con-

n.13. *x*) Conſtantini M.) Vide Obſerv. Halenſ. ſelect. Tom. I. obſ. 13. §. 7. 8. 9.
n.17. *a*) dirigatur] *Adde de Tutelis ſuprà* Sect. I. cap. 5. n. 42. ſeq.

ſiſtit, in univerſum tamen definiri nequeunt.

26. Mente capti ſunt vel dementes, qui ad omnia ſunt cœci, vel fatui. Illi aut dementes in ſpecie vel furioſi, quos agitat rabies; Illi ferè perpetuum, hi plerumque ad tempus laborant.

27. Fatuos licet dicere, qui, ut Cicero loquitur, *Tuſcul. ſub fin.* mente quidem ſunt capti, hoc eſt, non ſani, ad omnia tamen non cæcutiunt.

28. Hi videntur eſſe quadruplices, fanatici, moriones, melancholici, & ſtupidiores, vulgo, *maccarones*.

29. Fanatici ſunt, qui caput jactant & reſponſa ferunt, quod plerumque temporarium eſt *L. 1. §. 9. & l. 4. §. 1. ff. de ædil. ed.* *Moriones* qui non ſapiunt quidem, ſcurrilibus tamen dicteriis aliquid ſimile ingenii oſtendunt; *melancholici*, qui certis imaginationibus aberraut, cætera non abſurdi.

30. *Groſſos* dicunt vulgò, qui ὐκ ἄρτιοι, ὐχ ὁλόκληροι, ut de Claudio Auguſtus *apud Sueton. in Claud.* qui minus valide ſapiunt, ut Ulpianus in *l. 4. §. 7. d. tit. de ædil. ed.* qui mediocritatem civilium officiorum vitæque communem cultum atque uſitatum tueri poſſunt, *verba Ciceronis*, nulli tamen rei ſeriæ apti facti. *d. lib. 3. Tuſcul. ſub fin.*

31. Illi omnes à publicis functionibus, ubi locus electioni, excluduntur; ab hereditariis dementes ſimiliter removentur, ut & moriones.

32. Furioſi, quia ſperantur ἀνανήψειν, ut & fanatici, melancholici & ſtupidiores, *b*) magis eſt, ut curatoribus ſubjiciantur.

33. Porro, A diſciplinâ homines ſunt bene vel malè morati aut exercitati, denique docti vel indocti; ſed harum rerum in publicis uſus magis ad politicam pertinet, ut in quâque functione optimè exercitati morarique adhibeantur.

34. Doctrinam, qui ad publica negotia reſquè agendas inutilem exiſtimant, inſcitiam ſuam produnt, omnisque ævi excellentiſſimorum hominum exemplis refutantur.

35. Sed erroris cauſa duplex; una, quod qui ætatem in libris agunt, dexteritatem expeditam agitandi fere amittunt; altera, quod qui judicium aut à natura aut ἀπειρίᾳ minus rectè habent formatum, oſtentatione ſapientiæ, hanc faciunt ridiculam.

36. Quare, qui reipublicæ cupit admoveri, teneat ex ſapientia doctrinaque modum; facilius tamen nimium, quam nihil doctus ſuum corriget defectum, niſi *pædagogiſmus* ſit, qui nunquam exoleſcit, de quo *dix. in Orat. de Pedantiſmo Auſpic. domeſt. Oration. X.*

37. Ex fama cives ſunt honeſti vel famoſi, quos alii cives deſinere eſſe tradunt; male; ut tu ex definitione civis ſponte videbis.

38. Sed infames ab officiis magiſtratuum honoribusque excluduntur; Nempe qui ob cauſas legibus proditas infamiâ notantur; nam qui opinione hominum, licet prudentium, pro talibus habentur, hos non tam juris quam politices ratio ab ingreſſu templi divæ Honoris arcet.

39. Fortuna diſtinguit cives in divites & pauperes, in viliores & honeſtiores. Divites, quatenus maxime eorum intereſt, ſalvam eſſe rempubl. ad regimen honoresque præ pauperibus admittendi ſunt, idque olim hodieque paſſim ſervatur. Hinc pendet vilium & honeſtorum oppoſitio: honeſtis ſcilicet hic non ab honeſtate ſed ab honore nuncupatis. *§. 4. Inſt. de Publ. jud. & paſſim.*

CAP.

---

n. 32. *b*) ſtupidiores] *De ſtupidioribus ſic tenendum. Si illi admittuntur ad ſacram ſynaxin, item ad perſonas patrinorum in ſacro baptiſmate ſuſtinendas &c. non etiam cogentur invitis admittere Curatores. Et ita ante aliquot annos judicatum memini Lipſiæ.*

Digitized by Google

CAP. IV.
DE NOBILITATE.

Octava differentia, nobiles aut ignobiles. n. 1. 2. Nobilitatem varie cenſeri, n. 3 - 7. Diſtingui ab eâ dignitatem Equeſtrem, item Patriciatum, ſive ordinem in republ. plebi, ratione publici regiminis, oppoſitum. n. 8. Quæ proprie apud Græcos & Romanos nobilitas. n. 9 - 13. quæ hodie ſit, inprimis inter populos Germanicæ originis, qui monarchicam auctoritatem requirunt. n. 14. 15. 16. Sed juris rationem velle, ut æque in liberis rebuſpubl. Nobilitas acquiri poſſit, haud ſecus ac apud eruditos olim populos. n. 17 - 24. Etiam præſcriptione nobilitatem rectè acquiri. n. 25 - 32. Quod ejus non ſit, & quodnam ſit fundamentum. n. 33 - 39. Effectus nobilitatis. n. 40 - 44. In quos propagetur. n. 45 - 56. Iterum de effectibus nobilitatis n. 57 - 61. Et quibus modis finiatur, aut quæ officiant nobilitati n. 62 - 73.

1. **R**Atione natalium cives ſunt nobiles vel ignobiles, qui ab honeſtis & vilibus, prope ut genus & ſpecies diſcernuntur.

2. Nobilitas nihil eſt aliud, quam *Excellentia generis ex claritudine majorum ad poſteros propagata.* Unde *clarum* genus, *claritudo* natalium, pro nobilitate *paſſim*, quo pertinent quæ copioſe diſſerit Tiraquellus *tr. de Nobil. c. 1.*

3. Per hanc autem definitionem à nobilium ordine ſeparamus eos, qui pro ſuis tantum perſonis nobilitate donantur, aut pro nobilibus habentur, ut aliqui equites aurati quos vocant, & comites palatini.

4. Quin omnes, qui creantur nobiles, ipſi quidem ab iſta definitione ſunt alieni; tales enim à latinis *novi homines* dicuntur; qui paſſim nobilibus opponuntur apud Ciceronem aliosque; Nobilitas aliquam vetuſtatem requirit, adeoque non niſi per traducem & natalibus communicatur.

5. Hinc homo ſtirpis antiquæ pro nobili, vetuſtas generis pro nobilitate apud Suetonium, Tacitum & alios. Ita Salluſtius *præf. Jug.* homines novos virtute aliquando nobilitatem anteire. Hinc *imagines* vetuſtate *fumoſæ*, nobilitate gloriantibus adſcribuntur, de cujus tamen vocabuli ſenſu eſt quod obſervetur, ut diximus in *l. a. digreſſ. c. 24. in pr.*

6. Quod, ſi quis nobiles recens creatos ſub definitione putet eſſe comprehendendos, quia revera jus nobilium hi vel maximè habent, definitioni modo poſitæ addere poſſis hæc verba, *vel quibusdam ſpecialiter tributa.*

7. Sive illa ſpecialis conceſſio fiat ob merita, vel favorem principis, aut pecuniam, vel denique ratione *patrimonii*, quatenus in quibusdam rebuspubl. dantur bona, quorum poſſeſſores jure nobilium utuntur fruuntur.

8. Cæterum, ad hunc locum non pertinet conſideratio nobilitatis, ut eſt ordo reipubl. ſive equeſtris ſive patriciorum; hoc enim ad regimen civitatis pertinet; heic nihil eſt aliud quam civilis qualitas in ſola honoris ſupra plebem eminentiâ conſiſtens.

9. Claritudinem illam parentum, unde reputa-

putatio nobilitatis, diverſæ gentes aliter atque aliter æſtimaverunt.

10. Apud Græcos & Romanos, nobiles habebantur, quorum progenitores ſummis in republ. honoribus præfulſerant; qui primi honores meruerant, novi potius quam nobiles dicebantur.

11. Igitur Romæ poſtquam honores maximi cum plebe communicati ſunt, etiam ex plebe nobiles fuerunt, ut de Claudiis conſtat, qui omnes nobiliſſimi, pars tamen plebeji cenſebantur; perinde ac equites ibi plebejos fuiſſe conſtat. *Sueton in Claud in pr.*

12. Scilicet, Romanus populus in plebem & patricios dividebatur. Sub plebe erant equites; Patriciatus erat gradus major nobilitatis, eorum, qui ex antiquiſſimis ſenatoriis familiis oriundi, vel poſtea numero illarum extra ordinem erant inſerti. *Sigon. lib. 2. de jur. civ. Rom. C. 20.*

13. Unde patet, ſuo magis arbitratu quam latine loqui inter noſtrates, eos, qui ex familiis honoribus claris ſunt nati, quod cum nobiles ſe ferre non audeant, modeſtiæ cauſa *Patricii* gaudent appellarii, quod certe non minus, imo proprietate latini ſermonis amplius, quam *nobilitas*, eſt; quanquam jure ſuo iſti tales & nobiles & patricii poterant vocari, ut ſtatim videbimus.

14. Apud gentes Germanicas, quæ per omnem Europam ſe diffuderunt, nobilitas ex re militari oritur, accedente principum auctoramento, qui vel feudum cum titulo nobili, vel præmium nobilitatis per ſe; aut cum inſigni ordinis equeſtris largiuntur; Unde ad poſteros propagatio.

15. Quod tamen ita nolim ad rem militarem reſtringi, ut cauſa cur imperatores & reges nobilitatem largiantur, non ſit etiam *doctrina, Scientia nobiliſſimos facit*, habetur in *l. providendum C. de Poſtul.* Unde ſententia crebris doctorum calculis probata, *doctores eſſe nobiles*, de qua prolixe agit Tiraquel. *d. tract. de nobil. c. 5.*

16. Denique, ſola monarcharum auctoritas fons nobilitatis vulgo in univerſum habetur, adeo ut in populis qui plurium imperio reguntur, vix ulli nobiles fieri poſſe credantur.

17. Sed hæc ratio perperam ſe habet, dandaque eſt opera, ut hujus rei doctrina ad exemplum Græcæ Romanæque diſciplinæ intelligatur, potius, quam ex barbarico inſtituto, ut de hoc genere nobilitatis non nemo locutus eſt; quatenus quicquid eruditis populis ignotum ab exteris & incultis receptum eſt, barbarum ſolet appellari *Sciopp. in Scalig. ὑποβολ. nos lib. 2. digreſſ. cap. 14.*

18. Plane, ſi jus creandi nobiles ſit ex juribus ſummæ poteſtatis, quod nemo negat, manifeſtum eſt, illud æquè in plurium quam ſingulorum imperiis poſſe conſtitui.

19. Quod ſi in liberis rebuspublicis feuda talia vel diplomata non diſtribuantur, dicendum eſt, ſufficere ad nobilitatem alia argumenta voluntatis eorum, qui ſummam habent poteſtatem.

20. Tale eſt in republ. Venetorum jus communionis in imperio civitatis, cujus qui participes ſunt, eos vocant Patricios eosdemque jure meritoque Nobiles.

21. In republica, ubi imperantes ſeu perpetui ſive temporales, ex plebe partim & ex nobilibus creantur, ut in noſtra; hi, qui pro nobilibus in ſupremo comitio admittuntur, maxime ſi hoc ſæpius factum, ipſi quidem non fiunt propriè nobiles, ſi prius non fuerunt, ſed eorum poſteri haud immeritò nobilitatem vindicare ſibi poſſunt; modò opes profeſſioni reſpondeant, ſine quibus hoc decus comparari vix poteſt; etſi partum cuſtodiri facilius.

22. In cæteris ſequemur inſtitutum, quod apud Græcos & Romæ, juris publici fuit, ut nobiles putemus eos, quorum majores inſignia reipublicæ munia geſſerunt. Neque enim ulla ratio proferri poteſt, quare id minus hodie juris ſit, minusve moris eſſe debeat.

23. Quo autem majores ſunt dignitates, eo ma-

eo major quoque nobilitas propagatur, quemadmodum jure Romano alii magiſtratus ſunt *Illuſtres*, ut præfectus prætorii & urbis, alii *Spectabiles* ut proconſules, denique *Clariſſimi* ut prætores; etſi clariſſimorum vox aliquando & ſpectabiles complectatur, & Illuſtres veteribus idem quod Nobiles ſint, ut Tiraq. *d. c. 2. probat.* ut diſtinctiones iſtæ ſint recentioris inventionis, quando Senatores iisdem gradibus & terminis diſtinguebantur. *Vid. Pacium Iſag. ad tit. D. de ſenator.* & nos *Eunom. ad l. ult. d. tit.*

24. Non quod nati ex illis ſimpliciter Illuſtres, Clariſſimi, Spectabilis ſint (etenim magiſtratuum hi ſunt tituli) ſed quia de majoribus genitum eſſe illuſtribus, amplius eſt; ſicut Romæ, qui ex familiis cenſoriis, conſularibus, prætoriis ſimilibusque orti aliis erant nobiliores.

25. Denique, uſu temporis immemorialis cum jura qualibet, etiam Majeſtatis acquiri poſſint, nihil eſt cauſæ, quare nobilitas eodem modo quæſita haud perinde legitima cenſeri debeat; quaſi ex tacitâ voluntate eorum, qui cujusque reipublicæ teuent Imperium.

26. Et quidem hic modus ideò cæteris validior videtur, quia nobilitas admodum inepta res eſt, ſi reputatio ejus cum populari exiſtimatione minus conveniat, affectataque magis quam credita videatur; præſcriptio autem ſive uſus longiſſimi temporis in ipſa populari uſurpatione conſiſtit.

27. Huc accedit, quod etiam à principibus nobilitati non modo cenſeantur, qui expreſſis verbis & diplomatibus hoc jus & decus acquiſivere, ſed etiam tacite nobilitatos cenſeri, quos Princeps lateri ſuo adjungit; unde *Comitum* decus. Etiam quibus certa armorum inſignia gerenda largitur, ut probat Tiraq. *d. tract. c. 6.* ubi plures vide ſis tacitæ nobilitationis ſpecies.

28. Quicunque igitur docere poſſunt, quod à longiſſimo tempore, ab omnibus habiti & agnati ſint pro nobilibus, etſi nullum initium cauſamve decoris ſui producere poſſint, tamen optimo jure nobiles ſe ferunt, atque hoc modo verum eſt, veteres divitias multos ruſticos feciſſe ac etiamnum facere *Nobiles*. Quatenus opes excellendi copiam præbent ac inde imparium adulatio & nobilitatis uſurpatio. Qua de re Euripides in Andr.

Ισχύει μέγα
Πλοῦτος, λαβόντε τοῦτον εὐγενὴς ἀνὴρ
Multum valent
Opes, quibus potitus, ſit vir nobilis

Idem in Æolo

Τὴν δ' εὐγένειαν πρὸς Θεῶν, μὴ μοὶ λέγε,
Ἐν χρήμασιν τόδ' ἐςὶ
Quid per Deos de ſtirpe jactas nobili?
Hæc in pecuniis ſita eſt.

29. Et quidem præſcriptio nobilitatis non tantum in populari vel optimatium imperio valet, ſed etiam in ipſo principatu vel regno; nempe, ſi temporis *immemorialis* ſit, in qua verius eſt nullum requiri titulum vel ſcientiam ſuperioris, ut evincit Tiraquellus *d. tract. c. 23.*

30. Scilicet, quatenus in civitatibus hæc res aliter non eſt definita legibus; Quid enim ſi album, ſive matricula nobilium familiarum extet? præſcriptio non poteſt ex uſu tacito tribuere, quod expreſſam nominationem requirit.

31. Majoris excellentiæ gradus, ut *Baronum, Comitum, Marchionum, Principum, Ducum*, proprie ſunt nomina poteſtatum ſeu ſummarum ſive aliis tam feudi quam civitatis jure ſubjectarum.

32. Atque ita non niſi per modum ſucceſſionis propagantur, quod tamen ſecus in quibusdam gentibus obtinet, ubi plerique titulorum iſtorum, exemplo nobilitatis, ad omnes poſteros, etſi poteſtas penes unum maneat, tranſmittuntur.

33. Ex his jam colligi poteſt, fundamentum nobilitatis non conſiſtere in virtute neque fama rerum geſtarum, ſed eſſe eam nihil quam hereditariam in civitate honoris præro-

prærogativam, quæ tantò major quidem eſt, quantò cujusque majorum, fama virtutum meritorumque celebrior fertur; abſque eo tamen perinde haberi poteſt, ac ſæpe honores alii cum dignis & indignis communicantur.

34. Honos virtutum, quique belli & pacis artibus defertur, à reputatione hujus eminentiæ toto genere diverſus eſt, ut fruſtra ſint, qui nobiles eſſe negant omnes à majorum virtutibus degeneres.

35. Interim nobilitatis initium à virtutibus famaque ſecunda ut plurimum duci, multiſque eam à ſummis poteſtatibus in præmium virtutis tribui, quin & hanc præſtantiſſimam eſſe nobilitatem haud ægre concedimus.

36. Ut tamen his, quibus auro venditur nobilitas, aut favore, ſine judicio datur à principibus, non minus quam iſti ſint nobiles; perinde ac prætor æquè fuit *Vatinius* quam *Cato*, conſul tam *Gabinus* quam *Cicero*.

37. Ratio alioqui primitus impulſiva recipiendæ nobilitatis fuit hæc ſine dubio, quod populi ſperarent, virtutes eorum qui bene rempubl. geſſerant, imitaturos eſſe, qui naſcerentur ab illis.

38. Item, ut eò magis quilibet ad virtutem accenderetur, ſi intelligeret, ſe non perituram, verum uſque ad feros nepotes victuram dignitatem eſſe adepturum.

39. Proinde ſi primi familiæ conditores potentiam ſuam inſignibus vitiis comperint, hi quidem vera æſtimatione idonei nobilitatis auctores non ſunt aut eam certe non parum dehoneſtant.

40. Momentum, quod nobilitas habet in republicâ, non modo quod ad inania honoris, ſed & in functionibus reipubl. capiendis ignotum eſt nulli.

41. Quæritur, an & jus aliquod hac parte, nobilibus competat; quo urgere & exigere poſſint, ut aliis præferantur, in tantum uti ſecus, injuria illis fieri dicatur, quod Catilina præ ſe ferebat, ideo civile bellum ſe movere, quod ipſe & ſocia nobilitas ſtatum dignitatis ſuæ non obtinerent *in Epiſt. ad Catul. apud Saluſt.*

42. Fuit hæc res in Græcis civitatibus creberrima ſeditionum materies, ſed ratio eſt, nobilitatem nihil juris habere proprii & perfecti, niſi ex conventione civitatis, id eſt, lege; citra quam probabiliter tamen aliquod præcipuum illis tribuendum, minime vero ut injuriæ & ultionis cauſa, ſi neglecti fuerint, ipſis inde oriatur.

43. Quin & prærogativa illa cedit haud dubie virtutum & doctrinæ meritis, ut Cicero paſſim adverſus eos qui *Appietatibus*, & *Lentulitatibus* ſe venditarent, præ ſe tulit, Tales Seneca notos potius quam nobiles vocat; *Qui imagines*, inquit, *in atrio expoſitas & nomina familiæ ſuæ longo ordine & multis illigata flexuris in parte primâ ædium collocant, noti magis quam nobiles ſunt, lib. 3. de benef.* Unde & hoc colligitur, quod alias conſtat, inſignia nobilitatis apud veteres fuiſſe imagines; quarum loco Germanicæ nationes picturas armorum flexibus illigarunt.

44. Cæterùm, in honoranda nobilitate, juſtum eſt, cæteris paribus præferre nobiles, ſed eosdem poſtponere meritis potioribus; plane, ut Franciſcum Galliæ Regem ſervaſſe vel dictaſſe ferunt; quod pluribus honorem ambientibus, primùm, quis laude moribuſque ad illum aptior, rogitabat; nullo notabili diſcrimine, eum qui nobilitate excelleret, præferendum judicabat.

45. Quis conferat nobilitatem, ex ſuprà dictis conſtat, is qui habet ſummam poteſtatem, eamque in poſteros propagari, æquè intelleximus. Sed quouſque, diſputant juriſperiti. Sunt enim qui ſimplicem nobilitatem ultra filios non tranſmitti volunt, per *l. Sed & milites 8. §. 1. ff. de Excuſat. Tut. & l. laudabile 4. C. de Advoc. diverſ. jud.* Sed cum hi textus agant de privilegiis militum & ad-

vocatorum duntaxat, ad nobilitatem male transferuntur.

46. Alii volunt ad pronepotes duntaxat extendi jus nobilitatis, per *l. Divo Marco 11. C. de quæſt.* Ubi eminentisſimorum de non torquendo privilegium ulterius non extenditur. Sed dicendum, illas qualitates eminentisſimorum & perfectisſimorum, magis ad dignitates quam ad familiam aut genus pertinuiſſe. Ideoque ab illis ad nobilitatem, quæ generis eſt, non valere conſequentiam. Auctores recenſet Tiraqu. *d. loco c. 15.* idemque in *cap. 10.* probat, quod *ſupra* diximus, copioſè, nobilitatem quo ſit antiquior, hoc eſſe meliorem.

47. Propagari nobilitatem in liberos etiam adoptivos, ex opinione veterum, non eſt dubium, ut ex Oratione Ciceronis pro domo ſuâ apertisſime liquet, *Filios adoptivos ſequi conditionem ſtatumque Patris adoptivi; ut ſi hic eſſet Patricius, adoptatus etiam, ſi plebejus, talis fieret; & è contrario ſi Pater adoptans eſſet plebejus, talis quoque filius adoptatus cenſeretur.* Adoptivi jura cognationis *l. 8. §. 4. ff. Unde cognati.* jura conſanguinitatis *l. 43. ff. de Adopt.* omniaque familiæ adipiſcuntur. *l. 11. §. 2. ff. de bon. poſſ. ſec. tab.* inter quæ jus imaginum; Ex imaginibus nobilitatem fuiſſe collectam, pasſim eſt obvium atque à nobis demonſtratum in *lib. 2. Digreſſ. c. 24.*

48. Sed aliter multi, etiam Tiraquellus in *d. tract. c. 15. n. 6.* qui nobilitatem per traducem ſeminis & ſanguinis unicè propagari volunt: ſine ratione, cum nobilitas naturæ incognita uſuque honorum ab hominibus reperta ſit, contra quam ingenuitas, quæ ſine medio eſt à nativitate, quam idcirco non tribuit adoptio *l. ult. ff. de Adoption.*

49. Quod autem ſpurii & nothi à participatione nobilitatis alieni ſint, non eget multæ probationis, quam tamen confert Tiraquellus *in d. tract. n. 10. & ſeqq.* ubi rectè monet, ſecus obſervari in familiis illuſtribus regum & principum.

50. Qui legitimati ſunt, maxime per ſubſequens matrimonium, omnes ſunt legitimi. Ex eo tamen, quod de adoptione diximus, ſtatuendum, etiam reſcripto principis, à quo maxime nobilitas oritur, legitimatos pro nobilibus eſſe habendos.

51. Sed an liberi ante quæſitam patri nobilitatem, nobiles fiant, magis dubitatur: Etſi nec ratio magis hac parte, quam aliàs de ſucceſſione dictum eſt, dubitare patiatur; eo quod non modo filius in nativitate ſua patrem repræſentet, verum ſemper quamdiu filius eſt, idque firmat *argum. l. 5. ff. de Senator.* non obſtante rurſus *l. ult. C. de Decurion.* in verbis, *progeniti filii, antequam Parentes ad fiſci Patronatum pervenerint, in conditione priſtinâ remaneant.* Alia enim dignitatum, alia nobilitatis eſt ratio. Plura Tiraq. *d. c. n. 9. & ſeqq.* Sæpe etiam uſu venit, ut liberi principum ex imparibus nuptiis, quas vulgo ad *morganaticam* vocant, gradu nobilitatis patri liberiſque dignioris matrimonii cedant, quod frequenter uſu venit in illuſtribus Germanorum familiis.

52. Ad collaterales agnatos nobilitas recens acquiſita, non niſi, quæ patrimonialis eſt, una cum bonis tranſit, ut recte probat Tiraquellus *d. tr. c. 17.*

53. Sed uxores, quæ maritos habent nobiles, hujus participare nobilitatem juris ratio ferre videtur, eo quod mulieres è dignitate maritorum cenſeantur, iſque unionis arctisſimæ effectus eſt civilis, *L. femina 8. ff. de Senator. L. cum te & l. ult. ubi; & ſentiat ejus fulgorem C. de Nupt. & l. 10. C. de Incol. lib. X.* ubi hæc verba; *Mulieres honore maritorum erigimus & genere nobilitamus.* Idem expreſſe, in *l. mulieres C. de dignit. l. XII.* quemadmodum è contra nuptæ ignobilibus feminæ nobiles, his fiunt pares *arg. dd. ll.*

54. Quo minus dubii eſt in liberis patre nobili, matre natis ignobili, quin hi nobilium loco habeantur, cum & aliàs in matrimo-

trimonio patris conditionem, extra matrimonium matris, ſpectari, juris ſit *l. 17. ff. de Stat. hom.* in quam rem plura cumulat Tiraq. *d. tr. c. 18. n. 21.*

55. Non eſt tamen dubium, quin nobiliores ſint, utroque parente nobili inſignes, ut Ovid. *lib. 4. de Ponto, eleg. ult.*

Maternos Cottas cui Meſſalasque paternos
Maxima nobilitas ingeminata dedit.

Hinc apud Saluſtium Hyempſal ignobilitatem Jugurthæ, quia materno genere impar erat, deſpiciebat, *bell. Jugurth.* & Antonius hoc nomine Auguſti nobilitatem inſectabatur, quod *materna* origine vilior eſſet. Xerxes Darii Hiſtaſpis filius, Artameni fratri prælatus eſt, ob maternam nobilitatem, ex Atoſſa Cyri filia natus, apud Herodot. idemque inter Demetrium & Perſeum interfuiſſe Livius obſervat. Adde Tacitum, qui *l. 14.* Rebellio Plautio *maternam nobilitatem* ex Julia familia adſcribit.

56. Neque deſunt Gentes, ubi vir femina ignobili ductâ, polluere nobilitatem dicitur, ut Tacitus iterum *lib. 3. annal. c. 29.* Nec adeo verè nobilibus aggregetur, qui non inſignia ab utroque latere nobilitatis oſtendere poſſit, quâ de re pluribus agit idem Tiraquellus *c. 19. n. 30. & ſeqq.*

57. Prærogativa nobilitatis maximè conſiſtit in honoribus, quibus plebejis & vilioribus præferuntur, qua de re teſtimonia cumulare non eſt hujus loci, fecit id copioſe Tiraquellus in *d. tract. c. 20. in pr.* diximus aliquid ſuprà.

58. Ratio autem præferendi nobilitatem in honoribus, eſt probabilis duntaxat, non perfecta; ideoque ſæpe fit, ut cedere debeant virtutibus & meritis. Aliquando etiam forma reipubl. talis eſt, ut nobilitas parum aut nihil habeat præ cæteris.

59. Quæ præterea de nobilibus prædicantur, quod major illis fides in teſtimoniis habeatur; quod armati incedere poſſint & debeant; An cogi poſſint ad homines ſuſpendendos & ſimilia, de quibus prolixe Tiraquellus in *cap. 20. d. tract.* neque perpetua, nec ejus momenti ſunt, ut nobis proſequenda videantur.

60. Sed majoris momenti eſt, quod nobiles in delictis mitius haberi dicuntur. Nam ob quas cauſas viliores corporali pœnâ adficiuntur, ob has honeſtiorum bona publicantur, *§. 5. I. de publ. jud.* Imo, cum humiles capite puniuntur, altiores deportantur in inſulam *l. 3. §. pen. ff. ad L. Corn. de Sicar.* Idem in aliis Scriptoribus ubique videas. Strobæus ex Eurip.

Φειδώμεθ' ἀνδρῶν εὐγενῶν, φειδώμεθα.
Parcite Nobilibus, parcamus Nobilitati.

61. Quod tamen non ita accipiendum, quin delicta dentur, in quibus nobilitas augeat crimen, ut eſt, proditionis, fugæ in bello, nec tam in pleriſque atrocioribus ipſum pœnæ, quam generis pœnæ remiſſionem nobilitati indulgendam merito quis dixerit; ſed quatenus hac cauſa pœna variari poſſit, ad caput de pœnis pertinet.

62. Porro, ſicut nobilitas à ſumma poteſtate confertur, ita ejuſdem decreto ex cauſa rurſus adimi poteſt. Verum ſola vitæ turpitudo & infamia magis eſt, ut privilegia nobilitatis, quibus infamis nullo modo gaudere poteſt, quam ipſum ſanguinis characterem amittat, quem idcirco ad liberos decore viventes pergere ſtatuendum eſt, etſi aliter Tiraquellus *cap. 24.*

63. Paupertate nobilitatem amitti vir ſapiens Euripides ſtatuere videtur. *Phœniſſis.*

Πένης γὰρ οὐδὲν εὐγενὴς ἀνήρ.
Vir Nobilis pauper quid eſt? nihil.

In *Electra*

Λαμπροὶ γὰρ εἰς γένος γε χρημάτων δὲ δὴ
Πένητες, ἔνθεν ἡ 'ὐγένει' ἀπόλλυται.
Qui genere nobiles egent pecuniis
Exinde jure nobilitatis excidunt:

Sed hoc de vulgi, non de prudentium judicio eſſe verum, idem indicat apud Stob. *ſerm. 86.*

Ἐν τοῖς ἐν οἴκῳ χρήμασι λελείμμεθα,

Η' δ'

Ἡ δ᾽ εὐγένεια καὶ τὸ γενναῖον μένει.
Etſi pecuniâ noſtrum genus caret,
Generoſitas & nobilis ſanguis manet.

Sed verum eſt, quod idem de nobilibus *Serm. 89.*

Πένητες ὄντες οὐδὲν ἐμφαίνουσ᾽ ἔτι.
Cum pauperes ſunt, amplius non eminent.

Unde à dignitatibus, quæ alioquin à nobilibus geri ſolent, ferme excluduntur, ut Romæ in ſenatoribus, qui cenſu carebant, obſervatum fuiſſe, Tacitus & Suetonius teſtantur.

64. Ingreſſus in ordinem religioſum dignitates quidem in nobilitatem conferri ſolitas, ſed ipſam nobilitatem minime præcidit, quemadmodum nec verbi divini miniſterium: Etſi quod aliqui huic dediti officio, inſignia nobilitatis & inſtrumenta pompæ huic fortunæ convenientes oſtentare gaudent, omnem ſtultitiam ſuperat & ſe deſtruit ipſum.

65. Judicandi vero munus neque jus neque dignitatem aut privilegia tollere vel minuere manifeſtum eſt; cum etiam regium ſit officium, res judicare, quemadmodum hac causâ primo ſunt conſtituti & optimi quique principes aſſiduo jus dixiſſe leguntur *Sueton Aug. c. 33.*

66. Nec quidem advocati munus tollere, nec etiam dehoneſtare nobilitatem ſola probat *Lex, Advocati C. de Advoc. diverſ. Jud.* quod ſecus de procuratoris officio videtur, ut probat Tiraqu. *d. tr. c. 30.* qui medicos *cap. ſequ.* prolixe defendit ac adſerit etiam nobilitati: ut de medicis amplius, quam in toto libro de nobilitate loquatur.

67. Imo tametſi nulla major oppoſitio quam inter nobiles & ruſticos *c)* eſſe videatur, tamen nec agriculturam officere nobilitati vetus & conſtans hominum graviſſimorum opinio eſt; *Omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agriculturâ melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius, ait* Cicero 1. off. Idque preſſius antiqui conſules & dictatores ab aratto confirmant, nec etiamnum ab agricultura nobiles alieni ſunt, etſi manus operi non ſemper admoveant

Τὸ γὰρ γεωργεῖν ἔργον ἐστὶν οἰκετῶν
Nam fodere terram munus ſervire habetur.

68. Sed mercatura nobilitati magis adverſa videtur. Unde nobiliores natalibus, mercimonium exercere prohibentur *l. 3. C. de Commerc. & mercat.* Inter humiles & abjectas perſonas referuntur, qui quæve publicis mercimoniis præfuerunt *l. 1. C. de Inceſt. Nupt.*

69. Sed mercatura noſtro ſeculo, poſtquam populi & principes ingens ejus in republ. momentum animadverterunt, magis honeſtari cæpit; præſertim in imperiis optimatium aut popularibus, Venetorum, Genuenſium, Batavorum, quin & in Florentino principatu, regniſque etiam, ut in Anglia & alibi; Nec adeo mercaturâ nobilitatem his diebus ubique amitti, dicendum videtur; niſi quæ *ultima* dicitur in *l. ne quis C. de dignit.* & ſordida, quam vocat Cicero 1. *offic.*

 70. Præ-

n. 67. *c)* & ruſticos] *Ruſticorum appellatio alium ſignificatum habet apud Romanos, alium apud Germanos. Apud Romanos ſub ruſticorum nomine comprehenduntur etiam ingenui, quatenus extrà urbes degunt & potiſſimum alieni ſunt à deliciis ruſticis. Huc pertinet elegans locus Plinii* lib. 35 c. 4. Agrippa vir ruſticitati propior, quàm deliciis. *Confer Greenii tractatum* de ruſticationibus veterum. *Simili modo apud Gallos ferè provinciales opponuntur Pariſienſibus, & apud Germanos nobiles ab aulâ remoti aulicis. At apud Germanos ruſtici nomen opponitur ingenuis, & denotat ſervos agricolas. Domini vero agricolæ ſunt nobiles qui ſoli olim, antequam Germania urbes haberet, erant ingenui.*

70. Prævalet omnino tamen in gentibus hæc opinio, quod mercatura deroget nobilitati; niſi quod in nonnullis populis pro ſtatu reipubl. diverſum placuerit, ut copioſe concludit & probat Tiraquell. *cap. 33.* paſſim & n. 20.

71. Orta eſt hæc ſententia contra mercaturam, ut videtur, inde, quod principes nobilitatem ſibi addictam in armis habere, plebem ut ſubjectam cum ſibi tum nobilitati habere voluerunt. *d)*

72. Quod tamen jam pridem contra vertit; poſtquam principes mercenariam militiam ex fæce hominum, ad vim imperii exercendam, adſciverunt: Exinde enim nobiles ab armis alienati, æque oneribus publicis & rigidiori imperio ſubjectos habuere quam plebejos.

73. Melior eſt ratio, quam Honorius & Theodoſius præferunt, qui nobiles, conſpicuos & ditiores ideo à commerciis excludunt, ut inter plebejos & negotiatores facilius fit emendi vendendique commercium *L. 3. C. de Commerc.* quâ, nec non inveterata populorum opinione apud ipſos Batavos, in quibus mercatura pridem maximè viguit, antiqua nobilitas adhuc mercaturam dedignatur. At ſatis heic nobis. Reliqua plena manu Tiraquellus, & multò plura D. Antonius Matthæus A. F. A. N. in opere exquiſito *de Nobilitate. e)*

CAP. V.

DE DIVERSIS CIVIUM ORDINIBUS.

Antiquisſimum genus civium fuiſſe agricolas, n. 1-5. Dignitate etiam mercatoribus olim potiores habitos. n. 6. 7. An & hodie? n. 8. Rationes utrobique diverſæ. n. 9-12. Quæſtio, an naturaliter liceat in emendo vendendoq; ſe invicem circumſcribere, terminatur. n. 13-16. Monopoliorum licentia. n. 17. 18. Mercatorum dignitas, major in unâ quam in alterâ rep. n. 19. De fœneratoribus, & an fœnus jure naturæ divinoque ſit licitum; Aff. n. 20-27. non tamen id quod vulgo Lombardicum vocatur n. 28-31. Mercatores ſequi piſcatores & mechanicos artifices, n. 32-37. ſed milites ordinem in civitate proprium

---

n. 71. *d)* voluerunt) *Adde & illam rationem. Ante uſum urbium ſola erat cognita diviſio perſonarum in ingenuos (dominos) & ruſticos. (ſervos agricolas) Urbes primæ implebantur potisſimum libertis, ſeu ſervis ſuaſu epiſcoporum manumisſis. Hi cum operam primo darent hoſpitiis mercenariis, poſtea etiam auctis urbium facultatibus, mercatura, indignum viro nobili ab illis temporibus vitæ genus habitum fuit, quod exercerent primitus libertini generis homines.* Conf. diſſert. noſtram de jure dandi civitatem.

n. 73. *e)* Nobilitate, *quod tamen parum ſuppeditabis, quod ad illuſtrationem doctrinæ de nobilitate, quatenus ea pertinet ad jus publicum univerſale. Etſi valde commendandum ſit ſtudioſis antiquitatum Germaniæ, maximè Belgicæ. Sed harum tamen notitia ſtudioſis noſtris minus negligenda erat, quam notitia tractatus Tiraquelliani, qui & ipſe magis docet quæſtiones ad intelligendum jus Romanum facientes, quàm ad jus univerſale, aut morus patrios.*

prium non conſtituere. n.34 35.36. At eruditos omnino, tam qui docent artes ſtudiorum, quam qui faciunt illas, n.37-39. Ubi quid juris in hac parte Theologis, n.40.41. Medicis. n.42. & Philoſophis. n.43.

1. HÆ fere ſunt differentiæ ex qualitatibus civium; Dantur & aliæ ex variis vitæ generibus ac profesſionibus: Unde ordines hominum diverſi componuntur.

2. Antiquisſimum vitæ genus eſt *Agricultura*, idemque innocentisſimum, nec minus reipubl. utilisſimum: ideoque apud priſcos omnes populos merito honoratum.

Cum caperet faſces à curvo Conſul aratro
Et faceret Patrio rure Senator agros.

3. Unde & legibus fovenda tuendaque inprimis, ut à Romanis factum, quo pertinet, quod inſtrumenta ruſtica loco pignorum capi & agricolis auferri prohibentur; etſi hoc moribus hodiernis nusquam ſervatur, utcunque ratio, qua veteres movebantur, apud nos forte non minus obtineat, quam apud illos uſu venerat, *vid. l. 7. & 8. cum Auth. Agricult. C. quæ res pignor. oblig. non poſſ.*

4. Quominus imperii in civitatibus ruſtici participes habeantur, nulla quidem ratio obſtat, idque olim in laudatisſimis civitatibus, *Spartà* excepta, obtinuiſſe, nota res eſt.

5. Hodiernis temporibus aliter uſurpaſi videmus, ubique penes urbanos aut nobiles ſumma conſiſtente rerum: *f*) non alia ex cauſâ, quam quod hi, qui opibus & ingenio pollent, agriculturam odio laboris faſtidiant, eamque iis relinquant, qui ad rem nullam, præter quam ad ſerviendum, ſunt apti, quod & *Lycurgo* probatum. *Plutarch. in vit.*

6. Poſt agricolas, ſunt origine mercatores; illos necesſitas, hos utilitas commendat; quando nulla re compertum eſt, celerius increſcere & rurſus deficere, quam florente vel coarctata mercatura, populos & civitates.

7. Plerique veterum dignitate poſt agricolas collocant mercatores; an, quia ſane apud hos minus ſimplicitatis & crebræ fraudes ac impoſturæ?

8. Ideone & his diebus nobiles agros, ſaltem per alios *g*) ipſimet exercent, mercaturæ miſceri indecorum exiſtiment? ſed hæc ratio aliter conſtat. *h*)

9. Monarchæ ut liberius imperarent, plebi arma excutere *i*) eaque ſoli committere nobi-

---

n.5. *f*) rerum] *Autor hic multa miſcet 1. agricolas dominos & ſervos. Nam agricolæ domini jam olim in Germania civibus libertinis ut magiſtratus præfecti fuere, & hodiè in quibusdam urbibus præficiuntur. 2. Urbes magnas & minores. In his communiter cives agriculturam exercent. 3. Fortè etiam urbes rerumpublicarum liberarum & quæ ſub principe ſunt.* Conf. n. 19.

n.8. *g*) alios) *Credo & olim, & communiter apud gentes pleraſque, quamvis dentur exceptiones, ubi domini agricolæ ipſi exercent, vel ob paupertatem, ut de Hiſpanis dicunt, vel per delectationem, ut de ruſticatione Romanorum annotare ſolent. Quamvis in Romanorum exemplis diſpiciendum, annon ſub nomine agriculturæ intelligatur horticultura, utpote quæ ſub voce agriculturæ latius dictæ comprehenditur.*

h) conſtat) *Vide modo dicta* lit.d.

n.9. *i*) excutere) *Hæc ratio in Germania, quorſum reſpicit Autor, fallit. Nam antiquitus ruſtici utpote ſervi, & plebs urbica, utpote libertini, non admittebantur ad militiam, quæ propria erat ſolis ingenuis. Ergo qui nulla arma habebant, iis principes arma non excutiebant, neque nobilibus committebant. Quando autem in Germania cives urbici & ruſtici admisſi fuerint ad militiam ad alium locum pertinet.*

Digitized by Google

nobilitati curæ habuerunt; atqui à ſtudio armorum nihil alienius eſſe conſtat mercaturâ.

10. Accedit & ratio coërcendi monopolia, quæ per homines potentes & nobiles facile contrahuntur, quamobrem jure Romano cunctis potentioribus mercaturâ interdictum *l. 4. & l. ult. C. de Commerc.*

11. Philoſophi idcirco illam deteriore loco habere videntur, quod cum ſimplicitate juris naturæ minus conveniat, rem eandem minoris emptam vendere pluris; nam in venditionibus, commercia fere conſiſtunt.

12. Fundamentum hujus quæſtionis decidendæ petendum eſt à voluntate contrahentium; His enim conſentientibus in eam, quæ arguitur, inæqualitatem, nulla ratio naturalis aut civilis eam reprehendendi ſupereſt.

13. Voluntas autem ementium ex indigentia colligitur; prout enim quiſque magis aut minus aliqua re indiget, ita pluris aut minoris eam æſtimare ſolet.

14. Sic tamen, ut indigentia reſpectu ſingulorum non ſpectetur, ita ut venditor captet unius neceſſitatem eamque precio enormi circumſcribat, *k*) ſed in univerſum, quatenus æſtimatione communi res quæque cenſetur.

15. Proinde, non modo tale lucrum, quod ſimpliciter penſationi laboris operæque reſpondeat, ſed & juxta ſubitum indigentiæ incrementum majus aliquid licite capi poteſt.

16. Eſt omnino tacitus ubique gentium & publicus in hanc rem conſenſus, ut res emptas cum lucro diſtrahere liceat, quæ generalis conſenſio in jus gentium abit, idque frequenter naturale dicitur; unde Romani JCti, naturaliter licere contrahentibus ſe invicem circumſcribere docent. In *l. 16. §. 4. ff. de Minor.* adde Grotium *lib. 2. cap. 12. §. 14.*

17. Quanquam monopolia, per quæ jus vendendi certis hominibus, excluſis reliquis, permittitur, ut plurimum eſſe prohibita, ſatis hinc intelligatur, quia commercii libertas juris gentium eſt.

18. Nihil tamen vetat, quin civitas ob civiles quandoque cauſas, ea permittere poſſit, quale fuit monopolium *Joſephi* in Ægypto, & eſt *Indicæ ſocietatis* in Belgio.

19. Cæterum, dignitas mercatorum in liberis rebuspubl. aliquantò major habetur, atque ſolet apud populos qui regnantur; Quanquam & ibi diverſa quam ſolebat olim, invaluerit exiſtimatio? ut ubi lucrum eſt, ibi quoque principes ipſi aggregari mercatoribus non dedignentur.

20. Juxta mercatores cenſeri cupiunt *Fœneratores*, qui pecuniis pro mercede mutuo elocandis ſuam vitam exercent, quos alii penitus è civitate vellent ejectos, & Fœnus in univerſum juri naturæ & divino contrarium judicant: non ſcilicet ejusmodi fœnus, quod damnum penſet illatum aut lucrum ceſſans, nec quod puniat debitores fruſtrantes, ut hæc diſtinximus *ad tit. ff. de Uſur.* ſed merce lucrativum.

21. De jure naturæ nobis certum eſt, id non prohiberi, ſiquidem nulla eſt ratio, cur non ex pecunia mea lucrum immediatè percipere queam, perinde atque ex aliis rebus pecunia comparatis.

22. Jure

---

n. 14. *k*) circumſcriberet] *Vult hic autor defendere æquitatem legis 2. C. de reſcind. vend. Sed ratio hic allata parum roboris habet. Nam ſi venditor poteſt intuitu indigentiæ communis rem ſuam majoris æſtimare ſalvâ æquitate naturali, poterit etiam æſtimare intuitu indigentiæ ſingulorum, niſi oſtendatur ratio diſparitatis evidens, quod præſtari nequit. Quare potius fateamur quod res eſt, cerebrinam eſſe æquitatem dictæ legis ſecundæ, & vix dabile ejus exemplum. Dixi latius peculiari diſſertatione.*

22. Jure divino, *l*) fundamentum prohibitionis eſt *charitas*, cujus legibus ſi poſſit uſura non adverſari, dicendum, dari quoque uſum ejus non nefarium.

23. Atqui ut ab eo qui noſtrâ pecunia in ſuum commodum utitur, mercedem capiamus, id non repugnat officio caritatis.

24. Nec audimus τὸν μέγαν à ſe ipſo diſſentientem, quando ſufficere debere ait legem Hebræis datam, ne à gentilibus ſuis capiant uſuram; cujus cum honeſta ſit materia, Chriſtianos quoque per illam vult obligari, quippe vocatos ad majora virtutum ſpecimina. Grot. *lib. 2. cap. 12. §. 20. de jur. b. & p. Aliter in introd. jur. Holl.*

25. Nos hanc conſequentiam in his quæ mere ſunt moralia, licet non neceſſaria, *ut alias dictum*, concedimus; Ejuſmodi autem hoc præceptum eſſe non videri, ex conditione illius populi, agreſtis & à commerciis alieni liquet; nam idcirco & aliæ gentes verſuram interdixiſſe leguntur; quam alii ſuis rebus neceſſariam experiuntur.

26. Præterea, quod morale totum eſt, id omnibus ex æquo populis congruere oportet; hanc autem de fœnore legem Deus ipſe ad alienigenas noluit extendi, à quibus Judæi fœnus capere jure potuerunt.

27. Quatenus autem legi dilectionis adverſetur uſura, id ex ſolida & infucata dijudicatione circumſtantiarum, quæ in univerſum terminari nequeunt, cuique colligendum.

28. Nos utcunque eos qui artem ὀβολοστατικὴν exercent, ob neceſſitatem tolerandos, ita qui fœneratorium toto vitæ inſtituto artificium exercent, laudandos minime putamus. *m*)

29. Quoniam etſi mutuum, quod ſua natura gratuitum eſt, non male quandoque fiat uſurarium, id tamen extraordinarium juvandique alterius cauſa, non promiſcuè, ut faciunt menſularii, debet fieri.

30. Quemadmodum, etſi bellum ſit licitum, non ideo, quibus bellum eſt ars, id que agunt, ut conducenti cuivis operas ſuas loceat, vitæ genus juſtum ſequi videntur.

31. Plane, qui apud nos trapeziticam exercent, quorum primi è Lombardia oriundi nomen gentis profeſſioni addiderunt, & qui ſub pignoribus enorme fœnus capiunt, ne quidem, uti res habet, ferendi in civitate erant, niſi ipſos magiſtratus tenerent implicitos; quæ tamen honorifica ſocietas nihil argentariis iſtis ultra impunitatem tribuere, neque labes reipublicæ internam rei ſpurcitiem tollere poteſt.

32. Mercatoribus jure meliori ſuccenturiantur, qui rem nauticam & piſcatoriam maxime Oceani, quique mechanicas artes exercent; quos à veteribus adſpernanter haberi videmus, à Xenophonte *in Oecon.* ab Ariſtor. in *Polit.* tanquam abjectos & nullius pretii homines *n*) *l. 3. c. 3. & lib. 6. cap. 4.*

33. Sed uſu diſcimus, in hoc hominum genere, ut his temporibus agunt, eſſe hone-

n.22. *l*) divino) *Jus divinum non ſeparandum eſt à jure naturæ, quia ad jus naturæ pertinet etiam doctrina de officiis humanitatis ſeu charitatis, quod verò communiter defendatur, uſuras repugnare ſcripturæ ſacræ & legi divinæ morali, id ignorantiæ juris naturæ quæ florebat tempore patrum eccleſiæ, & arcanis politicis juris Canonici adſcribendum eſt. Videndus præ reliquis Gerhardus Noodt JCtus celeberrimus, tractatu eruditiſſimo* de fœnore & uſuris.

n. 28. *m*) putamus) *Neque tamen etiam vituperandus, ut arbitror. Vid. Martin. Schoockii* exerc. var. 28. *Potiſſimum fundamentum Autoris in* n. ſeq. *quod mutuum ſuâ naturâ ſit gratuitum & ſaltem extra ordinem debeat eſſe uſurarium, deſtrui poteſt ex ipſo autore infrà* Sect. 6. cap. 4. n. 27. *ubi ferè fatetur, naturam mutui gratuitam magis adſcribendam eſſe juri Romano, quàm juri Gentium.*

n. 32. *n*) homines) *Videtur & hic miſcere Autor piſcatores & nautas dominos ac ſervos. Xe-*

tiſſimos & religioſiſſimos mortales, qui civitates numero & vectigalibus, eccleſias quoque vivis & ſolidis incrementis amplificant.

34. Milites ordinem in civitate proprium conſtituere non videntur; utique non, ſi delectu civium habito, identidem bello confecto, ut olim Romæ, dimittantur; tunc enim pars civitatis ſunt, non ordo civium peculiaris.

35. Neque verò, ſi perpetuis ſtipendiis modo in præſidiis habeantur, ut recenti Roma; nam qui tum cives ex illis ſunt, manent cives jure priori, alienigenæ mercenario ſervitio civilis unionis non ſiunt participes. *o)*

36. Proinde nec originariis civibus militare miniſterium quicquam juris, quo civilis character mutetur, ſuperaddit: quod verò ſecus apud Romanos obtinuerit, id vitium ac peſtis, non jus fuit reipublicæ.

37. Sed qui ſtudiis honeſtarum artium exercentur, hi optimo merito civilis ordinis cenſentur: ſunt autem in duplici differentia, qui docendis tantum eruditis diſciplinis dant operam, & qui faciunt artes, ſeu praxin earum, ut vulgo loquuntur, exercent.

38. Qui inſtitutionem ſcientiamque earum artium profitentur, quibus Eccleſiæ & civitates reguntur, & utiliſſimi humano generi & ab omni ſeculorum memoria honoratiſſimi fuere; præterquam ubi corruptis moribus præmia virtuti & doctrinæ debita ignaris bonarum artium promiſcuè tribuuntur.

39. Qui exercent in civitate diſciplinas, hi quod attinet ad rerum divinarum ſcientiam, alium locum, quam eſt is, de quo jam loquimur, in republ. tenent, idemque de juriſconſultis in loco videbimus. *p)*

40. Heic autem obſervandum, Theologos *q)* in pleriſque gentibus reipubl. regendæ in primis admoveri ſolitos fuiſſe, apud Hebræos, maxime poſt *ἁλωσιν*; apud Romanos Pontifices, ut Cicero *pro domo.* Idem Carolus Magnus inſtituit, apud Germanos imprimis, ut epiſcopi ſimul eſſent principes, quemadmodum adhuc ſunt, nec aliis frequentius reges & principes utuntur conſiliariis quam theologis.

41. Niſi quod apud proteſtantes id rarius inſtituitur, ita perſuaſos, ne jure quidem id fieri poſſe vel debere, quaſi id eſſet *ἀλλοτριο ἐπισκοπεῖν* & polypragmoſyne à Chriſto apoſtoliſque prohibita, quo paſtores animarum ſe totos huic curæ, quæ totis hominibus occupan-

---

nophontem & Ariſtotelem de ſervis & miniſtris intelligo, certe de fæce plebis, Autorem vero n.ſeq. *intelligo de dominis navigiorum, de mercatoribus in piſcationibus mercaturam exercentibus.*

n.35. *o)* participes) *Verum non deeſt, quod adverſus utramque rationem urgere poſſis; adverſus priorem, quia & ſi quis mercator aut agricola, aut doctor fiat, manet civis jure priori, & tamen agricolæ & mercatores & doctores ordinem peculiarem in Rep. conſtituunt. Adverſus poſteriorem, quia nihil repugnat, quo minus ad tales mercenarios applicetur definitio civis ab Autore ſuprà tradita* Sect.2.c.1.n.10.

n.39. *p)* videbimus) *Sed ubi? Sane de exercentibus rerum divinarum ſcientiam videtur infrà fuſius agere* Sect.3. cap. 4. *At de JCtis ubi? Niſi fortè reſpexit* ad lib.3. Sect.1. cap. 4. *Imò potius* ad cap. 3. Sect.ſeq. n. 12. ſeq.

n.40. *q)* Theologos) *Hic iterum puto miſceri Theologos, Sacerdotes, Pontifices, Miniſtros Eccleſiæ, Epiſcopos, qui tamen ſinguli inter ſe differunt. Apud Hebræos poſt captivitatem Babylonicam Sacerdotes vel Pontifices magis de facto ſe immiſcuerunt imperio, quod ut ſoliti fuerint eò adhiberi. De origine & progreſſu dignitatis & poteſtatis Epiſcoporum in Germaniâ videndi potius Conringius, Struvius, Monzambanus locis notis.*

Digitized by Google

occupandis ſufficit, dedere poſſint, & recte equidem; etſi cujus gratia id inſtituêre principes Reformantium, haud usquequaque fideliter impleatur; quod tamen juris rationem non mutat.

42. Medicos apud Romanos minus honoratos fuiſſe, libertinis & ſervis hac arte delegata, conſtat equidem, ſed poſtquam chirurgica & pharmaceutica ab eruditiore medicina ſeparata eſt, majore quam apud Græcos olim, honore cœperunt haberi & habentur etiamnum, ut etiam reipubl. non raro adhibeantur; etſi non ita, ut jurisconſulti, qua tales.

43. Philoſophi apud veteres multo quam hodie majori honore habebantur, cum & ſacris & legibus condendis omnique diſciplinæ adhiberentur; quæ poſtquam hodie a Theologis & Jurisperitis occupatæ ſint partes, philoſophis in civitate parum loci atque momenti relictum eſt.

SECTIO III.
De Jure Univerſitatum.

CAP. I.
DE UNIVERSITATE IN GENERE.

Poſt ſingulos, corpora hominum conſideranda & Univerſitates. n. 1. Definitio illarum difficilis, n. 2. tentatur tamen, n. 3. 4. ut & diviſio, quod vel ſingulæ perſonæ, vel integræ in eas familiæ, cum omnibus rebus conveniant. n. 5-9. Univerſitates ſine conſenſu S. P. non tolerandæ. n. 10-13. Definitio alia, & accuratior Univerſitatis, ejusque exegeſis. n. 14.-31. Ἑταιρεῖαι prohibitæ. n. 32. 33. Regimen Univerſitatum, cum jure condendi ſtatuta de rebus ſuæ profesſionis. n. 34. Jus perſonæ Univerſitatibus competens, etiam in contractibus & delictis. n. 35-44.

1. QUæ adhuc dicta ſunt, ea ſingulis fere civibus conveniunt; plerumque autem vel plures perſonæ vel integræ familiæ communis utilitatis causà in unum conveniunt, quæ corpora ſive univerſitates dicuntur.

2. Quid ſit univerſitas, difficile dictu eſt, prope ut hic illud Ariſtotelicum uſu veniat, ὃ δεῖ παντὸς ὅρον ζητεῖν; nam quia diverſiſſimæ univerſitates ſunt naturæ, definitio ægrè, omnibus quæ conveniat, dari poteſt.

3. Forte facilius negante quam ajente ſenſu; Univerſitas eſt *multitudo*, *communis utilitatis cauſa*, *certo regiminis ordine ſociata*, *quæ nec ſit familia neque reſpublica*; ſicut diximus *ad tit. Inſt. de Acquir. Rer. dom.*

4. Nam quia verba priora definitionis, his quoque conveniunt, nec tamen hæ univerſitates ſunt hujus generis, nominatim ſeparandæ videntur; deficientibus, ut videtur, verbis, quibus aliter diſtinctio illa colligi poſſit; niſi quid forte ſtatim melius occurrat.

5. Partiemur univerſitates, quod vel perſonæ ſingulæ, vel integræ familiæ cum omnibus ſuis rebus conveniant.

6. Cor-

6. Corpora, quæ perſonali tantum unione conſtant, propter uſus aut civiles aut ſacros congregantur.

7. Illi, vel ob mechanicas artes, vel ob ſtudia bonarum artium haberi ſolent: ſuntque *Collegia* artificum, & ex adverſo Academiæ; nam ſcholæ & gymnaſia per ſe univerſitates non ſunt, quia nullo regimine civili continentur.

8. Quæ ob ſacra congregantur univerſitates, *Eccleſiæ* dicuntur, quæ utcunque à republica ſeparatæ ſint, membra tamen civitatis eſſe, negari nequeunt.

9. Univerſitates, quæ non modo perſonas, ſed & familias domosque complectuntur; ſunt vici, pagi, oppida ſeu municipia, territoria, provinciæ & ſimiles, in quibus priores continentur: Nam dari univerſitatem in univerſitate habet facultatem & uſum.

10. De his omnibus in genere ſtatuendum, nullas jure conſtitutas videri univerſitates, nec ullas omnino tolerandas, niſi quæ ab eo qui ſummam habet poteſtatem, aut ſi minoris momenti ſint, ab his qui delegatam à principe habent poteſtatem, probatæ vel confirmatæ ſint.

11. Ratio, quia prætextu collegiorum, fundamenta ſeditionum ſtabiliri poſſunt; præter quod nihil in civitate majoris momenti ſit, quod ab alio quam a ſumma poteſtate conſtitui queat; nec quicquam facile pluris occurrit momenti quam civium in civitate ſocietates.

12. Unde haud immerito, criminis extra ordinem rei ſunt, qui *ἑταιρίας* ſodalitia, collegia formaverint, ut non tantum jure Romano receptum, ſed etiam univerſali jure publico ſtatuendum eſt, *vid. tit ff. de Corpor. & colleg.*

13. Facit, quod in civitatibus, maximè, ubi fundamentum imperii eſt democraticum, univerſitates civium, quaſi uſum habent curiarum, ut olim populus Romanus in XXX. curias diviſus de publicis rebus conſulebatur.

14. Forſitan ex his omnibus definiri poteſt univerſitas, paulo concinnius quam modò, *Cœtus*, ſive corpus *ſubditorum* alicujus civitatis, *ſub certo regimine, permiſſu ſummæ poteſtatis, ad utilitatem communem ſociatus.*

15. *Cœtum* dicimus, quia ipſum corpus civium pro univerſitate habemus; iterum ſpreta eorum ſubtilitate, qui *formam moderationis* proprie loco generis collocatam vellent, ut vult Arniſæ. *l. 1. de republ. c. 1. ſect. 7. n. 2.* tanti putans hac cauſa reprehendere Platonem, Speuſippum, Ulpianum, Bodinum alioſque, prope ambitioſæ nugæ!

16. Dicuntur etiam ſocietates, & collegia *in l. 1. ff. Quod cujusque univerſ.* Sed hæc nomina conveniunt etiam ejusmodi cœtibus, qui nullo regimine continentur; neque rurſus ſatis conveniunt, pagis, oppidis & provinciis, quæ tamen univerſitates ſunt.

17. Numerus ſociatorum varie ſe habere poteſt; minimus omnium, à quo initium capere poſſit univerſitas, habetur, trium perſonarum *l. 85. ff. de verb. ſignif. r)*

18. *Subditorum*, non civium, ſiquidem & advenarum temporaria poſſunt eſſe collegia & univerſitates, ut mercatorum, ſtudioſorum, denique eccleſiæ & Monaſteria.

19. *Sub certo regimine*; his verbis conſtat differentia à Societatibus, quæ non raro pro univerſitatibus fallunt, quales publicanorum & mercatorum, etſi Romæ quidem publicanis univerſitates permiſſæ fuerint, ut indicat Cajus in *l. 1. ff. quod cujusque univerſ.* non æquè militibus, etſi illis, conferre ſtipem & ſemel in menſe coire permittitur, at ſine regimine peculiari. *l. 1. ff. de colleg. & corpor.* quod

n.17. r) de Verb. ſignif.) *Sed poſtquam Autor numerum præcedentem novæ editioni inſeruerat, debuiſſet hunc n.17. emendare vel expungere. Nam JCtus in hâc lege loquitur de collegio, non de univerſitate. Conf. dicta de talibus quæſtionibus in notis* ſuprà ad Sect. 1. cap. 2. n. 20. lit. n.

Digitized by Google

quod nihilo magis hodie publicanis permittendum videretur. Enimvero nomina ne quem decipiant, tenendum, ſocietates ſæpe dici, quæ ſunt maximè univerſitates, ut *Indicæ* apud Belgas.

20. Proprietas autem & nota hujus regiminis eſt, quod alii ſunt imperantes, alii ad parendum tenentur; ſive imperans ſit unus, vel pauci, vel ex omnibus identidem major pars, adeò ut univerſitates ad inſtar civitatum, tribus formis adminiſtrentur.

21. Plerumque penes univerſos ſocios, hoc eſt, penes majorem partem eſt regimen, ita ut ſecundum plura ſuffragia concludatur & minor pars ſequi cogatur; niſi aliquid certi hac parte placuerit: Ut in collegio cardinalium duas partes præſentium conſentire oportet in eligendo pontifice, quod tamen ad alium locum magis pertinet.

22. Quot autem adſint univerſitatis membra, nihil refert; ſi modo conventus legitime ſit indictus, ſine dolo & captatione abſentiarum; niſi rurſus aliquid certi hac parte ſit conſtitutum, ut apud Romanos receptum fuit, ne pauciores quam duæ partes adfuerint *l. 3. & 4. ff. quod cujusque univerſ.*

23. Habent etiam ejusmodi univerſitates arcam communem, & poſſunt habere ſyndicum ſive actorem, per quem quod communiter agi fierique oporteat, agitur, ut fit; habent & notionem ſive aliquid inſtar jurisdictionis, omnia ad inſtar reipublicæ *l. 1. §. 1. quod cujusque univerſ. nom.*

24. *Permiſſu ſummæ poteſtatis*, plerumque immediatè, aliquando per magiſtratus. Sic autem à familia diſcernitur univerſitas, quæ non eget conſenſu publico ſimul à civitate; cujus anima eſt ſumma poteſtas, nec ante civitatem exiſtit; at quod ſupremæ poteſtatis permiſſu ſit, hoc eam præexiſtere ſupponit.

25. Denique, hæc verba, exercitus terreſtres & maritimos, etiam ſingulas naves bellicas ſeparant ab univerſitatibus, quia non permiſſu, ſed nomine & juſſu ſummæ poteſtatis, inque miniſterium ejus ac commodum immediatè ſociantur.

26. Excludunt etiam hæc verba prohibitas univerſitates, quæ non habent juſſionem vel decretum permiſſionis à ſummâ poteſtate, utcunque ſuum regimen habeant, & tolerentur, & libertate gaudeant, quod diſcrimen evidens eſt, in collegiis hæreticorum & ſchiſmaticorum, qui à publicâ eccleſia ſeparati ſuo ſenſu & more Deum colunt, & quorum quædam per conniventiam tolerantur, alia decreto civitatis ſtabilita ſunt.

27. Quæ ſunt poſterioris generis, hæ vocantur & ſunt univerſitates, non etiam quæ prioris, etſi actus aliqui à voluntate ſummæ poteſtatis deſcendentes ſubinde circa eas exerceantur; quia ſemper in ſtatu ſunt, ut tolli queant & debeant, adeoque ſunt univerſitates facti non juris ut ita loquamur.

28 Sed an diuturnitas temporis Univerſitatum jus illis tribuere non poteſt? Exiſtimo poſſe, ſi nulla prohibitio ſcientis magiſtratus præſcriptionem interrumpat, ut apud nos pontificiorum univerſitates perpetuo prohibentur & tolerantur, his tamen præſcriptio non currit.

29. Secus ac anabaptiſtis, ut videtur, quibus integri tolerantia ſeculi palam facta jus univerſitatis acquiſiviſſe videtur. Quare enim minus hoc jus quā omnia reliqua lapſu temporis acquiri nequeat, ratio nulla reddi poteſt. *s*)

30. Ideoque ejusmodi univerſitatibus, jus perſonæ omnesque civium facultates & ſtandi in judicio & acquirendi bona juraque competere videtur.

31. *Ad communem utilitatem*; Finis in omni legitimâ univerſitate neceſſarius; vox *communem* recipit duplicem ſenſum, pro communi ſociorum, & publico bono. Utrumque

n.29. *s*) reddi poteſt) *Utique quoad reliquos concives ſubditos concedo: contrà ſummam poteſtatem nego, per ea, quæ dixi ſuprà* ad l. 1. Sect. 3. c. 9. n. 51. lit. i. p. 111.

Digitized by Google

trumque requiritur; neque enim aliter ab imperantibus hujuſmodi corpora permittuntur.

32. Merito igitur Romani principes vetuerunt eſſe *irregulas ſodalitia*, in quibus commeſſandi potiſſimum gratia homines conveniebant, meritòque in *Academiis* tam germanicis, quam belgicis abolita ſunt collegia ſtudioſorum nationalia, quæ finem præcipuum ſympoſia publicæque diſciplinæ everſionem habebant.

33. Nominatim ordines Friſiæ hanc rem tanti fecerunt, ut ſolenni legatione undecim virorum è primariis reipubl collegiis in academiam factâ, rem utiliſſimam ſæpe etiam vi tentatam conſilio & auctoritate confecerint, anno MDCLXVIII.

34. Regimen univerſitatibus, quantum ad cujuſque moderationem ſatis eſt, nec ultrà conceditur, ut quam minimum publicæ autoritatis *vigori decedat, idque moribus paſſim obtinet*.

35. Porrò, quia per regimen ſuum univerſitas ad unitatem redacta eſt, hinc jus perſonæ ei rectè adſcribitur. Ideoque habet dominium à ſingulorum dominio ſeparatum, quomodo res univerſitatis è rebus ſingulorum diſtinctæ ſunt, ut docent jurisconſulti, in *l. 6. §. 1. ff. quod cujusque univerſ. nom.* imo contrahere & delinquere poſſunt univerſitates, in *l. 17. §. 1. Quod cui. univerſ. l. 9. §. 3. ff. quod met. c. l. 27. d. reb. cred. Auth. nulla communitas C. de Epiſc. & Cler.*

36. Scilicet, ipſa univerſitas eſt perſona; ideoque ſingula univerſitatis membra de contractu vel delicto univerſitatis non tenentur, utique non quatenus ſunt ſinguli; verum uti concurrunt ad unum corpus cum aliis conſtituendum, ſic etiam pro ſuâ parte tenentur, modo cauſa obligationis ita contracta ſit, ut univerſitas inde valide obligetur.

37. Quo autem hoc fiat, alterutrum neceſſe fuerit, vel ut omnes & ſinguli univerſitatis conſortes voluntatem ſuam declaraverint; vel, ut univerſitas quibusdam jus plenum & abſolutum dederit, de omnibus rebus maximis & minimis liberè ſtatuendi; perinde ac ſi ipſa univerſitas & tota conſuluiſſet, ita ut iſta perſona vel iſtud collegium totam univerſitatem repræſentet.

38. Hoc enim in patrimonialibus ſingulæ univerſitates ſuo quidem arbitratu facere poſſunt; Sed extra patrimoniales cauſas non dari talem in univerſitatibus repræſentationem, *in loco* demonſtratum eſt.

39. Quod attinet ad delicta, cum in illis requiratur dolus proprius, qui non cadit in univerſitatem *l. 15. ff. de dol. mal.* ſequitur, illam ita non poſſe delinquere, ut ſinguli è delicto teneantur.

40. Proinde, pœna propter delictum univerſitatibus ſingulatim infligi non poteſt, niſi conſtet, quis vere delicti particeps fuerit. Unde ſequitur, ſi omnes facinus participaverint ex rigore juris, omnes poſſe puniri, licet æquitas aliquid temperamenti poſtulet.

41. Deus ſane totas urbes & nationes ob peccata, quibus ſe inquinaverant, aliquando proſcripſit atque delevit *Deuter. XIII. 12. & ſeq.* Alias ſortitio vel decimatio inſtituitur, quæ fuit diſciplina militiæ Romanæ, vel duces & anteſignani puniuntur.

42. Tamen & univerſitati quâ tali, pœna rectè imponitur, etſi de auctoribus delicti non conſtet, quemadmodum populos ſæpe ſuis privilegiis & ornamentis ob ſeditiones, privatos legimus.

43. Alioqui notiſſimum in hiſtoria inſtitutum eſt, puniendi univerſitates ita, ut pœna paucos adfligat, metus ad omnes perveniat. Raro fit hoc, quod Minerva apud Homerum Iliad. ό, de Jove denuntiat irato;

Μάρψει δ' ἑξείης ὅς' αἴτιος ὅστε καὶ οὐκί
Sontes inſonteſque manet promiſcua pœna.

44. Hæc de univerſitate in genere dicta ſunto; Tranſeamus ad ſingulas ſpecies.

CAP.

CAP. II.

DE UNIVERSITATIBUS ARTIFICUM MECHANICORUM ET MERCATORUM.

Differentia Societatum & Univerſitatum re & nominibus, ubi de Artificibus, Publicanis. n. 1-7. Conſiderationes ſuper uſu illarum. n. 8-13. De Societatibus Indicis, quo jure teneant Imperia ditionum, quas habent foris, jure Summæ Poteſtatis, an dominii duntaxat. n. 14-21. Aliquando totum Reip. corpus in univerſitatibus comprehenſum eſt n. 22. 23. De poteſtate Univerſitatum res judicandi & ſtatuta concedendi. n. 24. 25. 26. Iterum de monopoliis, n. 27. 28. & alia n. 29.

SEcundum partitionem *ſuprà* poſitam occurrunt primo univerſitates, quæ perſonas tantum, ſine reſpectu rerum & domuum ſuarum, continent, idque tam propter uſus ſacros quam civiles.

2. Ex his primo ſunt artificum & mercatorum collegia, quatenus hæc regimine certo continentur; nam etſi univerſitates ſint etiam ſocietates; non quælibet tamen ſocietates ſunt univerſitates

3. Cujus rei effectus notabilis in hoc elucet, quod in ſocietate pars minor non cogitur ſequi majorem ſociorum partem, ſed quod pluribus in re communi placuit, id cuique diſſentienti prohibere jus eſt *l. 28. ff. Com. divid.* quod in univerſitate ſecus eſt, ut antea diximus.

4. Proinde, ubi hæc forma regiminis additur, ut prærogativa ſuffragiorum valeat, ibi ſocietatem mutari contingit in univerſitatem, quod accidit in artificibus mechanicis, qui plerumque ſuas habent univerſitates; ut Romæ habuere piſtores & navicularii *l. 1. ff. quod cuj. univerſ. nom.* & ſunt hodieque omnium fere profeſſionum & artificiorum in plerisque civitatibus.

5. Adduntur, ut jam ſupra vidimus in *d. l. 1.* publicani, quorum hodieque ſocietates ſunt plurimæ, univerſitates quod ſciam, nullæ: nec ut hodie res ſunt, expedire judicaretur reipubl. ut id genus hominum ordine certi regiminis audaciam & capacitatem ſuam auctoritate majori ſtabilirent.

6. Fuerunt etiam apud Romanos ſocietates eorum, qui argenti & aurifodinas atque ſalinas exercerent, quæ ſimiliter univerſitatis jure donatæ ſunt & donari poſſunt hodieque, ubi dentur; ſicut & piſcatorum, nihilo ſecus ac aliorum artificiorum.

7. Denique, mercatorum ſocietates huic numero accenſentur, quæ ſimiliter, ut ſupra diximus, aliquando univerſitatis jure donantur; quod tamen haud temere, nec niſi magnâ utilitatis publicæ ratione faciendum.

8. Quia cunctæ univerſitates artificum & mercatorum, genus quoddam monopolii exercent, quo alii extra univerſitates illas ab ejusdem artificii vel mercimonii exercitio excluduntur, quod ut plurimum præpoſtere cedit.

9. Dum ſæpe peritiores, qui ſumptus ad ingreſſus collegiorum injunctos ferre nequeunt, ſuo & aliorum incommodo arcentur à communione victus exercendi aliusque utiliter inſerviendi.

10. Quæ ratio facit, ut ubi collegia à ſummis poteſtatibus conceſſa non ſunt, magiſtratuum auctoritas inferiorum, ad creandum

dum aliis præjudicium non ſufficiat, ut bene recteque in contradictorio ſcimus eſſe judicatum.

11. Denique, multi non temere exiſtimant, plerumque ſatius eſſe, promiſcuam artificibus copiam ſui præbere, ut quanto quisque diligentior & peritior eſt, tanto majore commodo gaudeat, nec univerſitatum prærogativâ meliores, quod ſæpe fit, præcludantur.

12. Multo magis in mercatoribus id obſervandum, ne univerſitatibus ſtabilitis, promiſcui uſus libertas, quæ auget hominum induſtriam & civitatem locupletat, coerceatur.

13. Sunt tamen juſtæ cauſæ, propter quas ſumma poteſtas artificibus & mercatoribus collegia & univerſitates, cum excluſione aliorum, concedere poteſt; ſi quando aliter utile reipubl. commercium adminiſtrari nequeat; ut in longinquis Indiarum & novi Orbis navigationibus ac commerciis uſu compertum eſt.

14. Quarum inſtitutum nuper inchoatum, inter alia plura, id habet ſingulare, quod, extra territorium ejus poteſtatis, à quâ recipiunt auctoritatem, regimen ſuum extendunt; cum alioquin univerſitas ſit corpus hominum in una civitate, cujus extra limites ſuas jurisdictio extendi non poteſt.

15. Tamen, inquam; Indica ſocietas, quæ eſt univerſitas ſtabiliti regiminis, habet civitatem, imo rempubl. & imperium ſub alio ſole cœloque: An illud imperium eſt ſocietatis proprium, quatenus, inquam, imperium eſt, an ordinum fœderatorum? Nam de privato dominio nemo dubitat, quin hoc ſit ipſius ſocietatis proprium.

16. Quid? dices, univerſitas ſubjecta civitati, quæ civitas ipſa non eſt, civitatem rempubl. & imperium habebit? Cui hoc in mentem veniat? Atqui privatum hominem, alii principi vel reipubl. ſubjectum, nihil vetat, habere foris imperium idque independens; quid ni & univerſitas, quæ jus habet perſonæ.

17. Domini Amelandiæ cives ſunt Friſii, & tamen imperium ipſorum in viciniam inſulam ab ordinibus tam Friſiæ, quàm Belgii fœderati agnitum & habitum eſt independens. Hoc jus univerſitas aliqua Belgarum acquirere poſſet; haberet eadem jus æque independens ac illi habuerant, quod proinde non caret facultate civili.

18. Quare diſtinguendum eſt: Si univerſitas ſive Indica ſocietas nihil aliud ab ordinibus accepit, quam permisſionem conſtituendi & habendi tale corpus, vel ſi inſuper acceperit privilegium, ne quis alius è Belgis commercia per Indias exerceat, hactenus nihil apparet, quur Imperium illis proprium & independens competere non videatur.

19. Non obſtante, quod apud Belgas ſubjecti ſunt, atque heic etiam in jus vocari poſſunt? Id enim de rebus in Imperio ſuo foris adminiſtratis, non magis haberet locum quam princeps aliquis in noſtro agens territorio, ad rationem ſui regiminis forenſis reddendam teneretur, quemadmodum de Amelandiæ domino Friſii nunquam exigendum putarunt.

20. Quod ſi Indica ſocietas eâ lege conſtituta ſit, ut puto conſtitutam eſſe, quod ſumma poteſtas futura ſit penes ordines fœderatos, ipſique ſocii foris adverſus externos principes ordinum nomine fœderatorum utantur, uti conſtat eos uti, jam rurſus dubitari non poteſt, quin ſumma poteſtas illius Imperii forenſis ſit penes ordines fœderatos, à quibus etiam leges & reliqua jura reipubl. adminiſtrandæ acceperunt, & ad quos etiam de rebus apud illos foris judicatis provocari poteſt.

21. Unde patet, ne quidem illos accepiſſe regalia ab ordinibus generalibus, quemadmodum vaſalli accipere ſolent, quos vere ſummam poteſtatem habere, licet feudi ſervitio obſtrictos, alias demonſtratum eſt.

22. Porro etiam fieri poteſt, ut tot artificum

ficum & mercatorum collegia ſint in aliqua civitate, uti omne fere civium corpus in iis ſit comprehenſum, quod Argentorati, Coloniæ, Groningæ & alibi uſu venire conſtat.

23. Atque in iis locis ita fert aliquando ſtatus civitatis, ut principium & extremum popularis imperii in ejusmodi collegiis contineatur, pari fere modo, quo Romæ ſe res habuiſſe cum curiis antea diximus, & in prænominatis civitatibus haud ita pridem ſe res habuit.

24. Porto, collegia artificum & mercatorum habent notionem cauſarum ad inſtitutum ſuum ſpectantium, eaque causâ mulctæ dictionem, imperium tamen ſive facultatem exequendi regulariter non habent; niſi foris, ubi manu publica adjuvari non poſſunt, agant, ut in longinquis navigationibus, ubi quoque meri imperii exercitio privatis ſocietatibus concedi ſolet.

25. Jus etiam habent condendi ſtatuta profeſſioni ſuæ convenientia, dum ne aliquid ex publico jure corrumpant: aut aliorum commodis adverſentur, cujusmodi ſunt quæ ad monopolia ſpectant.

26. Quibus accenſetur, ſi artifices ſtatuant, ne opus ab alio inchoatum alter abſolvat, aut plus nomine pretii vel mercedis exigant, quam lex vel conſuetudo permittant, quæque ſimilia lucri ſacra fames hominibus ſuggerere ſolet. *Vid. tit. C. de Monopoliis & conventib. negotiatorum illicitis, vel artificio ergo laborum & pactionibus illicitis.*

27. Aliquando tamen è republica eſt, ut monopolii quoddam genus certis collegiis permittatur, cum varias ob cauſas, de quibus politici, tum ideo, quod majori opus ſit concordia potentiaque ad ſtabiliendam mercaturam, contra vim æmulantium, quod magno cum fructu in ſocietate Indicanâ apud Belgas factum.

28. Quâ de re diſputatum audivimus apud Anglos, an Rex ejusmodi monopolium, quo alii cives à commercio certæ partis marium & terrarum excluduntur concedere poſſit, eo quod hæc res ad proprietatem rerum, quæ Imperio ſubjecta non ſit, pertineat. Ibi quidem Parlamenti auctoritas adhibita fuit, ſed eſt juri conſentaneum, quod hæc ſit facultas dominii eminentis, quod habent rectores civitatis, ut ejuſmodi privilegia concedere poſſint.

29. Ejusmodi univerſitates, quatenus ſuum corpus extra fines civitatis, cui ſunt ſubjectæ, extendunt, habent ſe inſtar reipubl. ſubordinatæ, omnes imperii actus velut in civitate exercentes, qui tamen infirmari ob iniquitatem prohiberique poſſunt.

CAP. III.

DE UNIVERSITATIBUS STUDIORUM.

Differentia ſcholarum trivialium, gymnaſiorum, & univerſitatum n. 1-8. Expoſitio celebris *Auth. Habita*. n. 9. 10. Illam primo non fuiſſe, niſi pro peregrinantibus & legum profeſſoribus. n. 11. 12. Ratio cur ita, & quomodo poſtea res mutata ſit. n. 13-22. Quid proprie faciat univerſitatem in academiis. n. 23. 24. 25. Quatenus ſtudioſi habeant electionem fori. n. 26-33. Imperium academiarum mixtum, an merum, an ſimplex notio n. 34-45.

1. Etiam ſtudia bonarum artium ſitas habent univerſitates, adeò ut nomen hoc academiis majoribus ſingulari modo & per excellentiam adſcribatur. *t)*

2. Etſi autem hæc appellatio trivialibus & illuſtribus ſcholis negetur. ex uſu tamen ejusmodi ἀρχῆς, non ſequitur, univerſitatis naturam illis nullo modo competere.

3. De ſcholis equidem trivialibus haud difficilis reſponſio eſt, illas eſſe quidem Collegia, non eſſe univerſitates, qua nullum civile regimen, nulla jurisdictio in illis apparet, niſi juſſa & diſciplinam pædagogorum, jurisdictionis & imperii loco habere placeat.

4. Sed gymnaſia & illuſtres ſcholæ quæ dicuntur, an ſint *Univerſitates*, etſi appellatione communi pro talibus non habeantur, *u)* haud immerito dubitatur. Res hinc pendet, utrum in illis gymnaſiis aut ſcholis illuſtribus, ſit regimen aliquod aut notio vel jurisdictio, ſaltem de rebus ad profesſionem earum pertinentibus, an ſecus.

5. Quia verò plerumque ejusmodi illuſtres ſcholæ ſuos habent rectores & ſenatum atque notionem & audientiam de rebus ſtudiorum, hinc ſtatuendum, eas ut plurimum eſſe habendas pro univerſitatibus.

6. Duplex igitur omnino eſt differentia gymnaſiorum & academiarum; Quod in his & regimen eſt certum & jus promovendi ſtudioſos ad honores facultatum ſuarum; quorum prius ad jus univerſitatis, poſterius ad hanc rationem minus pertinet.

7. Sed gymnaſia & academiæ, quæ ſunt univerſitates, ab imperatore Friderico Barbaroſſa, non tantum notionem, ſed etiam jurisdictionem & imperium in ſuos acceperunt, in *Auth. Habita C. ne fil. pro patre.*

8. Sic tamen, ut etiam academiæ ſint, quibus notio de rebus ſtudiorum duntaxat tributa eſt, quæ & ſufficere videtur ad regimen univerſitati conſtituendæ neceſſarium, ut in collegiis artium mechanicarum fieri videmus.

9. Sed dignitas liberalium ſcientiarum præ vulgo aliquid etiam externi decoris poſtulat; præſertim, quia imperiti & profani literarum, ſæpius inſolenti odio erga divinarum artium cultores feruntur, quorum ſcientia totus illuminatur mundus, & ad obediendum Deo ac poteſtatibus vita ſubjectorum informatur, ut prædicat de illis fortisſimus Imperator *Fridericus Ænobarbus*, *in d. Auth. Habita.*

10. Quæ cum jus fere commune faciat hac parte, & ad hunc locum ſpectet, argumentum ejus paucis exponemus. Ait Imp. *Omnibus, qui ſtudiorum cauſa peregrinantur, ſcholaribus & maximè divinarum atque humanarum legum profeſſoribus hoc noſtræ pietatis beneficium indulgemus.*

11. Rudia fuerunt initia; Non fuit propoſitum, omne ſtudioſum nomen in unum corpus redigere, vel municipes locorum, in quibus ſtudia coluntur, ſuis magiſtratibus ſubducere. Peregrinis, *ſcientiæ causâ exſulibus*, ut infra loquitur, conſultum voluit impe-

---

n. 1. *t)* adſcribatur) *Sed dum Academiæ per excellentiam Univerſitates dicuntur, non reſpicitur ad ſignificatum Univerſitatis, quem definivit Autor* cap. 1. *ſed ad univerſitatem ſtudiorum, unde etiam olim appellabantur ſtudia univerſalia.*

n. 4. *u)* habeantur) *In Gymnaſiis initio non tractabantur ſtudia univerſalia, nec hodie tractantur in omnibus, etſi in quibusdam eò ſucceſſu temporis perventum fuerit. Primaria differentia inter Gymnaſia & Academias non ſolum conſiſtit in eo, quod in Gymnaſiis non conferantur dignitates & honores Academici, ſed maximè, quod Univerſitates Academicæ ſint inſtitutæ autoritate Imperatoriâ & plerumque etiam Pontificiâ, Gymnaſia ſola autoritate Statuum Imperii Germanici.*

Digitized by Google

it imperator, dare privilegium fori nullum habentibus, non eximere foro jam pridem ſubjectos.

12. Neque profeſſoribus cunctis, ſed juris anteceſſoribus tantum datur hujus beneficium legis; *Scholaribus ſtudiorum causâ peregrinantibus, & maximè divinarum atque ſacrarum legum profeſſoribus*; nihil de Theologis, medicis aut philoſophis. w) An igitur hi nihil pertinent ad jus univerſitatis? nihil quidem ex hac *Auth.* aliter ſequentium mores temporum introduxerunt.

13. Non poſſunt hoc ferre, qui uſum ab origine juris minus attente diſcernunt: Hi legum profeſſores *maxime* quidem deſignari volunt, ſed hac voce reliquos συγχωρητικῶς comprehendi putant: quod eſſet verum, ſi hoc modo eſſet ſcriptum, *profeſſoribus, maxime ſacrarum legum.* Sed eſt ita, ſcholaribus & maxime legum profeſſoribus.

14. Quod ſi verbum *maximè*, comparationem profeſſorum inferret, quæ ratio tuliſſet, legum profeſſores anteferri theologis? imprimis cum hæc conſtitutio in fronte præferat epiſcoporum & abbatum ante duces & judices nomina, qui ſanè theologorum honori non defuiſſent.

15. Verum à nobis exigitur, ut cauſam, quamobrem juris doctores hic præ theologis & philoſophis honorarentur, exponamus. Ratio, quare theologi & philoſophi non ſint comprehenſi hoc privilegio, hæc eſt; quia profeſſoribus theologiæ ſat cautum fuerat legibus antiquis & exemptionibus auctoritate pontificum ſtabilitis, quemadmodum & philoſophis; quia ſatis conſtat, philoſophiæ, non minus quam theologiæ profeſſionem iis temporibus & diu poſtea penes ſolos fuiſſe Clericos; utrâque monaſteriis fere incluſâ.

16. Quare his imperatoris privilegio nihil opus fuit, nec uti illo auſi fuiſſent. Juris doctores nihil tum privilegii habebant, imò à pontificibus ſupprimebantur: Ideoque imperatori in hoc ſolenni conventu apud Roncalias inſinuata eſt ſupplicatio, ab

 his qui

n. 12. w) Philoſophis) *Inter deſiderata hiſtoriæ literariæ etiam eſt, ut diſtinctius, quam hactenus factum fuit, proponatur doctrina de origine & progreſſu Academicorum ſtudiorum. Glaciem fregit Conringius de Antiquitatibus Academicis, ſed poſt eum parum promotum fuit hoc doctrinæ caput. Suppeditare tamen hic nonnulla poſſunt Launoii libellus* de varia fortuna philoſophiæ Ariſtotelicæ in Academia Pariſienſi, *item Fleurii libellus* de ſelectu ſtudiorum (du choix des etudes) *Sunt etiam in* MSC. paternis *nonnulla capita huc pertinentia:* de hiſtoriâ ſeptem artium liberalium, de philoſopho Artiſtâ, de medico Gratioſo, de ſectis nominalium & realium &c. *ex quibus quædam inſerui*, obſervationibus ſelectis Halenſibus. *Quantum recordor, ita res ſe habet. Initio diu in ſchola Pariſienſi ſtudium Academicum ſubſtitit in profeſſione ſeptem artium liberalium, tùm tempore Petri Lombardi acceſſit mixtura ſtudii philoſophici & theologici, poſtea ni fallor ex Thoma Aquinate cœptum ſeparari facultatem Theologicam & Philoſophicam, dum libri phyſici & poſtea ethici etiam cœperunt in Academia Pariſienſi doceri. Sed hoc augmentum contradictione non caruit, quod fuſius exponit Launoius. Pandectæ primum exponi cœperunt à Grammaticis, occaſione vocis* aſſis, *ut docui* in Hiſtoria juris Romani & Germanici. *Tum ſeparata facultas juris interpretum eſſe cœpit, ad cujus hiſtoriam perficiendam non negligendæ ſunt circumſtantiæ hic ab autore indicatæ. Ad quorum æmulationem poſteà Papa novam facultatem interpretum Juris Canonici inſtituit. Tandem medica facultas acceſſit, de quâ Fleurius notabilia non obvia alias ſuppeditabit &c. Unde ſimul ratio patet, cur medicorum nullam faciat mentionem Fridericus. Nam de Theologis & Philoſophis jam rationem ſuppeditat Autor* n. 15.

his qui pontificum arrogantiam meiius refutari non poſſe videbant, quam per ordinem ſummum eruditorum, qui à cæſarea majeſtate dependerent, cum antea omnis doctrinæ profeſsio penes clericos & in ſubjectione pontificum fuiſſet.

17. Juris autem doctores paucis ante e itionem hujus conſtitutionis annis, cœperunt apparere in Italiâ, unde per reliquam Europam propagati ſunt.

18. Cum enim in imperio occidentali, per invaſiones Germanicas omnium occidentis provinciarum, civile jus Romanum, legibus Gothicis, Longobardicis, Salicis aliisque oppreſſum fuiſſet, accidit anno MCXXXVII. ut exemplar vetus Pandectarum MS. à Piſanis inveniretur, in expugnatione urbis Amalphitanæ, quæ eſt in ditione Neapolitana; quod agnitum â quibusdam non indoctis & ſervatum, Piſisque diu cuſtoditum, dein hac civitate à Florentinis ſubactâ, jure victoriæ Florentiam tranſlatum eſt; Ex cujus editione libri mirificum in hominibus eruditis ſtudium excitatum eſt, ad artem juris-prudentiæ propagandum.

19. Pontifices hac ratione ſubrui videntes præcipuum potentiæ ſuæ fundamentum, quod erat in omnis doctrinæ poſſesſione & inſcitia reliquorum ordinum, nihil æquè ſua intereſſe judicarunt, quam ut hoc juris Romani ſtudium in herbâ, quod ajunt, opprimerent: adeo ut ſanctionibus graviſſimis, ſub pœna excommunicationis, cujus tunc animas hominum timor immanis occupaverat, jus civile doceri prohibuerint; quâ de re videri poteſt teſtimonium Mezeræi ſcriptoris pontificiæ religionis *in regno Philippi Pulchri, cap. de reb. Eccleſiaſt.*

20. Fridericus igitur Barbaroſſa, qui hoc tempore viam opponendi ſe pontificum uſurpationibus & regalibus imperii vindicandis ingreſſus erat, haud ſegniter animadvertit, nihil ex adverſo, ſuâ magis intereſſe, quam ut ordo juriſconſultorum independentes à pontificibus ſtabiliretur. Quâ gratiâ ſic inſtituit, ut juris ſtud oſi, inprimis in univerſitates cum ſuis doctoribus redigerentur & proprio fori privilegio, tanquam aliquod novum cleri genus coaleſcerent, cæſareâque auctoritate defenderentur; Id accidit annis XXXI. poſt inventos pandectas à Piſanis: nam hæc authentica tempus editionis habet ann. MCLXVIII. ejusque præſidio juris ſtudium brevi in profesſiones publicas efflorruit, ſignum egregiæ æmulationis attollente *Irnerio*, ſive *VVernero*, nam Germanus fuit, Profeſſore Bononienſi.

21. Hoc initium habuerunt univerſitates ſtudiorum, quod etiam adfirmat harum rerum ſedulus indagator Conringius *diſſert. Acad. 5.* ita ſcribens de ſeculo Chr. XII, quod eſt Friderici noſtri: *Univerſam Europam duntaxat unicam habuiſſe ſcholam Pariſienſem publicam, in quâ tumor quædam philoſophia & theologia, ut tum erant tempora, non male docebantur: Non multo poſt tempore* pergit, *doceri publicè Bononiæ in Italiâ capit Jus Civile Juſtinianeum.*

22. Ab hoc inſtituto univerſitatis juridicæ, poſtea compoſitæ ſunt univerſitates reliquæ per Europam, quæ deinde non ſolos ſacrarum legum, ſed omnium facultatum doctrinæ profeſſores & ſtudioſos complexæ ſunt; adeo ut nunc univerſitates ſtudiorum vere ſint univerſales, omnium profeſſores & ſtudioſos artium comprehendentes, quarum jura qui probare volunt ex hac authenticâ, vulgarem errant pragmaticorum opinionem, qui uſum & practica temporum ex antiquis legibus probare ſolent & gaudent.

23. Quid autem juris datum eſt profeſſoribus & ſtudioſis, qui in univerſitatem redacti fuerant? Namque docentium & diſcentium cœtus, qui ab omni antiquitate fuere, non eſſe univerſitates, ex iis quæ *ſuperius* dicta ſunt, probatum eſt.

24. Fuit hoc; ut ne profeſſores & ſtudioſi foro communi & jurisdictionibus magiſtratuum, in quorum territoriis agebant, ſubjicerentur, verum ut cœtus illorum haberent

berent peculiare regimen & rectores judiceſque proprios, quæ res facit univerſitates, ut toties dictum: cui juri alia quædam ſunt addita, libertas eundi commeandique cum rebus & *nuntiis*, id eſt famulis, *ne quis illis injuriam inferre præſumat*, & quæ præterea nobis expoſita ſunt *in Prælect. ad tit. ff. de Judic. n. 70. & ſeqq.*

25. Prærogativa juriſdictionis ad univerſitatem ſolam ſpectat, eaque eſt ejusmodi; *Ut ſtudioſi conveniantur coram domino vel magiſtro ſuo, vel. ipſius civitatis Epiſcopo*, *quibus* ſe hanc juriſdictionem dediſſe profitetur Imperator, *hujus rei optione datâ ſcholaribus*, coram utro ſcilicet conveniri malint, domino ſive magiſtro, quæ ſynonyma ſunt, id eſt, ut nunc fere loquimur, rectore ſuo; an vero apud epiſcopum.

26. Numquid etiam habent electionem, utrum apud magiſtratum loci oppidanum, an academicum conveniri velint? Reſpondeo, non æque, ſed vocati ad dominum, ſive magiſtrum aut rectorem ſuum, cum heic ſit forum ejus legitimum, ſiſtere ſe debent; etſi, cum ad magiſtratum urbis vocantur, habeant privilegium.

27. Verum, quid ſi ad magiſtratum urbis vocati, apud hunc judicium ſuſcipere non graventur, an non poterunt huic ſe tacite ſubmittere? Sine dubio poſſunt, nemo enim ſuo privilegio uti cogitur, omneſque licentiam habent, his quæ pro ſe indulta ſunt, renuntiare *l. 51. C. de Epiſc. & Cler.* ubi renuntiationem fori privilegiati à clericis factam, ſtatuit eſſe inrevocabilem, eamque regulam in *omnibus ejus generis caſibus* eſſe debere conſtituit.

28. Quod ſi tacite privilegium fori omittere posſint, expreſſe quominus id facere queant, obſtare poteſt nihil; niſi lege ſpeciali prohibitum fuerit, ut quidem, pontifices clericos ſubmittere ſe magiſtratibus vetuerunt *c. ſi diligent. 12. x. de for. compet.*

29. Factum hoc ab illis, quo ſeparationem clericorum à reliquo populo facerent evidentiorem, ſuamque poteſtatem quam longisſime remotam à juriſdictione ſeculari præciſius ſtabilirent, idque fieri poteſt, ut alibi conſimilis exempla prohibitionis dari conſtat.

30. Sed ubi nihil tale conſtitutum eſt, ibi nulla pars liquidior eſſe poteſt, quam hæc renuntiandi libertas: Imo, quod magis eſt, ſi quis ſtudioſus nolit eſſe ſub foro privilegiato, ſed ordinario contentus ſit, nulla ratio eſt, quæ invitum ad uſum privilegii cogat, per *d. l. 51.* & communem beneficii naturam *l. 69. de R. J.*

31. Quod ſi hæc res in univerſitate ſtudiorum pariat confuſionem, lege, at à ſuperiori poteſtate latâ, caveri poteſt, ne ſtudioſis id facere liceat; nec tamen idcirco à publicis doctrinæ audientiis excludi poſſunt; à privatis (etſi durum eſt, municipalibus aut exteris impertiri nolle bonarum artium inſtitutionem) excludi poſſe videntur: utique ſi renuntiatio facta ſit in fraudem univerſitatis.

32. Plane, qui, dum eſt ſubjectus univerſitati, contractu vel delicto ſe obſtrinxit; hunc ſe juriſdictioni univerſitatis ſubducere nullo modo permittendum eſt, etſi Fridericus hoc caſu det electionem magiſtri vel epiſcopi. Alia eſt ratio in electione fori oppidani vel academici.

33. Pluribus ad hanc rem in theſi & nominatim de academia, cui nos ætatem diſcendo docendoque impendimus, actum eſt copioſius in *d. loco. prælect. tit. de judic. n. 90. & ſeqq.*

34. Habent igitur academiæ juriſdictionem, conſequenter & imperium, quod mixtum vocatur, & in executione ac modica coercitione conſiſtit, ſine qua nulla juriſdictio exerceri, nec juventus, hac præſertim morum ætate, in officio contineri poteſt.

35. Cum juriſdictione habent & omnia academiæ, quæ magiſtratus aliarum univerſitatum & urbium in ſuis exercent, quatenus uſum in his inveniunt.

 36. Pro-

36. Proinde magiſtratus oppidorum, in quibus ſunt academiæ, nihil juris ulla ex parte in cives academicos exercere poſſunt, non magis quam in alterius civitatis incolas.

37. Quippe, diverſitas jurisdictionum non pendet à mœnibus aut latifundiis, ſed à diſtinctione Juris, quod non minus inter academiam & urbem ſui loci diverſum eſt, quam inter urbes diverſiſſimi ſitus.

38. Proinde, ineptos ſe admodum præbent, qui jurisdictionem ideo non competere academiis cavillantur, quod territorium non habeant; quippe, cum nihil ſit clarius, quam jurisdictionem univerſitati, quæ ex hominibus conſtat, adſcribi, non glebis & ſilicibus.

39. Merum imperium, ſive jurisdictio criminalis, haud aliter ad academias pertinet, quam ſi diſerte à ſumma poteſtate conceſſa ſit, *ratione in loco reddenda. Vide l. 1. in pr. ff. de off. ej. cui mand. eſt. jurisdict.*

40. Cujus auctoritas in univerſitatibus ſtudiorum eo magis neceſſaria eſt, quod jus conferendi honores artium ſupremos ſit ex minoribus majeſtatis juribus, quâ cauſa honorari in academiis ad uſum & praxin doctrinarum in omnibus reipubl. partibꝰ admittuntur.

41. Scholæ tamen illuſtriores hoc jure deſtituræ, generali ſenſu *univerſitates* non male appellantur; quatenus quædam, notione aliqua de rebus ad profeſſionem ſuam ſpectantibus non carent; *ſumpta tamen per excellentiam univerſitate*, ut ſit, *hac appellatione non gaudent.*

42. Quid judicandum de academiis, quæ nihilo plus jurisdictionis habent in ſtudioſos quam illuſtres ſcholæ, ſed honores ſummos largiuntur? Dicendum has, nihilo magis eſſe univerſitates, nec enim privilegium dandi literarios honores facit univerſitatem; ſed jurisdictio vel ſaltem notio.

43. Quare, ſi tales academiæ rectorem & ſenatum habeant, atque de rebus ad ſtudia ſpectantibus cognitionem & judicationem, etſi careant facultate coactivâ, ſunt tamen univerſitates. Si nunquam ibi judicia fiant, nec ulla ſubjectio ſit ſtudioſorum infra ſuos magiſtros, non poſſunt eſſe univerſitates, ut dictum.

44. Proficiſci debet, ut ſupra diximus, univerſitas à ſumma poteſtate; proinde & academiæ: Qua in re certum eſt, non advertendum eſſe; cujus impenſis academiæ habeantur, ſed quis jura legesque dederit: in quo ſolo ſufficit eſſe poteſtatem ſummam ad hunc effectum, licet ille, qui fert ſumptus, alii ſit ſubjectus.

45. Jurisdictionem academiæ eſſe penes rectorem & reliquos juventutis magiſtros à *Friderico Cæſare in d. Auth. habitâ* conſtitutum & ubique receptum eſt: de reliquo regimine, quod eſt peculiare academiis, heic ſuperſedebimus; *Locus communis erit infra de jurisdictione.*

CAP. IV.
DE UNIVERSITATIBUS SACRORUM.

Eccleſiæ non male convenire definitionem univerſitatis. n. 1-19. Ordinem Clericorum ſub Pontifice Romano videri civitatem, & imperium ejus eſſe monarchicum. n. 19-24. Removentur objectiones. n. 25. 26. Etiam monaſteria eſſe univerſitates n. 27. An nec inter Proteſtantes, cœnobia dari poſſent quæritur; & de inſtituto Labadiſtarum obiter. n. 28-31.

1. Eccle-

1. Eccleſias quoque inter univerſitates poſuimus, non eo ſenſu, quo jampridem diximus *Johannem Hus* rectiſſime definiviſſe, *teſte Martino Luthero in diætâ Vormatienſi apud Sleidanum lib. 3. rer. German.* eccleſiam eſſe *univerſitatem prædeſtinatorum*; nec etiam, cum quemlibet cœtum, qui communionis ſacræ causâ, quovis tempore habetur, hoc nomine appellamus, quo ſenſu in *lib. 1. ſect. 4.* habuimus unum caput de univerſitatibus Dei.

2. Sed eccleſiam hic vocamus multitudinem credentium Deo, quæ certo loco publicum & ſtabilem religionis cultum exercet, quam recte univerſitatem dici arbitramur, quia definitio ſuperius collocata perſpicue illis convenit.

3. Eſt enim quævis eccleſia, *cœtus ſubditorum*, tam civium, quales ut plurimum, quam advenarum & peregrinorum.

4. Habetur *communis utilitatis* gratiâ, quam nos in definitione ad commoda, quæ pecuniariam habent rationem, non reſtrinximus, cum & academiis ſit diverſus utilitatis ſuæ finis.

5. *Permiſſu* quoque *ſummæ poteſtatis* inſtitui debent eccleſiæ, qua ſunt univerſitates; nam etſi conventus ſacrorum causâ, invitis imperantibus celebrari poſſint, univerſitates tamen ita, cum effectu juris civilis, non ſunt.

6. Exempli cauſa: nullus cœtus poteſt habere jus & effectus perſonæ competentes, niſi aliqua civili unione conſtet; non poteſt res acquirere, non vindicare ſuum jus, non ſtare in judicio, niſi permiſſu civilis imperii ſtabilitus; non addimus tamen, ſi probatus ſit; etenim publicum permiſſionis decretum ſufficit.

7. Eccleſiæ igitur prohibitæ non ſunt univerſitates ex ratione juris publici, nec proinde hereditates aut legata relicta capere, non emere, conducere ullave commercia exercere, multo minus in judicio ſtare poſſunt.

8. Quæri poteſt, an & hoc ejuſmodi eccleſiis tribui debeat, quæ publicè tolerantur, cultumque ſuum libere profitentur, & in corpora conveniunt; improbantur tamen & pro hæreticis aut ſchiſmaticis ab his, qui civitati præſunt, habentur.

9. Dicendum, illis hactenus jura perſonarum videri conceſſa, quatenus ad exercitium liberi cultus neceſſariò requiritur, non etiam in illis quæ ad τὸ εὖ εἶναι, ad meliorem conditionem eorum faciendam pertinent

10. Poſſunt igitur emere, conducere domos, in quibus conveniant, in quibus ſuos miniſtros collocent, aut fundos reditusque alios, ex quibus impenſæ neceſſariæ redundent, comparare; atque in his ſimilibusque habebunt legitimam in judicio ſtandi perſonam, omnibusque legum beneficiis fruentur, quamdiu palam tolerantur.

11. Non idem in lucrativis, ut hæreditatibus legatisque vel aliis rebus, quæ ad amplificandam rem illarum faciunt, ſtatuendum videtur, quia quatenus non apparet eas veniam accepiſſe, nihilo ſecus ac illicita collegia conſiderantur.

12. Alia res eſt cum eccleſiis, quæ per modum conventionis receptæ & ſtabilitæ, perque omnia juris publici communione donatæ ſunt, ut non modo tres religiones in Germania, ſed & reformatio in Galliis edicto Nanteſiano: quod non ita pridem poſtquam per ſingula membra lentis ictibus contuſum & laniatum erat, tandem uno ictu præciſum eſt.

13. Atque hæc obiter; Ultimum in definitione univerſitatis eccleſiæ applicandum eſt, id quod poſuimus, *regimen certum*, quod in omni eccleſiaſtico cœtu haberi *x*) nemo ignorat.

14. Quan-

n. 13. *x*) haberi) *Sed hæc vox facti eſt, non juris, aut certè non prudentiæ. Aliter ſe res habebat in Eccleſiâ Apoſtolicâ, ubi regimen Eccleſiæ magis habebat ſuadendi autoritatem, quàm jubendi poteſtatem, ut ipſe Autor noſter docuit ſuprà* l. 1. ſect. 5. c. 5. n. 43.

Digitized by Google

14. Quanquam autem regimen ad exercitium poteſtatis clavium ſpectans imperio non ſubjacet *y*) ut in priore libro vidimus, executio tamen non modo ſine ope extraordinaria poteſtatis civilis fieri nequit, ſed nec ordinaria adminiſtratio, quæ per modum judiciali ſimilem fieri debet, aliter quam externi juris, adeoque dependens ab imperio cenſeri poteſt.

15. Plane omnis *hierarchiâ* ſive gubernatio eccleſiarum, quæ jure divino præſcripta non eſt, haut aliter quam imperii ſummi permiſſu conſtare poteſt, *ut præcedente libro* comprobavimus.

16 Unde ſequitur, omnia corpora eccleſiaſtica eſſe *univerſitates* ſuo modo civiles (*nam & aliter civilibus opponuntur*) quia civiles perſonarum habent effectus in rebus acquirendis, in cauſis judicio perſequendis vel ſuſcipiendis, denique in omnibus, quæ non ad internum jus ſacrorum à Deo præfinita ſunt.

17. Ideo, quod apud nos à conſiſtoriis ad claſſes, à claſsibus ad Synodos, aut prius ad eorum legatos provocatur, hoc civile eſſe apparet, maximè reſpectu earum rerum, in quibus ultima provocatio ad ſummam poteſtatem fieri debet, cui proinde inferiores appellatos, qua tales, oportet fuiſſe ſubordinatos.

18. Hoc eodem modo ſe habere in vetuſtâ ſubordinatione presbyterorum aliorumque inferiorum, ſub epiſcopis, archiepiſcopis ſeu metropolitanis, denique patriarchis, ſive, ut latini, ſub primatibus, notum, ſideque hiſtoriæ teſtatum eſt, imperatores ultimam manum eccleſiaſticis impoſuiſſe controverſiis; intellige ſemper ea, quæ ſupponimus, de rebus externæ adminiſtrationis. *z*)

19. Poſtquam verò pontifex Romanus obtinuit, ut in ejusmodi quoque rebus ad ſeſe ultima fieret provocatio, *a*) per hoc ipſum non modo ſibi jus principum arrogavit, ſed univerſum quoque ordinem eccleſiaſticum imperio atque reipublicæ ſubduxit.

20. Unde ſequitur, immenſam multitudinem illam hominum eccleſiaſticorum totâ Europâ diffuſam, qui fide infiniti obſequii papæ ſubjecti ſunt, *unam conſtituere Rempublicam, ſine territorio*, ſub una ſummâ poteſtate, monarchicâ; nam reſpectu proprii in Italia imperii papa nihil diſcrepat ab aliis principibus.

21. Sed hoc imperium univerſale eccleſiaſticum nullo quidem jure exercet, niſi quod conſenſus principum & populorum cauſam juris illi præſtat inrefragabilem.

22. Eſſe eam rempublicam, formæ licet mirificæ, patet ex definitione reipubl. partibusque ejusdem. Eſt ibi *ſumma poteſtas*, monarchia electiva; ſubjecti non deſunt, immenſus numerus; neque medii magiſtratus deſunt, per quos ordo regiminis exerceatur.

23. Atqui

p. 207. *Et in Germaniâ alicubi in civitatibus Imperii Eccleſia regimine propriè dicto caret, ubi videlicet non ſunt Conſiſtoria ſeparata, ſed omnes controverſiæ Eccleſiaſtica definiuntur à magiſtratu merè politico.*

n. 14. *y*) non ſubjacet) *Si non ſubjacet imperio, eſt regimen independens, ſi eſt regimen independens, dantur duæ poteſtates independentes. Sed ubi dantur duæ poteſtates independentes, ibi diſſolvitur regimen politicum. Nec diſtinctio inter interna & externa diſſolutionem tollit. Vide dicta ſuperius* lib. 1. ſect. 5. c. 5. n. 2. & ibi notata lit. f. p. 202.

n. 18. *z*) adminiſtrationis) *Ex noſtra hypotheſi intellige abſque illa limitatione, cum diſtinctio iſta magis implicet quam explicet, per eâ quæ monſtrabimus paſſim ad* d. l. 1. ſect. 5.

n. 19. *a*) provocatio) *imò etiam poſtquam obtinuit ſaltem poteſtatem excommunicandi ſub prætextu poteſtatis clavium, ut ipſe Autor faſſus eſt* ſupra d. c. 5. n. 19. ſeq. p. 204.

Digitized by Google

23. Atqui hac triplici conjunctione, civitatis ordo componitur, quem eſſe rempublicam diximus in *lib. 1. ſect. 2. cap. 2.* nec eſt in ulla civitate loci unius, major & arctior *unio*, quam eſt inter illum principem religionis & ſubjecta membra.

24. Nec quod territorium non habet, ideo civitas & reſpublica definiri eſſe; ſicut enim antea de juriſdictione reſpectu academiarum diximus, eam non conſiſtere in glebis & in ſilicibus, verum in hominibus; ita quoque certum, non eſſe in parietibus rempublicam, ſicut olim *Themiſtocles*, ac poſt eum *Pompejus* dixerunt, cum urbem patriam relinquerent, ille civibus, hic ſenatu abductis.

25. At forte, quominus ordo eccleſiaſticus ſub pontifice ſummo, vere civitas ſit, obſtat, quod è familiis non conſtet, deficiente matrimonio: Propriè quidem dictæ familiæ non ſunt, ut apparet; habent tamen imperfectas aut improprie dictas.

26. Quid enim aliud cœnobia ſunt, quam magnæ familiæ, in quibus neque pater neque mater, licet abſque matrimonio, deſunt: Qui vero extra monaſteria vivunt, habent ſane familias, utcumque ſuo modo imperfectas.

27. Monaſteria alioqui per *ſe univerſitates*, ſunt & membra magnæ illius reipublicæ. Quæ etſi vitiis laborent, dicendum tamen quod res eſt; eorum inſtitutum civitatibus, in quarum ambitu reperiuntur, valde eſſe commodum, *b*) eo quod præclaram facultatem præbeant, exonerandi familias; quæ res habet fructum inæſtimabilem boni publici, neque forſitan malè conſultum fuiſſet; ſi, ut eccleſiæ, ſic etiam monaſteria potius reformata quam abolita fuiſſent.

28. Tentatum eſt aliquid in hoc genere à *Johanne Labadie*, & poſt eum à *Petro Ivone Gallo*, qui primo diverſis in locis morati, poſtremo in Friſiâ ſedem fixerunt, hoc inſtituto, ut cœnobium haberent reformatum ſine cœlibatu, ad ideam primævi Chriſtianiſmi, in communione bonorum & regimine certo, tam in ſacris, quàm in bioticis ſtabilito.

29. Nec potuit non cum fructu durare, ſi cum prudenti œconomiâ pecuniæ operæque communis, juxta permiſſionem reipubl. in quâ degebant, jus univerſitatis habuiſſent, & eos qui ſemel conſenſerant, ad leges receptas obſtringere potuiſſent. Experti ſunt, humanas res non ferre multitudinis imperium ſine copiâ juris publici, & ſine poteſtate obligationis, id eſt, vinculi, per quod aliqua neceſſitate conſortes obſtringantur.

30. Prætextus inſtituti illius fuit, corruptio immanis eccleſiarum, quæ totas civitates unà complectuntur univerſitate; quâ fit, ut membra univerſitatis ad ejusmodi normam, qualem inſtituti ſanctimonia poſtulat, exigere nequeant. Unde quidem opinati ſunt, operam eſſe dandam, ne univerſitates ſacrorum nimis ſint numeroſæ, quod in Anglia ſatagunt hi, quos vocant *Congregationales*.

31. Nec male *Labadiſtæ*, ſi ab hoc propoſito ſane quam laudabili eccleſiam reformandi, ſchiſmaticum inſtitutum ſeparaſſent, eccleſiisque cæteris omnibus, intonante convitio Babelis charactere imputato, repudium non miſiſſent. Abſque eo rem forte eo deduxiſſent, ut ad publici juris communionem admiſſi legum præſidio ſe munire

potuiſ-

n. 27. *b*) commodum] *Sed ſi cum iſto parvo commodo comparentur infinita incommoda monaſteriorum in rempublicam redundantia, mox apparebit, iſtud commodum tanti non eſſe, ut ſuadeatur Evangelicis tolerantia monaſteriorum. Vide Rudolphum Hoſpinianum* de orig. & progreſſu Monachiſmi. *Puſend.* introd. ad Hiſtor. tract. de monarch. Pontif. §. 18.

potuiſſent. c) Enimvero, ut in hanc materiam, ſuperiore libro delibatam, denuo excurramus, præſertim, quia de reformatione locus adhuc peculiaris occurret, ubi forſitan hujus inſtituti ratio rurſus in æſtimationem veniet, committendum non eſt.

CAP. V.

DE UNIVERSITATIBUS FAMILIARUM.

Vicos & cohabitationes, quæ nullo peculiari regimine continentur, non eſſe univerſitates. n. 1-6. Urbes diſtingui in metropoles & inferiores, haſque vel ſubjectione vel reverentia. n. 7. 8. Quæ videntur nec tamen ſint metropoles. n. 9. 10. Prærogativa urbis Romæ, quamdiu continuata ſit, n. 11-16. De territorio & de provincia. n. 18. 19. 20. Non omnes univerſitates videri. n. 21. 22. Neque Collegia Magiſtratuum aut judicum. n. 23.

Fuerunt univerſitates, quæ utcunque ſine rebus non habeantur, per ſe tamen perſonales ſunt, etſi quædam familiæ tanquam acceſſiones, aliquando perſonas ſequi poſſunt; quemadmodum in academiis, uxores ſi quæ ſint, ſtudioſorum, vel profeſſorum atque miniſtrorum, ſub univerſitate comprehenduntur, & ejus juriſdictioni ſubjectæ ſunt.

2. Sed hoc uſu venit extra ordinem. Univerſitates, aliæ ſunt, quæ principaliter ex familiis cohabitandi cauſa inſtitutis componuntur, ut pagi, territoria, oppida, provinciæ &c.

3. De quibus ex definitione pridem poſitâ tenendum, quod non aliter ſint univerſitates, quam ſi *aliquo regimine* peculiari contineantur.

4. Hinc vici, in quibus nihil eſt quam vicinitas incolarum, ſine ullo magiſtratu vel rectore proprio, non ſunt univerſitates; etſi forte res quaſdam habeant communes, earumque reſpectu agere & conveniri poſſint, ut perſonæ. Nam hoc de omnibus, qui rem habent communem, ſeu cum, ſeu ſine ſocietate, juris eſt notiſſimi.

5. Atque in hoc ipſo differunt à vicis, *pagi* (mittimus hic ſignificationem, quâ territoria pagi dicuntur, ut Germani veteres Helvetiique in pagos dividebantur) quod pagi certo regendi ordine conſiſtant; ſeu per unum rectorem vel paucos, aut totius plebi,

n. 31. c) potuiſſent) *Cavenda hic duo extrema. Ne videlicet Labadiſtæ falſo accuſentur variorum criminum & delictorum per calumniam illis impactorum, & ex odio, quod corruptum eccleſiæ ſtatum ſubinde vivis coloribus depinxerint.* Vide Arnoldi Hiſtoriam hæretic. *Tum ne commendemus eorum ſeparationem. Neque enim ſeparatio illa convenienter concipi aut ſic limitari poteſt commodè, ut non degeneret in ſchiſma. Tum vix ac ne vix quidem præcaveri poteſt, ne degeneret ulterius in monachiſmum aut enthuſiaſmum, & ne ſub prætextu cenſuræ morum tandem affectet imperium politicum & ſic degeneret in papatum politicum. Confer dicta à nobis* in præfatione ad Grotii verſionem Germanicam.

Digitized by Google

plebis ſuffragationem is ordo exerceatur.

6. Idem evidentius in urbibus, quæ abſque regimine vix unquam fuere, liquet, tametſi exemplum Capuæ extet Romanis deditæ, & in pœnam defectionis ad Hannibalem, omni facie civitatis privatæ diſſolutæque, ut nihil fere quo univerſitas dici poſſet, retineret, ut apud Livium habetur *lib. 26.*

7. Diſtingui ſolent urbes in *Metropoles* & inferiores, hæ autem vel *ſubjectione vel reverentiâ;* minores ſubjectione dicuntur, quando ſumma poteſtas aut originale duntaxat imperii jus eſt penes metropolitanos, ut Romæ, Veneriis, Genuæ & apud Florentinos.

8. *Reverentia*, cùm reliqua oppida comiter obſervant metropoleos dignitatem, ut coloniæ Græcorum & fœderatæ civitates Athenienſium ac Spartanorum, quæ ſub ducatu quidem, at ſub imperio nequaquam tenebantur.

9. Falluntur autem, qui *Metropoles* appellant, omnes magnitudine aut opibus præcellentes, vel eas, in quibus principes ſummave reipubl. collegia ſuas habent ſedes, ut *Lutetia in Pariſiis*, *Londinum*, *Amſtelodamum* aliæque ſimiles.

10. Cæterum, coloniæ Græcorum & metropoles non tam erant univerſitates quam reſpublicæ; nec Roma fuit univerſitas, quia non habuit conformationem à ſumma imperii diſtinctam, ſed magiſtratus ſenatusque urbis Romæ iidem erant imperii univerſi.

11. An igitur Roma fuit reſpublica? per ſe ſola non fuit; nec enim Italia & provinciæ, non erant membra reipubl. neque plus quam una fuit reſpublica; caput igitur aut cor reipublicæ fuit Roma; fons & ſumma imperii, *armorum legumque parens*, *quæ fudit in omnes imperium*, penes quam fuit etiam jus eligendi imperatorem, throno vacante, ut recte Grotius *lib. 2. c. 9. n. 11.*

12. Hoc jus deinde communicatum fuit cum Byzantio, ſive urbe Conſtantinopolitana, poſtquam Cæſares hanc incolere cœperunt, & nova Roma dicta eſt civesque, *Byzantini Quirites*, ut à Claudiano vocantur; neque ſublatum eſt jus veteris Romæ, deſiit tamen *ſummum* eſſe quod fuerat, quia Conſtantinopolis paria faciebat.

13. Poſtremo, jus illud prærogativæ Romanæ penitus extinctum eſt, Româ primum ab Herulis, dein à Gothis belli jure ſubactâ, novumque redactâ ſub regnum, quo non modo jus illud excellens, ſed etiam publica illa libertas communis, quæ fuerat omnium Romani imperii populorum, amiſſa fuit.

14. Poſtea, rurſus à Græcis imperatoribus erepta barbaris, rediit quidem ad corpus Imperii, ſed Græci illis prærogativam amiſſam nullo modo reſtituêre; ſed imperio ſubditam ſuo tenuerunt, ut alias civitates.

15. Non poteſt igitur concedi Grotio quod ſtatuit, non modo populum Romanum hodieque eſſe eundem, qui fuit olim, ſed etiam imperium penes eum manſiſſe tanquam penes corpus, in quo eſſet ac viveret. *d. §. 3. dix. l. 1. ſect. 9. c. ult.*

16. Cenſeo, id eſſe extinctum jure belli à Barbaris, nec à Græcis imperatoribus deinde reſtitutum. Ipſo jure non potuit reverti, quia quod ſemel extinctum eſt, fine novâ causâ reviviſcere non poteſt, nec enim poſtliminium ad talia produci fas eſt, ut in loco videbimus.

17. Cæterum, aliæ non tam matres quam primariæ urbes, quales modo nominatæ, ſunt verè membra ſubjecta, univerſitates noſtræ definitionis; nihilo plus juris, niſi ex pacto vel ſpeciali privilegio, habentes, quâ minimæ quæque civitates.

18. Plures pagi corpus territorii, plures inſuper urbes faciunt provincias, neque tamen numerus ſufficit, quo dicantur univerſitates: Ut enim ſint tales, ordo proprii regiminis, quo connectantur ſinguli pagi & urbes, requiri certum & antea dictum eſt.

19. Quare in deſpoticis imperiis provinciæ, quæ miſſis ab aula regnatrice, præſidibus & præfectis immediate gubernantur, ſine ullis populi aut nobilium ordinibus,

Digitized by Google

univerſitates non ſunt, verum partes tantum imperii, limite, non jure diſtinctæ; quanquam tales regiones è multis univerſitatibus, ut urbes & pagi conſtent.

20. Contra, provinciæ majores, quæ regimine certo ſummæ poteſtati ſubordinato paſſim continentur, ſunt veræ univerſitates, quales in Galliâ habentur, Normandiæ, Britanniæ, Aquitania, Languedociæ, Delfinatus aliæque.

21. Rurſus, ſi qua reſpublica è diverſis provinciis conflata in unum, non niſi pariter & junctim regatur, peculiari nullo regimine ſtabilito, ſingulæ provinciæ univerſitates non ſunt, etſi ordinis cauſa in concurſu regiminis, ut diſtinctæ, conſiderentur.

22. Exemplum liquet domeſticum. In Friſia urbes XI. partem regiminis quartam conſtituentes, univerſitatem conſtituere non videntur unam; neque etiam tres pagani tractus, è quibus reliquum corpus reipubl. componitur, quia non junguntur inter ſe uno peculiari regimine; quanquam ſingulæ urbes & ſingulæ præturæ ſunt univerſitates; quam rem ita intelligi, ſicut revera ſe habet, communis utilitatis intereſt.

23. Denique, collegia magiſtratuum totius reipublicæ non eſſe univerſitates ex definitione præmiſſa facile colligitur, quia in univerſitate requiritur, ut ſcopus & uſus à ſumma republ. diverſus, & coeuntibus ſit peculiaris, quod de collegiis, quibus jura majeſtatis exercenda committuntur, adfirmari non poteſt.

CAP. VI.

DE JURE, QVO EX FACTO VNIVERSITATIS TENENTUR SINGULI.

Explicatur diverſitas juris, quo univerſitas & quo civitas liberæ perſonæ inſtar habentur. n. 1. 2. 3. E contractibus eorum, qui regunt univerſitates, non aliter has obligari, quam ſi in rem communem verſum ſit, aut mandatum intervenerit. n. 4 - 12. An ſinguli cives conveniri poſſint è contractu per rectores univerſitatis inito, & an hi repræſentent ſuum populum, an potius ſummam poteſtatem. n. 13 - 25.

1. Univerſitatem habere jus perſonæ, dictum eſt aliquoties, quod tamen videndum, ne non ita capi oporteat, ut de civitate dictum eſt alias. Quæ res ejus momenti eſt, ut tametſi aliquid eà de re dictum ſit in primo *hujus ſect.* capite, paulo tamen preſſius repeti mereatur.

2. Scilicet, in republ. ſumma poteſtas, eſt perſona civitatis, ita ut quicquid illa facit, contrahit aut delinquit in imperio exercendo, id civitas tota facere & contrahere videatur; quæ exinde, ſine diſcrimine, verſum, an non verſum ſit in rem publicam, obligata intelligitur.

3. Nam primo in delictis, utique non videtur, quicquid ordo municipii aut rectores univerſitatum admiſerunt, hoc corpora conſociata luere oportere, idque non modo in corporalibus pœnis, ſed ne quidem in pecuniariis mulctis ſtatuendum videtur.

4. Imò & de contractibus, nominatim de mutuo, jure Romano proditum eſt, civitatem mutui datione poſſe obligari, ſi ad utilitatem ejus pecuniæ verſæ ſunt, alioquin ipſos ſolos qui contraxerunt, non civitates teneri *l. 27. ff. de reb. cred.*

5. Intel-

Digitized by Google

5. Intelligitur, hæc dici de civitatibus, quæ per modum Ariſtocratico ſimilem gubernantur; nam ſi Democratiæ inſtar ſe habeant, non eſt dubium, quin aut civitas tota teneatur, ſi populus ſit conſultus, aut non teneatur, ſi inconſulto ſit geſtum.

6. Ratio autem diverſitatis, inter fœdus civitatis & conſtitutionem univerſitatis, obſcura non eſt; ſiquidem populus liber, imperio translato, imperantes ita ſuo loco ſtatuit, ut nullo remedio ſe, utique adverſus exteros, tueri poſſit.

7. Nam ſi imperantes officii limites excefferint, ea inter populum & ipſos ſit diſceptatio, exteri id quod ob oculos eſt, ſequuntur, *perſonam ſcilicet, totam civitatem repræſentantem.*

8. Quod ſi tamen imperium ita ſit delatum, ut imperanti non liceat imponere ſubjectis tributa, vel impetrare pecunias, dicendum eſt ſine dubio, non teneri quoque populum è pecuniis à principibus mutuo ſumptis.

9. Inter univerſitatem & eos qui præſunt, nunquam eſt conventio generalis, & obligatio, per quam hi nomine communionis omnes res gerant; verum poteſtas rectorum univerſitatis pendet à tenore mandati, quod habent à ſumma poteſtate, à qua jus ſuum habet univerſitas.

10. Proinde, ſi pecuniam in rem univerſitatis non converterint, præfecti tenentur ad damnum communitati ſarciendum, qualis actio inter ſupremos Imperantes & ſubjectos, ut ex principiis *libri præcedentis* clarum eſt, nulla dari poteſt.

11. Ideo tenentur quidem univerſitates è contractibus rectorum, nomine publico initorum; ſed illorum onus, niſi credito in rem verſo, in præfectos redundat, apud quos pecunia reſedit, vel qui in culpa ſunt; Id ubi non liquet, omnes qui adminiſtravere, tenebuntur *d. l. 27. ff. de reb. cred.*

12. Rectoribus comparantur adminiſtratores rerum, qui non ipſi univerſitati ſed rebus ejus præſunt. Si tales mutuam acceperint pecuniam, non aliter obligant univerſitatem, quam ſi creditor doceat, mandatum ſpeciale publicum interveniſſe, aut pecuniam in rem communitatis eſſe verſam; nec aliter modo relata juris Romani ſententia capienda videtur. Tu vide, ſis, *Joh. à Sande lib. 3. deciſ. Friſ. tit. 2. def. 3.*

13. Jam in delictis, quorum ratio mere perſonalis eſt, minime dubitatur, quin ſoli delinquentes ad pœnam teneantur: quod ſi adeo ſit populare commiſſum, ut innocentes diſcerni nequeant, pœna in univerſitatem, non in ſingulos exercenda, ademptis juribus aut mulctâ indictâ vel diſſolutâ univerſitate: Decimatio aliæve graves pœnæ, quâ nocentes & innoxii involvuntur, magis ad publicæ utilitatis, quam juſtitiæ & æquitatis exempla referenda.

14. Cæterum, ut univerſitas à ſingulis differt, ita res & bona, perinde ac onera ſingulorum diſtinguuntur; Nec proinde ſinguli magis de ære alieno univerſitatis, quam hæc ob debita ſingulorum, tenentur.

15. Quia tamen ex partibus totum componitur, fieri non poteſt, quin, ubi univerſitas obligatur, onus ad ſingula membra redundet.

16. Si quis patriæ meæ, ut recte Seneca, pecuniam credat, non dicam me illius debitorem, nec cives ad æs alienum portionem ſuam dabunt, tanquam pro ſe ſolventes, ſed tanquam pro patria conferentes. *L. 6. de benef. c. 19. in fin. & cap. 20.* Proinde, non bona tantum univerſitatis à creditoribus diſtrahi poſſunt, verum omnes quoque & ſinguli, collatione factâ, pro communitate perſolvere debent.

17. Hoc ita, ſi univerſitas rite ſit obligata, quod fieri poteſt, ita; ſi vel omnes & ſinguli conſenſerint, vel his, qui præſunt univerſitati, jus datum ſit pecuniam ſingulis imperandi; quod jus accipere debent à ſumma poteſtate, vel à conſortibus univerſitatis.

Digitized by Google

18. Verum ab his tantum in ſingulis cauſis; in univerſum ejusmodi facultas dari non poteſt ſine lege, quam univerſitas condere nequit: Contribuere identidem de ſuo non prohibenrur cives; at jus indicendi tributum eſt è regalibus; Univerſitates ſuis rectoribus id dare non poſſunt.

19. Nec valet heic argumentum, quo alii utuntur; Rectores univerſitatum repræſentare ſuos cives, ita, ut quicquid illi agunt, id omnes ſinguli que cives agere videantur; nam talis repræſentatio tantum habet locum in liberâ republ. non in eâ, quæ alteri ſummæ poteſteti ſubjecta eſt.

20. Rectores ejusmodi ſubjectarum civitatum, non repræſentant ſuos cives, nec ab iis modum præfecturæ ſuæ habent, verum à ſumma poteſtate; Proinde quod agunt, non ad mandatum populi, ſed principis exigendum eſt.

21. Populus ne quidem ſi velit, augere poteſt jurisdictionem poteſtatemque ſuorum rectorum. Exemplo ſint Friſiæ civitates, quarum magiſtratus non habent cognitionem criminum; an cives eam illis tribuere poſſunt? Nullo modo, neque magis indictionem tributorum.

22. Jam quibus pecunias indicere non licet, hi nec municipes obligare poſſunt ad ſolvendum pecuniam, eis aliquod tempus; eſt enim id ejusdem utramque facultatis.

23. Quid ſi major pars obligationem probaverit, aut pecunias conferre decreverit, an pars minor ſequi cogitur? Non videtur; quia pars major civium non poteſt habere plus juris in pauciores, quam rectores univerſitatis habent in omnes, ſecundum ea quæ *libro primo ſect.* 2. diſputata ſunt. In his quæ ad regimen univerſitatis à ſummâ poteſtate ſtabilitum pertinent, pars major trahit minorem jure collegii; ſed extra eos limites ceſſat illa complexio.

24. Hinc etiam ſequitur, quando univerſitas civium conſenſit, ipſos qui ſe devinxerunt eorumque heredes teneri; non eos, qui poſtmodum univerſitati aggregati ſunt, quia res hæc patrimoniali ratione conſtat, non vi regiminis publici.

25. Atque hæc omnia valent, etſi pecunia credita in rem civitatis verſa ſit; Nam hac cauſa res communes univerſitatis tenentur, non res ſingulorum. Nemo poteſt alium obligare, niſi qui hanc poteſtatem legitima cauſa acceperit; ſane, ſi qui ſint, quorum patrimonio aliquid ex hoc credito acceſſit, hos teneri, hactenus æquum & certi juris eſt. Conferantur cum his velim, quæ in Prælect. ad ff. Juris, Tit. de Reb. cred. expoſita & diſputata ſunt.

CAP. VII.

DE HIERARCHIA ECCLESIÆ ROMANÆ.

Artificium hierarchiæ Romanæ eximium. n. 1. 2. Pontificis poteſtas & electio. n. 3. 4. Epiſcoporum ordo triplex; Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi. Horum officium, n. 5. 6. Electio, ejusque modi tres. n. 7. 8. 9. Poſtulatio Epiſcoporum. n. 10. Confirmatio. n. 11. Conſecratio. n. 12. Translatio. n. 13. De Archipresbyteris, Archidiaconis, Vicariis & Coadjutoribus; n. 14. Item de capitulis; n. 15. de Legatis Pontificis eorumque differentiis, n 16. 17. & de Nepotiſmo. n. 18. De ſacerdotibus & Presbyteris ſimplicibus, n. 19. nec non Diaconis aliisque inferioribus ſacrorum Mini-

Miniſtris. n. 20. 21. 22. Vitia Clericatus prohibitoria. n. 23. De Canonicis & Monachis. n. 24. Quot modis hi fiant, n. 25. de votis & Ordinibus eorum ac Abbatibus. n. 26. Res Eccleſiaſticæ ſpirituales, temporales, earumque differentiæ & prohibita alienatio. n. 27-32. De peculio clericorum. n. 33. Immunitas Clericorum & rerum eccleſiaſticarum. n. 34.

1. ANtequam de univerſitatibus ſectionem relinquamus, placet univerſitatem hierarchiæ Romanæ tam latè per orbem diffuſam, ac ita partem juris publici univerſalis conſtituentem, *d*) brevi delineare ſciagraphia: ſeorſim ſcilicet, ab imperio pontificis, quod is habet in ditionibus ſibi ſubjectis, nullà re ab aliis ſeparatum principatibus.

2. Elaboratum eſt hoc corpus hierarchicum ingenti hominum eruditorum artificio, primo quidem non advertentibus civitatum rectoribus, à fide adhuc alienis, & dein ſuperſtitione ignorantiàque circumventis; ut paterentur imperium ſacri ordinis, quàm late patet eccl ſia, diffundi, ſibique jus omne eccleſiaſticum arbitrariæ moderationis auferri, *e*) & in præjudicium poteſtatis civilis, ad unius monarchæ ab ipſis non dependentis, potentiam ſtabiliri.

3. Is eſt pontifex Romanus, qui verè ſummam, poſt Chriſtum, *f*) poteſtatem habet in eccleſiâ univerſali; *de jure externo loquimur*; omnes judicat, à nemine judicatur, exceptis concilio generali (ſupra, an infrà quod ſit, diſputatur) & hæreſeos causâ. Convocat ſane concilia, præſidet, actaque eorum approbat; Appellatur, omiſſis mediis, ab omnibus, & ſententias fert nulli ſubjectas appellationi.

4. Eligitur à Cardinalibus & è corpore Cardinalium, qui ſunt ſenatores pontificis, & dividuntur in epiſcopos, Presbyteros & diaconos, habitâ ratione titulorum & beneficiorum, quibus inſigniuntur. In electione ſoli præſentes habent ſuffragium, nec aliter electus papa cenſetur, *quam duabus præſentium partibus in unum conſentientibus.*

5. Monarchia eccleſiæ ſtabilita, opus fuit dignitatibus eccleſiaſticis, ejus majeſtati decore ſubordinatis. In univerſum epiſcopatus vocantur, quorum ordo tripertitus eſt. I. Patriarcharum, ſive primatum, qui ſunt quatuor, *Conſtantinopolitanus*, *Alexandrinus*, *Hieroſolymitanus & Antiochenus*, in Oriente omnes; quibus à barbarie oppreſſis, ſupereſt in occidente tanto majore ſuperior intervallo

n. 1. *d*) conſtituentem) *Sed ita omnes reſpublicæ conſtituerent partes juris publici univerſalis, aut ſaltem regna late per orbem diffuſa, ut Turcicum, Chinenſe &c. Interim tolerari poteſt hæc digreſſio non inamœna, non ſolum hierarchiam Eccleſiæ Romanæ ſed & doctrinam juris Canonici de rebus Eccleſiæ, & videlicet duos priores libros Lancelotti in ſynopſi ſiſtens.*

n. 2. *e*) auferri) *Quare forte convenientius foret cum hâc jurisprudentiâ univerſali, aut certè cum doctrinâ eidem valde affine, oſtendere ex principiis juris & politicæ univerſalibus, quibus artibus Papa & Clerus Romanus deceperit Imperatores & Principes Chriſtianos, ut non ſentirent, arcanis iſtis, auferri ſibi imperium. Conferantur interim Pufendorfſius tractatu modo citato* de Monarchiâ Pontificis Romani *& Theodoſii Gibellini* Cæſareo-Papia Romana.

n. 3. *f*) poſt Chriſtum) *Potuiſſent hæc verba omitti, quia Chriſtus eſt caput ſpirituale Eccleſiæ inviſibilis, Papa vero eſt Monarcha verè viſibilis eccleſiæ viſibilis.*

vallo, papa Romanus.

6. II. Ordo eſt Archiepiſcoporum, qui ſinr integræ præſules alicujus provinciæ, in ſede metropolitana reliquis præſidenres. III. Epiſcopi ſimplicirer dicti, qui civitatibus præſunt frequentioribus & pagis oppidisq; circumjectis. Et hi omnes habent jus ligandi & ſolvendi, alraria conſecrandi, purgandi, ſacrum chriſma conficiendi, viſitandi, clericos ordinandi, ſuſpendendi, deponendi, item excommunicandi, diſpenſandi, ſolennemque pœnitentiam imponendi.

7. Conſtituuntur epiſcopi intra tres menſes ſedis vacantis, idque per *electionem* aut per *poſtulationem*. Electione tales vocantur; qui canonice ad epiſcopatum novum habiles ſunt. Poſtulantur, qui electionis non ſunt capaces. Eligendi jus eſt, penes collegium canonicorum ejusdem eccleſiæ, vel ad eos qui pacto, vel privilegio, aut conſuetudine jus illud obtinuerunt, ut in Gallia reges.

8. Electio canonica fit tribus modis, *Scrutinio*, *compromiſſo*, & *inſpiratione*, quod diſcrimen etiam in ipſius papæ electione ſervatur. Per ſcrutinium, quando vota ſecreto & ſigillatim exquiruntur, & juxta prærogativam numeri, electus pronuntiatur, quis ſit; niſi notabilis diſcrepantia ſit dignitatis, & numeri exigua, *c. 57. de elect.* nam ſi duplo major ſit pars conſentiens, eo caſu nulla reliquorum dignitatis ratio habetur *c. ſi quando 9. de elect. in 6.*

9. Compromiſſum, quod raro uſu venit, eſt, cum eligendi poteſtas uni vel pluribus idoneis, etiam extra collegium, viris committitur *c. 8. & 30. de elect.* Per inſpirationem electio fieri dicitur, quando eligentes ſimul omnes, quaſi divino impulſu, in electionem conſentiunt *c. 42. d. t. de elect* In pontifice maximo id etiam fieri dicitur, *per adorationem*; quando concurſu facto, novus rapitur & adoratur papa. Inſpiratio aliquando in ipſo ſcrutinio uſu venire poteſt, ut accidit in electione Hadriani VI. Quod retulimus *in hiſtor. civ. ad ann. 1519. & c. c. ult.*

10. Poſtulantur, qui non ob corporis aut animi vitium, ſed ob alterius defectum qualitatis eligi nequeant, ut, ſi minor annis xxx. vel laicus, aut alterius eccleſiæ epiſcopus ſit, niſi diſpenſationem pontificis impetraverit. At ſi unus ſit electus, alius ſit poſtulatus, ille tamen confirmandus eſt: niſi poſtulatus duplo majorem ſuffragiorum numerum habeat *C. ſcriptum eſt X. de elect.* quæ *res nuper uſum habuit memorabilem, inter Clementem Bavarum, & VVilhelmum Furſtenbergium, apud Colonienſes.*

11. Electus intra menſem adſenſum ſuum præbere debet, & intra tres menſes à ſuperiori impetrare confirmationem à metropolitano, vel à pontifice ſummo, ad quem electus intra menſem iter facere eique fidelitatem jurare debet *c. cupientes 16. de elect. in 6.* Qua re, matrimonium cum eccleſia ratum eſſe dicitur, & quæ jurisdictionis ſunt, acquiruntur, ut poteſtas judicandi, excommunicandi, & beneficia conferendi, *c. tranſmiſſum 15. in. f. c. noſti 9. c. quod ſicut 28. ſ. præterea de elect.*

12 Sed ut ea, quæ ſunt ordinis, faciat, velut ordinare, deponere clericos, chriſma conficere, virgines benedicere, eccleſias & altaria conſecrare, debet epiſcopus etiam eſſe conſecratus *d. c. 15. & c. licet. 4. d. Tranſlat. Epiſc.* idque citra legitimi cauſas impedimenti, intra tres à confirmatione menſes fieri debet *c. 2. diſt. 75.* per unctionem capitis & manuum, chriſma, ſolennia verba, precesque ab archiepiſcopo & ſuffraganeis, a tribus ejusdem provinciæ epiſcopis, juſſu archiepiſcopi. In abbatibus loco conſecrationis eſt benedictio *Lancelot 1. inſt. 30* Pontifex à Cardinali aliquo, maxime Hoſtienſi conſecratur, *can. in nom. dom. diſt. 23.* Et Metropolitani inſuper de corpore B. Petri ſumere debent pallium, paſtoralis officii plenitudinem deſignans, quo tantum in ſolennibus feſtis utuntur, quod aliis commodare

nequeunt

nequeunt, & cum quo ſepeliuntur. Summi pontifices eo ſemper utuntur Lancel. *d. lib. 1. tit.* XI.

13. Translatio epiſcopi ad aliam eccleſiam, nonniſi pontificis auctoritate fieri poteſt *c. 2. de translat.* Nec renuntiatio voluntaria, vel permutatio, niſi auctoritate ſuperioris, ad quem pertinet confirmatio, causâ cognita, rectè fit. *Idem. tit. 19.* Denique, non reſidentes, etſi cardinales, officio ſuo privandos eſſe volunt Canones *c. 2. de Cleric. non reſident.* quod uſu parum ſervatur.

14. At habent epiſcopi archidiaconos, à quibus pleraque pro illis adminiſtrantur, in externis, maxime ad jurisdictionem ſpectantibus; Item Archipreſbyteros, qui curam illorum in ſpiritualibus ſublevant; imo & vicarios, qui abſentis epiſcopi partes obeunt, ut tamen puniendi & à beneficiis amovendi jus, niſi nominatim conceſſum, non habeant. A vicario appellatur archiepiſcopus; ſed ab archidiacono ipſe epiſcopus *d. lib. 1. tit. 13. 14. 15.* Erant olim & Chorepiſcopi, epiſcopis adjuncti, & plurium miniſteriorum participes, quorum uſus eſt ſublatus *can. chorepiſc. & ſequ. diſt. 68.* Sed habentur adhuc coadjutores, qui ægritudine aut fere ſenio impeditis epiſcopis adjunguntur, de capituli majoris partis conſilio & conſenſu cum auctoritate pontificis & cum ſpe ſucceſsionis, causâ tamen prius à pontifice cognitâ *Concil. Trident. c. 7. ſeſſ. 25.*

15. Epiſcopali ſede vacante, Capitulum, id eſt, Cœtus canonicorum illius eccleſiæ poteſtatem & jurisdictionem epiſcopi exercent, iis quæ ordinis ſunt exceptis, ad quæ adminiſtranda vicinus epiſcopus evocatur *c. ſuffragan. de elect.* Novi autem nihil à capitulo inſtitui poteſt *c. 2. de inſtit.*

16. Omittendi hoc loco non ſunt pontificis legati, quorum tres ſunt ſpecies, legati à latere, legati miſſi, nati. A latere legati ſunt, cardinales, qui ex ſenatu pontificis, quaſi à latere ipſius, in provincias mittuntur, eoque modo pontificem repræſentant, ut omnia, præter excepta ſolique ſummo pontifici reſervata, quæ requirunt mandatum ſpeciale, poſſint. *c. qua de causâ 9. 2. qu. 5. & c. 4. de off. leg.*

17. Legati *miſſi* vocantur, qui non ex ordine cardinalium, in provincias cum mandato & poteſtate mittuntur, quorum poteſtas è tenore mandati, quo conſtituti ſunt, intelligitur *c. fin. diſt. 97.* quod etiam de legatis, qui nati improprie dicuntur, tenendum, ut qui jus legationis habeant è privilegio vel beneficio poſſeſſo *c. 1. de off. legati.*

18. Incogniti ſunt magis juri canonico quam aulæ pontificiæ, cardinales patroni, qui plerumque ſunt nepotes pontificum; quibus hi, ut primis miniſtris omnium fere potentibus utuntur; qui omnis pontificiæ magnitudinis arbitrium, pro moribus, ac ut plurimum inſolenter avareque exercent: Unde ſæpe vetitus ille patronatus & nepotismus, eradicari tamen non potuit.

19. Atque hi omnes ſunt altioris ordinis ſacerdotes; ſunt & alii inferiores, qui ſacerdotes ſimpliciter & presbyteri appellantur, quorum eſt officium, ſacramenta celebrare; non tamen baptiſatos chriſmate linire, nec virgines benedicere, niſi mandatu epiſcopi; multo minus eccleſias conſecrare, clericos ordinare, excommunicare, pœnitentes publicè recipere, quæ reſervata ſunt epiſcopis *c. quamvis diſt. 68 & c. 1. verſ. ad epiſc. diſt. 25.*

20. Sunt etiam, qui in ſacris conſtituti, nec tamen propriè ſacerdotes ſunt, quales diaconi & ſubdiaconi. Diaconorum officium eſt, epiſcopum cuſtodire, ſacerdotibus ſacra facientibus adſiſtere, evangelium prædicare, nec niſi extrema neceſſitate baptizare, vel Euchariſtiam populo erogare *c. conſtat. baptiſma 16 de conſecrat. diſt. 4.* Subdiaconi minoribus adhibentur miniſteriis *c. 1. verſ. ſubdiaconos diſt. 25.* Utrique tamen per manus impoſitionem ritu ſolenni conſtituuntur, *diſt. 23. per tot.*

21. Dantur adhuc inferiores ſacrorum miniſtri,

niſtri, nec in ſacerdotio, nec in ſacris conſtituti, ut Pſalmiſtæ ſive cantores, Oſtiarii ſive clavigeri, & cuſtodes, anagnoſtæ ſive lectores, exorciſtæ, ſive dæmonum fugatores, & Acoluthi ſive pediſſequi, lumina accendentes, ferentes, & ſuggeſta parantes.

22. Et hi matrimonium contrahere poſſunt, ut tamen beneficiis ſuis eo caſu priventur. *c. 1. c. 3. c. 5. de Cler: Conjug.* cum, qui in ſuperioribus ſunt ordinibus, matrimonio penitus abſtinere debeant, *diſt. 26. & 32. per tot.*

23. Atque hi omnes ſunt clerici, per conſecrationem ordinati ab epiſcopo, vel ſi minores ſint, ab inferiore prælato; ſi non prohibeantur ætate, vitio animi vel corporis, aut natalium aliove vinculo. Ætas inhabilis, in ordinibus infimis eſt infantia, in ſubdiaconis 18. annorum, diaconis 20, ſacerdotibus 25, epiſcopis 30. annorum. Vitio animi, ſi furioſus, aut ſcenicus, aut homicida fuerit, etſi pœnituerit: in aliis criminibus pœnitentia tollit reatum. Ob vitium, luſcus ordinari non poteſt, nec qui ſe ipſum mutilavit: Denique, illegitime nati arcentur à ſacerdotiis, ut & bigami, uxore ſecundâ licet mortuâ. *Lancelot. 1. Inſt. 25.*

24. Præter illos omnes, ſunt adhuc alii ſacris addicti, tam in laicatu quam in clericatu conſtituti, quales ſunt regulares ſive canonici & monachi. Primi ſunt quaſi adſeſſores aut conſiliarii epiſcoporum, in regenda eccleſia illis adjuncti, fere ut cardinales pontifici; ut quemadmodum hi papam, ita illi epiſcopum eligant; ubi electiones, ſcilicet eccleſiaſtici juris manſerunt.

25. Monachi notiores ſunt, quam ut definitionis egeant. Fiunt tribus modis, paterna devotione, ſuâ profeſſione, vel emiſſione voti. Sed primus modus eſt conditionalis, ſi filius pubes factus conſenſerit. profeſſio fit, poſt annum probationis, qui tamen ex cauſa, ad biennium vel triennium produci poteſt, quando quis habitum religionis, quam elegit, palam ſolenniter ſuſcipit, promittens hæc tria in ſummâ; *obedientiam*, & juxta eam propriæ voluntatis abnegationem; *paupertatem*, cum abdicatione proprietatis univerſali, & *caſtitatem*, cum abſtinentia à matrimonio & concubinatu; contra quæ ne papa quidem diſpenſare poteſt *C. cum ad monaſterium 6. & c. in ſingulis 7. de Stat. monach.* Denique, voto qui ſe obligare poſſunt, tenentur ad religionem ſuſcipiendam, quàm ſe inituros voverunt animo deliberato & ſolenniter declarato *c. un. de Voto in 6.* nam ſi quis ſimpliciter dixerit, ſe Monachum velle fieri, non obligatur. *c. 3. de regular. & monach.*

26. Ordines monachorum in ſumma quatuor ſunt, a Baſilio, Benedicto, Auguſtino, Franciſco, à quibus reliqui ut è fontibus oriuntur, exceptis forte Carthuſienſibus; numero fere innumerabili; clauſtris gregatim comprehenſi, ſub regimine abbatis, qui de congregatione monachorum eligitur, etſi multis locis, ut in Gallis, à principibus, conſtituuntur. Hæc de perſonis, de quibus plura vide apud Lancelot. *Inſt. Can. lib. 1.*

27. Res eccleſiæ ſunt vel ſpirituales vel temporales. Prioris generis ſunt ſacramenta, item res ſacræ ſive ſanctæ & religioſæ. Sacræ ſunt eccleſiæ, altaria, reliquiæ, vaſa & veſtes ſacræ. Religioſas vocant, quæ piis uſibus ſunt deſtinatæ, ut ſepulchra, cæmeteria, domuſque religioſæ, ut monaſteria, orphanothrophia, noſocomia, xenodochia & ſimiles

28. Huc quoque jura ſacra pertinent, qualia præbendæ, jus patronatus, cenſus, exactio, procuratio, canonica portio. Præbenda, eſt jus percipiendi reditus eccleſiaſtici, ratione divini officii, quo aliquis fungitur; dicitur aliter beneficium & titulus, quibus ſæpe *perſonatus* ſive dignitas eccleſiaſtica major aut minor conjungitur.

29. Quando vacat, fit ejus vel *collatio*, à capitulis aut aliis, quibus ex lege vel conſvetudine jus hoc datum eſt, ita, ut ſinguli ſingulis fruantur beneficiis *C. 8. c. 20.*

c. 25. de

c. 25. de præbend. vel *inſtitutio*, ab his qui jus patronatus habent, ſeu clerici ſive Laici ſint, id eſt, jus præſentandi aliquem ad beneficium vacans, ferè cum jure cenſus annui è præbenda percipiendi *c. 2. de Cenſ.* quod datur his, qui eccleſiam fundarunt, ædificarunt, dotaverunt, quod jus ad heredes tranſit, & ad ſingulares poſſeſſores quoque, una cum bonis, quibus annexum eſt. *c. 14. de jur patron. c un. eod. in 6.*

30. Obnoxiæ ſunt præbendæ adhuc exactionibus, ex cauſa juſta, extraordinariis *c. 10. & 12. de cenſib. & exact.* Item, procurationibus, id eſt, exhibitioni ſumptuum, prælatis eccleſias viſitantibus faciendæ *c. 6. & c. 12. de cenſib. &c.* Item Canonicæ portioni, quartæ vel etiam ampliori, prælatis decidendæ, *Lancelot. lib. 2. n. 26.* Eſt ubi principes, ut in Gallia, conferunt præbendas: etiam, ut pro Laicis & militibus, plures & arbitrariæ penſiones illis imponantur.

31. Mixtæ res inter eccleſiaſticas & temporales ſunt, decimæ, primitiæ & oblationes, ad ſimilitudinem Levitici moris introductæ. Decimæ ſunt portiones lucri vel fructuum Deo, id eſt, eccleſiæ debitæ ab omnibus, qui non ſunt exempti; ſuntque vel prædiales de fructibus, vel perſonales, de lucris induſtriæ. Priores debentur eccleſiæ, ſub quâ res ſita eſt; Poſteriores, ubi quis ſacramenta percipit. Epiſcopo cujusque eccleſiæ quarta decimarum deciditur. Lancelot. *d. lib. 2. t. 26.* Primitiæ faciunt cum minimum, quadrageſimam; cum plurimum, ſexageſimam fructuum partem *c. 1. de decim.* Oblationes ſunt, voluntariæ præſtationes, quæ ſacerdotibus pro peccatis offeruntur *c. 13. quia ſacerdotes. 10. quæſt. 1.*

32. Res merè temporales eccleſiæ, nihil habent diverſæ conſiderationis à rebus aliorum hominum aut univerſitatum, niſi quod alienari non poſſunt, qua de re diximus alias; ita, ut ſub prohibita alienatione contineatur, emphyteuſeos, feudi, hypothecæ & precariæ conceſſio. Quid eſt precaria? (reliqua ſatis nota ſunt aliunde;) Eſt contractus cum eccleſiæ oeconomo initus, quo prædium perpetuo, vel ad longum tempus pro certo canone fruendum conceditur, ut tamen de quinquennio in quinquennium renovetur *c. 4. precaria & ſequ. 10. C. 1. de precar.*

33. Clerici, præter monachos, habent quoque peculium ſive patrimonium proprium, partim è beneficiis eccleſiarum, partim è ſucceſſionibus aut donationibus acquiſitum. De priori inter vivos diſponere, non teſtari poſſunt *cap. ult. de pecul. cleric. cap. 9. de Teſtam.* Monachi & ipſi abbates monaſterio relinquere debent *can. 7. quia ingredient. 19. q. 3.*

34. Rebus eccleſiaſticis immunitas tribuitur, ab oneribus tributorum aliarumque exactionum, quæ à poteſtate ſeculari imponuntur; niſi magna eccleſiæ & reipubl. neceſſitate, conſulto pontifice, in diverſum conſentiant. *c. adverſus. 7. §. Verum. de Immun. eccleſ.* perſonæ etiam clericorum à jurisdictione laicorum & muneribus exempti ſunt perſonalibus *C. non minus 4. de Immun. eccleſ.* Et hæc quidem de univerſitate eccleſiæ Romanæ, ex hoc inſtituto dicta ſuffic ant. Plura Lancelot. *lib. 1. & 2. inſt. jur. can.*

SECTIO IV.

De Subjectione rerum.

CAP. I.

DE SIGNIFICATIONE ET DIFFERENTIIS RERUM.

Res cujusque loci, ſubjectas eſſe eidem Imperio, cui perſonæ ſunt. n. 1-4. Diviſio rerum, in corporales & incorporales; n. 5. 6. rurſus illæ mobiles aut immobiles: n. 7. 8. vel in patrimonio vel extra illud. n. 9. Quæ extra, vel nunquam in bonis fuerunt, vel eſſe deſierunt. n. 10. 11. Prioris generis eſſe res communes, quæ explicantur. n. 12-19. Deſiiſſe res ad tempus vel in perpetuum, & ſpecies utrælibet enumerantur. n. 21-25. Quæ ſunt in patrimonio, hæc eſſe publica vel privata. n. 26. De publicis agitur, earumque differentia probatur à Communibus & rebus Univerſitatis n. 27-41. Res privatæ n. 42. Jus in re n. 43. An ſublata diſtinctio inter res corporales & incorporales n. 44.

1. POſt homines, qui ſubjiciuntur imperio, tranſeamus ad res. Intelligimus autem per res in jure, ea quæ græci *χρήματα* appellant, quæ Ariſtoteles ait eſſe, *πάντα ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται*; *Omnia quorum valor pecuniâ æſtimatur* 4. *ad Nicom, cap.* 1. quæ & *bona* dicimus à beando; unde latinè beati, id eſt, divites. Seneca *epiſt.* 45. *Beatum appellant, ad quem pecunia magna confluxit* & 1. controverſ. 6. *Inſolens malum, beata uxor; Cui, quid aliud quam beatè ſervienus?*

2. Cum autem propter homines habeantur bona, conſentaneum eſt, eos qui imperium habent in perſonas, eandem in res habere poteſtatem.

3. Nempe, ut antea diximus, tam proprietas bonorum, quam libertas corporum ſingulis in civitate, ſalva intelligitur; imperium nec non eminens dominium, in ſingula vim ſuam extendunt, eo modo, quem in loco explicavimus. Symmachus appoſitè ad hanc rem: *Omnia regitis, ſed ſuum cuique ſervatis*, ad Cæſares *epiſt.* 54.

4 De jure rerum tractatus etſi maxime juris privati eſſe videatur, hic tamen omitti non poteſt; ut intelligatur, quid juris in ſingulas reipubl. comparatum ſit; Eo modo tamen de illis agemus, ut nihil quam quod juris gentium eſt ac univerſale, perſequamur.

5. Incipiendum eſt à diviſione rerum, quarum prima & ſimpliciſſima eſt, in corporales & incorporales; quam quod plerique petitam à philoſophis putant, de verbis ferri poteſt, de ſignificatione non æquè. g) Philoſophi enim res incorporeas vocant ſub-

n. 5. g) non æquè) *Diſtingue inter Philoſophos. Stoici ſanè, quorum Philoſophiam ſequebantur JCti Romani, omnia dicebant eſſe corporea exceptis quatuor*; effato de rebus *ſeu notione*

ſubſtantias materiam non habentes, de quarum natura nobis ſola cogitatio conſtat: quæ ſubſtantiam ſupponit efficaciſſimam, & à materia penitus remotam.

6. Res incorporales in jure ſunt facultates ad aliquid habendum aut agendum, ſicut herilis & patria poteſtas, matrimonium, agnatio, tutela, dominium, uſucapio, hereditas, obligatio & actio, quæ circa res corporeas quidem verſantur: ſed ipſæ notiones ſunt à rebus abſtractæ, qua de re diſputationem amœnam exhibuimus inter VVeſembecium, & Vinnium, an hæc jura bene dicantur, entia rationis; quod ſunt equidem eo ſenſu, quo Theophilus interpres græcus *ad tit. inſt. de oblig.* & alibi ſæpe de talibus agens, eſt, inquit δίκαιόν τι νῷ καταλαμβανόμενον; *jus aliquod mente comprehenſum & abſtractum. b*)

7. Res corporales iterum ſunt mobiles vel immobiles; ſub illis etiam res ſe moventes ipſique homines continentur, etſi liberos homines ſignificatione rerum eximere ſolemus; utpote, quibus omnia creata ſerviunt. Immobilia ſunt res ſoli.

8. Res, quæ conſtant pondere, numero & menſura, maxime pecunia, duplicem habent proprietatem; ſunt enim corporales, quatenus contrectari poſſunt; Incorporalis intelligitur eſſe quantitas earum, quæ functionem in genere ſuo recipit, ita ut una, vice alterius abſque ulla inæqualitate fungi poſſit.

9. Utræque tam res mobiles quam immobiles, ſunt vel in patrimonio, ſive in bonis, vel extra patrimonium. In patrimonio, quarum nomine competit actio non habentibus, & exceptio retinere volentibus, ut JC. in *l. 51. de A. R. D.*

10. Quæ ſunt extra patrimonium, vel nunquam in eo fuerunt, vel eſſe deſierunt. Nunquam in eo fuerunt, quæ communes & nullius dicuntur, & ſunt, quarum uſus & proprietas cunctis hominibus æqualiter competit, vi divinæ largitionis, condito & inſtaurato generi humano factæ *Geneſ. cap. 1. & 9.* Dicuntur & nullius, *i*) eo quod peculiari dominio à nemine adhuc ſint comprehenſæ.

11. Quæ ſunt hujus generis, eæ vel ſunt tales, ut à quolibet occupari queant, aut penitus dominii ſunt incapaces. *k*)

12. Prioris naturæ ſunt omnes res, quæ poſſeſſionem & occupationem ſtabilemque cuſtodiam recipiunt, ut ſunt feræ beſtiæ, volucres

(*ad quam referri quoque jura poſſunt,*) vacuo, loco, *&* tempore. *Vide Lipſ.* introd. ad Phyſiol. Stoic. l. 2. diſſ. 4. & 5. *Cicero in Topicis*, rerum alias eſſe *dicit* quæ ſunt, alias quæ intelliguntur. Eſſe *ea dicit* quæ cerni tangique poſſunt, non eſſe, quæ tantum animo cernuntur, quarum nullum ſubeſt quaſi corpus, eſt tamen quædam conformatio inſignita & impreſſa intelligentiæ, *quam* notionem *vocat, cujus generis exempla refert* Uſucapionis, Tutelæ, Agnationis.

n. 6. *b*) abſtractum) *Vide Autorem* Digreſſ. lib. 4. cap. 3. *Præjudicialis quæſtio eſt: an ens rationis ſit entis ſpecies ac conſpecies entis realis, an oppoſitum entis & ſpecies quaſi nonentis. Sed quid opus eſt, ut in juriſprudentia univerſali nos torqueamus ſubtilitatibus Metaphyſicis Philoſophiæ vel Stoicæ vel Scholaſticæ. Dicamus breviter Res, quà perſonis & earum juri opponuntur eſſe vel corpora vel jura circa corpora.*

n. 10. *i*) Nullius) *In inſtitutionibus res communes & nullius ſecernuntur, ut ſpecies diverſæ. In verbis ſimul faciles. Sed tamen magis propriè dicuntur res communes, quæ præſupponunt jam poſſeſſionem plurium; nullius quæ à nemine poſſidentur.*

n. 11. *k*) incapaces) *De his poſterioribus non agit in hoc capite ſed in* ſequente capite n. 25. ſeq. *Et hæ in inſtitutionibus* h. t. *vocantur* communes.

Digitized by Google

volucres, piſces, gemmæ, metalla nondum effoſſa, *l*) res derelictæ, aqua profluens, omneſque maris inſulæ regioneſque deſertæ.

13. Ejusmodi res naturali ratione cedunt occupantibus. Etenim poſteaquam à communione primævâ conſenſu non minus, quâ neceſſitate humanæ ſocietatis receſſum eſt, conſtanter receptum fuit, ut, quod unusquisque apprehendit, cum nullius exiſteret, & quidem cum animo ſibi habendi, id ei à nemine citrà injuriam eripi poſſet. *Vid. Grot. lib. 2. de jur. bell. & pac. cap. 2. §. 2. & lib. 2. juriſpr. Holl. cap. 5.*

14. Quod enim aliqui diſputant, (Böklerus *comment. ad lib. 2. Grot. cap. 3. §. 2.* Strauch. *de Imp. mar.* Joh. Bapt. *Burg. lib. 1. de Dom. Reip. Genu. in mar. Liguſt.*) ea quæ de communione primæva dicuntur eſſe fictitia, id demum vere, ſi quid unquam, fictitium eſt.

15. Nam ſi communio ſit jus, quo res eædem, plurium pro indiviſo propriæ ſunt, res loquitur, cum creator Deus cunctis mortalibus cedit jus in res hujus inferioris naturæ, *m*) nihil potuiſſe illud eſſe quam communionem; adeoque pene ridiculæ ſunt in contrarium rationes.

16. Neque verò metuendum, eo quod fatemur, in quibusdam rebus ſtatim deſiiſſe communionem, ne nobis ipſi obloquamur; quaſi communio ne quidem, ut iſti loquuntur, animo concipi poſſit, eo quod proprietas ſit, in ipſa poſſeſſione

17. Nam quia factum ſaltem, id eſt, occupationem, ſi non pactum expreſſum, ante primum à communione receſſum, requirimus, palam eſt, mente ſaltem aliquod jus, ante illud factum, eſſe concipiendum.

18. Dein, etſi quædam res, incontinenti deſierint eſſe communes, multæ tamen diutiſſime tales manſerunt; neque enim niſi lapſu multi temporis pleraque terrarum occupari potuerunt, quæ nec etiamnum omnes tenentur.

19. Præter quod in animalibus, quæ cœlo, quæ mari terraque continentur, in aqua profluente aliisque rebus, non potuerit deſinere communio, quia nunquam deſinere poterat occupatio ſingularum, quemadmodum his de rebus diſputavimus *in part. 1. Digreſſ. lib. 4. cap. 11. & 12.*

20. Res quæ deſierunt eſſe in patrimonio, ceſſarunt vel ad tempus, vel in perpetuum. Ad tempus, res hereditatis jacentis, cujus qui fuit dominus, eſt mortuus, & novus adhuc non exiitit, item res pro derelictis habitæ & theſauri. Priores & poſteriores quidam negant eſſe nullius, quia non fiunt occupantium; ſed hæc eſt alia quæſtio *n*) deinde ſequutura.

21. Quæ

n. 12. *l*) effoſſa) *Sed res hactenus recenſitas, quatenus vagantur vel latent in ſolo noſtro, jure gentium magis pertinere ad res in patrimonio, docui alibi.* Vide Inſt. J. N. & G. L. 2. cap. 10. n. 140. ſeq. Et novas additiones ad Prælectiones Autoris ad Pandectas tit. de A. R. D. p. 364. ſeq.

n. 15. *m*) naturæ) *Dicto cap 10. latius vindicavimus doctrinam Autoris & Puſendorffii de communione primævâ, & palpandos dedimus errores doctrinæ vulgaris de dominio à Deo per preceptum introducto. Magis perſpicuè tamen res evadet, ſi dicamus, res ante occupationem in ſtatu primævo non tam fuiſſe communes, quam nullius per modo notata lit. l. Sed tolerari tamen etiam poteſt diſtinctio Puſendorfii inter communionem negativam & poſitivam &c.*

n. 20. *n*) alia quæſtio) *Imo non eſt: quia regula juris Gentium eſt, res nullius cedere occupantibus. Neque dicuntur hæ res eſſe nullius in jure, Saltem a Gloſſatoribus in verſu*

Digitized by Google

21. Quæ in perpetuum deſierunt eſſe in patrimonio, recenſentur à JCtis hæ res, ſacræ, religioſæ & ſanctæ; ſed hoc membro diviſionis carere nobis licet in hac arte quidem.

22. Quippe res ſacras Romani dixere, quæ rite per pontifices Deo ſunt conſecratæ, nec abludunt recentiores Romani Chriſtiani *in* § *8. Inſt. de Rer. div.* à quibus ſeparantur res piis uſibus deſtinatæ, quas alii haud inepte *quaſi ſacras* appellarunt.

23. Sed, res vere ſacras in ſtatu renovati fœderis per Chriſtum, eſſe nullas, cum ratione dicendum; quia conſecratio, per quam character aliquis rebus imprimatur, ſine dubio ex genere cærimoniarum eſt, quæ, ut umbræ, per adventum Corporis evanuerunt.

24. Res ſanctæ, quas Romani dixere, muri & portæ civitatum, nihil præter ſuperſtitionem habent, quo à publicis aut Univerſitatum rebus ſeparentur.

25. Denique, religioſa loca, *ſepulchra*, præter memoriam humanæ fragilitatis, quam repræſentant, nihil etiam à privato jure dominii, ſeparatum continent, cum & in commercio perinde ac aliæ res habeantur; niſi quod apud *pontificios* cærimoniis quibusdam ſepulchra conſecrantur.

26. Res quæ ſunt in patrimonio, dividuntur in publicas & privatas. Publicæ iterum ſunt vel tales in ſpecie vel univerſitatis: Priores, quæ ad populum liberum ſpectant, poſteriores, quæ ad univerſitatem.

27. De prioribus novum videtur, quod in patrimonio eſſe dicuntur; nam univerſitates ſatis conſtat eodem jure, quo privati utuntur, uti ſolere. Sed etiam publicas in patrimonio eſſe, probat tam ratio quam uſus & auctoritas.

28 Ratio, quia populus liber æque jus perſonæ habet, acquirendo, conſervando, amittendo, quam univerſitas & evidentius per ſuos rectores ad unitatis facultatem redigitur, quam ſit in univerſitatibus ſubordinatis.

29. Uſus & auctoritas eſt à juris-conſultis Romanis, ſat idoneis latinæ linguæ auctoribus, quos ita ſentire & docuiſſe, probat *lex 14. ff de Acquir. R. Dom.*

30. Hinc patet, quam difficulter hæc ſcienti, in mentem venire poſſit, quod nuper eruditis quibusdam placuit, res communes & quæ publicæ dicuntur, non habere differentiam realem atque ſtabilem. *o*)

31. Nam quæ res evidentius differre poſſunt, quam quæ in ordinata diviſione ſibi invicem opponuntur? Res communes ſunt extra patrimonium, publicæ ſunt res in patrimonio, docente non tantum jurisprudentia Romanorum, à *pr. t. t. Inſt. de Rer. diviſ.* ſed etiam ſtatu juris gentium manifeſto & neceſſario. Quod ut plenius intelligatur, ſic eſt habendum; Ubi non eſt dominium, ibi nec in res imperium *p*) dari poteſt; hoc enim illud præſupponit.

32. In qualibet gente duplex occupatio rerum fit, per fundos & per univerſitatem, ut ex-

Natura, facto, cenſura, tempore, caſu
Res in nullius creditur eſſe bonis.

eo referuntur ex ignorantia juris naturæ.

n. 30. *o*) habiem) *Lis ut vides eſt de vocibus, & quidem magis ad jus Romanum pertinens quam ad jurisprudentiam univerſalem: Difficultatem peperit ambiguitas utriusque vocis, vel potius, quod JCtorum alii voce rerum communium, & publicarum, item nullius aliter fuerint uſi ac alii.* Conf. n. 39.

n. 31. *p*) imperium) *Quidni? Imperium proprie in res non datur ſed in perſonam, etſi dari poſſit de rebus. Sed cur non etiam de rebus nullius imperium dari poſſit in perſonam, ne eas occupando acquirat.*

ut expoſuimus in prælection. Juſtinian. *lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 3. hæc tempore prior eſt, & plenam occupatæ regionis inde ab initio continet proprietatem, tàm quod ad dominium quam Imperium.

33. Dein per fundos inſtituitur partitio, qua ſinguli cives dominium ſuæ portionis conſequuntur, imperio apud univerſitatem relicto.

34. Flumina tamen & lacus majores omneſque terræ, cultoribus vacuæ & quicquid dominum ſingularem non recipit, manet in primævo ſtatu, quo cuncta pleno jure fuerant univerſitatis.

35. Hinc etiam diſcimus, quæ res ſint, quas *publicas* appellamus, ſc. quarum proprietas certi alicujus populi eſt; eæque duplicis ſunt generis; Aut enim in occupatione per univerſitatem ſubſtiterunt nec à ſingulis diviſæ ſunt; aut ex poſt facto originem habuerunt.

36. Prioris generis ſunt portus & flumina, lacus plerique, & loca deſerta ac vacua, aut ab initio ad ſuſtentationem imperantium vel publicos uſus ſequeſtrata.

37. Ex poſt facto publicum dicitur, quicquid ex collatione ſingulorum, aliove inſtituto, proprium liberæ reipubl. conſtituitur, ut eſt ærarium, bona vacantia, fiſcalia, & quicquid præterea cujusque in populi patrimonio noſcitur.

38. Sed quod de confuſione rerum communium & publicarum quibusdam placuiſſe diximus, id de priori genere publicarū rerum accipiendum eſt, quâ de re plenius egimus in *part 2. Digreſſ. l. 2. c 1.* & de effectu diſputationis illius agendum erit inferius.

39. Id verò neminem movere debet, quod etiam res communes atque nullius aliquando publicæ dicuntur; quaſi populiæ, quæ ſint omnium populorum: Id enim fere omnibus juris & uſus civilis terminis accidit, ut voces late & impropriè, vel ſtrictè & propriè accipiantur, quemadmodum juxta alias rationes, in hanc rem demonſtravimus, *d. c. 1. lib. 2. part. 2. digreſſ.*

40. Denique, res univerſitatis ſunt, quæ pertinent ad univerſitatem qua talem, non ad ſingulos, quarum rerum natura poteſt intelligi ex his, quæ ſuprà de univerſitate copioſe dicta ſunt.

41. Has à publicis eſſe diſtinctas, ne quidem hi negant, qui communes & publicas res nullam habere differentiam volunt realē. Attamen res univerſitatis, ut ſunt theatra, ſtadia, curiæ, ſcholæ, vocantur etiam publicæ, tam jure civili, quam uſu communi *l. 17. ff. de V. S.*

42. Sequuntur res privatæ, quæ pertinent ad patrimonia ſingulorum, tam corporales, quam incorporales, jure dominii vel crediti; ſive ut recentior amat loqui jurisprudentia, *jure quod in re vel ad rem dicitur.*

43. Jura in re ſunt hæc, dominium, & jus ei proximum, quò pertinent ſuperficies, emphyteuſes & feuda. Poſſesſio in pleriſque eodem refertur; Dein hereditas, ſervitus & pignus; *q)* Quæ ſpecies quid ſignificent, & quas habeant proprietates, nondum hujus loci eſt, deinde videbimus.

44. Sed quod nonnulli inter res corporales & incorporales uſu temporum volunt eſſe diſcrimen, non debet hic præteriri. Sublatum eſſe diſcrimen, quo nullum magis eſt naturale, cave credas: ſed eſt verum, in legibus populorum ſæpe fieri, ut patrimonia diſcernantur, in res mobiles & immobiles: Ubi hoc factum fuerit, ita ſervari ſolet, ut incorporalia, veluti jura & obligationes, mobilibus accenſeantur, qua de re dix. ad *tit. ff. de rer. diviſ.*

CAP.

n. 34. *q)* Pignus) *Uno verbo dominium latè dictum. Latius deduxi* in nov. addit. ad prælect. Autor. ad Inſt. de R. D. p. 81. ſeq, & ad Pandect. de A. R. D. p. 360. ſeq.

Digitized by Google

CAP. II.

DE JURE RERUM CORPORALIUM MAXIME EARUM, QUÆ NUNQUAM FUERUNT IN PATRIMONIO.

Differentia juris publici inter res mobiles & immobiles, n. 1-9. ubi de jure conſiſcationis. n. 10. 11. Quid juris ſit in rebus nullius, ubi de vi & merito occupationis, n. 12-26. ſpecialiter in mari, de quo diſcrimen inter imperium & dominium rejicitur. n. 27-52.

1. POſt rerum differentias, de jure ſingularum ſpecierum, quatenus ad juris publici rationem ſpectare queant, paucis agendum, eodem quo diviſæ fuerunt, ordine docendi. Rerum corporalium diviſio, in mobiles & immobiles, nonnihil etiam momenti, quod ad juris publici cauſam pertineat, habere videtur.

2. Nam quia mobilia proximè & immediate ad uſum perſonæ ſpectant, ideo ſubjacere volunt hæc imperio illius, cui ipſa perſona ſubjecta ſit, quocunque loco bona reperiantur.

3. Adeo ut princeps, qui bona civis ſui propter delictum redigit in fiſcum, ea quoque mobilia, quæ ſub alterius imperio latent, jure ſibi vindicet.

4. Similiter leges & ſtatuta de ſucceſsione bonorum, quæ in locis, ubi quisque civis eſt, obtinent, iis quoque in bonis, mobilibus ſcilicet, quæ ſub alterius ditione reperiuntur, effectum habere dicuntur.

5. At ſecus in rebus ſoli, ſive immobilibus eſſe dicendum eſt; nam hæ cum partem reipublicæ ſubjectivam, id eſt, territorii conſtituant, non poſſunt alterius, quam qui regit eandem civitatem, ſequi autoritatem

6. Ideo leges de ſucceſsionibus, quæ in una obtinent republ. quod ad res alibi ſitas, ubi diverſum jus viget, non poſſe valere, idemque de confiſcationibus.

7. Hæc ita, quod attinet ad res immobiles, ſolidâ ratione conſtant; ut demonſtravimus in *prælect. ad Pandect. ſect. de conflictu legum diverſ. n. 14.*

8. Sed in mobilibus haud uſque quaque; Nam ut leges & diſpoſitiones externæ poteſtatis, in alio territorio effectum habeant, non poteſt, niſi à tacito populorum conſenſu fieri, communis utilitatis cauſa, æque in mobilibus ac immobilibus,

9. Hæc voluntas mutua gentium in ſucceſsionibus obtinuit quidem ubique: in his enim ita obſervatur, ut, quando ſuccedendi ratio locis variat, mobilia deferantur ſecundum jus domicilii; quia nullum in eo præjudicium, quod ad poteſtates aut ſingulos ex populis in univerſum pertineat, vertitur

10. Sed in publicatione bonorum res aliter ſe habet: Per hanc enim ipſi principes bona in fiſcum redacta lucrantur, quod ut alius princeps faciat, nulla poteſtas aut populus in ſuo territorio de rebus ibi exiſtentibus, etſi mobilibus, facile permittet; ſaltem ad hoc non tenetur. Nec adeo fit, opinor, ut bona damnatorum, v. gr. in Galliâ, utcunque mobilia, in Hiſpaniâ redigantur in fiſcum Gallicum; niſi per ſingularem inauditam indulgentiam.

11. Verum eſt, juriſperitos plures aliter ſtatuiſſe, quos adducit VViſſenbachius *ad tit. ff. de bon. damnat.* Sed contrarium frequentius uſu invaluit, teſte Peregrino *5. de jure fiſci 1. n. 143.* & Clarus *§. fin. Qu. 78. n. 27.* Quod autem VViſſenbachius noſter rationem hac parte ſuperatam eſſe putat à conſve-

tudine, de eo quid opinandum ſit, ex his quæ dicta ſunt, intelligi poteſt.

12. Inter res quæ ſunt extra patrimonium, primo loco ſunt *communes*, ſive nullius, quarum aliæ ſunt tales, ut occupationem recipiant, aliæ ſecus. Inter eas, quæ apprehenſione rediguntur in dominium, ſunt feræ beſtiæ, volucres piſces; Quas certum & notum eſt, jure gentium fieri occupantium: Occupatio autem facta cenſetur, cum res apprehenſæ in poteſtate noſtra ſunt, cuſtodiáque noſtrâ coercentur, ut docet Juſtinianus in *§. feræ d. A. R. D.*

13. Apprehenſionem non manu duntaxat vel actu immediate corporali æſtimamus; ſed inſtrumentis quoque, velut retibus & laqueis; modo adſint duo requiſita; primo ut inſtrumentum ſit in noſtra poteſtate, deinde ut fera ita incluſa ſit, inde uti exire nequeat, docente Grotio *lib. 2. c. 8. §. 4.*

14. Proinde, piſces, qui piſcinis, & feras quæ vivariis continentur, occupatas eſſe non dubitatur; ſed an obſtructio ſtagni & circumſeptio ſylvæ, ſint actus ſufficientes ad dominium præſtandum ambigitur; negavit Nerva filius *in l. 3. §. 14. ff. de Acquir. poſſ.* Adfirmat Grotius in *lib. 2. de jur. b. & p. n. 2.* hac ratione, quod animalia ſic incluſa ſint, ut exire nequeant.

15. Nerva negat hanc eſſe incluſionem, piſceſque & feras adhuc in naturali ſua libertate relictas eſſe contendit; ideoque, ſi piſcem è tali ſtagno vel feram ex ejuſmodi ſylva quis ſurripiat, negaret hoc eſſe furtum, quod Grotius, ſcilicet, adfirmat: & videtur hujus, jure gentium ſolidior eſſe ratio; ſiquidem privati juris ſint ſtagnum & ſylva, quod in hac diſputatione ſupponitur: non poſſunt enim piſces & feræ in naturali ſuâ libertate eſſe videri, quibus evagandi facultas interclusa eſt.

16. Ex his liquet, apprehenſionem corporalem præferri fictitiæ atque ſymbolicæ; quo pertinet inter Andrios & Chalcidenſes quæſtio vetus apud Plutarchum *qu. Gr. 29.* Civis Andrius & Chalcidenſis Acanthum urbem ab hoſtibus deſertam occupaturi, cum Andrius Chalcidenſem adſequi non poſſet, haſtâ in portam eminus infixa; ſe priorem in occupatione ferebat, Chalcidenſis urbem prior intraverat. Arbitri litis, ad utros urbs pertineret, electi, duo pro Chalcidenſibus, unus pro Andriis pronuntiarunt. Vicerunt igitur & rectè Chalcidenſes, etſi Grotius Andrios viciſſe referat, errore memoriæ, ut puto. *l. 2. c. 8. §. 6.* Hæc latius expoſita ſunt in *lib. 4 digreſſ. cap. 18.*

17. Porro ex natura communium rerum, quæ reperiuntur in aliqua gente, in has certum eſt, totum populum æquale jus habere, tam in feras, volucres, piſces, quam in metalla theſauroſque ſubterraneos, qui in territorio ab ipſomet occupato deteguntur.

18. Unde clarum, qnod communi conſenſu, id eſt, per legem, ſinguli à jure ſuo recedere, idque in unum vel certas perſonas transferre poſſint.

19. Atque hoc eſt fundamentum, quo jus feras venandi, aucupia, piſcationes, metallifodinæ, theſauri & ſimilia principibus aut proceribus hodierno gentium uſu r) vindicantur, qua de re diximus *in part. 1. digreſſ. lib. 4.*

n. 19. r) uſu) *Jam ſuprà* l. 1. ſect. 7. n. 43. *aſſertio illa poſita fuit. Sed in locis* lit. l. *citatis oſtendi pleraſque res hic recenſitas, potiſſimum autem feras beſtias eſſe in dominio reipublicæ jure acceſſionis, unde non opus differentiam morum Germaniæ à jure Romano, (ubi hoc intuitu Princeps juri ſuo renunciavit) deducere ex ſpeciali conceſſione principi facta. Præprimis cum ea vix doceri queat apud Germanos, apud quos notum, quod in ſtatu libertatis omnes ingenui jus venandi habuerint, ut apud Romanos. Ergo, quod principes Germani poſtea jure ſuo uſi fuerint & nonniſi, quibus id conceſſum ſpecialiter, jus venandi interdixerint, à moribus Romanorum abit reſpectu ingenuorum, quos ſtilo hodierno nobiles dicimus. Nam ruſtici nec olim habuerunt jus venandi, tanquam ſervi, non magis ac ſervi*

Digitized by Google

lib. 4. c. 19. & ſeqq.

20. Non tamen id efficere poteſt lex, quod vult Grotius *lib. 2. c. 8. n. 4.* ut principes immediate domini ferarum, etiam ante occupationem, fiant, quia jus illorum non poteſt eſſe prius, quam populorum, à quibus illud habent; atqui feræ donec capiantur, manent nullius, tam reſpectu populorum quam ſingulorum.

21. Sed hoc poteſt lex, ut quicunque aliquam feram capit, hoc faciat, ut miniſter ejus, in quem populus ſuum jus commune tranſtulit: adeoque ut princeps in ipſo occupationis actu, dominio potiatur.

22. Unde non male dicitur, eos qui feram lucri faciendi animo detinent, aliquando furti ſe obſtringere; quod negant, qui ſola venatione privatis interdictum, dominia autem ferarum principibus nullo modo adfecta putant; quod inde refellitur, quia nec fortuito quidem feræ captæ cedunt occupantibus, ſed in publicum deferendæ ſunt. Dixi latius in *lib. 4. digreſſ. cap. 20. & prælect. ad tit. ff. de A. R. D. n. 7.*

23. Ex his clarum eſt, quæ res extra territorium cujusque populi vacuæ ſunt, eas à nemine, quam per occupationem acquiri poſſe: occupatas autem ab aliis omnino neminem rectè ſibi vindicare.

24. Quare non immerito barbarus rex Peruanus irriſit immanem pontificis Romani arrogantiam, à quo terras novi orbis, quæ ab indigenis antiquiſſima poſſeſſione tenebantur, regi Hiſpaniæ donatas intellexerat.

25. Atque hæc de rebus communibus occupationem recipientibus; ſuperſunt res dominii incapaces, *s*) cujusmodi eſſe videntur tam aer quam mare.

26. Nempe, ut diſtinguantur aquæ marinæ & aeris particulæ ab aere *t*) atque mari ipſo. Illas enim occupari & in dominium redigi poſſe, nulla dubitatio eſt.

27. Sed mare per ſe totum, *u*) vel quoad præcipuas partes, non recipere dominium cum effectu, ut jus ſit principi vel populo alios prohibere piſcari in eo, navigare, aquam haurire, conchas & naufragiorum reliquias colligere, probatur hiſce rationibus.

28. Prima, quod in mari ceſſet ratio, per quam dominia, inſtinctu ſtudioque pacis & neceſſitatis ab hominum primis diviſa fuere.

29. Nam reliquæ res humanæ inter ſingulos

Lll 2

Romani. Cives urbici vero id non habuerunt, tanquam liberti. Apud Germanos enim jam tempore Taciti libertorum & ſervorum ſtatus in paucis differebat &c.

n. 25. *s*) Incapaces) *Connexionem quære* cap. præced. n. 11. *Hæ dicuntur ſtilo inſtitutionum res communes & exempli loco afferuntur hæc: aer, aqua profluens, mare & per hoc littora maris. Sed harum ſingulas eſſe ſub dominio adeoque malè rebus communibus accenſeri docui* in nov. addit. ad Aut. prælect. ad Inſt. h. t. p. 74. *Imo & Autor hic, partim in cap. præſente, partim* cap. 4. n. 4. ſeq. n. 28. ſeq. *ferè nobiſcum ſentit, niſi quod ſubinde juri Romano utcunque ſuppetias ferre tentet.*

n. 26. *t*) ab aere) *Talis eſt hæc limitatio. Quaſi jus Romanum non loquatur de particulis aeris, ſed de totâ atmoſphæra. Sed hæc excuſatio planè non eſt ad mentem juris Romani. Nam 1. eodem modo videtur intellexiſſe aerem, ut aquam profluentem. At aquam profluentem haud dubio intellexit etiam, quoad particulas fluminis, aut certè quoad partes quæ huic vel illo flumini propria ſunt. 2. Si intelligeretur tota atmoſphæra aeris, etiam terra fuiſſet referenda ad res communes, quia nec tota terra cadit in unius dominium, non magis ac vaſtus oceanus.*

n. 27. *u*) totum) *Jus Romanum tamen etiam partes maris, in quibus autor concedit dominium, habet pro re communi, cum & littora maris eo referas.*

Digitized by Google

gulos dividi oportuit, quia non omnes pariter ad uſum ſui admittebant, & quod ſuus cuique labor prodeſſe deberet.

30. At mare commodisſime toti humano generi ſufficit, nec opera permanentis induſtriæ, quæ auctores ſibi ſolis vindicare debeant, recipit.

31. Alterum argumentum ſit, quod mare propter fluiditatem & vaſtitatem occupari nequeat. Quæ res, inquam, non recipit poſſesſionem, ea nec dominii, jure gentium, capax eſt; quia naturalis cauſa ac iterum effectus dominii eſt, ut res ſit in poteſtate noſtra, eique inſiſtamus.

32. Sed mare non recipit poſſesſionem, quia poſſesſio eſt ſedium poſitio & rei detentio; at in mari neque ſedes unquam poni, nec ipſum detineri aut cuſtodia coerceri poteſt.

33. His accedit auctoritas juris Romani, w) quo mare inter ea refertur, quæ in primæva communione manſerunt, perinde ac feræ beſtiæ, volucres, piſces & terræ deſertæ, habentque ſe, ut ea, quæ primum à natura ſunt prodita, & in nullius adhuc dominium pervenerunt. *§. 12. Inſt. &. l. 2. ff. d. R. diviſ.*

34. Ex his ſequitur, jus piſcandi, balænas capiendi, in omnes terras navigandi & commercia exercendi, à nullo principe vel populo jure prohiberi poſſe.

35. Quæ autem de dominio maris ubiq; ſcriptorum leguntur, & ab Seldeno aliisque accumulata ſunt, ea non aliter, quam de potentia rei maritimæ intelligi poſſe, res ipſa loquitur, & alibi à nobis probatum eſt, in *lib. 4. digreſſ. cap. 13. & ſeqq.*

36. Recipit tamen hæc ſententia cautiones aliquas & limitationes,

37. Prima ſit, quod & aër, & mare ſub dominium veniant, quatenus ſunt partes & acceſſiones terræ, quoniam hactenus requiſita veræ occupationis conveniunt.

38. Hinc dicimus, eundem, qui dominus eſt ſoli, eſſe dominum cœli, quod ſupra illud ſolum eſt; & qui partem aliquam maris undique ſuis terris complectitur, eum hanc partem ſatis occupaſſe atque poſſidere intelligi

39. Nam ut privatus particulam maris fundo ſuo immittens, dominium ejus conſequitur, uti fecit *Lucullus Neapoli*, ſic nihil eſt cauſæ, cur non rex aut populus ſinum maris occupare queat ſuis terris undique comprehenſum, ita ut dominio ſuo perfecte contineantur.

40. Dein, conventione populorum fieri poteſt, ut quidam jure & uſu certi maris cedant, aliique liberam ejus dominationem permittant; quod ſcilicet univerſale jus mutat.

41. Tertio obſervandum, fieri quandoque, ut diviſio maris inſtituatur (& diviſio aliquam ſupponit occupationem) non ad poſſesſionem ſtabiliendam, ſed ob curam piratas coercendi & ſecuritatem præſtandam.

42. Denique, ratione territorii adjacentis, pars vicina maris videtur eſſe ſub imperio principis aut populi, qui navigantes e terra pro lubitu cogere poteſt: tunc enim cuſtodiâ illius coerceri videtur.

43. Extra has cauſas, nec dominium neque imperium maris, jure cuiquam competere poſſe, prædictis rationibus conſtat. x)

44. Fuit

n.33. w) Romani) *Unde autoritas juris Romani parum momenti habet in illuſtranda deciſione controverſia de dominio maris.*

n.43. x) conſtat) *Noviſſime hanc controverſiam de imperio maris reaſſumſit, & ex novis principiis libertatem oceani defendere voluit JCtus clariſſimus Cornelius van Bynkershoek* diſſertatione de dominio maris. Supponit, Jure Gentium originariam dominii acquiſitionem eſſe quidem occupationem; ſed & jure Gentium dominium, uti à poſſesſione corporali incipiat, ita etiam cum amisſione poſſesſionis deſinere, nec animo re-

44. Fuit, cum imperium facilius quam dominium acquiri poſſe, idque minus juris continere putavimus *d. cap. 13. lib. 4. digreſſ. pr. ed. t.* ſed verius eſt, imperium tribuere potentiam omnium, quæ dominium maris principi aut populo tribuere queat; adeoque ſi jure imperii exteris prohiberi & piſcatio & navigatio poſſet, æque ac introitus in terras, alieni-

Lll 3

tineri poſſeſſionem, ſi corpore deſierim poſſidere. Atque adeo dominium, quatenus retinetur in re, cujus poſſeſſio ſolo animo continuatur, eſſe inventum ſolius juris civilis, quod gentibus quidem commune eſt, ſed quod alias gentes non obligat niſi quatenus pactis & conventionibus juri ſuo renunciarunt. Quam hypotheſin poſteà ad mare applicat, aſſerendo: ad dominium maris requiri non ſolum occupationem poſſeſſionis per navigationem, ſed & hujus poſſeſſionis perpetuam continuationem, quæ in mari, quod terræ proximum eſt, conſervetur non quidem per perpetuam navigationem, ſed tamen mare quousque continenti poſſit haberi ſubditum, neque enim ambigendum eſſe, eum poſſidere continuo, qui ita rem tenet, ut alius eo invito tenere non poſſit. *(p. 12.)* Ergo maris dominium finiri, ubi finiatur armorum vis, h.e. quousque moribus hodiernis tormenta explodi poſſunt *(p. 14)* Sed & mare externum poſſe occupari & occupatum fuiſſe æque ut terram, ſed difficiliorem tamen eſſe ejus occupationem, difficillimam poſſeſſionem. *(p. 15.)* Itaque mare vacuum à dominio eſſe, in quod nemo occupandi animo deſcendit, vel ſi deſcendit, poſſidere deſiit. Occupandi vero & poſſidendi animum non ſtatim colligi ex ſolâ navigatione v. g. ſi ea condendarum urbium aut mercaturæ, aut peregrinandi, aut piſcandi cauſâ fiat, niſi de animo occupandi aliunde conſtet, *(p. 18.)* etiamſi quot menſibus vel quotidie ad piſcandum pergat ingredi. Non tamen aliunde magis pellucere illum animum, quam ſi quis poſt occupationem mare ita pergat poſſidere, ut vires ſuas explicet ad tuendum, quod nactus eſt dominium. Illuſtre hujus rei exemplum eſſe in mari mediterraneo, quod olim fuerit ſub dominio Romanorum, quia id ipſi quà Europam, Africam, Aſiam allulit imperio ſuo fuerint complexi, & in quo quatuor claſſibus, quas habuerint perpetuas, perpetuam quaſi detentionem habuerint. *[p. 19.]* Imò & aliâ ratione illud mare poſſediſſe Romanos, cum ab aliis populis nonniſi per anguſta freta, Herculeum & Thracium adiri potuerit, quæ freta utrimque à Romanis fuerint poſſeſſa. *(p. 20.)* Hinc denique colligit, maria ſive nunquam occupata, ſive occupata olim & poſt relicta vel animo ſolo, vel corpore ſolo, vel utroque, nunc denuo cedere occupanti, quemadmodum res planè nullius. Etſi vero olim data fuerint exempla gentium, quæ magnas portiones maris externi occupaverint & poſſeſſionem continuaverint, tamen hodiè nullum mare externum oſtendi poſſe, quod perpetuâ detentione ſervetur, aut incubatione corporali, cum ſola mens & affectio domini ob hypotheſin non ſufficiat. Nam & poſſeſſionem maris mediterranei, quod olim Romanorum fuit, cum majeſtate imperii remiſiſſe. Anglos vero & Venetos mare ſuum non poſſidere, cum eorum detentio ſit multum interrupta, nec habeant claſſes perpetuas in Britannico & Adriatico. Ergo inferendum eſſe, omne mare, quod in littorum vicinia non eſt, vacuum eſſe, utpote vel nunquam poſſeſſum, vel poſſideri deſitum; me igitur æquè ac quemvis alium ejus herum eſſe, ſi occupem, herum manere, ſi inſidere pergam. *(p. 25.)* Ex iſtis principiis poſteà latius diſputat *cap. 5.* oceanus Britannicus, an Anglorum ſit, fueritve unquam? *Capite 6.* an mare Adriaticum Venetorum ſit vel fuerit unquam? An mare

Digitized by Google

alienigenis, ab eo qui imperat civitati, poteſt interdici: non minus ſcopum ſuum, qui à nobis diſſentiunt, obtinerent imperio conceſſo, quam ſi dominium maris illis concederemus.

45. Habet quidem dominium effectus ab imperio ſeparatos, ſed imperii illa vis eſt, ut exteris illos dominii effectus præcludere poſſit.

46. Perinde, ac jus in feras omnium quidem eſt

Liguſticum Genuenſium? an quid Franciæ juris in mare mediterraneum? *Capite* 7. An quæ maria pareant Belgis fœderatis? in vaſto oceano nihil cuiquam eſſe juris niſi propter continentem. *Caput* 8. teſtimonia ſuppeditat, quibus maris imperium adfirmatur, & exempla de gentibus, quæ maris potitæ ſunt. *Caput* 9. denique contrà Grotium docet: in jure naturæ vel gentium nihil eſſe, quod obſtet] dominio maris, nihil etiam in jure Romano. *Hic etſi vir clariſſimus ab Autore noſtro & Grotio parum diſcrepet, ſi non planè cum iis conveniat, magna tamen, ut vides, eſt differentia intuitu principiorum, cum hi mare eſſe liberum ſtatuant, quia non poſſit occupari, ille vero putet, quod, etſi fuerit occupatum, tamen non fuerit retentum, nec poſſit etiam in præjudicium alterius gentis ſolo animo retineri. Quæ etſi ſatis acutè & eruditè ſint à Viro clariſſimo deducta, tamen quibusdam dubiis adhuc videntur eſſe ſubjecta. Rem ex debito examinare hujus loci non eſt. Saltem afferamus pauca præcipua.* 1. *Hypotheſis ejus, quod poſſeſſio jure Gentium animo ſolo non retineatur, ſed quod hactenus continuatio dominii ſit juris civilis, parum probatur. Nam* l.1. §.1. de A. & A.P. (*ad quam provocat* p.2.) *nihil continet, unde percipi poſſit, quod ibi, ut arbitratur Vir clariſſimus*, non obſcurè occupatio vetus ſecernatur à novâ, ita ut hodiè res nullius occupatæ in occupantis dominium cedant, uti plenè fiant ipſius; olim vero per apprehenſionem naturalem, non aliter, apprehendentium cenſerentur præcipuæ, quàm ſi tenerentur corporaliter, & quamdiu illa detentio durabat. *Deinde, etſi* in l.5. §.1. & l. 6. pr. de R.D. & l. 14. §.1. de A.R.D. *dicatur, quod ſi caſam in littore extruxero, ſoli dominus efficiar, ſed diruta caſâ quaſi jure poſtliminii reverti locum in priſtinam cauſam; tamen ratio legis non tam quærenda in amiſſione poſſeſſionis, (ut vult noſter* d.p. 2.) *quam in rei interitu. Etſi enim dirutâ caſâ amittatur poſſeſſio ædificii, tamen non omnis amiſſio poſſeſſionis conſiſtit in deſtructione caſæ; & nullum eſt dubium, eum, qui ædificium in littore poſitum vacuum reliquerit, & invadente illud altero poſſeſſionem ſuam non defenderit, amittere poſſeſſionem, ut tamen ex principiis etiam juris Romani non amiſerit dominium. Adde quod JCtus poſſit intelligi de eo, qui ſpontè deſtruit caſam, adeoque non habet animum retinendi, adeoque hic caſus non pertineat ad quæſtionem, an poſſeſſio jure Gentium ſolo animo retineatur. Porro verum quidem eſt, Auguſtinum, (de quo Noſter* p.3.) *disertè aſſerere, dominia rerum jure humano & quidem civili ſubſiſtere. Sed autoritas patrum Eccleſiæ in quæſtionibus juris naturæ hodiè tanti non eſt, poſtquam erudita præfatio ſagaciſſimi Barbeyracii ad verſionem Gallicam Pufendorffii etiam minus naſutis olfaciendum dedit, quanta ignorantiâ juris naturæ optimi patres, vitiò magis ſeculi, quam ſuo, fuerint infecti. Multo minus exemplum juriſprudentiæ Turcicæ, populi, qui neque fœdus, neque amicitiam cum Turcis habeant, bona publicantis, & perſonas in ſervitutem redigentis, (p. 4. & 5) apta erit ad definiendam quæſtionem dubiam, aut aſſertionem novam. II. Eadem eſt ratio aſſertionis, (quâ idem Vir clariſſimus utitur* p.2.) *quod dominium & poſſeſſio ambulet pari paſſu, niſi id ita intelligatur, ut ex adjacentibus videtur, quod poſſeſſione ſponte amiſſa amittatur etiam dominium. Nam cum neminem velis turbari, quamdiu poſſideas, etiam*

hominum, ſed dominus in ſuo fundo quilibet impedire poteſt, ne quis illuc ad venandum procedat.

47. Credimus igitur, idque è ſupra dictis patet, eum qui imperium maris occupare poteſt, æque dominium ejus acquirere poſſe, ſi velit; Facto enim opus eſt animique declaratione ad occupationem utriusque per-

Jure Gentium, ſequitur, ut Jus Gentium etiam ſuppeditet remedia adverſus dejicientem, quod & claré innuit p. 22. Ergo eo res tota redit, utrum poſſeſſio J. G. poſſit animo retineri? Atqui hic III. pro communi ſententiâ hic illud urgeri poteſt, quod Vir Clariſſimus ipſe fateatur, ad poſſeſſionem acquirendam non ſolum ſufficere apprehenſionem aut incubationem corporalem, ſed etiam maximè requiri animum ſibi habendi, unde rectè tam ſollicitus eſt, p. 18. ſeq. in dijudicandâ quaſtione, unde colligi poſſit animus navigantium in mari, an ea navigatio fiat animo occupandi. Jam igitur, ſi ad acquirendam poſſeſſionem non ſufficit incubatio aut apprehenſio corporalis, ſed & animus ſimul requiritur, ita naturale etiam videtur eſſe, (quemadmodum & ipſi JCti Romani argumentati ſunt) ut nec amittatur poſſeſſio ſola deſertione incubationis aut apprehenſionis, ſine animo derelinquendi, & ita neceſſario ſolo animo retinebitur. IV. Fortè tamen Virum Clariſſimum in eam ſententiam perduxit meditatio juris indubii, amitti haud dubiè dominium jure gentium amiſſione corporalis poſſeſſionis in illo & ſimilibus aliis exemplis. Demus, Cajum invenire rem mobilem derelictam in viâ publicâ, adſpiciente etiam Sempronio. Demus, Cajum non eſſe in eo ſtatu, ut rem inventam poſſit ſtatim domum ferre, ſed cogi, poſt apprehenſionem eam relinquere in viâ publicâ, atque recedere cum animo eam rem mox domum auferendi, atque ſeriò interdicere Sempronio, ne interim auferat rem, ſe enim poſſeſſionem animo retinere velle. Hic non dubitarem, cum Viro Clariſſimo aſſerere, amiſſâ poſſeſſione corporali etiam amiſſum eſſe dominium, nec habere Cajum cauſam conquerendi, ſi vel ipſo vidente Sempronius rem ab ipſo prius occupatam, & in viam publicam iterum repoſitam apprehendat & auferat. Unde nec ſine cauſa eſt, quod monet Vir Clariſſimus, quod Jura Civilia ſæpè poſſeſſionem animo retentam defendant in ſimilibus caſibus, præter rationem Juris Gentium, ut cum v. g. apud Saxones non licet alveari includere apes in arbore inventas, quam arborem jam alius tali ſigno notaverat, quod indicaret, illum alium jam adfuiſſe, & abiiſſe domum cum intentione, alveare afferendi, cui apes includat. Sed propterea tamen non inferendum erat, ergo ſemper amiſſâ detentione corporali amitti quoque poſſeſſionem, ac omnia ea, quæ jus civile diſponeret, circa retentionem poſſeſſionis, quæ animo fit, diverſa eſſe à jure Gentium. Sed potius ante omnia diſtinctus & perſpicuus conceptus erat formandus, tum de acquiſitione poſſeſſionis, tum de ejus conſervatione, quæ certè alia eſt, etiam Jure Gentium, intuitu rerum mobilium, alia intuitu immobilium. In mobilibus ad acquirendam poſſeſſionem non ſufficit apprehenſio rei nuda, ſed cum quâdam locomotione conjuncta. Ubi enim, ſi nummum aureum derelictum inveniam, non ſufficit ad detentionem corporalem, ut digito eum tangam, ſed ut tollam è terra, ita v. g. ad occupationem trabis non ſufficit, ſi manu apprehendam, aut aliquo modo elevem, ſed opus eſt ut tollam & totam loco moveam. Ad conſervandam, etiam animo, poſſeſſionem in rebus mobilibus non ſufficit, ut nummum aut trabem ſublatam aliquo tempore retinuerim aut ſuſtinuerim corpore meo, ſed requiritur inſuper, ut non rurſus deponam in loco publico, unde ſuſtuleram, ſed ut animum poſſidendi aut continuationem poſſeſſionis declarandi, declarem, reponendo rem occupatam in locum qui ſub meâ cuſtodiâ eſt, v. g. nummum in manum meam, tra-

Digitized by Google

que perſiciendam; ſicut Romanos maris mediterranei imperium occupaviſſe legimus eo quod mare ſuum, τῶν Ῥωμαίων, *Romanum*, γῆν καὶ θάλασσαν ſibi *ὑπήκοον mare terramque ſibi ſubdidiſſe ſcribunt*, ut hæc à Seldeno ipſoque Grotio adducta ſunt, de quibus & nos agimus in *lib. 4. digreſſ. c* 14.

48. At dominium ab iiſdem non fuiſſe, nec à populo univerſo, nec à ſingulis vindicatum, quando mare jure naturali omnium hominum commune tradunt, in §. 1. *inſt. de rer. diviſ.* & paſſim alibi, certum eſt, ut Grotius demonſtrat in *d. lib. 2. c. 3. n. 9.* & in *Mari libero*, ut hoc repetamus.

49. Sed non adſentior eidem, quod imperium maris facilius quam dominium acquiri poſſe tradit in §. 13. *ejusdem cap.* Quippe in ſumma controverſiæ, quatenus hæc ad jus

---

bem in domum meam. Res enim tamdiu poſſidetur quamdiu cuſtoditur. Ex immobilibus ſolum v. g. incultum ne quidem poſſideri incipit, niſi in quantum cuſtoditur. Finge aliquem naufragio ferri in inſulam incultam. Hic ſane ſi vel momento poſteà alius eò feratur, non poteſt prior hunc ab occupatione excludere, etiamſi in medio inſula ſedeat, etiamſi, antequam alter pedem in terra ponat, altâ voce exclamet, ſe jam poſſidere inſulam cum animo ſibi habendi. Quin & ſi ex iſtis duobus unus alterum præcedat, & quoad ſingulos paſſus dicat, quod velit ſolum, quod calcat, occupare, tamen quam primum novo paſſu primum relinquit, & ſequens illum primum paſſum prioris pedibus calcat, non poteſt prior conqueri, quod ipſum poſterior in poſſeſſione ſua turbet. Sed potius tum demum res immobiles, quæ ſunt nullius, occupatæ eſſe cenſentur, ſi cœptæ ſunt cuſtodiri, aut ſi cœperim ſolo uti ad id quod deſtinatus eſt naturâ, & uſus duret; v. g. ſi ædificaverim in ſolo, ſi ſolum vallo & foſſa, vel ſepibus circumdederim. Conſervatur poſſeſſio, quam diu continuatur cuſtodia, etiamſi non incumbam poſſeſſioni, ſed abeam, v g. ſi ager conſitus ſit & fructus à me ſatos ferat, ſi ager circumſeptus ſit, ſi ædes exſtructæ maneant, ſi clavem ad ædes habeam, ſi alios arceam ab uſu rei &c. V. Hactenus dicta partim illuſtrabuntur à notatis Viri Clariſſimi, partim rurſus lucem accendent iiſdem. Huc pertinet (1) *locus* p. 12. Non ambigendum eſt, eum poſſidere continuò, qui ita rem tenet, ut alius eo invito tenere non poſſit. *Et* p. 14. Dicendum eſt, poteſtatem terræ finiri, ubi finitur armorum vis. Etenim hæc poſſeſſionem tuetur. (2) *Ex noſtrâ doctrina etiam perſpicuum eſt, cur mare mediterraneum fuerit olim in dominio Romanorum, quia erat in poſſeſſione, utpote circumcirca clauſum à territorio Romanorum, & ita cuſtoditum ac claſſibus continuis uſurpatum.* (3.) *Illud vero valdè dubium eſt dum dicit* p. 22. Si quis vel unâ ſcaphâ occupet mare, non occupatum & poſſeſſum prius, isque eâdem ſcaphâ domini animo, pergat navigare idem mare, non ille niſi injuria eo ſubmovebitur, non ſecus ac ſi quis occupato poſt primam communionem fundo invitus depellatur &c. *Neque enim concipi poteſt, quomodo una ſcaphâ poſſit quis mare occupare, aut ſaltem partem maris. Quin potius nec concipio, quomodo navigatione plurium etiam navium poſſeſſio maris dicatur eſſe acquiſita. Eodem referendum quod ait p. 25. in fine.* Me ac quemvis alium herum maris eſſe, ſi occupem, herum manere ſi inſidere pergam. *Sunt enim conditiones hæ, quæ ponuntur, impoſſibiles. Et non videntur* (4) *iſta aſſertiones Clariſſimi Viri cohærere cum iis quas habet* p. 50. Vaſtum oceanum non occupari, certè poſſideri non poſſe, res eſt oppido manifeſta: omnes quippe omnium Principum naves ei poſſidendo vix ac ne vix quidem ſuffecerint. Quin vel mare Adriaticum magni oceani exiguam partem nemo hodie Princeps claſſibus ſuis rectè cuſtodierit, &c.

jus publicum pertinet, ſufficit, opinor. regibus & populis, qui leges aliis populis præſcribere volunt, imperium; dominio magis ad privatos pertinente.

50. Nec committendum, ut ex quibus locis dominium maris probari poſſe negavimus, ex iisdem imperium adſtrui concedamus, cum per easdem rationes, quibus dominium refellitur, imperium æquè refutari posſit, ut ex iis, quæ *d. c.* 14. *digreſſ.* ad Seldeni argumenta reſpondimus, intelligi poteſt.

51. Sane, quantum ad occupationem attinet. Nam de conſenſu vicinorum diverſa forte ſit ratio; quatenus vicini poſſunt renuntiare juri ſuo, quod ipſis in partem aliquam maris ſit comparatum, in gratiam alterius vicini, non tantum expreſſe, verum etiam, tacite, per patientiam temporis immemorialis; ſi modo alter actus imperii interim uſurpaverit: Quo ſenſu reipubl. Venetæ imperium in Adriaticum mare vetuſtate ſubnixum forte defendi poteſt.

52. Loca Grotii peculiaria, *d. c.* 2. §. 13. quibus probat, olim fœdera fuiſſe inita, quibus ſociis navigare permitteretur, per mare, quod ad alterius partis terram pertineret, quid aliud illa fuere, quam conventiones de non impediendo tranſitu per aliquam maris partem? Nam quod mare mediterraneum populi Romani eſſe dicitur, hoc ad exceptiones conceſſas referendum eſt: ſiquidem mare illud undique terris Romanis comprehenſum fuit.

CAP. III.

DE JURE RERUM, QVÆ IN PATRIMONIO ESSE DESIERUNT.

De jure rerum hereditariarum, n. 1. 2. 3. 9 10. animalium amiſſorum, n. 4-8. rerum pro derelictis habitarum & deperditarum n. 11-18. De Theſauro n. 19. de jure rerum ſacrarum & Eccleſiaſticarum; ubi, an hæ mutatâ religione, alienari, vel in promiſcuos uſus converti poſſint, copioſe varieque diſſeritur. n. 20-57.

1. SEquuntur res, quæ in patrimonio eſſe deſierunt, ad tempus vel in perpetuum. Prioris generis hereditarias; id eſt, res hereditatis jacentis, nondum aditæ, & res derelictas eſſe diximus. Illas in præſenti non eſſe in patrimonio palam eſt, ideoque nullins dici nil vetat, *y)* communes ſunt qui eſſe negant, quia non fiant occupantium, utique res hereditariæ.

2. Atqui in ſe conſideratæ, ſi maneant tales,

n. 1. *y)* nihil vetat) *Sed illud ideoque non rectè infert. Nam ſi eſſent nullius, non eſſent hereditariæ. Hereditariæ enim ſunt, quæ pertinent ad heredem: nullius quæ ad neminem. Deinde jam ſupra cap. 1. n. 20. autor monuit, ideò negari has res eſſe nullius, quia non cedunt occupanti, & reſponſionem ad hunc locum remiſerat. Hic vero ſtatum controverſiæ immutat, & ideo dicit negari communes. Unde parum reſpondetur ad iſtud dubium in ſequentibus. Imò numer. 3. ipſe autor ſtatuit dominium rei amitti demum defectu ſucceſſionis &c.*

Digitized by Google

les, eodem loco ſunt, quo cæteræ communes, quarum jus fiſco acquiri ſolet; ubi vero fiſci jus non eſt ſtabilitum in talibus, occupanti cuilibet, utique, ſi ab herede non adeantur, ſecus ac plerumque fit, acquiri deberent.

3. Quæcunque enim res à dominis amiſſæ non transferuntur in alios, hæ in cauſam primævæ communionis reverti videntur, adeoque fiunt occupantium: Et amittendi cauſæ vel modi ſunt duo, defectus ſucceſſoris & derelictio, idque tam in rebus animatis quam inanimatis obtinet, extra quam, videlicet, ſi res ipſæ pereant.

4. An vero in rebus animatis z) etiam intentio rei dominio ſubjectæ pro tertiâ cauſa amittendi dominium haberi poteſt? de jure gentium quidem non videtur. Nec enim homo redactus in dominium, ex cauſâ jure gentium juſtâ ſe fugâ domino ſubducere poteſt, niſi redierit in patriam jure poſtliminii, vel ad gentem, ubi libertas ipſo jure competit omnibus & ſingulis humani generis conſortibus, quo caſu ipſe ſibi homo reſtituitur.

5. Ergo, quod Romani juriſconſulti dominium in feras amitti volunt, ex eo quod ita è conſpectu dominorum, evaſerint, ut difficilis earum ſit perſecutio, quaſi libertatem hoc modo acquirerent, ad juris amittendi rationem ſufficere non videtur.

6. Nam etſi verum eſſet, quod illi volunt, brutis animalibus competere aliquid analogum rationis & juris, attamen dominis fugæ intentione non magis quam homines ſubducere ſe poſſent; etſi nihil interim certius eſt, quam feras ejusmodi vagantes jure gentium fieri capientium.

7. Grotius, rejectâ, quam è juris Romani auctoribus & nos rejecimus, cauſam hujus acquiſitionis, ait eſſe difficultatem & deſperationem recuperandi feram, in dominio, ſed neque hanc ſufficere videri, ſtatim videbimus, *Grot. in lib. 2. c 8. §. 3.*

8. Dicendum igitur, promiſcuam venandi feras facultatem non recipere diſcrimen veteris domini, quod in ejusdem generis animalibus infinite vagantibus diſcerni nequeat: *a*) quæ ratio in hominibus aliisque rebus, quæ facilius diſcernuntur, aliter ſe habet, aliterque etiam in ipſis feris, ſi quæ torqui vel crepundiis inſcriptum habuerit veteris memoriam domini.

9. Porro, defectus ſucceſſoris facit, ut res nullius cenſeatur, ſi quis ſine herede ſit mortuus, adeo ut ex ſimplici ratione juris gentium ejusmodi res occupantium fierent *b*) niſi compertum eſſet, perquam raro id uſu venire, ideoque à magiſtratibus in uſum heredum emergentium, ſequeſtrandas eſſe, ratio dictaret

10. Quod ſi plane fiat, ut ſucceſſores nulli, quo-

---

n. 4. *z*) in rebus animatis) *Si indubia eſſet hypotheſis, de quâ modo diximus, quod dominium jure gentium deſinat etiam amiſſa poſſeſſione corporali, dicendum foret, dominium etiam amitti, ſi ſervus aufugiat aut beſtia ſive manſueta, ſive fera. At poſtquam latius oſtendimus, quæ iſti hypotheſi obſtent, manendum potius in communi doctrina, dominium jure gentium non amitti, niſi conſenſu domini, ſive expreſſo ſive tacito, in ſtatu naturali, in civili inſuper auferri poſſe invito in pœnam.*

n. 8. *a*) nequeat) *Sed hæc ratio in effectu non differt à præcedente, quam modo rejecit autor. Ideo enim, quia feræ beſtiæ diſcerni nequeant, inter alia oritur deſperatio recuperandi. Breviter dic ita: Jure Gentium feræ beſtiæ manent in dominio occupantis, etiamſi libertatem naturalem receperint, per rationem modo poſitam. Sed quia tamen dominium probandum eſt ab eo, qui rem ſuam ab altero vindicat, & hæc probatio eſt difficillima, inde non male Romani conſtituerunt, ut cenſeri debeant feræ beſtiæ hoc caſu amiſſæ, ad fugiendam inanitatem litium.*

n. 9. *b*) fierent) *Dicemus infrà* Sect. 6. c. 7. n. 1.

li, quorum facultas jure comparata ſit, inveniantur, ſtatus communionis, in quam ejusmodi res ſua ſponte redigerentur, lege prævenitur, & dominium addicitur univerſitati, vel potius reipubl. quæ hac parte jus univerſitatis haber, hoc eſt, fiſco; quemadmodum ubique gentium ſervatur; eodem conſenſu populorum, quo jus venandi aliæque facultates communes juri communionis eximuntur.

11. Sequitur derelictio, quæ eſt actus voluntatis, quo dominus res ſuas abjicir, hoc animo, ne ſint amplius in dominio rerum ſuarum, quod ubi conſtat, nihil eſt cauſæ, quur illæ res non fiant occupanrium, nec ad eas fiſci jus produci placuit; haud dubie, quod caſus ejusmodi ſingulares, ipſæque res minoris momenti ſunt. Etenim ſi integra contingerer derelinqui patrimonia, vel res ſoli, non eſt dubium, quin etiam fiſcale jus eo produceretur.

12. Pro derelictis non eſſe habenda, quæ amiſſa ſunr caſu fortuito, ſatis conſtat, etſi in viâ publicâ vel in littoribus inveniantur, niſi diſcerni nequeant, ur ſæpius accidit in gemmis & lapillis, quas vel quos inter res quæ fiunt occupanrium, ſi in littoribus inveniantur, haberi ſcriptum eſt in *l. 3. ff. de rer. diviſ.*

13. Quid autem, ſi res amiſſæ, diu quæſitæ pro deſperatis habeantur & quæri deſierint? Grotius amiſſum cenſeri docet id quod amiſſum eſt ita, ut ſpes recuperandi abjiciatur, ut porcos à lupo raptos, & quæ naufragio amittimus noſtra deſinere Ulpianus air in *l. 44. ff. de A. R. D.* non ſtatim, ſed ubi recipi non poſſunt, id eſt, ubi nulla talis voluntatis indicia extant *lib. 2. c. 4. n. 5.*

14. Sed Ulpianus in *d. l. 44.* diſtinguit inter feras, piſces, aves, quæ venando capiuntur & res alias amiſſas, Priora docet amitti, quando in libertatem naturalem redierunt; in aliis rebus id non procedere, ne quidem ovem à lupo raptam & ablatam, quam dominus, nullâ ſpe recuperandi, non perſequitur, ab alio receptam fieri occupantis, ſed priori domino reddendam, ſub pœna furti, idque è ſententia Pomponii, qui ipſe in *l. 8. §. ult. d. famil. erciſc.* id quod à lupo vel aliâ beſtia eripitur, manere noſtrum, quamdiu non fuerit conſumptum; imo idem in gemmâ ab ave tranſvolante rapta ſtatuitur in *d. l. 44.* de quibus rebus non poſſe dominum habere civilem recuperandi ſpem ſatis evidens eſt.

15. Nec prorſus uſui judiciove communi populorum convenire videtur; ut quicquid amiſſum, à domino quæri deſiit, ur deſperatum, inventoris fiat, nec à priore domino repeti poſſit.

16. Non eſt tamen negandum, ut temporis in jure magna vis eſt; ſi quid amiſſum, longo tempore deſperatum quæri deſierit, utique ſi in profundo latuerit, olim repertum, inventoris fieri & acquiſitum videri.

17. Id ita de rebus naufragis indicat Ulpianus in d. l. 44. cum ait, ſi *quid naufragio amiſſum ſit, non STATIM deſinit eſſe noſtrum.* Longo tempore elapſo, quid juris eſſe debear innuens, quò pertinet, quod Angli nuper res veteris naufragii Hiſpanienſes ingenioſa induſtria è profundo & ſcopuloſo mari extractas, repetenti legato non reſtituerunt, neque jure Gentium teneri ad reſtituendum viſi ſunr. Adde quæ diximus in *lib. 4. Digreſſ. c. 26. & in Eunom. ad l. 8. §. f.*

18. In univerſum; Domino rei fortuitò amiſſæ non reperto, quid juris ſit inventori, non eſt expeditum. Egimus ea de re in *lib. 4. Digreſſ. c. 27.* ubi dictis addere velim, ſi longo tempore dominus non innoteſcat, etſi proprie termini uſucapionis, ea ſpecie non exiſtant, dominium tamen invenrori, ſecundum ea quæ modo protulimus, addicendum videri.

19. Eodem fundamento nititur acquiſitio theſauri, *c)* cujus depoſitionis dominiſque memo-

n. 19. c) Theſauri] *Quæſtio præjudicialis eſt, utrum theſaurus non ſit acceſſio fundi. Quodſi*

memoria non extat. Acquiritur etiam inventori, ſecundum ſimplicitatem juris gentium, quam Romani & qui inſtituta illorum exacte ſervant, Friſii ſequuntur. Alibi fiſco fere, ut reliquæ res *Nullius*, addicuntur. Plura in hanc rem collocavimus in *d. cap.* XXVII *lib.* IV. *Digreſſionum.*

20. Hactenus de jure rerum, quæ ad tempus in patrimonio eſſe deſierunt. De rebus in perpetuum exemptis, quæ ſupra ſunt expoſitæ, ſacræ, ſanctæ & religioſæ, quid juris ſit, ex ipſa rerum differentia ſuperius expoſita colligi poteſt, non dari conſecrationes rerum, niſi in uſu ſacramentorum fidei, tempore Novi Teſtamenti; Alias res mobiles ac immobiles conſecrandi, uſum eſſe cærimonialem hodieque ſuperſtitioſum.

21. Proinde res ſacræ omnes ſunt eccleſiaſtici juris. Et quia eccleſia jus univerſitatis habet, ut ſupra demonſtravimus, hinc bona eccleſiaſtica, tam quæ ſine medio cultui divino adhibentur, quam quæ ad ſumptum, quo res eccleſiaſtica ſuſtinetur, præbendum ſerviunt, habent jus univerſitatis, & quidem talis, quæ cauſam habet perpetuam & ſalutarem.

22. Quare & alienatio ſine diſcrimine juris Romani, quod res ſacras nonniſi caſibus exquiſitæ neceſſitatis, Eccleſiaſticas ob utilitatem alienari permittit *Nov. 119. & 120.* æquabiliter fieri poteſt; attamen animo non diminuendi, ſed ut eccleſiæ conſulatur ac utilitatis cauſâ.

23. Ex illo principio decidi poteſt quæſtio magnis animis in Belgio imprimis, agitata, *d*) medio fere hoc ſeculo, an reſpublica de bonis eccleſiaſticis arbitratu ſuo diſponere, vel in profanos uſus ea conferre poſſit.

24. Non poſſe, ſtatuendum eſt, quia nec aliarum univerſitatum bona princeps ſibi vindicare poteſt; Eccleſia autem non minus habet juris, quam civitates & pagi ſingulæque familiæ habent, quibus relicta bona nullo modo adimi poſſe, non dubitatur.

25. Idem juris eſt monaſteriis omnibusq; cœnobiis & ordinibus atque collegiis ſacris, in res olim & nuper ipſis legatas & acquiſitas, ubicunque bona ſita ſint, etiam in locis, ubi inſtitutum alioquin iſtorum ordinum non probatur, ſi modo non ſint in ſtatu belli.

26. Quapropter ordines pontificii ſi qua bona vel res ſitas habent in ditionibus proteſtantium, quominus illis utantur & fruantur, nihil magis obſtat, quam quod ſinguli patresfamiliarum jus rerum in diverſis regionibus ſitarum non amittunt, ſine reſpectu religionum, quas apud ſe profitentur; idemque juris viceverſâ proteſtantes habent in ditionibus pontificiis.

27. Quod ſi pontificii res eccleſiarum proteſtantium apud ſe forte ſitas publicare inſtituant, idem juris erit his adverſus illos, ſecundum regulam juris naturalis, *Quod quisque juris in alterum ſtatuerit, ut ipſe eodem jure utatur.*

28. Sed religiones in patria prohibitæ tanquam univerſitates interdictæ, ſi domi non poſſunt habere communia bona; non habent rationem id jus alibi locorum exigendi; quia jus perſonæ inde ab initio non habent, ac ideo id alioverſum diffundere nequeunt, niſi ex ſpeciali indulgentiâ.

29. Cum alioqui jure gentium civitates id tacito conſenſu paſſim obſervent, ut jus aliquo loco legitime acquiſitum ubique pro legiti-

enim hoc eſſet, pertineret ad dominum fundi. Sin minus, eſſet res nullius. Jure Gentium res in utramque partem diſputari poteſt. Unde & Jure Romano variæ eâ de re fuere leges. Vide pluribus dicta in nov. addit. ad Autor. prælect. ad Inſtit. de R. D. p. 92.

n. 23. *d*) agitata) *quam jam tetigit ſuprà* lib. 1. ſect. 5. c. 3. n. 44. ſeq. *Nos vero ibidem in* notâ lit. z. p. 192. *adjicimus rationem primariam, quâ reſpondetur ad Autoris rationem hic* n. 24. *Et hoc loco Autor etſi quæſtionem tractet prolixius, non tamen propterea dubia omnia, quæ ejus definitioni repugnant, ſunt ſublata.*

legitimo agnoſcatur, ut *loco* deinde *proprio* videbimus.

30. Quod igitur jure Romano proditum eſt, utilitatis cauſâ res eccleſiæ vendi poſſe, locum etiam habeat in ipſis templis & vaſis ſacrorum; ne de altaribus & donariis dicam; quorum illa, poſt ſacrificium crucis, nulla ſunt aut eſſe debent, hæc fiunt eccleſiæ & in uſum pauperum cedunt, quorum gratiâ quominus alienentur, nihil equidem obſtat.

31. Proinde, ſi templa vetuſtate vel arctitudine eccleſiæ non ſint utilia, quominus, aliis extructis, alienari, in macella vel armamentaria ſimileſque uſus promiſcuos converti poſſint, nihil iterum obſtat.

32. Quippe cum nihil ſint aliud, quam loca tuendis cœtibus fidelium adverſus cœli injurias parata; cum alioqui cœtus iſti ſub dio vel in horreo aut ſtabulo habiti, æque ſancti ſint, quam qui in magnificis templis celebrantur.

33. Bona templorum ab eccleſiaſticis equidem diſcerni ſolent, ut pleriſq; locis a ſeparatis etiam oeconomis adminiſtrentur, ut tamen hoc, in modo magis quam in juris ſpecie conſiſtat; ſi templa vel ex opibus eccleſiæ, vel ab aliis animo donandi eccleſiæ, ſtructa fuerint.

34. Ex his non difficulter, quid de jure bonorum eccleſiaſticorum, ſi confeſſio religionis mutata fuerit, exiſtimandum ſit, intelligitur. Etſi hæc res ſuperioribus annis ingentem cum in Germaniâ, tum in Belgio controverſiam, nunc aliis ſubtilioribus obliteratam excitaverit, modo tacta, ſed plenius exequenda.

35. Quæſtio conſiderari poteſt, tam reſpectu reipubl. & eccleſiæ, quam ratione diverſarum in eccleſiis confeſſionum.

36. Mutata religione, quod ſæpe fit etiam verſo ſtatu reipubl. imperantes fas eſſe putant, eccleſiæ bona ſibi vindicare & *ſæculariſare*, ut vulgò loquuntur, quaſi cauſa proprietatis ob improbatam religionis confeſſionem laborante, juxta reſcriptum Honorii & Theodoſii, quo ſic loquuntur; *omnia loca, quæ ſacris error veterum deputavit, noſtræ rei jubemus ſociari l. 5. C. de Pagan.* indicante rubricâ de gentilium ſacris ad eſſe accipiendum.

37. De Chriſtianorum diſſenſionibus aliter ſtatuendum; per eas non mutari jus eccleſiæ; ne quidem ſi in deterius mutata ſit confeſſio; non magis quam perſonæ aut familiæ ſuum jus quæſitum ob ejuſmodi cauſas adimitur, utique, ſi fundamenta Chriſtianæ fidei non penitus convellantur. *e*)

38. Multo minus eccleſiæ res publicari poſſunt, ſicubi emendata ſit religio & in melius reformata fuerit, quod ſemper, ſi rectores civitatis habet conſentientes, pro certo habetur & in conſequentiam juris externi præſumitur.

39. Idque nec aliter ſe habet, ſi acquiſitiones, per quas illa bona eccleſiis addicta ſunt, vitio aliquo ſuperſtitionis adfectæ fuerint: Nam vitio deterſo, manet proprietas eccleſiæ, & uſus ſuperſtitionis in alium illi adfinem ſed vitio carentem transmutatur, quo pertinet argum. *l. XVI. ff. de Uſufr. leg.*

40. Plane, quominus in defenſionem eccleſiæ & religionis, bona, quibus eccleſia carere poteſt *f*) alienentur, in ſumptus belli, ipſi-

n. 37. *e*) convellantur] *Sed nec hæc ſatisfacient diſſentientibus, ſed multa erunt, quæ reponi poſſunt. Nam* 1. *cur non idem liceret Principi in religionem hæreticam aut heterodoxam, quod licuit Imperatoribus Romanis in ethnicam? Sane ratio poſterioris aſſerti nulla eſſe poteſt alia, quàm, quod religio ethnica ſit erronea & prohibita. At hæc ratio militat etiam contra religionem pſeudo-chriſtianam prohibitam. Conſ. Autorem infrà* n. 54. 2. *Iſta limitatio*, niſi *fundamenta Chriſtianæ fidei non penitùs convellantur, explicat obſcurum per æquè obſcurum, quia nondum convenerunt, nec facile convenient Doctores in accuratè circumſcribendis articulis fidei fundamentalibus.*

n. 40. *f*) carere poteſt) *Sed quid ſi eccleſia bonis abundet, & ita quidem, ut hæc abundantia*

ſi, ipſius eccleſiæ voluntate fieri intelligitur, idque ita recte conſulitur.

41. Proinde ſine ejusmodi vel neceſsitate vel evidenti utilitate, *g*) fiſcus aut princeps, vel reſpublica de bonis eccleſiaſticis in fraudem eccleſiæ ſtatuere non poteſt, niſi juris potius quam libidinis ſuæ rationem habere voluerint.

42. Quod ſi univerſitates ſint aliquæ ad eccleſiam pertinentes, conformationem tamen habentes ſeparati corporis, ut ſunt monaſteria, collegia regularium ſive canonicorum, ordines ſacri equitatus & ſimilia, cum jus perſonæ, quod eſt univerſitatis, habeant ab eccleſia diſtinctum, *h*) dominia quoque rerum, quæ ad ejuſmodi univerſitates pertinent, diverſa ſunt à dominiis rerum eccleſiaſticarum.

43. Proinde, ſi tales univerſitates aboleantur, earum quoque jus & dominium extingui conſentaneum eſt, nec ad eccleſiam, quæ perſonam habet diſtinctam, transferri videtur.

44. Non obſtante, quod res ſemel ad pios uſus deſtinatæ adprofanos converti nequeant; Id enim ut effectum habeat, perſonam, cui dominium competat, exiſtere oportet: qua ſublata, jus ejus ut maneat, fieri non poteſt.

45. Melius quidem conſulitur, ſi ad eccleſiam bona talium collegiorum referantur; ſed ut hoc poſtuletur, jus perfectum, non probabile requiritur.

46. Videntur igitur rectores civitatis bona monaſtica & canonica, illis corporibus abolitis (quod an jure factum ſit, vel ſecus, heic non diſquiritur) in fiſcum redigere poſſe.

47. Quid ſi collegia illa maneant, externa nuncupatione & œconomia, ſed uſus eorum primævus & authenticus inſtituto eccleſiæ & reipubl. abolitus fuerit, an his antiqua bona conſervari debent aut poſſunt?

48. *Debere* non dixerim, quia ſublato uſu priſtino, deſierunt eſſe quod fuerunt; niſi uſus in alium meliorem & eccleſiaſticum transmutetur; quo caſu valet idem jus univerſitatis, quod olim fuit, ut de ipſis eccleſiis, verſa confeſsione, demonſtratum eſt.

49. *Poſſe* videntur, quia cum illa bona, deficiente perſona cujus fuerunt, in fiſcum redigi poſſint; eadem ratione cuilibet alii, conſequenter etiam hominibus ejusdem nominis, etſi non ejusdem profeſsionis, à principe concedi poſſe videntur.

50. Nec obſtat, quod à priſtinis auctoribus & fundatoribus in uſus pios deſtinata fuerunt: Uſus enim & finis ſolus non efficit ſta-

---

rempublicam premat, & parum honeſtis artibus, ſed fraudibus piis, ſit quæſita, uti in confeſſo eſt de eccleſia pontificiâ. Sane & tùm poterit princeps & de jure debet iſtam abundantiam auferre eccleſiæ. Nam etſi eccleſiæ reformatæ eadem relinqueret, propterea tamen non corrigeretur iniquitas priſtina & damnum reipublicæ inde exortum.

n.41. *g*) evidenti utilitate) *Illud vero, quod ad* evidentem *utilitatem hæc reſtringuntur, iterum quæſtionis deciſionem implicat. Sanè enim determinatio utilitatis reip. ad majeſtatem pertinet, nec ſubditis relinquitur poteſtas poſtulandi, ut utilitas illa ponatur in ſummo evidentiæ gradu.*

n.42. *h*) diſtinctum) *Hæc ratio iterum torquet magis definitionem Autoris, quam ut adjuvet. Nam quocumodo Autor illam diſtinctionem explicet, de quo jam non diſquiremus, ſufficiet, quod monachi & canonici, item Equites ſacrorum ordinum, ſint perſonæ eccleſiaſticæ & pro talibus habeantur, & quod bona etiam eorum ſint eccleſiaſtica. Deinde non eſt in effectu differentia inter bona collegiorum talium, quas vocat perſonas ab eccleſia diſtinctas, cum bonis ipſius eccleſiæ, quæ diſtinctum corpus eſt ab illis. Nam & illa & iſta, ſi ſint probibita, collegia poſſunt ſecularisſari, per ea, quæ ipſe Autor habet* hic n.43. & ſeq. & infrà n.54.

cit ſtatum proprietatis, qui eſt perſonæ, à qua pendet jus vindicandi vel non alienandi.

51. Quando igitur bona monaſteriorum & regularium collegiorum, his extinctis, alienantur, aut in uſus promiſcuos convertuntur, nemo eſt, qui illa ſibi vindicare poſſit; utique nec ipſa eccleſia, quæ diſtinctum corpus eſt ab illis, habentibus ſuum proprium regimen & ſeparatam conformationem, adeoque jus perſonæ diſtinctum, ut antea dictum eſt.

52 Quid ſi reſpubl. mutaverit confeſſionem fidei, eccleſiamque ſuæ religionis fundaverit, manente prioris eccleſiæ corpore, an hæc ſua bona retinebit? Diſtinguendum reor, utrum prior eccleſia, cujus ſunt bona, poſt mutatam imperantium fidem, ſit permiſſa, an prohibita.

53. Si decreto publico permiſſa ſit, exiſtimo bona manere, quemadmodum manent in Germania, ubi principes religionem mutant, ſuamque publici juris faciunt; relicta priori in ſuo ſtatu & regimine Tunc enim hæc manet corpus & univerſitas, & bona ſua retinet.

54. Si prohibita ſit, *i*) ut pontificiæ eccleſiæ in pleriſque proteſtantium ditionibus, deſinit eſſe corpus & univerſitas & omne ſuum, quod habet, qua talis, amittit, retinetque ſolummodo id, quod Chriſtus illis dedit, apoſtolique uſurparunt, etiam invitis poteſtatibus mundi.

55. Quid ſi toleretur duntaxat, nullo freta publico decreto? Si nulla prohibitio intervenerit, manet, quod fuit, & tolerantia vix eſt *hactenus* ut à permiſſione diſtingui poſſit; ideoque & jura ſua retinet. Ut tamen bona rectorum ejusmodi eccleſiarum, qui ſublata ſunt, publicentur, deficiente perſona, cui jus eorum comparabat, ut nunc uſu venit in Scotia.

56. Cæterum, quod ad res ſanctas attinet, quas Romani à ſacris dividunt, ut ſunt muri & portæ civitatum, hæ ſuperſtitione dempta, ſunt publici juris, non univerſitatum, id eſt, civitatum majori imperio ſubjectarum; quia jus muniendi ad *Armandiam*, quæ dicitur in jure feudali, id eſt, armorum & belli jus adèoque ad ſummam poteſtatem pertinet.

57. Religioſæ res, id eſt, ſepulchra, quæ Romani quoque dominio & commercio exempta voluerunt, præter uſum humanitatis & pignorationem futuræ vitæ, nihil habent, quo ab aliis in patrimonio rebus ſeparentur, aut commercio interdicantur, ut ſane venduntur & heredibus relinquuntur atque alienantur, eodem manente ſcilicet uſu.

CAP. IV.
DE REBUS PATRIMONII PUBLICI.

Diviſio rerum in publicas & privatas. Publicæ vel tales ſimpliciter, vel univerſitatis. n.1. Prioris vel uſu eſſe omnium vel mere publici uſus. n.2. Inter illas eſſe flumina, de quorum jure copioſe agitur, ſub diſtinctione, fluminis, n.3 amnis n.4-12. & alvei n.13-17. De inſulâ n.18-22. (ubi & de jure præſcriptionis in publicis rebus.) De ripâ, n.23.24. alluvione, n.25. & avulſione n.26.27. De littore maris n.28.29. De legibus circa flumina & portus n.30-34. Denique, de Principum bonis tam privatis, quam dominicis, fiſcalibus & ærario. n. 35-50.

Sequun-

n.54. *i*) prohibita ſit) *Ergo quid opus erat tot ambagibus? In hâc ſolâ diſtinctione latet utrobus definita quæſtionis. Et ita parum diſſentiet Autor ab iis, contrà quos diſputat.*

1. Sequuntur res, quæ ſunt in patrimonio, quatenus ad ordinem reipubl. habent relationem. Patrimonium eſt vel publicum, vel privatum. Publicum eſt vel proprie tale, vel univerſitatis. Proprie, quod ad rempubl. liberam pertinet: quam & patrimonium habere, vult ratio & uſus juriſconſultorum in *l. 14. ff. de A. R. D.* idque minus inexpectati habet in univerſitatibus, quarum res etiam publicæ dicuntur in *l. 17. ff. de V. S.* & jure privatorum utuntur *l. 16. eod.*

2. Quid ſint publicæ & univerſitatum res *ſuperius* expoſitum eſt. Heic de jure illorum in ordine civitatis agendum. Publicas eſſe duorum generum inde *ſuprà* conſtat; vel tales, *quorum uſus eſt omnium*, ut ſunt portus & flumina, vel quibus ſinguli non utuntur, ut fiſci res atque ærarii, quod diſcrimen ab Auguſto inventum λόγῳ μᾶλλον ἢ ἔργῳ *verbo magis, ut Dion., quam re*, dedimus expoſitum in *parte 1. digreſſ. lib. 3. c. 21.*

3. Inter publica prioris generis ſunt. flumina & portus. Flumina ſcilicet, perennia; Nam torrentes atque hyemales, qui per æſtatem non durant, magis ſunt privatorum, per quorum agros currunt, ut traditur in *ff. l. 1. §. 2. & ſequ. de flumine.* At in flumine conſideratur amnis, alveus, inſula, ripa, de quibus breviter & diſtinctè. Primo de univerſo.

4. Flumen eſſe inter ea, quæ à populo certam regionem ſua ditione complexo, per univerſitatem occupantur, ſuperius dictum, nec controverſum, neque dubium eſt, quin primarius ſcopus ſit, in uſu amnis promiſcuo, qui conſiſtat in navigando piſcandoque; nam id omnibus ſuis civibus commune voluerunt eſſe Romani, *k)* ſicut in terminis primæ occupationis eſſe debeat.

5. Quia tamen occupatio illa ab univerſo populo facta, eidem jus proprietatis præſtat, non eſt dubium, quin populus ejusmodi leges navigando piſcandoque imponere poſſit, quales expedire ſibi putat, ideoque vectigal imponere naviganeibus, exteros etiam navigando in eo prohibere queat, utique mercaturæ cauſa; ſed tranſitus innoxios prohibendi jus *l)* non habet, multo minus aquam profluentem hauriendi, quod Latona barbaris apud Ovidium exprobrat,

> *Quid prohibetis aquas? uſus communis aquarum eſt.*

6. Piſcationibus autem, nedum exteris, etiam ſuis prohibere poteſt, quemadmodum à plerisque populis hodie conſultum videmus, ut piſcandi jus in fluminibus addixerint fiſco; Etſi non deſint, qui in terminis primævæ occupationis ab univerſo populo factæ ſubſtiterint, quos inter Friſii noſtri; quibus ſufficere viſum, leges imponere piſcationibus, duntaxat generum ſervandorum causâ requiſitas: etſi in portubus eadem libertas non placuerit, in quibus alioquin idem jus ac in fluminibus obtinere conſentaneum eſt, & Romanis legibus obtinet.

7. An verò jus piſcandi præſcriptionibus ſubjectum eſt, ut uſu temporis à ſingulis occupari & in jus privatum redigi poſſit? Non videbatur, exemplo viæ publicæ, quæ uſucapione vel præſcriptione à privatis acquiri non poteſt, ut in *ff.* ſancitum eſt *l. 2. de via*

n. 4. *k)* Romani) *Ita quidem Romani conſtituerunt, ſed an id convenit cum terminis primæ occupationis alia quæſtio eſt. Sane quæ per univerſitatem occupantur, eorum uſus etiam regulariter ad univerſitatem pertinet, non ad ſingulos, niſi ex voluntate univerſitatis peculiari. Unde etiam ſic emendandus ſequens n. 6.*

n. 5. *l)* jus non habet) *Habet utique, quia denegatione hâc nemini facit injuriam, etſi poſſit peccare contrà officia humanitatis. Eadem dicenda ſunt de denegatione hauſtus aquæ profluentis. Neque aliud intendit Latona apud Ovidium. Dixi pluribus* in Inſtit. Juriſpr. div. lib. 2. cap. 6.

ſia publ. l. 45. de uſucap. Eſt tamen ubi aliud obtinere videmus.

8. Etenim in pandecte juris traditum eſt, ſi quis in fluminis publici diverticulo ſolus pluribus annis piſcatus ſit, hunc alterum eodem jure uti poſſe prohibere, ſecundum Martianum in *l. 7. de diverſ. præſcript.* à quo non diſſentit Papinianus in *l. 45. d. uſucapion.* ſi caſum de fluminis diverticulo continues ita, ut priorem caſum, accipere, quo præſcriptionem loci ædificando in litore occupati non procedere dixerat, ſi domus interim diruta fuiſſet, ac ita occupari deſiiſſet; proinde ſi alter piſcari deſiiſſet, jus prohibendi non haberet.

9. Eodem modo pagos aliaſque univerſitates apud nos, videmus ſibi vindicare piſcandi jus in certis lacubus, vel tractu certo fluminis publici; quod jus aliquando in certos prædiorum dominos conferunt, ea lege, uti hi pontibus aut aliis operibus in perpetuum reficiendis teneantur. An hæc nullo jure; vel quo jure fieri dicemus?

10. Diſtinguendum videtur, *m*) inter res & jura publica, quæ poſſunt eſſe in patrimonio ſingulorum & utilitatem præſtant ſtabilem, atque inter ejuſmodi jura, quæ non accipiunt uſum patrimonialem ſingulorum, nec in reditu certæ utilitatis, ſed in merâ facultate reipubl. vel omnium civium & quaſi *potentiâ* conſiſtunt, ut in prioribus habeat locum præſcriptio, non æquè in poſterioribus: Loquimur de civibus ejuſdem reipubl.

11. Non habet locum præſcriptio in tributis & vectigalibus, quia ſunt poſterioris generis *L. 6. C. de praſcr. 30. ann.* nec in viis publicis, *d. l. 2.* in quibus non eſt patrimonialis; ſed communis uſus iter faciendi, & mera facultas civium. Sed quominus piſcationum & venationum jura certis in locis præſcriptione temporis acquirantur, nihilo magis obſtare videtur, quam quod in aliis patrimonialibus cauſis princeps longisſimi & immemorialis utique temporis præſcriptioni non eſt exemptus, ut docet Grotius in *lib. 2. c. 4. n. 9. & 11. n*)

12. Jus navigandi in flumine publico ſimile eſt viæ publicæ, nec ideo præſcriptione temporis auferri poteſt; ut tamen jus imponendi vectigalia navigantibus, ſalvum ſit imperantibus, quod rurſus ipſum nullâ præſcriptione tolli poſſe diximus.

13. Hactenus de flumine, ſequitur Alveus, quem eſſe partem fluminis quod populus occupavit, & ejus eſſe proprium, utique dum continet amnem, manifeſtum eſt. Ergo ſi flumen alium ſibi fecerit alveum veteremque ſiccum deſtituerit, ex ſimplici & directâ juris ratione, derelictus alveus non poteſt alterius eſſe, quam populi; Quod enim ex re mea ſupereſt, id meum eſt ejuſque vindicandi jus habeo, regulâ non minus eſt juris gentium quam civilis; ſicut domo diruta, non eſt dubium, quin area maneat ejuſdem, cujus fuit domus.

14. Jure tamen Romano aliter cautum eſt, quaſi ex jure gentium, ut alveus eorum fiat, qui juxta flumen habent propinqua prædia, ut Juſtinianus è vetuſtis juris auctoribus tradit *in §. 23. I. de A. R. D.* quod non eſſe conveniens rationi juris gentium bene demonſtrat Grotius *l. 2. c. 8. n. 9.*

15. Duo proferri poſſunt in diverſum. I. quod alveus ſit pars adjacentis terræ; unde flumen alveum decerpſerit, quem reſtitutum, illuc, unde ſeparatus fuit, redire oporteat:

Nnn Sed

n. 6. *m*) videtur.] *Mallem potius ita diſtinguere. Non poteſt præſcribi jus piſcandi adverſus rempublicam, poteſt tamen præſcribi adverſus privatos, de quo caſu loquitur* n. 8. *Confer dicta ſuperius* ad lib. 1. ſect. 3. cap. 8. in fine lit. l. p. 111.

n. 11. *n*) n. 9. & 11.) *Utique ſi de præſcriptione paris contra parem ſermo ſit, de quo caſu loquitur etiam Grotius, non, ſi de præſcriptione ſubditi erga Principem, per dicta loco modo citato.*

Sed in univerſum dici nequit, alveum ab adjacentibus terris eſſe detractum, cum ejus rei plerumque memoria nulla ſit, & occupatio fluminis à populo facta præceſſerit diviſionem per fundos, unde privata dominia & eorum extenſio ad alveos adjacentes fluxit.

16. Alterum, quod populus flumen occupaſſe non videatur, niſi quatenus eo volebat uti, id eſt, quatenus erat flumen & amnis Ubi deſierit eſſe flumen, deſinet quoque populi intentio, alveumque pro derelicto habet, quo non amplius utitur: quo Celſus filius apud Pomponium in *l. 30. §. 1. d. A. R. D. Cum exſiccatus eſt*, inquit, *alveus, proximorum ſit, quia jam populus eo non utitur.*

17. Hæc ratio bona eſt, ad probandum, quod populus Romanus alveos derelictos ſibi non vindicans, ejus animi fuerit, ut nihil de flumine, quam jus amnis, & quatenus flumen eſſet, occupare voluerit, ideoque alveum ſiccum pro derelicto habuerit: ſed non efficit, ut talis occupatio reſtricta, juris gentium ſit, nec impedit, quominus occupatio ſimpliciter facta, de toto flumine cunctisque ejus partibus accipienda ſit.

18. Romanos ſub occupatione per univerſitatem, ſolum amnem comprehendiſſe, liquet etiam inde, quod inſulas in fluminibus natas populi eſſe tradunt, eas demum, quæ alveo non adhærent, ſed virgultis aliave levi materiâ ſuſtentatæ fluctuant neque ſolum tangunt *l. 65. § 2. ff. de A. R. D.*

19. De reliquis inſulis in flumine natis alveoque cohærentibus, Romani ſtatuunt idem, quod de alveo exſtincto; illas jure gentium vicinis prædiorum dominis acquiri, quod rationi non magis quam de alveo dictum eſt, convenire, tam certum eſt, quam inſula pars eſt alvei, ut Grotius *d. loco* probat & nos in *part. 1. lib. 4. Digreſſ. c. 21.* comprobavimus. Idemque Labeo ſenſit in *l. pen. §. ult. de A. R. D. Si id quod in publico innatum aut inædificatum, publicum eſt*, inquit, *inſula quoque, quæ in publico flumine nata eſt, publica eſſe debet*, etſi quomodo hæc verba cum aliis juris locis *eademque Lege §. 1.* conveniant, hujus loci non ſit, inquirere. Hotomannus quidem legendum putavit, *Non ſi id quod in publico &c. l. 1. obſ. c. ult.*

20. Nec ille ſolummodo τὸ ὅτι juris Romani hic ſibi non conſtare cupit, ſed nec aliter ita conſtitui debuiſſe ratiocinatur. Quia ſcilicet, inſula in flumine publico nata fluvium dilatat, ac vim profluentis contra vicinos agros allidit, eoque tantundem fere in adverſa ripâ terræ abradit aut occupat, quantum inſula in amne continet ac implet.

21. Verum hæc ratio, ſicut inepta non eſt, ad approbandum jus poſitivum, & quod Romani non ſine cauſâ tribuerint accolis inſulas, in compenſationem damni ab iisdem inſulis accepti, ita non ſufficit evertendo validiori fundamento ſuperius poſito, quod domino ſoli, ſuperficies acquiratur, ſolum eſt alveus, à populo occupatus, inſula quaſi ſuperficies & ſane pars ejus, ac ideo cauſam totius & ſoli ſubſtrati ſequitur.

22. Planè, cum occupationis effectus ab animo pendeat occupantis, in eo quod diximus acquieſcendum; quod populus non habuerit animum occupandi alveum, ſed flumen qua tale, quatenus eo volebat uti. Non videtur etiam inſulæ dominium per occupationem primam acquiſiviſſe, eoque ubi deſierit eſſe flumen, deſinit etiam intentio populi & effectus occupationis in alveum atque in inſulas.

23. Hinc etiam pendet conſideratio ripæ. Nam ſi populus Romanus alveum per ſe non putavit occupandum, multo minus id de ripâ propoſitum habere potuit.

24. Nam ſi ripa finiatur ita, quod flumen naturalem curſus ſui rigorem tenens continet, ut eſt in *l. 1. §. 2. d. Flum.* eſt immediata pars alvei, nec ejus cauſam ſequi non poteſt; proinde cum alveo toto cedit accolis. Quod ſi largius accipiatur, ut ripa ſit, ex quo terra primum à plano vergere incipit uſque ad aquam, ut habet

Paulus

Paulus in *l. 3. in fin. eod. tit.* jam forte magis eſt pars adjacentis terræ, quam alvei, ac ita plenius & evidentius ad vicinos pertinet: è ſuppoſitâ ſcilicet intentione propriâ populi Romani: Nam ex jure gentium ſimplici, ripa, vix ab alveo ſeparari poteſt.

25. Pars ripæ fit, alluvionis incrementum, ideoque & hoc eandem habet rationem; Ex jure gentium ſimplici ſequitur ripam & alveum, qui ſunt populi; ex intentione populi Romani pertinet ad accolas; etſi jus gentium quoque laudant juriſconſulti Romani.

26. Quod per avulſionem aliunde vehementiore fluminis impetu adjicitur, manet ejus, cujus antea fuit; quod ſi non agnoſcatur aut repetatur, eandem in exitu habet rationem, quam alluvio: cujus rei argumentum in Romanis legibus habetur, ſi pars adjecta ſic unitâ ſit cum agro, cui acceſſit, ut diſcerni non poſſit, quo caſu dominium magis acquiritur adjacenti terræ, ob præſumptam priſtini domini derelictionem, quam quod unio & coalitio per ſe, cauſam dominii præſtare queat. Ideoque id ex inſtituto magis peculiari quorundam populorum eſt, quam ex ſimplicitate juris gentium, vel potius naturæ.

27. Nam ſi de jure gentium ex uſu populorum ſit exiſtimandum, fere ita ſervatur, ut incrementa fluvialia cedant accolis; niſi quod extant exempla notabilium incrementorum, quæ principes populive ſibi vindicaverunt; indicantes ita ſe jure poſſe, plerumque nolle ſibi vindicare alluviones.

28. Idem fere de maritimis incrementis tenendum: Cum enim littus proprietate ſit nullius, non vicinorum, incrementa littoris ad eoſdem recto jure non pertinent; ſed populi ſunt, qui per univerſitatem quoque littus occupavit: Ideoque ſi velit, incrementa ſibi vindicare, poteſt princeps habens jus populi; quomodo ad Friſiæ noſtræ littus incrementum alluvionis Biltanæ Albertus Saxoniæ dux olim Friſiæ dominus ſibi vindicavit, à quo ad Carolum & Philippum reges, ab illis ad populum Friſiæ rediit.

29. Ipſi etiam ordines Friſiæ aliquando ſerió proſcripſerunt incrementum alluvionis, quod eſt in oſtio fluminis. Et; tametſi venditio non proceſſit, & manſerunt incrementa illa vicinorum, quomodo adhuc habentur; indulgentiâ quam dixi ordinaria populorum; quæ & præſumitur eſſe commiſſa, quando fluminum & maris accolæ non agros habent limitatos, ſed uſque ad mare vel flumen infinitè poſſident, ut recte Grotius II. 9. 12.

30. Cæterum, quo pacto & quam evidenter publicæ res, ita propriè dictæ, à communibus differant, in *cap. 1. hujus ſectionis* expoſitum eſt; effectum uſumque diſcretionis illius in hunc locum rejecimus, etſi ex ipſa diviſionis explicatione præſumi potuit.

31. Publicæ res ſunt in patrimonio populi vel principis, populi jus habentis, comprehenſæ ſub occupatione per univerſitatem; in quo proinde quiſque populus habet idem jus, quod habet in ſuo patrimonio quilibet privatus. Ac ideo, ſicut privati, alios prohibere poſſunt, ne venandi piſcandive cauſa fundos vel lacus ſuos ingrediantur, ut etiam ſi quis id invito domino faciat, injuriarum teneatur *l. 13. inf. de injur.* Ita populi principeſque prohibere poſſunt exteros, ne flumina ſua commercii piſcandive causâ ingrediantur; etſi tranſitus innoxios jure negare nequeant, *o)* exemplo terrarum, per quas an idem negari poſſit, amplius in loco videbimus.

32. Si negare poteſt ingreſſus fluviorum & portuum ſuorum exteris, princeps ob uſus non neceſſarios, ſequitur, eum permiſſionem ejuſmodi legibus ac etiam vectigalibus quæ velit, onerare & limitare poſſe, quibusdam etiam interdicere, quibusdam concedere poſſe liberos aditus, ſuo arbitratu.

33. Nec eſt aliud in tranſitu mercaturæ

 cauſa,

n. 31. *o)* nequeant) *Nos jam contrarium poſuimus modo* lit. I.

cauſa, cum aliis ejusdem fluminis accolis exercendæ. Cum enim quisque jus habeat in fluminis, ſuo territorio comprehenſi partes, etſi innoxius mercaturæ cauſa tranſitus videatur, *p)* quem ultra modum operæ vel ejus quod reverâ intereſt, onerare non poſſit, terræ adjacentis dominus, validior tamen eſt prior ratio dominii perfecti.

34. Quod jus habet populus in exteros, id etiam habet in ſemetipſum, vel princeps in cives ſuos. Proinde cum jus piſcandi in portu fluminibusque cuilibet è populo competat *§. 2. Inſt. de rer. diviſ.* poteſt hoc jus principi vel proceribus deferri, ut in uſum publicum locetur, ac ita ſecundi generis publicarum rerum fiat; quomodo in pleriſque populis hodie inſtituitur. Idem de vectigalibus aliiſque præſtationibus intelligitur.

35. Explicitum eſt de publicis rebus, quarum uſus ſua natura patet omnibus in civitate, ſequuntur res principis aut populi, quarum uſus non eſt omnium, ſed reipubl. vel principis, quà talis.

36. In principatu ſive monarchia res principis poſſunt eſſe quadruplices; Privatæ, dominicæ, fiſcales & ærarii. Privatæ res, ſunt principis patrimoniales, quæ ante & citra reſpectum principatus ad illos pertinent, quales ſub primis Imperatoribus, Res Cæſaris dicebantur, cum Cæſarum vox adhuc propriæ nuncupationis eſſet.

37. Hodie plerumque tales cum dominio regni conjunguntur & uniuntur, ut in Gallia inprimis: Exemplum diſcrepantiæ tamen evidens eſt in præſenti Angliæ rege, qui res ſuas in Germania, Belgio & alibi ſitas ſeorſim ab Angliæ regno boniſque regiis ſervat & diſponit.

38. Secundum genus eſt rerum *dominicarum*, de quibus eſt *rubrica in Cod.* magis ut tamen ibi mentio fiat earum rerum, quam quod deſcribantur. Plerique interpretes eas appellant privatas principum res, quod mihi videtur accipiendum, ut Ulpianus in *l. 2. §. 4. Ne quid in loc publ.* res Fiſcales *quaſi proprietas & privatas ait eſſe principis*, quà *principis* ſcilicet, non patrimoniales.

39. Quid igitur dominicæ res à patrimonialibus differunt? Non poſſumus iterum meliore exemplo uti, quam quod eſt ob oculos, VVilhelmi Angliæ regis. Res ejus patrimoniales ſunt, quas habuit ante regnum & ſeorſim à regni opibus tenet: Dominicæ rès, quæ in patrimonio ſunt omnium Angliæ regum.

40 Pari modo res dominicæ imperatorum Romanorum, poſterioribus imprimis temporibus, fuere bona perpetua & ſtabilia principum, non hujus aut illius, ſed omnium, unde ſe aulamque ſuam exhiberent.

41. Conſequenter *Fiſcalia* ſunt, quæ ex emolumentis ferè caſualibus, & maxime per confiſcationes acquiruntur. At hæc cum dominicis ſæpe junguntur, cum in jure Romano, tum moribus hodiernis, quomodo apud nos quoque in Friſia res fiſcales cum dominicis ſive domanio conjunctim & eâdem quæſtura habentur.

42. Jura, quibus bona fiſci acquiruntur, ad rem ejus vel augendam vel tuendam pertinent. Ad augmentum ſpectant commiſſa vectigalium, indignorum, variæ mulctæ, caduca, bona vacantia, res nullius & ſimiles *confiſcationum* ſpecies.

43. Commiſſa vectigalium ſunt publicationes mercium & bonorum, de quibus profeſſio vectigalis aliorumque onerum publicorum cauſâ facta non eſt, de quibus juriſconſulti agunt in *tit. de vectigal & commiſſ.* unde peti poſſunt, quæ huc conferri nequeunt. Ipſa vectigalia ad ærarium referuntur.

44. Commiſſa indignorum ſunt publicationes hereditatum & legatorum, quæ his, quibus relicta ſunt & qui ſe variis ex cauſis in-

n. 33. *p)* videatur) *Unde noſtræ hypotheſi non obſtat objectio præſens aſſertioni præſenti, quam objectionem ſane autor non ſolvit, ſed rumpit in verbis ſtatim ſequentibus.*

ſis indignos beneficio defuncti reddiderunt, adimuntur & fiſco vindicantur, de quibus eſt *tit. in pandect. de his quæ ut indignis.* Quo etiam referuntur, quæ perſonis incapacibus, quas leges capere vetant hereditates & legata, clam relinquuntur: Nam relicta palam incapacibus, habentur pro non ſcriptis & manent penes heredem, quâ de re dix. ad *tit. ff. de His quæ pro non ſcript.* In quibuſdam populis hæc indignorum commiſſa in deſuetudinem abierunt; in aliis merito obſervantur.

45. Mulctæ delictorum frequenter etiam in fiſcum rediguntur, tam omnium, quam tertiæ vel quartæ partis bonorum vel certarum quantitatum, de quibus in loco de pœnis agendum. Juſtinianus Imperator eas valde præcidit, quando capitis damnatorum bona publicationi ſubduxit, eaque proximis addixit conſanguineis in *Nov. 134. c. ult.*

46. Idem caduca ab Auguſto in fiſci commodum introducta, ſcilicet, hereditates & legata, quæ ante aditam hereditatem, ſive ante apertas tabulas, eorum quibus relicta fuerant defecerant, ſuſtulit ac ad heredes transmitti permiſit in *l. un. C. de Caduc. toll.*

47. Bona vacantia dicuntur eorum, qui ſine heredibus mortui ſunt; quod raro quidem accidit; attamen ſi contingat, fiſcus admittitur, ſi modo intra quadriennium denunciata ſint bona, quâ de re nos egimus ad *Inſt. lib. 3. in pr. ad Nov. 118. ſub fin.* & ad *tit. ff. de Jure Fiſci n 3.*

48. Res nullius quæ ſint, ut jam pridem intelleximus, ita non repetemus. Sed populi principibus ſuis adſignaturi certos reditus, nihil prius invenère, quàm quod ſine ullius injuria vel damno dare poterant. Nullius ſcilicet res, ut ſunt metalli fodinæ, feræ beſtiæ, volucres, piſces, id eſt, jus venandi, aucupandi, piſcandi, denique naufragorum bona, quæ à nemine vindicarentur; item theſauri inventoribus acquirendi. Etſi illa ſecundum uſus gentium varios aliter aliterque ſe habent.

49. Hæc ad augendum fiſcum. Ad conſervandas ejus res multiplicia jura & privilegia pertinent, de quibus *ad tit. ff. de Jure fiſci* actum, & quamvis ad hunc locum pertineant, tamen alibi dicta repetere non ſuſtinet animus.

50. Claudimus igitur hoc caput in *ærario*, quod maxime conſtat tributis & vectigalibus; quorum illa ſunt pecuniæ è cenſu aliisque collectæ patrimonialibus oneribus, hæc ſunt præſtationes mercibus, quæ invehuntur & evehuntur, imponi ſolitæ; è quibus onera pacis & belli omneſque reipubl. neceſſitates ſupplentur & præſidia comparantur.

CAP. V.

DE DOMINIO RERUM.

Res ſingulorum haberi, jure quod in re vel ad rem dicitur, quæ jura definiuntur. n. 1. 2 3. Jus in re eſſe perfectum vel imperfectum. n. 4. Illud eſſe dominium. n. 5. Cauſæ dominii acquirendi, primo originariæ. Occupatio n. 6. 7. 8. & ſpecificatio ſuo modo, n. 9. 10. 11. & quædam ſpecies acceſſionis, n. 12. 13. ubi de fœtura animalium cum Grotio diſputatur. n. 14. 15. 16. Fructuum perceptio. n. 17. 18. 19. Derivativas acquiſitiones eſſe vel juris vel facti; n. 20. hujus generis eſſe acceſſionem artificialem, n. 21 25. Confuſionem n. 26. 27. & traditionem; n. 28. An hæc jure gentium ad dominium requi-

Digitized by Google

requiratur. n.29.30.31. Acquiſitionem juris, fieri per uſucapionem & præſcriptionem; n.32.33. de cujus juſtitià disquiritur, & de requiſitis, tam inter diverſas gentes, quam inter ejusdem reipubl. conſortes, tam in publicis quam in privatis rebus. n.34-48. Per ultimas quoque voluntates dominia jure, ſine facto, transferri, nec aditionem hereditatis jure gentium videri ad dominium acquirendum requiri. n.49-58. De prohibitâ alienatione rerum tam privatarum quàm publicarum. n.59-71.

Poſt ea quæ publici diximus eſſe patrimonii, ſequuntur privata, ſive res ſingulorum; quas ad juris privati diſciplinam pertinere non eſt quod moneamus. Nec eſt conſilii noſtri, quod nec habet facultatem, ut terminos artium confundamus. Niſi detur ratio quædam de illis agendi ab hoc inſtituto non aliena, quam & Grotius ſuo methodo presſit, quatenus ad jus omnium gentium commune referri poſſunt.

2. Jus igitur circa res privatas eſt duplex, unum, quo res tenetur per ſe, alterum, quo perſona tenetur *ad rem* præſtandam: quæ differentia ſic in hodiernæ inſtitutione jurisprudentiæ exprimitur, ut prior ſpecies appelletur jus *in re*, altera *jus ad rem*.

3. Jus in re, eſt facultas homini competens in rem, ſine reſpectu ad ullam perſonam; cujus vi, manum, ubicunque reperiatur & à quocunque poſſideatur, rei injicere quis poteſt. Jus ad rem eſt, quo alius nobis tenetur ad aliquid dandum vel faciendum, ex quo ipſe vel heres ejus, non alius quilibet, ut ex jure in re contra quemvis agi poteſt, tenetur.

4. Juris in re ſpecies variæ exponuntur. Videtur diſtingui poſſe bifariam, in perfectum & imperfectum. Perfectum jus eſt dominium, *q*) quod eſt facultas, *de aliquâ re perfecte diſponendi, aut eam vindicandi, niſi lex vel conventio obſiſtat.*

5. Perfecta diſpoſitio conſiſtit in duobus, in liberâ facultate *adminiſtrandi & alienandi*, quæ reſtringitur prohibitione legis, aut conventione partium; idque pertinet ad caput, de prohibita alienatione, quod eſt juris privati; niſi quatenus ad publicas & univerſitatum res extenditur, uti mox videbimus.

6. Cauſæ, quibus dominium acquiritur, diſtingui poſſunt, in originarias & derivativas, cum Grotio *lib. 2. c. 3.* Originaria eſt diviſio *r*) & occupatio. Diviſionem potuiſſe locum habere, duntaxat in prima generis humani conjunctione ſcribit ibidem Grotius in *pr. d. c.*

7. Imo & hodie in terris primum detectis & vacuis, vel paludibus, opinor, exſiccatis. Nam etſi occupatio quædam per univerſitatem in talibus præcedere ſoleat, dominium tamen, quod eſt ſingulorum à nemine in eos, quibus ſingulæ res aut partes adſi-

n.4. *q*) Dominium) *De imperfectis agit capite ſequente. Nobis convenientior quoad uſum doctrinæ viſa eſt ſententia, juris in re ſpeciem unicam eſſe dominium latè dictum, quæ ſub ſe comprehendat dominium hereditatis, pignoris, ſervitutis, & dominium rerum corporalium, quam adverſus Auctorem latius defendimus* in ſcholiis ad prælectiones Inſt. de R. D. p. 81. ſeq. & ad Pandectas de A. R. D. p. 360. ſeq.

n. 6. *r*) diviſio) *At potius diviſio videtur eſſe modus derivativus ſupponens jam dominium commune præcedens.*

adſignantur, eſt derivatum *s*), ideoque originarium eſſe videtur.

8. Sed præcipuus acquirendi modus originalis, eſt occupatio rerum quæ nullius ſunt, & ſi Grotio credimus, hodiè non datur alius. Egimus hac de re, quod ſatis, ubi de rebus quæ nullius ſunt, tractavimus.

9. Ad hoc genus etiam refertur à Paulo in *l. 3. §. genera 21. d. Acquir Poſſ.* Specificatio, *per quam ipſi, ut aliquid in rerum naturâ eſſet, fecimus*, quo nihil magis originarium eſſe videtur. Negat id tamen Grotius *d. cap. 3. n 3. t*) Ex nihilo enim cum nihil fiat, aut ſpecies ait, ex re noſtra, aut alienâ, vel ex re nullius fit. Si primum, eſt continuatio dominii, ſi poſterius eſt occupatio prius, & dein continuatio dominii, quod ſi ex aliena re fiat nova ſpecies, rem vult eſſe communem, inter materiæ dominum & ſpecificatorem *d. l. 2. c. 8. n. 19.*

10. Ergo vel hactenus ſaltem eſt modus originalis acquirendi ſpecificatio, quatenus is qui rem fecit & formam dedit, particeps eſt dominii: Et ſi juris Gentium eſt diſtinctio *u*) à juriſconſultis veteribus poſt multam adoptata diſputationem; ut, ſi quis ſpeciem fecerit, quæ reduci non poteſt ad primam eandemque materiam, hic ſolus fiat dominus, qui fecit; videtur admittendum, quod Paulus indicat, ſpecificationem eſſe modum acquirendi originalem.

11. Si videlicet res ad principium ſuum reduci nequeat, ut navis è ligno, veſtis è lana. Nec enim ante ſpecificationem fuit navis aut veſtis, ſed lignum & lana. Dominium rei, quæ prius non fuit, originarium, ut vult Paulus, haberi poſſe videtur.

12. Evidentius ad originariam acquiſitionem referuntur inſulæ in mari & in fluminibus natæ; priores ad occupationes & res nullius

n. 7. *s*) derivatum) *Sed cur non. Sane ipſe autor fatetur, dominium univerſitatis præceſſiſſe. Et ipſa aſſignatio eſt quadam quaſi ſpecies traditionis.*

n. 9. *t*) cap. 3. n. 3.) *Sed neque Paulus* in d. l. 3. §. 21. *agit de modo acquirendi originario an derivativo, neque Grotius eâ de re diſputat in allegato loco, ſed ſimpliciter negat, ſpecificationem eſſe modum acquirendi. Et fruſtra adeo ſe torquet Autor hic* à n. 9. ad n. 21. *quomodo ſpecies acceſſionum accuratè ſecernat, ut alias ad modos acquirendi originarios referat, alias ad derivativos. Quæ tamen quæſtio ſubtilis magis eſt, quam ut uſum habeat in doctrinâ juris. Facilius res procedet, ſi ita dicas. Modi acquirendi ſunt vel principales vel acceſſorii. Principales, qui propriis gaudent regulis, acceſſorii, qui non novas habent regulas, ſed ſequuntur regulas modorum principalium, aut modos ipſos principales acquirendi. Modi principales ſunt vel originarii vel derivativi. Originarius unus eſt, occupatio, cujus regula eſt: res nullius cedunt occupanti. Derivativus etiam unus eſt, traditio latè ſic dicta ſive vera ſive ficta, cujus regula eſt; nihil eſt tam naturale, quàm ut voluntas dominorum, res ſuas in alios transferre volentium, exitum habeat. Acceſſio, ad quam ſuo modo etiam pertinet ſpecificatio, non eſt modus principalis. Nam hic res acceſſoria ſemper ſequitur modum acquirendi principalem. Unde ſi v. g. ager ſit occupatus, etiam particula per alluvionem adjecta pertinet ad occupantem; ſi ager ſit per traditionem acquiſitus, etiam particula adjecta, ad dominum pertinet, cui res eſt tradita &c.*

n. 10. *u*) diſtinctio) *Sed conditio hæc nihil affirmat. Et verius eſt neque diſtinctionem iſtam, neque ſententias Proculianorum & Sabinianorum ſapere definitionem juris naturæ. Sed potius rem aliter planè ex doctrinâ juris gentium eſſe definiendam, ut latius oſtendi in Diſſert. de pretio affectionis in res fungibiles non cadente.*

Digitized by Google

lius, de quibus actum; poſteriores ad acceſſionem referuntur, ut in tractatu de fluminibus dictum. Utræque ſine dubio, cum ſint res in natura univerſi novæ, ſunt originales.

13. Alluviones huc etiam pertinent. Etſi enim pleraque ab alienis agris abradantur, quia tamen ignotum eſt, unde veniat, & bona pars materiæ eſt ab ipſo mari, non poſſunt ad acquiſitionem derivatam referri: quod etiam de fœturà animalium dicendum, qui cum antea non extiterint, eorum dominium non poteſt dici derivatum.

14. Sed quibus acquiratur fœtus jure Gentium, domino genitricis an genitoris, vel utrique, non otioſe quæritur. Juris Romani prudentes dominium genitricis præferunt ſolum, idque velut ex jure Gentium; cujus tamen rationi Grotius id negat convenire, *lib. 1. cap. 5. n. 29. & cap. 8. n. 8.*

15. Duas habet rationes; primam, quia *in multis animantibus patres non minus quam matres fœtus curam gerunt, hoc ipſo oſtenditur*, ait, *fœtum utriuſque eſſe communem*; alteram, quod *de utriuſque ſubſtantia procreetur*. Unde communem colligit eſſe debere fœtum animalium, domino genitoris & genitricis, κοινὸν ἀμφοτέροις τὸ γενόμενον; ut Plutarch. *lib. de prol. amo.*

16. Bene, quod ad affectionem στοργῆς naturalis, cujus ne bruta quidem animalia ſint expertia: ſed hæc à ratione dominii eſt aliena, quæ materiam æſtimabilem requirit. Subſtantia, quam mas confert, licet ad vim quidem & facultatem procreandi non ſit minor, quam quod à genitrice proficiſcitur; ad pecuniariam tamen æſtimationem, quæ in dominio ſpectatur, perexigui eſt momenti; maſſa corporis eſt à ventre, cujus pars & acceſſio fœtus eſt; maris ſemen πνευματοῦται, *ſpiritaſcit*, ut phyſici docent. Hæc plenus in *l. 4. digr. c. 23. & in Eunom. ad. l. 5. §. 2. de R. V.*

17. Prorſus eadem ratione, qua in fructibus agrorum, qui ſementem fecit, non fieri dominum; ſed eum, cujus eſt ager, diſcimus ex *§. 32. Inſt. de A. R D.* Nam & fructuum perceptio ad originariam acquiſitionem pertinere videtur, qua ſcilicet is, qui non habet jus in fundo, fructus tamen ex eo perceptos & primum à naturà productos facit ſuos; nam in iis terminis fructuum perceptio intelligitur, pro cultura & cura *§. 35. Inſt. de A. R. D.* Nam qui jure ſoli percipiuntur, magis ad genus derivativum pertinent.

18. Propterea dominus fundum ſuum vindicans, fructus extantes jure dominii vindicat. In fructibus conſumptis w) bene diſtingvit Grotius, inter fructus rei & fructus induſtriæ *lib. 2. c. 10. §. 4.* Fructus rei ſunt, qvos vulgo naturales vocant, *& hi a minimum rei ſequuntur*, ait; jure videlicet Acceſſionis; qvatenus qvicqvid ſolo imponitur, cauſam dominiumque fundi ſeqvitur. *Verum induſtriæ fructus, etiam ſi ſine re non procederent, rei tamen non debentur*, inqvit, *d. loco.*

19. Cuinam igitur cauſæ debentur hi fructus? Cui vero, niſi ipſi induſtriæ, hoc eſt, curæ & culturæ, qvam Juſtinianus ut naturalem rationem laudat in *§. 35. Inſt. de R. Diviſ.* Reqviſitum vero, ſine qvo acqviſitio non procedit, eſt bona fides, idqve eſſe juris univerſalis, approbatum eſt in *lib 4. Digreſſ. cap. 23.* ubi contra diſſentientes diſputatur.

20. Hæc

n. 18. w) conſumtis] *Errat Autor, Grotius ibi non agit de fructibus conſumtis, ſed de extantibus, de conſumtis enim agit diſertè in ſequente §. 5. Cæterum verius eſt, ex ſimplicitate Juris Gentium b. f. poſſeſſorem teneri domino reſtituere omnes fructus extantes ſive naturales ſive induſtriales, & lucrari ſaltem intuitu domini fructus conſumtos, ſine diſtinctione an locupletior factus ſit nec ne.*

20. Hæc de originariis acquiſitionibus ſufficiant. Derivativæ ſunt, quibus dominium ab uno in alium transfertur, eæque vel facti vel juris eſſe videntur. Priores, quæ actu & contractu coporali; poſteriores, qvæ legali operatione committuntur.

21. Facti acquiſitiones præcipuæ ſunt adjunctio ſive acceſſio artificialis, commixtio ſive confuſio & traditio. Adjunctio fit, quando quis alienam rem ita ſuæ rei adjungit, ut ejus pars fiat; veluti de purpura aliena ſuo veſtimento adtexta, de aliena gemma ſuo annulo indita, domo vel arbore ſolo alieno impoſita *ſimilibusque rebus docent juriſconſulti ad §. 26. I. de Rer diviſ.*

22. Has etiam Grotius vocat acqviſitiones naturales *facti lib. 2. c. 8. n. 21.* ſed alio ſenſu, quam nos heic facto res acqviri tradimus. Nos per factum intelligimus actum corporalem: Ille factum juri opponit, & negat ex ratione juris gentium, ſpecificantem aut adjungentem ſuis, res alienas, harum fieri dominum; qvod non habet nullam rationem.

23. Qvur enim factum alterius meum mihi jus & dominium auferat, nihil cauſæ reddi poteſt; Nec quidem facto qvicqvam impedit, annuli vel purpuræ dominium ejusdem manere, cujus fuit, vel ædificantem in alieno habere jus plenum ſuperficiei, ſive domus, ſive plantata vel ſata ſint.

24. Quare, quod ob prævalentiam, aut certis in caſibus lex Romana conſtituit, ut acceſſorium ſuo principali cedat & dominium ejus extinguatur, id naturale non eſt, ſed civile, ad commodius tranſigenda negotia; natura tamen non repugnante, quia lex habet jus dominii dandi. Grot. *d. cap. 8. n. 2.*

25. Sed ubi res non capit alium exitum, ibi dominium pro parte vel in totum transferri vel communicari certum eſt, & juris naturalis, ut in confuſione res docet, dix. *Bunom. ad l. 32. ff. de R. Vind.*

26. Confuſio & commixtio, ſubtiliter quidem ita diſtinguuntur, ut illa ſit liquidorum, hæc aridarum rerum, ſed quod ad dominium acquirendum attinet, nullum diſcrimen recipiunt.

27. Quando enim res diverſorum dominorum, voluntate eorum miſcentur aut confunduntur, in hoc, ut communes fiant, non eſt dubium, quin communicentur. At ſi quando fortuito commixtæ vel confuſæ ſint, non fiunt communes, niſi ex neceſſitate eventus, ſi non recipiant ſeparationem; ut non modo, ſi duorum vina, vel mulſa, ſed etiam, ſi duorum farinas vel grana confundi & miſceri contigerit, ex ratione juris Gentium dictu neceſſarium eſt, etſi paulo aliter Juſtinianus in *§. 26. & 27. Inſt. de rer. diviſ.*

28. Sed præcipua ſpecies acquiſitionis derivativæ corporalis eſt traditio, per quam dominium jure Romano & plurium aliarum gentium, tam ante, quam poſt atque ſecundum jus Romanum, ab alio in alium transfertur.

29. Eſſe tamen hoc juris naturalis, & inſtituti neceſſarii non videtur, per ea quæ Grotius habet in *lib. 2. de jur. B. & P. cap. 6. in pr. & §. 1. cap. 8. §. 25. nec non introduct. jur. Holland. lib. 2. c. 5.* & quæ nos ſuper hac ipſa quæſtione collocavimus in *lib. 4. Digreſſ. c. 8.*

30. Summa huc redit; cum dominium ſit Δίκαιον, ut Theophilus interpres Juſtiniani Græcus ait, *νῷ καταλαμβανόμενον*, *jus mente comprehenſum*, nihil vetat, quominus ita ſicut omnia jura transferuntur, per declarationem voluntatis *x*) ab alio in alium tranſeat & perfectè acquiratur; Traditio ex ſimplici ratione juris gentium nihil quam poſſeſſionem à domino bene diſtinctam præſtat.

31. Quia tamen ſatis conſtat, & ipſe Grotius fatetur, Romanos inſtitutum traditionis ad dominium transferendum ab aliis accepiſſe gentibus, idemque ferè à populis hodiernis

n. 30. *x*) voluntatis) *Huc pertinent etiam ex jure civili traditio quæ dicitur per fictionem brevis manus, & conſtitutum poſſeſſorium.*

Digitized by Google

ernis obſervatur,non eſt inſolens ita dicere, traditionem eſſe modum juris gentium poſitivi, quo dominium inter vivos actu corporali transfertur & poſſeſſione confirmatur.

31. Sed ex eo, quod ratione naturali traditionem non eſſe neceſſariam diximus, intelligi poteſt, dari cauſas dominii proximas, quibus id ſine actu vel contactu corporis *y*) in alium transferatur, qualis eſt uſucapio & præſcriptio; vocibus his promiſcuè ſumptis: Etſi Romanis jurisconſultis, à quibus repertæ ſunt, diſtinguuntur, hoc modo noviſſime, ut uſucapio de corporalibus, præſcriptio de rebus incorporalibus uſurpetur.

33. Eſt autem uſucapio nihil aliud, quam adjectio dominii per poſſeſſionem rei alienæ,cum animo ſibi habendi, juſto tempore continuatam.

34. Prima dubitatio eſt, an res aliena ſine facto & voluntate domini ad alium ſolo temporis lapſu tranſire poſſit; nam bona fides,quæ nihil eſt quam opinio dominii aut titulus poſſeſſionis, minuere poſſunt invidiam, non præbere cauſam acquiſitionis ſufficientem & juſtam.

35. Fundamentum, quod huic acquirendi modo ſubſternitur, ſcil. præſumptio derelictionis aut negligentiæ dominii, qui per tantum temporis ſpatium non inquiſiverit in rem ſuam, non eſt adæquatum negotio, *z*) quia res etiam per uſucapionem ignoranti aufertur; etſi nec,ubi eſſet, reſcire potuerit, ut Romano jure cautum *l. un. C. de uſucap.* & alibi obſervatum eſt.

36. Recurritur ad utilitatem publicam,ne dominia ſemper in incerto ſint. Verum ut hæc objectionem, non eſſe facienda mala,ut eveniat bonum,ſuſtinere queant,addenda eſt ratio,de conſenſu civium in ſingulis nationibus,quam in omni obligatione legum intervenire dictum eſt alias, vel potius de conſenſu generis humani; quæ niſi concedimus, acquieviſſe illos in graviſſimo incommodo, ne lites de rerum dominiis ullo tempore finiantur, ſtatuendum eſt. Quæ ratio juncta cum uſu omnium populorum, de juſtitia præſcriptionis & uſucapionis ambigere non patitur, & pluribus demonſtrat Grotius in *lib. 2. c. 4.*

37. Uſus ejus in hac arte bifariam occurrit, uterque Juris gentium; cum is qui juris civilis eſt, huc non pertineat. Primo inter cives cujusque, ſed unius reipubl. Alter inter populos principesque diverſos.

38. Utrique lateri quæſtionis reſpondet definitio, quæ nihil requirit, quam poſſeſſionem juſto tempore, cum animo ſibi habendi continuatam. Sine tali animo non poſſe initium fieri acquiſitionis, ipſa res loquitur.

n. 31. *y*) corporis) *Forte planior ſenſus eſt, ſi dicas* ſine traditione domini. *Nam Uſucapio cum exerceatur à poſſidente, poſſeſſio vero ſupponat actum vel contactum corporis, parum commodè dicitur fieri ſine tali actu & contactu corporis.*

n. 35. *z*) negotio) *Sed cur non eſſet? Sanè ipſe autor, ſui immemor, fatetur* n. 40. *jus præſcriptionis, quæ juris Gentium eſt, nitì præſumtâ derelictione. Nec obſtat ratio dubitandi hic allata ex* l. un C. de uſuc. *partim quia loquitur de præſcriptione, quatenus eſt juris civilis, quæ tamen huc non pertinet;* per n. 37. *partim, quia caſus de rebus immobilibus,intuitu juris Gentium, ubi fere de rebus immobilibus eſt quæſtio, non eſt dabilis, ut dominus priſtinus reſcire non potuerit, ubi res ſit. Sed & ſi vel maximè jure Gentium controverſia eſſe poſſit de re mobili, ſalvus tamen erit is, qui & hic præſcriptione utitur. Etſi enim tum contingere poſſit, ut dominus prior ignoraverit hactenus ubi res ipſius fuerit, cum tamen præſcriptio juris Gentium requirat tempus memoriam hominis excedens,* per n.39. *caſus non eſt dabilis, ut tanto præſcriptionis tempore elapſo dominus priſtinus dominium ſuum probet.*

Digitized by Google

quitur. Proinde, qui poſſider cum animo alii rem habendi, ut colonus, creditor, commodatarius, nunquam uſucapere poteſt: Animus autem intelligitur declaratus: decretum enim cogitationis adverſus alios non valet.

39. Juſtum autem tempus univerſo jure gentium videtur eſſe, quod hominum memoriam excedit, quod cum longiſsime ſumitur, eſt centum annorum, ſæpe brevius, ut juriſconſulti non magis quam ratio definiunt. Grot. *lib. 2. c. 4. n. 7.*

40. Debet etiam hoc tempus eſſe continuum; quia cum præſumptâ derelictione jus præſcriptionis nitatur, ſignificatione voluntatis ante tempus in contrarium factâ, ceſſat hæc ratio.

41. Bona fides aut juſti probatio tituli, in hac præſcriptione, quæ temporis immemorialis eſt, requiri non poteſt, quoniam hæ qualitates in hominum memoriâ fundatæ ſunt; quæ ut ex viventibus, non ut è momumentis literarum haberi poteſt, intelligi debet; hoc enim modo nulla ſæcula memoriæ hominum ſubducere ſe poſſent. *a*)

42. Quod autem in hac præſcriptione, bona fides titulusque non requirantur, id juxta illam rationem ipſe pontifex, à quo bonæ fidei requiſitum præſcriptionibus, etiam ubi jus civile eam neglexit, additum, eſt, declarat *in cap. 1. de Præſcript. in 6. Bona fides*, inquit, *non ſufficit, ſed eſt neceſſarius Titulus, qui poſſeſſori cauſam tribuat præſcribendi. Niſi tanti temporis allegetur præſcriptio, cujus contrarii memoria non exiſtat.* Quibus verbis quod nonnulli titulum duntaxat juſtum, non bonam fidem remitti volunt, non habet rationem. Præter enim quod bona fides difficulter adeſſe poteſt, ubi deficit initium juſtum, *b*) ut recte Cujac. *ad cap. ſi diligentis 16. X. de Præſcript.* quis non videt, bonam fidem in *d. cap. 1.* ſupponi, titulum ſuperaddi, ut hujus remiſſio illam involvat. Ac ita recte Decius *conſ. 496.* Boer. *deciſ. 12. n. 7.*

43. Per hanc igitur præſcriptionem, non modo res ſingulæ, ſed etiam regna ditionesque majores ab uno populo vel principe ad alium jure transfire poſſunt & ſæpe tranſierunt, ut probat exemplis & dictis veterum Grotius *d. cap. 4. n. 2.*

44. Sic fuit præſcriptio inter diverſas nationes. Alter uſus eſt in hypotheſi unius ejuſdemque reipubl. In quâ cum inter cives, tum inter ſummam poteſtatem & ſubjectos imperio, res verti poteſt.

45. Cives inter ſe, qvod ad jus gentium attinet, non poſſunt alio jure cenſeri, quam de imperii hominibus diverſi dictum eſt; ſunt enim hactenus utrique pares inter ſe; verum illi præterea civilibus ſuæ reipubl. legibus, de quibus hic non agimus, tenentur.

46. Inter ſummas poteſtates, eique ſubjectos, quà tales, hoc eſt, quatenus ſubjecti ſe tales eſſe fatentur, non poteſt habere locum præſcriptio in ejusmodi rebus, quæ ad impe-

n. 41. *a*) ſe poſſent) *Imo etiamſi adſint monumenta literarum, tamen ea non obſtabunt præſcribenti, cum ex illis probari ſaltem poſſit dominium olim adfuiſſe. At vindicans rem ſuam debet etiam probare dominium præſens, quod iſtis literarum monumentis haud probatur, ubi reus tutus eſt præſumpta derelictione, ſed hæc valent ſaltem in quæſtione de præſcriptione dominii. Alia ratio eſt in præſcriptione debiti, ubi ceſſat derelictionis præſumtio, ſi actor teneat inſtrumenta debiti, unde hoc caſu ceſſare omnem præſcriptionem (jure Gentium) etiamſi debiti ſolutio per aliquot ſecula non fuerit petita, latius oſtenſum fuit peculiari diſputatione* de perpetuitate actionum perſonal.

n. 42. *b*) initium juſtum) *Benè. Verum poteſt bona fides facilè abeſſe, ubi adeſt titulus juſtus. Sed quæſtio tangit doctrinam juris canonici, non juriſprudentiam univerſalem.*

imperii ſummi naturam pertinent: quia cum illâ profeſſione non convenit animus ſibi habendi, quem in omni acquiſitione, adeoque & in præſcriptione neceſſarium eſſe, diximus antea, quo pertinet lex 6. *C de Præſcr. 30. vel 40. annor.*

47. Aliud eſſe juris in rebus ſeparationem à ſummo imperio recipientibus, cum in his animus ſibi habendi cum ſubjectione concurrere poſſit, *c*) ratio docet & Grotius *in d. lib. 2. c. 4. n. 13.*

48. Poſſe etiam cives & ſubjectos imperio alicujus, induere animum & præ ſe ferre voluntatem, eximendi ſe imperio, & vel ſeparatum conſtituendi dominium, vel imperii partem in unione reipubl. occupandi, ac ita jure præſcriptionis ſummæ poteſtati ſeſe eximendi *in lib. 1.* cum de præſcriptione jurium majeſtatis actum eſt, demonſtravimus.

49. Sic igitur uſucapio & præſcriptio dominium & jus plenum interpretationi juris transferunt. Idem faciunt ultimæ voluntates *d*) tam de ſingulis rebus quam de univerſitate, quæ eſt hereditas.

50. Singulæ res per legata & fideicommiſſa transferuntur, quibus etiam jure civili dominium & jus plenum ſine actu corporali acquiritur; convenienter juri gentium, quod ut in actibus inter vivos non requirit ex ratione neceſſaria traditionem, ut modo intelleximus, ita in morientium donationibus, quæ naturaliter actum donantis corporalem non recipiunt, eam multo minus admittent.

51. In hereditatibus teſtamentariis eadem eſt ratio; in iis autem quæ ſine teſtamento proximis cognatis interpretatione juris acquiruntur, actus acquirendi corporalis primo auditu excluditur. Poſſeſſionis enim, quæ à corpore initium habet, ratio à domino ſeparata eſt.

52. Omnes autem iſtæ acquiſitiones, etſi plenum jus ante declarationem acquirentis tribuunt, *e*) quominus tamen repudiari poſſint, nihil obſtat; quod voluntate ſemel declaratâ; in aliorum præjudicium retractari non poteſt, quo pertinet aditio hereditatis & pro herede geſtio quam vocant.

53. Unde, eventu inſpecto, iſti modi dominium rerum hereditariarum apud juriſconſultos, demum præſtare dicuntur; Etſi quominus ſola juris vi & ex voluntate defunctorum, dominium æquè per univerſitatem, atque per ſingulares actus, ut de legatis iidem juris auctores tradunt, in heredem tranſeat, idonea ratio nulla ſit. *f*)

54. Diſcrimen etiam, quod inter liberos in poteſtate patria conſtitutos, quos excellenter *ſuos* heredes iidem auctores vocant, ut illi ipſo jure demum acquirant hereditatem, hi non aliter qvam facto aditionis aut pro herede gerendi, hoc juris poſitivi, non naturalis aut gentium eſt; niſi quod Romanum jus à multis gentibus hodiernis adſcitum & quaſi commune factum eſt.

55. Unde

---

n.47. *c*) concurrere poſſit) *Sed & hoc negabimus per rationes ſupra expoſitas* p. 111. lit. i. *Confer notata* ad cap. præced. lit. m. & n.

n.49. *d*) voluntates] *Et hoc negamus. Rationem dicemus infra ſuo loco* ad ſect. 5 c. 6.

n.52. *e*) tribuunt) *Quomodo vero tribuere poſſint, cum ſucceſſiones omnes ſint modi acquirendi derivativi. At vero ad derivationem & translationem dominii non requiritur ſaltem voluntas transferentis, ſed voluntas etiam acquirentis. Neque enim invito obtruditur dominium. Unde confundit hic autor, declarationem acquirendi juris hereditarii, cum acquiſitione corporali poſſeſſionis rerum hereditariarum, & à negatione hujus* (in n. præced.) *parum commodè infert ad negationem illius* (hoc n.)

n.53. *f*) nulla ſit) *Unde perſpicuum eſt, quod parum ſolidè hic contradicat Autor JCtis Romanis ad acquiſitionem hereditatis ejus aditionem aut pro herede geſtionem requirentibus.*

55. Unde, quemadmodum ſui heredes etiam ignorantes hereditarium jus iterum in ſucceſſores ſuos tranſmittunt, etſi hereditatem adierint, vel bonis ſe miſcuerint, ita cum jus perfectum in omnes heredes tranſeat, eosdem habere jus illud tranſmisſionis immediatæ ſtatuendum eſt. *g*]

56. Unde apud eas gentes ubi jus Romanum pro domeſtico adoptatum eſt, heic tamen naturalis ratio tacitè invaluiſſe videtur, ut non modo liberi omnes, etſi patriâ poteſtate non comprehenſi, ſed omnes etiam infantes & mente capti hereditates ſibi delatas ad heredes ſuos, mortui, tranſmittant; imò parum abeſt, quin mera ſubtilitas & iniqvus rigor habeatur, heredes eorum, qui juris ſibi delati ignorantes erant, à ſucceſſione excludere, ſenſimque ad ſimplicitatem juris naturalis, mores gentium deflexerunt.

57. Etiam hac in re, quod decantatam juris civilis doctrinam, qua nemo teſtatus ſimul & inteſtatus mori poſſe dicitur, unanimi fere conſenſu repudiarunt, utcunque Romani juris conditores, *earum rerum naturaliter eſſe pugnam* ſtatuunt, *teſtatus & inteſtatus L. 7. ff. de Reg. Jur.* quod, profecto non de jure naturæ vel gentium, ſed ex hypotheſi juris civilis accipiendum, ea quæ contraria ſunt, etſi jure poſitivo, non poſſe pariter conſiſtere *naturaliter.*

58. Quod attinet alioqui ad jus ſucceſſionis ab inteſtato, ſicut hoc à Romanis ordinatum eſt, ita nihil ad ordinem rationemque juris naturæ propius accedere videtur, ut fluctuationes populorum, qui alias rationes ſequuntur, indicant luculenter, *b*] ejusque rei illuſtre ſpecimen Hollandia præbet, quæ ſingulis fere civitatibus & territoriis diverſum hac parte jus ſervat, tanta omnes cum micatione varietatis, ut memoriam fallat & captionibus occaſionem præſtet: qua de re videatur Grotius *Introduct. lib. 2. 28. part.*

59. Atque his fere modis, jure gentium acqviritur dominium, cujus vim conſiſtere diximus in adminiſtratione & alienatione, niſi quibus alterutra juſtas ob cauſas prohibita fuerit; quo pertinent omnes, qui ſub tutela curaque ſunt; de quibus hic agendi locus non eſt, etſi cauſa prohibitionum illarum ſine dubio ſit ex jure naturali & gentium, ut qui rebus ipſi præeſſe nequeunt, aliorum auctoritate regantur.

60. Quibus adminiſtratio interdicitur, his æquè alienationem prohiberi conſentaneum eſt: Sed hac parte plures ſunt cauſæ, in favorem perſonarum maxime, quomodo pupillorum & minorum utilitas fere ubique gentium res eorum, quæ à tutoribus & curatoribus libere adminiſtrantur, immobiles quidem, ſine cauſa necesſitatis ac decreto magiſtratus alienari nequeunt. Nam de mobilibus, quæ ſervando ſervari poſſunt, etſi jus Romanum idem ſtatuerit in *L. 22. C. de Adminiſtr. Tut.* uſu tamen Gentium nec ſine ratione, ſecus obſervatur,

61. Quibus respublicæ & univerſitates non immerito comparantur; Reſpublicæ, inquam, liberæ & municipales: De prioribus apud omnes populos receptum eſt, ne qui rempubl. regunt, omniaque libere adminiſtrant, è poteſtate ſibi à populo ſuo delatâ, res tamen & bona reipubl. alienare posſint. *Domania* vulgò appellantur, quod in regnis quidem apud omnes juris publici ſcriptores indubitatum eſt.

Ooo 3 62. Nam

n.55. *g*) ſtatuendum eſt) *Igitur cadit etiam hac illatio Autoris.*

n.58. *b*) luculenter) *Hæ vero fluctuationes citius probabunt, ſucceſſiones ab inteſtato magis pertinere ad jus civile, (unde etiam vocantur legitimæ) quam ad jus naturæ vel gentium. Et ſanè notum eſt, quantum in hâc doctrinâ fluctuaverit ipſum jus Romanum, imo ipſe Juſtinianus. Plura ea de re dicemus infrà* ad ſect. 6. c. 7.

62. Nam de popularibus imperiis nulla ratio prohibendi alienationem ſubeſt, quia populus & reſpubl. non ſunt diſtinctæ conſiderationis. At principes in voluntariis imperiis (ſecus in patrimonialibus, *i*) ubi nulla prohibitio intellectum habet) tantum uſufructu, cum reipubl. ipſius adminiſtrandæ, tum bonorum quoque publicorum gaudent; cujus juri contrariam eſſe alienandi poteſtatem res ipſa loquitur.

63. Sed an optimates in Ariſtocratia jus alienandi bona reipubl. habeant, magis de jure, quam de facto dubitari poſſe videtur. Nam ubique optimates eam facultatem ſuo arbitratu exercere videmus. Nec enim Senatum Venetum, aut Ordines Hollandiæ, qui habent Ariſtocratiam, ſi quid dominiorum reipubl. alienare velint, populorum ſuorum adhibere conſenſum, palam eſt.

64. De jure tamen hæc obſtat ratio, quod imperium & adminiſtratio reipubl. non defertur illis alio modo vel jure, quam regibus ſimpliciter conſtitutis, neque plus aut minus valeant, qvam principes ſummâ & abſolutâ cum poteſtate creati, quibus cum hæc alienatio interdicta ſit, unde vel qvam ob rem optimates hac parte plus valeant, haud obvium nec facile dictu videtur.

65. Siquidem in populis, qui de regnis in Ariſtocratias redacti ſunt, occaſionem hujus juris inde natam ſcimus, qvod ſub regibus populi jus in ordinum conventu reſidebat, qvorum conſenſu, in alienandis reipubl. bonis ſufficiebat; unde remotis regibus, res in eorum voluntate ſubſiſtit.

66. Etſi revera tunc ejusmodi accidit mutatio, per qvam ſumma poteſtas, quæ in perſonâ regis aut principis fuerat, ad Proceres pervenit; niſi dicas regium jus cum univerſo jure populi in ordinibus ſive proceribus eſſe conſolidatum, eosqve jus populi, qvod prius habuerant una cum jure principatus, retinuiſſe: qvam populorum opinionem adeoqve tacitum eſſe conſenſum ſatis ex re ipsâ liqvere videtur. *k*)

67. In popularibus imperiis, ubi rectores à populis conſtituuntur & jus ultimum majeſtatis ab illis adhuc aliqvâ parte exercetur, non eſt dubitandum, qvin patrimonium populi ſine ejusdem conſenſu alienari non poſſit, non magis qvam in principatu.

68. Hæc ita de rebuspubl. liberis. Bona çivitatum aliarumqve univerſitatum, qvæ non male pupillis comparantur in Jure Romano, non poſſunt etiam à rectoribus eâdem libertate alienari, qvâ adminiſtrantur.

Sed

n.62. *i*) patrimonialibus) *Nos uti patrimonialia imperia ſupra expunximus, ita hâc limitatione non habemus opus. Porro nec opus eſt termino* voluntariorum *imperiorum, quia etiam oſtenſum eſt ſuprà, omnium imperiorum, etiam quæ violenta dicuntur, originem eſſe ex voluntate etſi ſubſecuta, & quaſi neceſſitata. Porro nec ratio à naturâ uſusfructus deſumta definitionem reddit perſpicuam, cum uſusfructus natura nonniſi ſub multis limitationibus quadret ad negotium præſens. Vide Autorem ipſum* ſuprà lib. 1. ſect. 3. cap. 2. n. 24. ſeq. p. 71. *Ergo ſimpliciter dicendum, principes in quibuscunque imperiis non habere poteſtatem alienandi ſubditos, quia natura imperii etiam abſolutiſſimi, quatenus à dominio diſtinguitur, non infert poteſtatem alienandi:* (*vide* notata ſuprà ad p. 70. in fine) *At bona ſubditorum poterit alienare ſed nonniſi ex ratione dominii eminentis.*

n.66. *k*) videtur) *Quæ de jure optimatum in Ariſtocratiâ hactenus ſatis fluctuanter diſputavit Autor, forte magis erunt perſpicua, ſi ita dicas in compendio. Etſi neque principes, neque optimates vi imperii etiam abſoluti habeant poteſtatem alienandi ſubditos, tamen utrobique non rara eſſe exempla ſubditorum alienatorum ſine voluntate & ſæpe invitorum. Sed tamen ejusmodi alienationes poſtea purgari ſubſequente ſubditorum voluntate ſive expreſſa, ſive tacitâ.*

Digitized by Google

Sed res eorum ſunt duorum generum. Vel enim ad jus regalium pertinent, vel patrimonialia ſunt. Prioris generis ſunt portus, flumina, viæ publicæ, muri quoque & portæ civitatum, quia jus muniendi & *armandiæ*, quam vocant feudales, ad regalia pertinent, cujusmodi res nullo modo poſſe alienari, nulla dubitatio eſt.

69. Quare nec ejusmodi res, ob univerſitatis debita, executioni ſubjectæ ſunt, nec ſi qua civitas bonis cedere velit, etiam portis & muris ſuis, nedum viis & portubus cedere debet; quemadmodum civitatem quandam in non ignobili Belgarum provincia conſultam à juris privati magis quam publici peritis, inſtituiſſe recordor.

70. Rectius alia civitas eodem incommodo æris alieni ſubacta, cum bonis cedere vellet, non modo portas & muros, ſed etiam fora & pontes, imo curiam excepit; nec enim hæ res videntur eſſe patrimoniales, ſed ad civitatem, quatenus liberæ membrum reipubl. conſtituit, ſpectant, cujusmodi rebus ſe absque ſummæ poteſtatis conſenſu exuere & ad membrum reipubl. exhibendum ineptam reddere non poteſt.

71. Sed bona patrimonialia, domus, agri, omniaque reditus ſtabiles civitati præbentia, ita demum alienari poſſunt, ſi conſentiant ipſæ univerſitates, ſive major pars non tàm rectorum, quam poſſeſſorum vel civium à quibus rectores conſtituuntur, vel qvibus Univerſitas eam poteſtatem nominatim dedit, ut convenienter juri gentium eſt in *L. ult. C. de vendit. rer. civit.* Qvod etiam de hypothecis ſive oppignorationibus, è quibus alienatio ſequi poteſt & debet, intelligendum eſſe, ratio vult & juris civilis ſanctio in *L. ult. C. de reb. alien. non alienand. Dix. in Prælect. ad Pandect. Quæ res pign. vel hypothec. dari non poſſ. n. 7. 8.*

CAP. VI.

DE JURE POSSESSIONIS ET RELIQVIS IMPERFECTIS JURIBUS IN RE SITIS.

Poſſesſio quid. n. 1-9. Et jus poſſesſionis quid ab eâ differat. n. 10-13. Cum diviſione poſſesſionis. n. 7. Quomodo hæc acquiratur, amittatur, in heredes an transmittatur. n. 14-27. Fideicommisſi origo, definitio, diviſio & uſus. n. 28-37. De natura ſervitutis, n. 38-45. uſusfructus n. 46. 47. & emphyteuſeos, n. 48-51. Ad feuda tranſitus. n. 52.

1. EGimus, ex modo inſtituti, de jure in re perfectè conſtituto, quod eſt *dominium*; ſequuntur imperfecta jura, de quibus non eſt libera poteſtas adminiſtrandi, alienandi & ad heredes tranſmittendi; cujusmodi ſunt *fideicommiſſa*, *pignora*, *ſervitutes*, *uſusfructus*, *emphyteuſis* & *ſimilia*.

2. Sed antequam illas ſpecies attingamus committi non debet, quin de poſſesſione, quæ ſimiliter eſt imperfectum jus, etſi in re non conſtitutum, poſt dominium, quatenus ad juris gentium & publici univerſalis rationem pertinet, (evidenter autem ad eam pertinet,) breviter agamus. Et quidem poſſesſionis definitionem facit difficilem varietas & ambiguitas vocabuli, cujus ſeptemplicem uſum apud juris auctores expoſuimus in *prælect. ad tit. ff. de acquir. poſſeſſ.*

3. Ex

3. Ex ratione juris univerſalis, dicendum videtur, poſſeſſionem eſſe, *detentionem rei corporalis, cum animo ſibi aut* alii rem habendi. Nam etſi coloni, commodatarii, creditores, & uſufructuarii, magis in poſſeſſione eſſe, quam poſſidere dicuntur; qui tamen res tenent, cum hoc effectu, ut illis ante finem juris, quod in rebus habent, eripi non posſint, nihil vetat illis adſcribere poſſeſſionem.

4 Hoc enim eſt jus poſſeſſionis, ad pacem generis humani maxime pertinens; ne cui res poſſeſſa, priusquam liqueat, alterum habere jus potius, eripiatur. Unde nihil decantatius, quam posſidentes ſe tueri commodo poſſeſſionis, & ſpoliatum ante omnia reſtituendum.

5. Jus autem potius, causâ cognita vel manifeſta, comparatis omnibus, dijudicandum, ut etiam colonus, commodatarius & cæteri nomine alieno in poſſeſſione commorantes habeant jus potius, non modo præ extraneis, ſed etiam præ dominis, res ſuas repetentibus, ante finem juris ad uſum aut detentionem illis concesſi.

6. Etſi enim coloni vel commodatarii contra dominos ſuos, jure civili, non habeant interdicta retinendæ poſſeſſionis, implorare tamen poſſunt officium judicis, ſi in uſu juris ſui, ante tempus & ſine juſtâ causâ ab illis turbentur. Creditores autem & uſufructuarii non carent etiam prorſus animo ſibi habendi, ad tempus vel in certum eventum, ſi debitum in cujus ſecuritatem pignus eſt datum, non ſolvatur: Imo dominus, furti reus eſt, illis auferendo poſſeſſionem, docente Juſtiniano in §. *unde conſtat. 1. de oblig. ex del.*

7. Secundum hæc, univerſalis & juris Gentium eſt *diviſio poſſeſſionis in naturalem & civilem*, ut illa ſit, quando quis tenet rem, cujus ſcit, ſe non eſſe dominum; civilis contra; Sed illa rurſus eſt vel *juſta* vel *injuſta*; Prior, ut creditoris, uſufructuarii, coloni & ſimilium. Injuſta, *furum* & *prædonum*.

8. Ergo tales etiam jure poſſeſſionis ita ut eſt, vitioſæ gaudebunt? Gaudent jure Romano *l. ult. d. acquir. poſſ.* ratione non propria *Quiritibus*, ſed omnium gentium communi, quæ vult, ne quis ſuum aliter quam per judicem repoſcat, ſine diſcrimine, quo jure poſſeſſor rem detineat, ad evitanda bella & pugnas, quæ ex privatis occupationibus & ademtionibus evitari non poſſent, quia poſſeſſori vim vi repellere licet.

9. Quid ſi vis major illata resque ablata ſit, in eo quod diximus, leges & mores omnium gentium conſpirant, *ſpoliatos ante omnia reſtituendos*, id eſt, antequam utrius ſit res in proprietate, diſcutiatur, poſſeſſori quod ablatum eſt, in eodem ſitu reſtituatur.

10. Ex his apparet, *jus poſſeſſionis* eſſe diverſum ab ipſa *poſſeſſione*. Nam hæc eſt detentio, ſive actus primus detinendi rem corporalem. Jus poſſeſſionis eſt, facultas illam detentionem conſervandi & eripere volentibus reſiſtendi: plane ſicut dominium diſcrepat à jure dominii, quod eſt, adminiſtrare, alienare, vindicare; & ſervitus à jure ſervitutis, quod eſt ire, agere, ac ita in cæteris.

11. Ne quis heic jus poſſeſſionis imaginetur, quod latius pateat, quam ipſa poſſeſſio; aut extet, ubi poſſeſſio non extat. Nec enim jus adipiſcendi aut recuperandi poſſeſſionem rectè jus poſſeſſionis ſimpliciter appellatur; non magis quam jus crediti, quo quis ad dominium conſequendum agere poteſt, jus dominii recte dixerit.

12. Proinde qui hoc agit, ut poſſeſſionem adipiſcatur, aut recuperet, illum non agere ex poſſeſſione, neque ex jure poſſeſſionis etſi de poſſeſſione agat, manifeſtum eſt. Agit ex æquitatis jure, quo contendit ſibi detentionem rei eſſe præſtandam vel reſtituendam.

13. Unde perſpicuum eſt, poſſeſſionem non eſſe ejusmodi jus, quo manum rei, ubicunque ſit, injicere poſſumus; quemadmodum jus in re conſtitutum, quod dicitur, antea

antea definitum eſt, in *cap. 5. n. 3.* ut alibi latius demonſtratum eſt in *prælect. ad tit. inſt. de interdict.*

14. Poſſeſſio igitur ut noſtra ſit, oportet rem actu detinere, ſaltem actu primo, inquam; nec enim, ut actu ſecundo & exercito rei ſemper incumbamus, aut nobiſcum ut teſtudines, circumferamus, humanarum rerum conditio fert.

15. Sed initium poſſeſſionis neceſſario debet eſſe ab actuali & corporali detentione, juncta cum animo ſibi habendi, ſi definitio *ſuprà* recte collocata eſt; nec enim detinere eſt animo ſolo concipere detentionem, ſed rem in manibus & in poteſtate habere, ac ideo quod jus Romanum tenet, poſſeſſionem *nonniſi animo & corpore ſimul acquiri l. 3. §. 1. ff. de acquir. poſſ.* ex ipſa rei natura petitum & juri naturæ conſentaneum eſt.

16. Quemadmodum æque rationi communi eſſe conveniens, ut animo ſolo *l*) per aliorum miniſterium retineamus poſſeſſionem, haud minus expeditum & jam dicti occupatum eſt.

17. Amiſſo poſſeſſionis quominus animo ſolo fiat, cum abſque animo ſibi habendi poſſeſſio non conſiſtat, nihil impedimento eſt, ut eodem jure Romano, convenienter juri gentium, obtinet *d. l. 3. §. 6.*

18. Quo pertinet *conſtitutum poſſeſſorium*, quando quis, rem tenens & retinens, eam alii ſe poſſidere profitetur, quo facto ille fit miniſter alienæ poſſeſſionis, eâque re nihil eſt hodie frequentius.

19. Unde etiam conſtat, infantes & furioſos, qui tali animo carent, per ſe, poſſeſſionem acquirere non poſſe, niſi aut tutorum aut curatorum ſuorum miniſterio *l. 1. §. 20. l. 32. §. 2. d. acquir. poſſ.* Nec aliam civitatum eſſe rationem, per ſuos adminiſtratores *d. l. 1. §. 23. & ſeqq.*

20. Quod ſi tales aut aliorum procuratores, officii ratione neglecta, diverſum induant animum, neque ſe dominis ſuis, verum ſibi aliiſve ſe acquirere profiteantur, inſtrumenti medio deficiente, non poteſt etiam dominis acquiri poſſeſſio *d. l. 1. §. 19. & 20.*

21. Nec aliud in amittendo, juris eſſe poteſt; ſi colonus, inquilinus, procurator aliuſve miniſter poſſeſſionis eam dereliquerit, aut in alium, etſi ignorante domino, tranſtulerit; cum hic poſſideat, alterum deſiiſſe poſſidere oportet. Idque nonniſi jure poſitivo ſeu lege mutari poteſt, quod noviſſime factum à Juſtiniano in *l. ult. C. de acquir. poſſ.*

22. Etſi quando miniſter rem modo dereliquit ab alio non occupatam, quominus eam primus adhuc animo poſſidere videatur, nihil obſtat: Sed ut prioris animus pro poſſeſſione habeatur, ubi alius actu poſſidet, id utique non habet facultatem. Ac ita res eſt, etſi juris civilis auctores nonnihil hac parte varient, de quo non eſt hic locus agendi.

23. Id vero præteriri non poteſt, utra poſitio juri gentium melius conveniat; quod *morte poſſeſſio extinguatur*, in heredem nullo modo tranſmittenda; vel *quod in heredem tranſeat* abſque novo actu occupationis. Prior eſt juris Romani; poſterior, hodiernarum gentium, ſaltem plurium ſententia & conſvetudo, juxta celebre dictum, ſermone Francorum paſſim cognitum, *Le mort ſaiſit le vif*, id eſt, *mortuus vivum mittit in poſſeſſionem.*

24. Sed hæc ſola phraſis ſatis indicat, illam miſſionem in poſſeſſionem viventis à mortuo factam, eſſe figmentum juris poſitivi, & cum morte, poſſidendi actum etiam primum extingui, novamque detentionem facto heredis inchoandam eſſe, jure naturali & gentium.

25. Alioqui poſſeſſio conſideratur ut jus abſtractum, habens conſiſtentiam ſine actu ſaltem primo detentionis, quod ejus naturæ & definitioni *ſuprà* collocatæ adverſatur.

26. Cæterum, illud jus & commodum

Ppp poſſeſ-

n. 16. *l*) animo ſolo) *Probavimus latius* ſuprà ad cap. 2. n. 43. lit. x.

poſſeſſionis, quo quis habet facultatem tutelæ publicæ, qua liceat ipſi rem detinere eâque frui, quamdiu alius eam jure non evicerit, in hac imperfectâ rerumpublicarum conſtitutione & tarditate ac ambagibus judiciorum, m) non immerito magni momenti habetur.

27. Cum autem detentio in facto conſiſtat, frequenter uſu venit, ut eâ de re, violentæ concertationes oriantur: ac ideo ad publicæ quietis rationem maximè pertinet, de controverſiis poſſeſſoriis, ne occaſio rixis & pugnis detur, imprimis expeditè jus dici, quod legibus populorum diligenter cautum eſt.

28. Non eſſe poſſeſſionem eam jus in re conſtitutum, antea diximus: Etſi, cum circa rem vertatur, in hoc capite omitti non potuit. Sed ex juribus ejus generis imperfectis primum hujus loci, occurrit *fideicommiſſum;* quod eſt, *onus rei impoſitum, quo is, cui per ultimam voluntatem, res primo relicta fuit, eam alii reſtituere debet.*

29. Romanis hæc ratio continuandi ultimas voluntates diu ignorata, ſerò in mentem venir, n] occaſione perſonarum incapacium, quibus lege prohibitis capere teſtamento, hereditates & legata, miniſterio alieno relinquebantur, rogando perſonas jure capaces, ut ſibi relicta, aliis reſtituerent.

30. Sed cùm brevi diſplicuiſſet hæc eluſio legum, vindicatis fiſco rebus ita relictis, manſit tamen uſus fideicommiſſorum, transformatus in modum ſubſtitutionis, ita ut poſt mortem primi heredis aut legatarii, res ad alios perveniret; quod olim in poteſtate teſtantium eſſe non credebatur, ſed hodiè perrupit in morem & jus gentium, o] abiitque in varias ſpecies.

31. Eſt enim fideicommiſſum univerſale vel ſingulare; Illud de totâ, vel de parte hereditatis, hoc de rebus ſingulis. Utrumque vel expreſſe vel tacite relinquitur. In expreſſo ſunt duæ inſtitutiones heredis aut legatarii, quorum ab uno res ad alterum devolvitur. In tacito prohibitio alienandi reſpectu certorum hominum aut certæ familiæ, à quibus alienatæ res vindicari poſſunt, adjicitur.

32. Conſequenter, fideicommiſſum eſt dividuum vel individuum, perpetuum vel temporarium; de quibus differentiis hæc obſervatio eſt *hujus loci.*

33. Cum fideicommiſſa ſint diſpoſitiones in longum, minor eſt humanæ vis prudentiæ, quam ut omnes caſus, è quibus dubia oriri poſſint, à teſtantibus proſpici poſſint. Unde nulla fertilior eſt controverſiarum ſeges, quam fideicommiſſarium inſtitutum, inprimis ſi dividua, maximeque ſi perpetua ſint.

34. Quæ res in cauſa fuit, ut in mores & jus gentium valide abierit, quod jure civili dubium habetur, *fideicommiſſa perpetua quarto gradu terminari:* quia merito ad rempubl. pertinere creditur, ut litigiorum fontes aliquando præcidantur.

35. Quin

n.26. m) judiciorum) *Sed hic uſus poſſeſſionis non reſpicit jus gentium, quia tarditas illa & ambages judiciorum non ſunt ex imperfectione communi rerumpublicarum, ſed ſpecialiſſimâ earum, quæ ſputa arcanorum papalium adorarunt pro rebus prudentiſſimis & ſapientiſſimis. Illam enim tarditatem proceſſuum ignorarunt & ignorant reliquæ gentes omnes. Uſus ergo poſſeſſionis jure gentium eſt quieta poteſtas, re utendi fruendi absque onere probationis, utpote quod incumbit alteri.*

n. 29 n) mentem venit) *Ergo, cum ipſa teſtamenta à gentibus reliquis fuerint ignorata, eo fortius patet, doctrinam fideicommiſſorum non pertinere ad juriſprudentiam univerſalem.*

n.31. o) jus Gentiuum) *Sed non aliarum iterum, niſi quos Papa ſub imperio ſuo pſeudoſpirituali habet, aut habuit. Quod jus ſi huc pertinet, ſanè totum jus Canonicum dicendum foret jus Gentium. Eadem notanda* ad n. 34.

35. Quin ſi perpetua & dividua in rebus ſingularibus, ut agris & domibus, condantur, fideicommiſſa, res eo ſæpe redigitur, ut domus collabantur, atque poſſeſſiones in ſummam redigantur incertitudinem; cujus exitus non niſi ſublato per reſcriptum principis onere fideicommiſſi, deinceps reperiri poſſit.

36. Unde non immerito dubitari poſſit, an rationi juris gentium, publicæque utilitati non eſſet convenientius, *p*) teſtandi libertatem intra primam poſt obitum diſponendi facultatem, quæ conſiſtat in jure inſtituendi heredes legandique, & in caſum, ſi primus heres non fiat, ſubſtituendi, coerceri, quam permitti patri, ut etiam intra pubertatem de bonis filii propriis & cuilibet teſtatori, ut de bonis ſuis in æternum ac in infinitum diſponere poſſit.

37. Prius quidem de ſubſtitutione pupillari quæ dicitur, ut moribus populi Romani arbitrariis introductum fuit, ita plerumque moribus hodiernis gentium abrogatum videmus. *q*) Poſterius in pleno viridis obſervantiæ vigore manet. *r*) Imprimis id, quod ad conſervationem, & ſplendorem familiarum pertinet, ut ſit facultas cuſtodiendi bona vel cuncta, vel notabilia quædam adverſus vim ſævientis fortunæ vel prodigentiæ ſucceſſorum, in uſum atque ſubſidium poſteritatis.

38. Hæc de fideicommiſſo collocata ſufficiant. De ſervitutibus rerum minus adhuc præſentia inſtituti in hunc locum congruit. Digitum intendiſſe ſat erit. Eſt ſervitus nihil aliud, quam *jus in re alienâ conſtitutum, quo dominus aliquid in noſtram utilitatem pati, vel non facere cogitur.*

39. Debetur autem nobis, ratione rei vel ratione perſonæ. Unde ſervitus eſt realis, vel perſonalis. Illa, quâ nobis ut poſſeſſoribus prædii ruſtici vel urbani competit aliquid juris in prædium vicinum; velut, eundi, agendi, vehendi, aquam ducendi, pecus ad aquam appellendi; nec non immittendi ſtillicidium vel flumen, prohibendique, ne altius tollat ædificium ſuum, ne luminibus noſtris officiat, & ſimilia.

40. Ex eo, quod talia nobis jure ſervitutis debentur, intelligimus, neminem ejusmodi jura in alienis rebus, ſine cauſa ſervitutis acquiſitæ, exercere poſſe; ne quidem innoxiæ, ſi quis hanc obtendat, utilitatis cauſâ; nec quidem ſi abſque incommodo ſuo re alienâ carere nequeat: opus eſt tamen conſenſu domini impetrato, cui id excuſare vel recuſare, quatenus alieno incommodo jus alterius non impeditur, licet:

41. Niſi magiſtratus publicæ utilitatis cauſâ, vel ne malitiis indulgeatur, partes ſuas interponat, quo minus agri cultura vel commercia impediantur; aut homines ſummo jure per injuriam vexentur.

42. Quo pertinet *s*) Petronæ Conſtantinopoli-

n.36. *p*) convenientius) *Ex noſtra doctrina quærendum, an non ſit convenientius juris Gentium rationi, totam teſtamenti factionem abolere? Quod putamus. Etſi non putemus eſſe conveniens rationi civili & politicæ ut indiſtincte & mox id fiat,*

n.37. *q*) videmus) *Potius non receptum.*

r) vigore manet) *Nec mirum, cum ea, quæ favent invidiæ, vindictæ, ambitioni & aliis affectibus humanis, qualia ſunt ultimæ voluntates in genere & multo magis fideicommiſſa, ſi ſemel moribus invaluerint, non ſoleant ita facile venire in deſuetudinem, præprimis ſi clerus ea ſub ſpecie pietatis commendet, ut clerus pontificius fecit intuitu fideicommiſſorum.*

n.42. *s*) pertinet) *Dic potius, factum hoc Theophili imperatoris Græci accenſendum eſſe exemplis ſingularis crudelitatis, quâ præ aliis imperatoribus præditus erat imperator iſte, ut ex Zonarâ, Cedreno & Curopalate ac novioribus ſcriptoribus hiſtoriæ univerſalis, qui inde excerpere ſua ſolent, conſtat. Qui jure ſuo utitur, inhumanus quidem eſſe poteſt, ſed extr-*

nopolitani exemplum, qui ſtructa domo magnificâ viduæ cujusdam lumina penitus obſcuraverat, quod ſane cum nullam ſervitutem vicinæ deberet, ſi modo vicinâ ſuperficie abſtineret, ei licebat, per *l. 8. C d. ſervitut. l. 9. & l. 14. ff. d. ſervit. urb.* Theophilus tamen imperator adeo tulit ægrè, quod per luxum pauperi viduæ inſultaſſe videretur, ut domum deſtrui, hominemque publice per vicos flagris cædi juſſerit, ut ex Manaſſe probavimus & illuſtravimus in *part. 1. lib. 4. digreſſ. cap. ult.*

43. Uſum ſervitutis conſiſtere in utilitate diximus, eaque vel rei vel perſonæ. Proinde ſervitus eſt realis aut perſonalis. Et in priori, quæ per excellentiam ſervitus dicitur, utilitas excedere non poteſt uſum prædii: nec valet, inſtituta commercii, aut etiam voluptatis causâ *l. 8. l. 19. de ſervit. l. 5. d. S R. in fin.*

44. Sed annon hæc eſt poſitivi juris ſubtilitas, cum in jure gentium nihil ſit, quod talia ex ipſis prædiis concedi prohibeat? Non eſt tamen ita, ſed ad ipſam rei naturam hæc à juris auctoribus ſatis preſſe exacta videntur. Perſonalis obligatio de quibuslibet rebus non turpibus contrahi poteſt, ſed jus in re, quod rem adficiat, eique inhæreat, nonniſi rei naturæ conveniens imponi poteſt, nec rei *t)* quicquam, niſi reale, deberi poteſt: non voluptuarium, non commerciale; nec quod ejusmodi eſt, inter rem & rem intercedere poteſt.

45. Eadem ratio dictat, naturam ſervitutis *in faciendo* conſiſtere non poſſe, ſiquidem faciendi qualitas in rem, in prædium nullo modo congruere poteſt: Ideoque & illud ad rei naturam expreſſum eſt, ſervitutis uſum in patiendo vel in non faciendo conſiſtere. Si quod faciendi jus rei imponatur, ad hoc perſona conſtituentis ejusque heredes obligantur; prædium ipſum non adficitur, ideoque adverſus tertium inde poſſeſſorem agi non poteſt, qua in re ſervitutis efficacia conſiſtit.

46. Ne quidem in ſervitute perſonali, quales ſunt uſusfructus, uſus & habitatio, faciendi qualitas uſu venire poteſt: Sed quia perſonæ debetur, & hæc voluptatis atque commercii capax eſt, nihil vetat, emolumentum uſusfructus ad voluptatem quoque & ad commercium adhiberi.

47. Eſt enim uſusfructus, percipiendi jus omnis emolumenti ex rebus alienis, cum vitâ finiendum, ſalva rerum ſubſtantia. Verum ſervitus uſus quæ dicitur, ut à Romani juris auctoribus eſt prodita, ſolam continet neceſſitatem, & à commercio uſuque voluptuario remotus eſt: quas ſervitutes ita quidem diſtingui nihil vetat, ex ratione juris gentium; Attamen vix eſt, ut eodem jure gentium poſitivo, diſcrimen illud receptum ſit; quia determinatio neceſſitatis illius, ab utilitate reliqua ſeparatæ, tam lubrica & intricata foret, ut parum abſit, quin uſu gentium ſervitus USUS ignoratus aut improbatus ſit: Exemplum certe nullum unquam cognovimus. *u*]

48. De

---

cendo jus ſuum nemini facit injuriam, nec vexat. Similì errore Doctores communiter commenti ſunt prohibitionem ædificationis in æmulationem alterius, quod peculiari diſſertatione à nobis fuit detectum & confutatum.

n. 44. *t)* nec rei) *benè tamen perſonæ per* n. 46. *unde textus* n. 43. *citati intelligendi ſaltem ſunt de ſervitute reali.*

n. 47. *u)* cognovimus) *Imo & intuitu uſusfructus monendum, ad ſubtilitates juris Romani peculiares de uſufructu, quæ à Doctoribus communiter notari ſolent, videri etiam pertinere, quod uſufructuarius nihil mutare poſſit in re uſufructuariâ. Nam apud alias gentes, certè apud Germanos res aliter ſe habet, ut de uſufructu Germancio jam alii & præcipuè Schilterus docuerunt.*

48. De uſusfructus natura participat emphyteuſis & feudum, Emphyteuſis enim, ſi jus conſtitutum, à conventione quâ conſtituitur, ſepares, ita finiri poteſt. *Jus quoddam utendi fruendi re immobili alieni, ſub lege penſionis annuæ* quam diu *illa ſolvitur*, *& res tota non interit.* Ita medium jus eſt, inter dominium, & uſum pro mercede, vel uſumfructum gratuitum.

49. Duplex uſus, propter quem hoc jus ſit introductum, eſſe videtur, Primus, ut agri inculti, quos domini ſolitis conditionibus locare non poterant, jure dominio proximo, & pro modica penſione, in perpetuum transferantur.

50. Alter uſus, ut, qui rebus ſuis ipſi commode supereſſe non poterant, alios quaſi in partem dominii, quod utile dictum eſt, admitterent, ut ratio mei & tui illos in re cuſtodienda faceret diligentiores: Qua cauſa principes & civitates hujusmodi agros vectigales ſive emphyteuticos frequenter exercere videmus.

51. Hæc ita levi manu attigiſſe ſufficit; De pignore, w) deque ſuperficie & jure cenſitico x) quod dicitur, ſimilibusque in re conſtitutis juribus, omnino ſuperſedebimus, quia nihil de illis à privati juris rationibus ſeparatum heic collocandum habemus.

52. Sed de *feudis*, quæ non procul ab emphyteuſi recedunt, hujus diſciplinæ ratio poſtulat, ut latius agamus; Cum enim uſus eorum omni Europa y] fere ſit univerſalis, exceptis Anglia & Friſiâ: tametſi apud nos haud penitus ignorentur; à jure publico univerſali, quod eſt præ manibus, omnino dividi non poſſunt. Ergo ſectionem de illis propriam operæ pretium erit, complecti. Agemus id & breviter & perſpicuè ut erit facultas.

n. 51. w) de pignore) *De pignore vero id notandum: naturam pignoris Romani in multis receſſiſſe à ſimplicitate juris gentium, & pignus Germanicum contrà plane convenire cum pignore juris Gentium. Scilicet jure Gentium pignoris natura in eo conſiſtit. Pignus eſt inventum in ſecuritatem creditoris, & eſt contractus acceſſorius, præprimis mutui. Securitas creditoris conſiſtit (1) in poſſeſſione pignoris, (2) ut pignus valeat ultrà quantitatem debitam, (3) ut æſtimatio pignoris fiat ſecundum tempus præſens, (4) & quanti vendi poſſit pretio communi, (5) ut pignus habeat pretium durabile; (6) in rebus ſterilibus ſufficit cuſtodia rei; (7) in non ſterilibus ulterius requiritur ut fructuum perceptio relinquatur creditori, idque adeò præſumitur, nec opus eſt pacto antichreſeos; imo creditor non eſt obligatus ad reddendas rationes. (8) Si certum tempus ad reluitionem eſt determinatum, finito illo res oppignorata in commiſſum cadit, atque adeò ea vendi poteſt à creditore ſine reſtitutione pretii ſuperantis: Pendente vero tempore etiam vendi poteſt jus creditoris in pignore. (9) At ſi tempus reluendi eſt indeterminatum; ſaltem jus pignoris à creditore vendi poteſt. Ex dictis vero ſequitur, quod jus creditoris in res non ſteriles oppignoratas ſit ſpecies dominii revocabilis, unde facilè judicari poteſt de periculo rei oppignoratæ & quid juris ſit poſt reluitionem circa impenſas in pignus à creditore factas. Quæ ſingula latè demonſtrata ſunt in* Diſſert. de uſu Practico accuratæ diſtinctionis inter emtionem cum pacto de retrovendendo & contractum pignoratitium cap. 2. prioribus §§ 19.

x) Cenſitico) *Quod jus Germanis uſitatum in multis convenit cum emphyteuſi Græcorum & Romanorum, in multis differt. Communiter, interpretes vel utraque jura confundunt, vel non accuratè ſecernunt, putantes apud Germanos differre* Zinß-Güther / *&* Erb-Zinß-Güther / *cum tamen ſint eadem.*

n. 52. y) Europa) *Sed de hâc aſſertione videndum ulterius. Deinde etſi feuda ſint in uni-*

SECTIO V.

De Feudis. z)

CAP. I.
DE FEUDI DEFINITIONE, ET DIVISIONIBUS,

Definitio, n.1. etymologia n.2. & origo feudi. n.3.4. Diviſio in maſculinum & femininum. n.5.6. Novum & antiquum. n. 7. Nobile & ignobile. n. 8. Eccleſiaſticum vel ſeculare. n. 9. Corporale aut incorporale. n. 10. 11. Ligium vel non ligium. n. 12. Hereditarium, vel ex pacto & providentia. n. 13. Temporale vel perpetuum. n.14. Dividuum vel individuum, n.15. denique proprium vel improprium. n. 16.

1. DEfinitio feudi ſit hujusmodi, *jus quoddam utendi fruendi re immobili, ex beneficio domini, ſub lege fidei conſtitutum:* Uſusfructus vocatur in *lib. 2. F. t. 32. ſub f.* Sed improprie, ac ideo dicitur jus *quoddam* utendi fruendi, quia differt à ſimplici uſufructu: *a*) per legem fidei, & quod ad poſteros tranſmittitur.

2. Nomen Feudi eſt à fide, longobardicè *fede 2. F. 3. in f.* vel à Germanico *Feida*, quod bellum ſignificat, etiam Longobardis, qui fuere Germani. Feuda enim à belli uſu originem habent κτήματα στρατιωτικά, *prædia militaria* vocantur hujusmodi poſſeſſiones, apud Harmenopulum *1. epitom. 16.*

3. Victores enim antiqui agros & prædia jure

---

verſa ferè Europa uſitata, neque tamen negotium gentibus Europæis proprium & negotium commune gentium. Adde, quod etſi feuda eſſent gentibus communia, tamen non omne jus circa talia negotia commune eſt. Et ſanè autor jura Feudorum non ex jure Gentium explicat, ſed ex jure Longobardico.

z) De Feudis) *De Feudis uti Autor ob dicta non agere poterat ex principiis juris Gentium; ita tamen agere poterat ex antiquitatibus Germanicis, aut juris feudalis Germanici principiis. Sed maluit Autor ſequi communem viam JCtorum, negligentium antiquitates patrias, & inſudantium juri Longobardico, peregrino, & rivulo juris feudalis Germanici. Nos ergo, cum jus Longobardicum nil pertineat ad jus univerſale civitatis, parum hic admonebimus. Primum & antiquiſſimum ſyntagma juris feudalis Germanici, poſt mentionem & excerpta quadam à Frehero facta diu hactenus ab eruditis deſideratum, eodem tempore cum his notis, publici juris facimus, unde propinquiora fundamenta juris feudalis Germanici peti poſſunt, quam ex jure Longobardico. Interim juvabit forte diſcentes juris Longobardici, quod adhuc ubique in cathedris Academicis exponitur, brevem ſynopſin vel prægustare vel repetere.*

n. 1. a) Uſufructu) *Ab uſufructu Romano potiſſimum differt, quod vaſallus ſit dominus feudi. Sed ab uſufructu Germanico, quem ſuprà diximus involvere etiam dominium u-*

jure belli publicata, ſuis ducibus & militibus in præmium adſignabant, ut inde ſe ſuosque in armis exhiberent, evocatiqve dominis ſuis præſto eſſent, ad quam originem potius quam ad univerſam feudorum naturam pertinet Hotomanni definitio feudi; quod ſit, clientela militatis, eâ lege contracta, ut cliens pro beneficio accepto, militarem operam præbeat, viciſſimque patronus ſuam illi fidem & benevolentiam præſtet *diſſ. feud. c. 4.*

4. Hoc autem inſtitutum vetuſtiſſimi omnium gentium *b*) uſus, à Germanis, cum pleraſque Europæ ditiones occuparent, præ cæteris, & à *Longobardis c*) maximè in Italia ſtabilitum, ibique in diſciplinam celebrem redactum eſt, auctoribus imprimis Gerardo Nigro & Oberto de Orto, juriſconſultis & conſulibus Mediolanenſibus.

5. Sed uſus feudorum, deinceps, ut fit in rebus humanis, admodum auctus & mira varietate indutus eſt; Unde variæ ſpecies, quæ diſtingui poſſunt in ſummâ, quod vel ſint ab origine deſumptæ, vel à materiâ, vel à forma, vel à quibusdam aliis qualitatibus.

6. Ab origine ſunt tres diviſiones. I. Feudum eſt maſculinum, vel femininum, prout à mare vel à femina primo eſt acquiſitum etſi aliis fœmineum eſt, in quo feminæ quoque ſuccednnt; *c. un. pr. 2. feud. 30.* Et quidem in dubio præſumitur eſſe maſculinum, pro natura fidei & ſervitiorum.

7. II. Feudum eſt novum & antiquum. Novum eſt, cujus cauſam acquirens non habet ab alio, ſed immediate à domino & à ſe ipſo. Antiquum, cujus cauſam quis non habet à ſe ipſo, ſed ab alio, qui primus feudum acquiſivit *c. un. novam inveſt. 2. f. 32.* hoc etiam paternum dicitur. In dubio, poſſidente vaſallo, præſumitur antiquum.

8. III. Feudum eſt vel nobile vel ignobile. Prius nobilitate excellit, quod in dubio præſumitur *2 feud. 10.* Ignobile contra intelligitur. Nobile rurſus aut regale, vel non regale vocatur; Illud quod ſummi principis auctoritate conceſſum eſt, cum dignitate regali, voce latius acceptâ, ut non modo regnum ſed etiam electoratus, ducatus, principatus, marchionatus, comitatus & baronatus intelligatur. Denique, omnes qui capitanei dicuntur, regale feudum habere cenſentur *2. f. 34. in pr.* Non regale quid ſit, è contrario intelligitur; & hoc qui habent, valvaſores ſimpliciter vocantur. *d. c. 34. in pr.* Etſi valvaſorum quoque generalis appellatio eſt *1. f. 1. in pr.*

9. Ratione *materiæ* ſunt duæ diviſiones ſummæ: I. Feudum, eſt vel eccleſiaſticum vel ſeculare. Eccleſiaſticum variè ſumitur, à perſonis conſtituentibus *1. f. 1. in pr.* Ab his, quibus conceditur *2. f. 40.* maxime à rebus, in quibus feudum conſtituitur, ſi res eccleſiæ ſint *2. f. 35.* plerumque autem illi reſpectus concurrunt. *dd. ll.*

10. II. Feudum eſt rei corporalis aut incorpo-

tile, feudum differt tanquam ſpecies à genere, quod non intelligentes commentatores Juris Longobardici, putarunt vocem quidam *in definitione feudi denotare improprietatem. Neque improprietatis indicium eſt, quod feudum fiat* per legem fidei. *Nam neque hoc repugnat eſſentiæ uſusfructus ſive Romani, ſive Germanici. Quod vero feuda hodiè ad poſteros transmittantur, olim non erat receptum.* vid. n. 14. *Ergo Feudiſta in definitione reſpexit naturam feudorum primorum.*

n. 4. *b*) omnium gentium] *Hoc ſaltem cum in finem dictum ab Autore, ut methodum ſalvaret.*

c) Longobardis) *Ita communiter ſtatuunt interpretes. Sed absque fundamento. Nam feuda Longobardica demum imperio Francico debent originem, ut latius oſtendi* in ſelectis capitibus hiſtoriæ juris Feudalis.

Digitized by Google

corporalis, quæ pro immobili habetur; ne à definitione abludat hæc diviſio. Exprimitur etiam his terminis, *d) in curte vel extra curtem*. In *curte* dicuntur feuda jurium rebus cohærentium, quæ res manent ipſæ in *curte*, ſive palatio concedentis. Extra curtem, ſunt feuda prædiorum, quæ extra domum concedentis, poſſeſſione transferuntur in alienas manus 2. *f.* 51. *in pr.*

11. Feudum in curte dicitur, de *camerâ* vel de *cavenâ*. 2. *feud.* 2. §. 1. Illud eſt ſtipendium vaſallo à domino conceſſum, è camera, id eſt, ærario ſuo; vocatur etiam ſoldatæ, à præſtatione ſolidorum 2. *f.* 10. *in f.* Hoc vero, præſtatio victus è cavenâ, id eſt, è cella domini. Cujac. *ad d. c.* 2. §. 1. Utrumq; mere gratuitum eſſe poteſt, ſub lege fidei, ſine ullo onere. Utrumq; morte dantis & accipientis finitur *d. c.* 10. *in f.* Sed feudum habitationis morte ſolius accipientis finitur 2. *f.* 105. Verum hæ ſpecies à naturâ feudi ordinaria ſatis notabiliter, ut appatet, diſcrepant.

12. Ratione *formæ*, feudum eſt vel ligium, vel non ligium. Feudum ligium eſt, pro quo vaſallus domino fidelitatem debet, adverſus omnes, Deo & Imperatore exceptis 4. *Feud.* 99. à ligando dictum. Exceptio imperatoris eſt in *l.* 2. *F.* 1. 55. *inf.* Etiam pontificis Romani 2. *F.* 101. Inde ſequitur, vaſallum ligium habere non poſſe, niſi imperatorem vel regem aut principem, qui nullum habet ſuperiorem. Item duobus neminem ligio feudo teneri poſſe 2. *F.* 52. §. 2. & *c.* 99. ubi tamen id ipſum, per facultatem ſubſtituti, reſpectu alterius, datam, videtur, eludi. Quid ſit, non ligium feudum, ex oppoſitione colligi poteſt.

13. Celebris eſt diviſio feudi in *hereditarium*, & *ex pacto* & *providentia*. Hereditarium vocant, in quo tranſmiſſionis ad heredes fit mentio, quam ex diſpoſitione juris communis procedere volunt. Ex pacto & providentiâ dicitur, in quo filiorum & ſanguinis mentio fit tantum, ubi ſucceſſio vadit ex diſpoſitione juris feudalis. Sed verius eſt, hanc diviſionem eo ſenſu non eſſe accuratam, ſed mentionem heredum in conſtitutione feudi, pro materia ſubjecta eſſe intelligendam. Et cum regulariter adſcendentes feminæ, cognati, adoptivi, naturales à ſucceſſione feudi excludantur, ut *infra* videbimus; heredum vox eo modo, quem rei natura fert, capienda videtur, pro filio ſive maſculo, quod & probatur, 1. *F.* 13. *verſ. etſi clientulus.* 2. *F.* 34. §. *ſimiliter v. ut, ſi habeat* 1 *F.* 1. §. *cum vero.* 2. *F.* 18. & 26. §. *fin.* Plane, quominus pactis ſpecialibus ſucceſſio feudi ad juris communis regulam diſponatur, nihil impedimenti eſt, ſed eo quem diximus, ſenſu, diviſio non videtur habere facultatem.

14. Ex aliis qualitatibus, feudum dividitur. I. In temporale & perpetuum. Temporalia primitus erant omnia feuda, ſemper ad lubitum domini, inſtar precarii; dein ad annum firma fuere, poſtea ad vitam, denique ad filios, poſtremo ad omnes poſteros mares continuata ſunt 1 *F.* 1. §. 1. Et ſic hodie feuda pleraque ſunt perpetua, exceptis, quæ *in curte* diximus, & quæ ſpecialiter ad tempus, vel ad beneplacitum conceſſa fuerint.

15. II. Feudum eſt dividuum vel individuum. Et quidem dividua ſunt pleraque, inter eos, qui ad ſucceſſionem vocantur. Sed regalia ſunt individua 2. *F.* 55. §. *firmiter verſ. præterea*, quod conſuetudinibus dein ad regale proprie dictum *dd*) fuit reſtrictum; reliquis principatibus in Germania & Italiâ dividi

n. 10. *d*) his terminis) *Non certè in jure Feudali. Etſi quidam interpretes ita exponant. Communior tamen & magis veroſimilis opinio eſt, has duas diſtinctiones eſſe plane diſtinctas, ita ut Curtis hic denotet jurisdictionem domini. Vid. Buſchium* ad Feud. l. 5. 1. & in indice voce Curtis.

n. 15. *dd*) propriè dictum] *Forte dicere voluit: ad Electorale, ut ex uſu Germaniæ conſtat, & ex oppoſitione patet.*

dividi ſoliſsis; quod tamen noviſsime pleriſque familiis illuſtribus merito diſplicuit. Alicubi, ut in Hollandia, feuda generaliter Individua ſunt, Neoſtad. *obſ. feud. 8. 9.* Grot. *2. Introd. 41. n. 3.* ubi & diſtinctio feudi in bonum & malum. Hoc appellant, in quo ſoli mares primogeniti deſcendentes admittuntur, abſque jure repræſentationis. Feudum bonum vocant, quod non redit ad dominum, quamdiu ullus è cognatis ſupereſt, ut Grotius *ibidem*.

16. III. Feudum aliud eſt proprium, aliud improprium. Illud, quod ad communem feudorum naturam eſt conformatum, quod & rectum à multis vocatur; licet alii rectum dici putent, à causâ, quaſi legitimum, & bona fide juſtoque titulo quæſitum. Improprii variæ ſunt ſpecies. Supra habuimus, feudum è camera & è cavena, atque habitationis. Huc etiam pertinet feudum guardiæ & gaſtaldiæ *1. F. 2.* Prius eſt cuſtodia prædii pro mercede. Alterum, procuratio prædii, æque pro mercede. Utrumque poſt annum auferri poteſt *d. cap. 2.* ibique *Cujac.* Eſt etiam feudum advocatiæ, cujus mentio *fit. 2. F. 27. §. 5.* Utrum vero ſit pecuniarium, an prædiale non exprimitur; cauſam deſignante vocabulo, quod defenſionis & patrocinii gratiâ concedatur.

CAP. II.
DE CONSTITUTIONE FEUDI.

A quibus Feudum conſtitui, n. 1. à quibus acquiri poſsit. n. 2. 3. Quæ in feudum dari queant, n. 4. 5. 6. & quid illis cohæreat, ubi de jurisdictione. n. 7. 8. Cauſas conſtituendi eſſe pactiones & ſtipulationes, etiam poſſe ultimas voluntates. n. 9. Modum acquirendi eſſe inveſtituram, quæ exponitur, n. 10. 11. & Præſcriptionem. n. 12. 13. 14. De juramento fidelitatis n. 15. & de Servitiis. n. 16. 17. 18.

1. IN conſtitutione feudorum agendum eſt de perſonis, de rebus & de modis. De perſonis, tam conſtituentium, quam his quibus feudum conceditur, videndum. Conſtituere poſſunt feudum novum, omnes qui non prohibentur, & rerum ſuarum adminiſtrationem habent, etiam feminæ, *2. feud. 3.* plerumque ita, ut conſtituentes beneficium tribuant vaſallis; Sed deinceps invaluit, ut multi ſua prædia principibus deferrent, à quibus eadem rurſus in feudum acciperent, varias ob cauſas, de quibus ad Hollandiam quod attinet; Grot. 2. *Introd. 41. n. 13. 14.* Prohibentur igitur, qui alienare non poſſunt; ſive dominio careant, ut tutores, curatores & procuratores, multo magis, qui nihil juris in ſe habent; ſive pupilli & minores & quicunque ſub curatoribus agunt.

2. Accipere feudum novum poſſunt omnes *d. c. 3.* etiam qui dare prohibentur, ut infantes & furioſi per ſuos tutores & curatores, etiam filii-familiarum; ſed hoc ex ratione juris civilis, ita, ut uſumfructum patri ſuo, jure patriæ poteſtatis, acquirant, *l. ult. C. de uſuf.* Feudum eidem quoque, dum in poteſtate ſunt acquirere videntur, cum nihil jure feudali contra ſtatutum reperiatur. Infames etiam, recte donantur feudo, niſi dignitatem habeat conjunctam, per *l. 2. C. de dignit.* Neque non clerici, modo ſervitia non imponantur feudo, quæ ab illis præſtari nequeant, aut officia illorum impediant. *d. c. 3.*

3. Quin etiam ſuperiores ab inferioribus feudum accipere poſſunt, iiſque fidem & ſervitia debere, ſaltem per ſubſtitutum; adeò ut imperator ipſe eâ lege teneatur *2. F. 100.* Quemadmodum plures alii reges & principes, vaſalli ſunt aliorum, ut ex hiſtoria conſtat. Quod autem imperator Romanus pontifici fidelitatem in *d. c. 100.* poſt Deum, ut habetur *ibi*, debere dicitur, id de ſpiritualibus, ut vicario Chriſti, qualis *ἔνοχος ἐστι*, pro ſuperſtitione temporum, eſt intelligendum.

4. Res in quibus feudum conſtituitur, ſunt, corporales & immobiles, iiſve cohærentes vel æquipollentes, ut ſunt jura, ſoli rebus adnexa *2. feud. 1. §. ult.* Huc igitur pertinent, fundi, ædificia, ſylvæ, horti, metalli aliæque fodinæ; caſtra quoque, pagi, urbes, territoria, provinciæ cum titulis dignitatum. Mobilia ſcilicet, niſi rebus immobilibus cohæreant, vel iis accedant, in feudum dari non poſſe, niſi admodum improprie, inde jam ſatis liquet.

5. Si quæratur de rebus concedenti cum aliis communibus, de rebus alienis, accipientis propriis & generaliter omnibus, quarum alienatio lege vel teſtamento, vel denique pactione prævia prohibita eſt, eas nec in feudum dari poſſe, cum hæc etiam ſpecies alienationis ſit, omnino ſtatuendum eſt, *2. F. 3. junctâ l. ult. C. de reb. alien. non alienand.* Neque tamen refragamur iis, qui pari ſenſu & iiſdem caſibus, quibus illæ res jure civili poſſunt vendi, etiam in feudum dari poſſe videantur, quod è juris civilis rationibus petendum heic loci explicari non poteſt.

6. Proinde res alienæ, jure quidem in feudum dari non poſſunt *1. feud. 9.* & *2. f. 35.* Niſi conſentiente poſſeſſore, & ejus ſucceſſoribus. In futurum autem, aut in caſum, ſi præſens poſſeſſor ſine herede feudi capace decedat, ſine præjudicio ipſius, dum vivat, ejus feudum à domino in alium conferri poſſe videtur. *1. f. 27. §. 1.* quod tamen in feudis eccleſiaſticis non procedit, *1. f. 3. & 9. item 2. f. 25. §. 1. & 35.*

7. Accedunt autem rei in feudum conceſſæ non ſolum quæcunqve nominatim expreſſa ſunt, verum & alia, quæ rei conceſſæ neceſſario cohærent. Quâ parte quæſitum eſt, *e*) an caſtro, vel pago cum juriſdictione conceſſo, imperium quoque vaſallo conceſſum intelligatur, quod de imperio minore ſive mixto, non habet dubium, cum ſine eo nulla ſit juriſdictio *l. ult. ff. d. off. ej. cui. mand. eſt juriſd.* De majore ſive mero imperio ſecus eſt, cum, quia hoc non eſt juriſdictio, ex uſu juris communis, *l. 3. ff. d. juriſd.* tum quod nulli quam cui ſpecialiter nominatimque datum eſt, competit *l. 1. ff. d. off. ej. cui. mand.*

8. Quid ſi adjectum ſit, *cum omnimoda juriſdictione?* Ex ratione juris civilis adhuc idem dicendum *l. 16. & 37. de juriſd.* Sed cum in uſu fori prævaluerit hæc ſententia, duas eſſe juriſdictionis ſpecies, civilem & criminalem, vox *omnimoda* non poteſt habere vim ſuam, niſi utraque ſpecies, quam in forenſi tritura ſub eâ comprehendunt, adeoque & merum imperium intelligatur. Quod ſi feudum vetus vel caſtrum, habens jam pridem merum imperium, alicui detur in feudum, in hunc, caſtrum, ſicut eſt, adeoque merum etiam imperium tranſire, non videtur dubitandum.

9. Por-

n. 7. *e*) quæſitum eſt) *Definitionem ipſam probo. Sed rationem ex jure civili deſumtam improbo. Germani enim ignorarunt litigia JCtorum Romanorum de ſignificatu juriſdictionis & imperii. Ergo ſic dicendum. Antiquitus apud Germanos vox* Gerichte *denotabat ſolam juriſdictionem inferiorem. Juriſdictio ſuperior denotabatur per vocem* Bluthann, Confer diſſert. de Juriſdictionis & magiſtr. differentiâ ſecundum principia juris Germanici.

9. Porro modus feudi primum conſtituendi differt à cauſis, eodem fere ſenſu, quem in dominio acquirendo interpretes juris communis obſervant; ut cauſæ ſint *tituli*, quibus feudi jus acquirendi fundatur; Modus ſit cauſa proxima, per quam feudum in actu & in *eſſe*, quod agunt, conſtituitur. Cauſæ igitur ſunt pactiones & ſtipulationes aliique tractatus, qvibus aliquis ad feudum alteri concedendum obligatur. Quominus etiam in ultima voluntate quis heredi ſuo injungat, ut feudum alteri concedat, ut de uſufructu, ſervitute, emphyteuſi aliisque juribus fieri conſtat, nihil obſtare poteſt.

10. Modus, ſive cauſa proxima vocatur *inveſtitura*, quæ nibil eſt aliud, quam ſolennis *feudi ceſsio*, ut optime Cujacius, aliquanto melius, opinor, quam ut alii, contractus, quo id agitur, ut feudum ſit. Obertus de Orto poſſeſſionem proprie inveſtituram, ceſsionem illam ſolennem improprie ſic appellari ſcripſit in *lib. 2. tit. 2. & 33.* Ut ex ejus ſententia, contractus feudalis ſit cauſa feudi conſtituendi, inveſtitura modus, quo ipſo actu acquiritur vel traditione præſenti, vel ejus repræſentatione ſolenni.

11. Solennitas conſiſtit in hoc, ut adhibeantur teſtes, minimum duo, qui ſint pares curiæ, id eſt, convaſalli, ab eodem domino feudum in eadem ditione recognoſcentes: qui ſi abſint, expectandi, ſi deſint aut adeſſe nequeant, extranei teſtes capiendi ſunt *1. f. 26. & 33.* Coram quibus dominus voluntatem ſuam declaret, ſimulque poſſeſſionem ipſam, vel re feudali non præſente, corporeum aliquid, ut haſtam vaſallo, vel ejus procuratori *2. f. 3. §. 1. in med. & 2. f. 58. §. 2.* tradat *d. cap. 33.* Si talis inveſtitura vel in re præſenti, vel actu ſolenni non fiat, ſed dominus vaſallum ſimpliciter feudum tenere jubeat, id ultra vitam accipientis non extenditur *1. f. 25. pr.* teſtes iidem inſtrumento adhibentur; Sine quo tamen ſubſiſtere feudum probatur ex *2. f. in pr. verſ. nam ſi inſtrumentum defecerit.*

12 Si de inveſtitura vel inſtrumento non conſtet, at per triginta annos alienum prædium aut territorium quaſi jure feudi, continuo poſſeſſum fuerit, eâ præſcriptione feudum, non minus quam per inveſtituram acquiritur *2. feud. 26. §. Si quis per* XXX. Ubi additur, ſi *ſervitium domino præſtiterit*, quod ſufficere videtur, ſi dominus ſemel receperit, *2. f. 33. verſ. inde etiam.* Ubi & unius anni præſcriptio memoratur, ad fundandam præſumptionem inveſtituræ factæ, ſi dubitetur, an facta fuerit, quæ contrariis argumentis refelli poteſt: quibus non extantibus, annalis præſcriptio jurejurando vaſalli confirmari poteſt. *d. c. 33.*

13. Præſcriptio decem aut viginti annorum, quâ jure communi res immobiles acquiruntur, in feudorum conſvetudine recepta non fuit, nec uſquam exprimitur, niſi quod in *l. 2. feud. t. 87.* longi temporis præſcriptio, quæ jure civili eſt x. vel xx. annorum memoratur; & ex hujus uſu juris *f)* de triginta annis accipienda videtur. Sed requiſita, quæ in præſcriptione longi temporis jure communi nota ſunt juſtus titulus & bona fides, (etſi de titulo magis ambigitur) in præſcriptione feudi triginta annorum adeſſe debent; nec qui malam habet fidem, ullo tempore præſcribere poteſt *g*) *d. cap. 87.* quod ex jure canonico petitum *c. pen. in f. & c. ult. de præſcript. c. literas §. porro de reſtit. ſpol.*

 14, Ac

n. 13. *f*) Uſu juris) *Nam jus Germanicum olim ignorabat præſcriptionem 10. vel 20. annorum in omnibus cauſis præſcriptionum.*

g) præſcribere poteſt) *Sed cur non, quia feudum eſt inſtar ſervitutis. Quæ vero talem naturam habent, requirunt ad præſcriptionem ſolum titulum, id eſt patientiam domini.* Cap. 87. *autem ab Autore allegatum eſt extraordinarium, nec habet vim probandi.*

14. At tamen hæc requiſita in præſcriptione temporis immemoriali ceſſare, dictu neceſſarium eſt; ſiquidem qui memoriam initii extare negat, ut facit is, qui in immemoriali præſcriptione ſe fundat: non poteſt ad tituli juſti bonæque fidei probationem teneri, quâ de re diximus in *Vindic. Ameland. cap. 8. & ſeqq.* Rurſus tamen animus habendi rem feudi jure, declaratus, eſt requiſitum omnis præſcriptionis neceſſarium: Unde, ſi res quaſi pignus poſſeſſa fuerit, præſcriptio non procedit; Quid a. juris tum ſit, cognoſci poteſt ex *c. un f. 28.* cujus interpretatio tamen non eſt extra controverſiam.

15. Inveſtitura facta, nec prius, tenetur vaſallus, ad juramentum fidelitatis, cujus argumentum eſt in *1. f c. 4. & 5. 6. 7.* Quod ſi neget, ſe præſtiturum, inveſtitura quoque, licet promiſſa, negari poteſt *d. l. 2. c. 3. in f. & cap. 24. §. 4.* Præſtatur autem per ſe, vel per procuratorem ſpeciali ad hoc mandato inſtructum *2. F. 3. §. 1. in med. 2. F. 58. §. 2. verſ. Item inveſtitura*; qui tamen textus de inveſtiturâ, non de jurejurando loquuntur: quo tamen uſus & communis Dd. ſententia hanc ſubſtitutionem extendit. Quominus tamen pacto remittatur hoc jusjurandum, nihil obſtat, modo fides præſtetur, quæ nullo modo abeſſe poteſt *2. f. 3. in f.*

16. Juramento præſtito, vaſallus tenetur ad ſervitia qualibet honeſta pro conditione feudi & perſonarum, domino vocanti & petenti præſtanda *2. F. 26. §. licet vaſallus, & c. 28. §. 1.* maxime in bello, ſi oppugnetur dominus, indiſtincte bellum inferenti, ſub limitatione, niſi aperte injuſta belli cauſa fuerit *2. F. 28. in pr.* Idque contra omnes, ne, fratre quidem filioque & patre exceptis, niſi feudum vaſallus amittere malit *d. c. 28. in fin.* Dominus tamen ſumptum prorogare debet, extraordinarium, maxime, ſi foris operam bello navent, *2. F. 107.* Poſſunt etiam mittere ſubſtitutos, vaſalli, domino gratos, aut dimidio reditus annui, quem ex feudo percipiunt, defungi *2. F. 55. §. firmiter 1.* cum quo non ſatis convenire videtur locus *2. F. 40. fin. pr.*

17. Servitiorum obligatio pactis reſtringi poteſt, ut certum aliquod & determinatum præſtetur *2. F. 2. §. præterea.* Et *cap. 22. in fin.* cujusmodi feudum caſtrenſe Burgleen/Hoffleen/ vocatur; vel convenire poteſt, ut annua penſio, quod ſervitium reale vocant, præſtetur, vel denique nullum penitus, quod eſt feudum francum, quomodo pleraque hodie feuda concedi Feudiſta tradit *1. F. 104.* cum originalis natura feudi ſit, ut vaſallus & ejus heredes domino fideliter ſerviant, *1. F. 2. in fin.* Ergo tale non eſt, ſi nulla ſervitiorum mentio ſit facta; tunc enim eſt indeterminatum & generale pro natura feudi, *d. c. 2. in fin.* ſed oportet claris inveſtituræ verbis exprimatur, liberum à ſervitiis & francum eſſe feudum: Alioqui non poteſt non retinere naturam ſuam *d. c. 32.* quod tamen an ita ſe habeat uſu recentiore, poſtquam pleraque feuda ſine ſervitiis habentur, juxta *d. c. 104. b)* merito dubites.

18. A præſtandis ſervitiis, excuſat neceſſitas impedimenti, ab ætate vel pupillari vel ſenili, ſcil. ultra LXX annos, vel à morbo, hactenus, ne in propria perſona dominis præſto ſint, ſubſtituti quominus mittantur, etſi de pupillis aliter quidam volunt, nihil obſtat *2. F. 26. 6. ſi quis deceſſerit.* Paupertas innocens excuſat à ſumptibus etiam ordinariis, ab ipſis perſonalibus ſervitiis non æquè *arg. l. 18. ff. de Oper. libert.* Ut ipſum dominum ad paupertatem redactum alat vaſallus, nusquam obligatus legitur, nec à libertis qui patronum alere debent, *l. 5. §. 18. & ſeqq. de agnoſc. aut al.* tuto ſatis argumentere; niſi compenſationem ſervitiorum remiſſorum huc applices.

CAP.

n. 17. b)] d. c. 104.] *Sed de hac aſſertione idem judicandum, ut de præcedente modo monuimus. Nam & hoc capitulum eſt extraordinarium.*

CAP. III.
DE USU, SUCCESSIONE ET ALIENATIONE FEUDI.

Quid juris feudum tribuat. n.1.2. Succeſsionem feudi eſſe legitimam, n.3.4. (non teſtamentariam.) Feminas regulariter non admitti. n.5. nec ad ſervitia inhabiles, n.6.7. nec illegitime natos, n.8. nec adſcendentes, nec collaterales primi acvuirentis. n.9.10. De prohibitâ teſtandi & alienandi feudi poteſtate. n.12.13. De renovatione inveſtituræ, n.11. & de ſubinfeudatione. n.14.15.

VIdimus, quid ſit feudum, quotuplex, & quo pacto primum conſtituatur, id quód novum dicitur. Acquiſito vaſallus utitur fruitur, jure dominio proximo, quód utile vocatur ab interpretibus,& omnia complectitur, quæ ex re feudali ſecundum ejus naturam proveniunt,etiam onera cuncta non ſecus atque de uſufructu,ac etiam de Emphyteuſi,jure communi conſtat, quo pertinet etiam quæſtio de theſauro in fundo feudali,aut vectigali invento,quam vid. *in prælect. ad tit. ff. Si ag. vectig.*

2. Regalibus etiam, ſiquidem ſpecialiter ab eo qui poteſt dare, conceſſa fuerint, utitur vaſallus, qualia recenſentur *2. f. 56. i)* Quod ſi princeps conceſſerit feudum, cum omni jure, quod in caſtro vel in pago habet ipſe, regalia comprehenſa videntur, ſalvo tamen jure ſummæ poteſtatis. Ideoque ſuperioritas, quam vocant territorialis, non competit vaſallo, niſi nominatim expreſſa fuerit, ut eâ gaudent principes & civitates imperii Germanici; quod tamen fieri non poſſe, niſi ab his, *k)* qui jure patrimoniali tenent imperium, vel ipſorum populorum conſenſu, ex iis quæ *libro* 1. de jure imperantium & ſubditorum dicta ſunt, omnino ſtatuendum eſt.

3. Agendum de tranſmiſſione feudi ad heredes, quæ ſenſim recepta fuit, ut feudiſta docet in *l. 1. f. c. 1. §. 1. & ſeqq.* Eſt autem hæc tranſmiſſio, ſive ſucceſsio legitima tantum, non teſtamentaria *1. feud. 8. 2. f. 11.* Gradibus ex præſcripto juris civilis potius, quam canonici computandis *1. f. 1. §. 4. verb. ſecundum uſum ab antiquis ſapientibus conſtitutum 2. f. 37. c. 1. in fin.*

4. Primo igitur vocantur liberi, naturales & legitimi ſimul, ſine diſcrimine ſuorum & emancipatorum, in æquales partes, jure tamen poſt primum gradum repræſentationis 1. *f. 8.* ſalvo etiam jure primogenituræ in feudis individuis & regalibus *2. f. 55. §. 1. verſ. præterea*, quod tamen uſu in omnibus *l)* feudis regalibus non obſervari, diximus antea, & in ſingularibus locis multa ſingularia vigent, ut de Hollandia Grotius 2. *introduct. c. 21.*

 5. Filias

n.2. *i)* 2. F. 56.) *Vide quæ de hoc capitulo monuimus ſuprà paſſim* ad lib. 1. ſect. 3. cap. 6. & 7.
k) niſi ab his) *Per noſtram doctrinam ſæpius inculcatam hæc limitatio expungenda eſt.*
n.4. *l)* in omnibus) *Sed anteà (ſcil. c. 1. n. 15.) dixerat autor* in plerisque, *quæ vox adeo & hic erat repetenda.*

Digitized by Google

5. Filias, utpote ſervitiorum incapaces admitti in feuda, non placuit, niſi feudum ſit femineum, id eſt, ſpecialiter dictum fuerit, ut ad eas quoque pertineat *1. f.* 1. §. *3.* quo tamen expreſſo, aliter non admituntur, quam maſculis deficientibus liberis 2. *f.* 30. Niſi datum ſit feudum ad certum genus ſervitii, quod mulieres æquè obire poſſint ac viri, quo caſu feminæ cum viris, etſi non ſint comprehenſæ, *m*] admittuntur, quemadmodum etiam, ſi dictum ſit, ut feminæ ſicut viri, admittantur 2. *f.* 104. Denique pacto deinceps & conſvetudine in familia vaſallorum, quaſi tacito domini conſenſu, id introduci poſſe receptum eſt: cum alioqui generaliter ita, ut de prima conſtitutione dictum eſt, accipianrur *2. f. 17. & 51. §. ſimiliter.* Feminas autem ſemel excluſas, ſemper intelligi excluſas, neque admitti, ſed ad dominum reverti feudum traditur in *1. f. 6.* etſi multis id ut durum & iniqvum diſpliceat.

6. Inter mares etiam excluduntur, qvi ad ſervitia ſunt inhabiles, ut clerici, qui feudum, quod prius habebant etiam amittunt *2. f. 26. §. clericus verb. hoc. ipſo.* 2. *f.* 30. *V. ex hoc illud.* 2. *f.* 21. *& 36.* ubi comparantur cum feminis, mutis & ſurdis, adeoque ne per ſubſtitutum quidem admittuntur. De muto quod feudum amittat, eſt textus in *1. f. 6. §. ult.* niſi quod de magno feudo alimenta ei relinquuntur; cui è diametro adverſantur Obertus & Gerardus aliique ſtatuentes, mutum etiam ita natum retinere feudum paternum; ſaltem de poſtea facto muto non dubitatur 2. *f.* 36. idque magis æquitati eſt conſentaneum.

7. Filius amittit ſucceſſionem feudi paterni, ſi nolit eſſe heres patris ſui in allodialibus, id eſt, non feudalibus bonis, eaque ad agnatos tranſmittitur, abſque neceſſitate adeundi hereditatem ultimi poſſeſſoris, niſi filius, agnatis conſentientibus, novam à domino impetraverit inveſtituram 2. *f.* 45. Proinde, ſi filius à patre juſta ex cauſa ſit exheredatus, à feudo quoque excluſus videtur *arg. 1. f. 24. §. 2. verſ. præd. mod.* quemadmodum etiam, ſi patris culpâ vel delicto feudum ſit commiſſum, ad filium tranſire non poteſt 2. *f. 26. §. ſi vaſallus culpam.*

8. Filii non ex juſto matrimonio ſuſcepti in feudo non ſuccedunt, quales adoptivi 2. *feud. 26. §. adoptivus*, & naturales, etſi legitimati *d. c. 26. §. naturales*, ubi ſimpliciter ita, nec uſquam aliter ſcriptum; Etſi multis, de legitimatis per ſubſequens matrimonium, ſecus videatur. Nati è matrimonio ad *morganaticam*; id eſt, quorum mater hac lege ducta eſt, ne liberi ex illâ naſcituri plus quam pater illis pacto nuptiali addixit, habeant, etiam à feudis excluduntur 2. *f.* 29. Etſi aliter ſcriptum eſt *d. cap. 26. §. filii nati*; cui inſerunt negationem fere omnes.

9. Deficientibus filiis & filiabus, ubi hæ admittuntur, adſcendentes, ſi forte ſuperſtites ſint, non vocantur ad ſucceſſionem feudi, nec veteris, quod venit ab adſcendentibus, neque novi, quia ſervitiorum præſtatio difficilius in illos cadit *n*) 2. *f.* 50. Idem receptum eſt in collateralibus primi acquirentis *1 f. 8. §. ult. & 2. f. 11. §. his vero, verſ. quod ita.* Quod ampliatur, etſi duobus fratribus communiter datum ſit feudum *1. f. 1.*

§. *cum*

---

n. 5. *m*) non ſint comprehenſæ) *Res valde dubia. Nam feuda in dubio præſumuntur in iis, quæ non ſunt expreſſa, retinere naturam communem feudi. Naturalia enim omnibus negotiis inſunt, etiamſi non exprimantur.*

n. 9. *n*) in illos cadit) *Mira ratio, & quam non memini unquam me legiſſe apud alium. Potius ſic dicendum. Aſcendentes non ſuccedunt in feudo novo, quia hoc datur vaſallo pro ſe & deſcendentibus ſolum, nec in antiquo, quia hoc regulariter tranſit ad filium per patrem, non ad patrem per filium. Unde notant Dd. ſi pater refutaverit feudum in favorem filii, mortuo filio feudum redire ad patrem. Res nota.*

Digitized by Google

§. *cum vero. verſ. quod etſi communiter*, idque ut uſu venerit, ex eodem loco poteſt animadverti, ſcil: quia feudo primo ad lubitum, dein ad vitam dari ſolito, mox ad liberos, & paulatim ac conſequenter ad alios agnatos producta fuit ſucceſſio; ad collaterales primi acquirentis ſemel præteritos redire non potuit.

10. Pacto tamen convenire poteſt, ut frater etiam primi acquirentis ſuccedat *1. f. 8. in fin. c. 14. §. ſi dari & c. 20.* Si feudum quoque communi fratrum nomine, vel de utriuſque bonis, ſciente domino, ſit emptum, commune habetur *d. c. 20.* eo neſciente, fructus ſolummodo communes erunt *2. f. 12.* Cæterum, collaterales vaſalli in vetere feudo ſecundum gradus jure communi cognitos & ſalvo jure repræſentationis ſuccedunt in infinitum; juxta lineam ſcilicet maſculinam *1. f. 1. §. 4. 2. 11. 30. 45. 50. & paſſim.* niſi feudum ſit femineum, qua de re dictum *ſuperius.*

11. Succeſſor autem vaſallus intra annum & diem (aut menſem, ſcriptum eſt in *1. f. 22. pr.*) novam petere debet inveſtituram à domino, ſicut idem vaſallus ad eandem à ſucceſſore domini petendam tenetur *2. f. 24. in pr. 2. f. 40. in pr. 2. f. 55. §. præterea, ſi quis in feud.* Et ſi plures ſint heredes, ſinguli ad fidelitatem jurandam tenentur *2 f. 26. §. omnes filii d. 2. f. 55. §. firmiter verſ. præterea.* ut tamen ſervitium maneat unum idemque, præſtandum vel ab uno, quem elegerint vaſalli, ſi dividi nequeat, vel à ſingulis pro parte ſuâ *arg. l. 2, §. 2, verſ. non enim ff. de verb. obl.* Proinde, ſi plures domini ſint heredes, uni omnium nomine recipienti, fidelitatem & ſervitia præſtari conſentaneum eſt.

12. Teſtamentum de feudis condere non eſt permiſſum *1. f. 8. pr.* ne quidem ad pias cauſas, vel principis indultu; quia jus agnatis quæſitum auferri non poteſt, non magis quam ulli hominum *l. 5. d. his qui ſui vel al. jur.* Hæc ita, niſi aliter pactis convenerit, ut etiam de feudo teſtari liceret, feudumque ſimpliciter hereditarium ſit factum, expreſſo, quod ad quoslibet heredes ſit tranſiturum. Nam ſi heredum mentio ſimpliciter ſit facta, magis eſt, ut heredes ex providentia juris feudalis intelligantur; etſi verba tam generalia eſſe queant, ut alienandi adeoque etiam teſtandi poteſtas ſub illis comprehendatur, ut ſi conceſſum ſit cum clauſula, *quicquid placuerit, faciendi;* vel in *quos voluerit*, feudum *transferendi;* vel *quibus dederit.* Poſſet etiam *mixtum* fieri, cum deficientibus agnatis, teſtandi & alienandi poteſtas datur. Sed in dubio non eſt recedendum à jure feudali, quod negat diſponendi facultatem vaſallis; niſi rurſus aliter moribus populorum cautum ſit, quales non deſunt omnì Europâ; de Hollandia nominatim tradit Grotius *2. Introduct. c. 42.*

13. Sic olim etiam conſuetudine receptum fuit, ut feudum inter vivos alienare liceret *2. f. 9.* donec prohibitæ ſunt alienationes à Lothario in futurum, *2. f. 52.* dein à Friderico etiam in præteritum, tam veteris quam novi, tam partis quam totius feudi, ſine ulla temporis præſcriptione *2. f. 55.* comprehenſis ſub alienatione cunctis ſpeciebus, quæ ſub alienatione prohibita jure communi continentur *l. ult. C. de probib. rer. al. d. cap. 55.* Judicio experiri & tranſigere de feudo, ſine venia domini poteſt vaſallus; modo ſine fraude, nec id agatur, ut feudum in alium transferatur *2. f. 26. §. ſi vaſallus de beneficio, & 2. F. 43.* Diviſio quoque inter plures feudi conſortes, vel collatio, in unum à pluribus libere fit. *2. F. 50.* niſi majoris ſit dignitatis *2. F. 55. §. 1. verſ. præterea.* Plane, quo minus, volente domino, vel ſi plures ſint, omnibus conſentientibus, fiat alienatio, nulla lex aut ratio vetat, quod ad dominos quidem attinet. Agnatis enim non præjudicatur, niſi & ipſi conſenſerint *2. F. 26. §. Titius;* quo facto, deſcendentibus etiam ſuis, etſi non heredibus præjudicare videntur, non æquè cæteris collateralibus *arg. l. 149. de R. J.*

14. Denique, ſubinfeudatio, quæ eſt

transla-

tranſlatio feudi pro parte vel totius in alium, ſub eadem conditione fidei & ſervitiorum, vulgo, ein Affter-Leen, etiam ſine domini conſenſu, non eſt prohibita; neque ſubinfeudato veritum eſt, alii rurſus idem concedere, nec ea res limitem habet, jure feudali *1. F. 2. ſi vero vel totum, verſ. quod & ipſum 2. F. 26. §. beneficium. 2. F. 34. §. ſimiliter 2. F. 56. §. Item ſciend. verſ. item ead. leg.* modo ſine fraude & ſine pretio *2. F. 55. in pr. verſ. callidis*, exemplo ſublocationis, jure civili *l. 6. C. Locat.* Proinde, non deſinit ex prioris vaſalli perſonâ cenſeri feudum; ut ne Agnatis, mortuo ſine liberis feudi capacibus, primo vaſallo, præjudicetur; nec etiam dominis, feudo per defectum lineæ vel culpâ finito; quin ut videtur, ne quidem ſubvaſallum ad ſervitia ſibi ingratum admittere cogitur, etſi aliud olim in uſu fuerit *d. c. 9. lib. 2. F. in fin. pr. v. tunc eo excepto.* Cæterum, alienatione prohibita, ſubinfeudationem eſſe veritam, etſi communiter ſtatuant, à jure tamen prædicto abhorret.

15. Poſtremò, inveſtitura in futurum facta, ſi feudum ad dominium revertatur, effectum habet, ubi feudum actu reverſum fuerit, ad inveſtientem vel ejus heredem. In eccleſiaſtico ejusmodi expectativæ jus, cum morte concedentis finitur, & ſucceſſor de feudo ad ſe reverſo pro lubitu conſtituere poteſt *2. F. 26. §. moribus.*

CAP. IV.

DE MODIS FINIENDI ET AMITTENDI FEUDUM, DEQVE JUDICIO FEUDALI.

Caſus, quibus ſine culpâ vaſalli feudum finitur, n. 1. 2. ubi & de refutatione n. 3. Præſcriptione. n. 4.-7. De amiſſione feudi per culpam, regula generalis n. 8. & caſus ſpeciales. Neglectus inveſtituræ. Alienatio, Felonia, ejusque ſpecies: n. 9. 10. Quatenus hanc dominus committat. n. 11. Quibus actio inde competat; n. 12. Quis ſit judex in feudalibus, n. 13. & ſpecialia hujus judicii. n. 14-18.

1. Cum feudum ſit uſusfructus quidam, à proprietate ſeparatus, conſentaneum eſt, ut certis modis ad eam rem revertatur; quod ſit vel ob culpam, vel ſine culpa vaſalli. Quomodo ſine culpa finiatur, primò videamus. Inter eos caſus eſt princeps, ſi vaſallus ſine heredibus feudi capacibus ſit mortuus *arg. 1. ſ. c. 1. §. 1. & ſeqq. & l. pen. C. de uſuſr.* Cui mors civilis, ſicubi ſpecies ejus adhuc uſitatæ ſint, æquiparatur *d. l. pen.* Ut tamen ceſſet hic, quod jure civili cautum; Filio mortuo, uſum-fructum ad patrem pertinere, natura feudi, quod non tranſit ad adſcendentes, repugnante, quod *suprà* demonſtratum eſt.

2. Morte domini quoque ſine heredibus, feudum eſſe deſinere, & cum directo dominio conſolidari, in favorem vaſalli, dicendum eſt, *o*) niſi fiſcus hereditatem ſibi vindicet, quo caſu dominium directum ad ipſum

n. 2. *o*) dicendum eſt) *Ita quidem communiter. Sed fundamento aſſertio deſtituitur. Nam ſucceſſor regni noviter electus haud dubiè vaſallos anteceſſoris in fidelitate retinet. Si dominus mortuus fuerit dominus intermedius, vaſalli tenentur domino immediatè ſuperiori.*

Digitized by Google

ipſum pertinere, quid impediat, ego quidem non video, etſi aliter Vultejus *1. f. 11. n. 7.*

3. Finitur etiam feudum, contrario conſenſu eorum, quorum intereſt, quo pertinet, refutatio & remiſſio feudi Et hæc quidem fit à domino dominium directum vaſallo remittente. Refutatio eſt feudi à vaſallo facta renunciatio, maxime in manus domini; improprie enim fit, agnatis aliiſve in quos feudum licite transfertur, quæ non tam refutatio eſt, quam alienatio *2 f. 14.* poteſt autem refutatio fieri, domino quoque invito *2. f. 38.* modo ne fiat intempeſtivè & in fraudem, ad eludenda ſervitia quædam inſignia. Et quidem feudi novi refutatio fit abſolute, ſolo conſenſu ejus qui feudum acquiſivit, niſi & agnatorum contemplatione diſerte conditum fuerit. Sed antiquum feudum, cujus ut ita loquar, potentiale jus agnatis jam quæſitum eſt, illorum præjudicio refutari non poteſt, quin poſt mortem refutantis *p*) à proximis repetatur *arg. 2. f. 39. in pr.*

4. Tertio, ſicut feudum triginta annorum ſpatio acquiri diximus, ita eiuſdem præſcriptione temporis extinguitur, idque bifariam; primo quidem præſcriptione libertatis, quæ fit, denegatione fidei & ſervitiorum lapſuque ab eo tempore, triginta annorum. Rurſus, ſi dominus aut quilibet alius feudum, animo ſibi habendi poſſederit & vaſallus non poſſederit; idque per annos xxx continuatum ſit, dubium non eſt, quin feudum ſit amiſſum, *argum. 1. f. 26. verſ. ſi quis per xxx. l. 7. C. d. præſcr. 30. vel 40. ann.* In caſu alienationis, ſine domini conſenſu, à vaſallo, factæ nullum eſſe locum præſcriptioni, *q*) jam dictum, è *2. f. 40. §. præterea & 2. f. 55. in pr.* quibus derogatur *2. f. 9. §. præſcriptione autem.*

5. Rei quoque interitu Feudum interire dubitari non poteſt, totali ſcilicet; nam in parte quæ ſupereſt, plerumque manet; niſi pars reliqua nomen & naturam totius amiſerit, argumento eorum, quæ de uſufructu finiendo, jure communi traduntur ad *§. pen. I. de uſufr.* Denique, per occupationem hoſtilem in bello ſolenni, Feudum amittitur, ſalvo jure poſtliminii *l. 20. § 1. d. captiv. & poſtl. rev.*

6. Feuda gardiæ & caſtaldiæ dicta, poſt annum à domino, quandocunque voluerit, adimi poſſe vaſallo, dictum & notum eſt è *1. f. 1.* Sicut & habitationis feudum morte accipientis finitur *2 f. 105.* Cameræ & cavenæ, ſive ſoldatæ, tam dantis quam accipientis, morte pereunt *2. F. 10. inf.* utcunque hæ ſpecies feuda recta appellentur *2. f. 2. §. ſi vero vaſallis.* Id enim ratione cauſæ vel tituli, non quod hæc propria feuda ſint, intelligendum; ſecus ac nonnullis viſum.

7. Sine culpâ, præter hos caſus, nec à domino, nec à principe quidem adimi poteſt feudum *1. f. 7.* niſi ratione dominii eminentis, de quo *alias* dictum. Exceptis etiam quæ à minoribus dominis in alios transferuntur *1. f. 1. §. ult. & 15.* ubi duo caſus ſubexcipiuntur. Jure recentiori volunt in minoribus, idem quod in majoribus, eſſe receptum, *1. f. 7. inf.* qnod alii negantes, in *d. tit. 7.* pro *moderni legunt Mediolani.*

8. Sequuntur modi, quibus feudum per culpam finitur, intellectis culpæ nomine dolo, & lata culpa, non leviore negligentia *2. f. 52. §. fin.* ubi, *ſi vaſallus non doloſe 1. f. 17. c. un. verb. ſcienter 2. f. 7. c. un. fin. pr. verb. Nunquam faciam ſcienter.* In univerſum ita proditum eſt ab interpretibus; Ex quibus cauſis, jure communi donatio revocatur, & filius exheredari poteſt, ſimilibusque & gravioribus, ex iiſdem amitti feudum *arg. lib. 2. f. 24. §. prædictis modis.* Nomen etiam generale

n. 3. *p*) refutantis) *adde: & ejus deſcendentium.*

n. 4. *q*) præſcriptioni] *Scilicet, niſi dominus ab iis qui poſſident feuda, ſervitia exegerit. Tunc enim & feuda præſcribi poſſe modo notavimus* lit. g.

Digitized by Google

rale tribuunt harum cauſarum ſingulis, *Feloniam* Longobardis, idem quod ſcelus, latinis.

9. Inter ſpeciales cauſas, prima eſt, neglectus renovandæ inveſtituræ, domino aut vaſallo mutato, intra annum & diem à tempore ſcientiæ vaſalli, petendæ, idqve in vetere feudo *2. f. 24. in pr. T. 49. pr. T. 54. c. ult.* Annus & menſis habetur *1. f. 22. in pr.* Si novum ſit feudum, nec adſit vaſallus ad jusjurandum præſtandum, tribus vicibus, decem intervallo dierum, citandus eſt ad accipiendam inveſtituram; Contumacia, feudi jactura punitur *2. f. 24. §. Eſt & alia*, non excluſa tamen utrobique juſti excuſatione impedimenti *1. f. 22. in pr.* Similiter alienatione feudi à vaſallo facta, feudi quoque jus amittitur *2. f. 55. verb. pœna.*

10. Cæteræ cauſæ magis propriè ad feloniam referuntur, Ut, ſi vaſallus domino graves injurias intulerit; ſi *cucurbitaverit* eum, id eſt, cum ejus uxore, filia, nuru, ſorore, nepte rem habuerit, aut turpiter luſerit. Si ipſum vel caſtrum ejus, domino illic agente, oppugnaverit. Si quis in periculo vitæ illum deſeruerit, criminis accuſaverit, abnegaverit dominum, ſi teſtimonium adverſus eum dixerit, arcanum ejus revelaverit, in jus vocatus ſe non ſtiterit, ſervitia requiſitus non præſtiterit, ſi parricidium aut aliud grave ſcelus admiſerit *1. f. 5. 17. 21. & 2. f. 22. 23. 24. 28. §. ad hæc. T. 37. 39. in fin. 51. §. 1.*

11. III. Ut autem fides & obligatio feudi eſt reciproca, ſic etiam dominum ob feloniam contra vaſallum, amittere jus dominii directi, quod dicitur, jure feudali proditum eſt *2. f. 47.* Tamen etſi dominus æquè jus ſuum quàm vaſallus alienare prohibetur, *2. f. 34. §. ex eadem lege 2. f. 55. §. firmiter verſ. præterea.* Nuſquam tamen ob hanc alienationem jure ſuo cadere dicitur, nec id æque ac in vaſallo, ratio permittit; quia de jure ſuo diſponit, contra legem quidem, ſed tamen nulli obnoxio, nec ab alterius beneficio manante; ideoque magis eſt, ut domini alienatio ſimpliciter ſit nullius momenti, nec vaſallus alium dominum agnoſcere cogatur, ac ita per conſequentiam feudum quidem finiatur; veteri tamen domino, alienatione retractata, ſubducere ſe non poſſit vaſallus, etſi aliter multi ſentiunt.

12. Porro propter non petitam inveſtituram, tempore legitimo vel propter alienationem, invito vel ignaro domino factam, & generaliter ob quamlibet feloniam, quâ dominus propriè læditur, feudum ſoli domino committitur; ideoque ei ſoli hoc nomine competit actio, non agnatis vaſalli, nec quidem ejus liberis *2 f. 55. in fin. pr. ubi, & ad dominum liberè revertatur.*

13. Qui vero ſint cauſarum feudalium judices, non eſt in facili, exacte definire. Sed in ſummâ ita videtur, in feudis regalibus, imperatorem vel regem omnibus ſuperiorem, ſolum eſſe judicem *1. f. 17. 2. f. 34. in pr.* Inter vaſallos inferiores, dominum feudi communem *2. f. 55. §. ult.* Inter dominum & vaſallum pares curiæ, de quibus antea, judices ordinantur *d. 2. f. 55. §. ult. 2. f. 16. & 39. §. ſi inter 2. f. 22. §. 1.* vel qui ſuper illos judex eſt & vocatur judex curtis *1. f. 18.* Cæterum, hodiè in pleriſque locis juriſdictio feudalis certis collegiis demandatur, cujus rei notitia è cujuſque reipubl. legibus petenda eſt.

14. In proceſſu & ordine judiciali ſuper feudis, recepta ſunt quædam peculiaria, cujus generis hæc ſunt; I. In judicio feudali non præſtatur juramentum calumniæ, præcipue cum vaſallus dominum convenit, ob reverentiam; Dominus vero nec à vaſallo id exigere poteſt, conſequenter *2. f. 33. §. in quibus.*

15. II. Quod inveſtitura feudi novi, non probetur, niſi per pares curiæ, vel breve teſtatum ab illis ſubſcriptum *1. f. 4. §. 3. 2. f. 32.* De vetere feudo non eſt idem proditum; ſed hoc per extraneos, modo mares ſint, recte probatur; nam femina non poteſt eſſe teſtis in feudalibus *d. t. 32. in fin.* Felonia nonniſi quinque teſtibus probatur *2. f. 57.*

16. De-

16. Deficiente probatione, reus purgare ſe debet per jusjurandum, cum duodecim ſacramentalibus, id eſt, amicis, qui pariter in ipſius conſcientiam jurent *1. f. 10. 26. & 2. f. 33. 5. & cum.*

17. Et hæc quidem pro hujus inſtituti ratione ſufficiant. E quibus id in univerſum ad juris publici obſervationem colligi datur; à feudorum naturâ & ſcopo, qui fuit ab initio militaris, ut magni principes ſemper in promptu haberent exercitum; uſu temporum non minus, quam in jure ſucceſſionis aliiſve proprietatibus, longe fuiſſe receſſum: ut hodie nulla fere, quam mercenaria, vix uſquam feudalis militia in uſu bellorum conſpiciatur.

18. Quod non tantum mutationi temporum, cujus maxima vis eſt in rebus humanis, & uſurpationibus vaſallorum, otio & libertate gaudentium; ſed principum quoque conſilio adſcribendum videtur. Qui quod his diebus multo validius & adductius, quam olim, populis ſuis imperitant, nulli cauſæ, quam mercenariæ militiæ, efficaciori accepto ferendum eſt; cum feudalis olim militia à vaſallis immediatè dependeret, cujus rei argumenta ſæpius ex uſu rerum geſtarum in hiſtoria civili animadvertimus.

SECTIO VI.

De jure in perſonam.

CAP. I.

DE JURE IN PERSONAM, QVA TALEM, MAXIME AD POENAM.

Tranſitus ad jus in perſonam. n. 1. idque vel ad rem vel in perſonam, quà talem. Poſterius vel ad ſubjectionem n. 2.-5. vel ad pœnam. n. 6. A ſuperiori maxime pœnam infligi poſſe, tamen & à pari. n. 7. 8. Inde quæſtio deciſa, ſitne punire licitum duntaxat, an neceſſarium. n 9. 10. Fines pœnæ quinam. n. 11-14. Delicti definitio & proprietates n. 15-19. An & quatenus obligatio ad pœnam ſpectet, ubi cum D. Pufendorfio diſputatur. n. 20-31.

1. Jus privatum eſſe duplex, in rem & in perſonam, *ſuperius* declaratum eſt. Juris in re ſpecies breviter, ut hic uſu veniebat, executi ſumus: Sequitur jus in perſonam, quod iternm diſtinguitur, ut vel ſit in perſonam quà talem, vel in perſonam propter rem. Utrumque eſt obligatio; etſi poſterius obligationem ſtrictius ſumptam peculiariter conſtituat.

2. Jus, quod in perſonam quà talem oritur, eſt ad ſubjectionem vel ad pœnam. Subjectio eſt ex jure parentum in liberos, dominorum in ſervos, mariti in uxorem, civitatis in cives, univerſitatis in ſingula membra, quibus omnibus implicitum eſt jus perſonæ ſubjectæ erga ſuperiorem. Jus ſocietatis ab his diverſum magis ad jus in perſonam reale referendum videtur.

3. Jus parentum in liberos oritur ex generatione, quod ut res loquitur, ita Grotius docet 2. *de jur. B. & P. c. 5. in pr.* pariendi opera ſub generatione comprehensâ, ut ad Tyndarum Oreſtes. *Eurip.*

> *Πατὴρ μὲν ἐφύτευσέ με, σὴ δ' ἔτικτε παῖς.*
>
> *Pater me ſeminavit, tua vero me peperit filia.*

inquit, quâ ratione *κοινὸν ἀμφοτέροις τὸ γεννώμενον*, fœtum utrique parenti communem eſſe, diximus aliàs è Plutarcho. Sed Oreſtes patri dat prærogativam, non modo propter ſexus praſtantiam, ut Grotius, ſed etiam ob imparem in generando operam.

> Ἐλογιζόμην οὖν τῷ γένους ἀρχηγέτῃ
> Μᾶλλον μ' ἀμῦναι τῆς ὑποστάσης τροφάς.
>
> *Colligebam*, inquit, *primo generis auctori*
> *Me vindicare magis debere, quam quæ aluerat.*

4. Sed non eſt ſollicitè indaganda ratio, quæ parentum jus in liberos ſtabiliat; de quo jam dicere occupavimus in *ſect. 1. cap. 1.* ſuppoſito imprimis matrimonio, quod liberos in poteſtate parentum, maximè patris, neceſſariò & ſine medio conſtituit, nec ea de re, poſt locum illum communem, actum agere libet.

5. Eadem ratio non patitur, ut de jure, quod inter dominos & ſervos, maritum & uxorem, imperantes & cives, magiſtratus & municipales vertitur, hic denuo tractemus; maximè, cum in *libro* III. quatenus hæ res ad civitatis adminiſtrationem pertinent, eodem loco ſe rurſus oblatura ſint.

6. Supereſt obligatio ad pœnam, quæ eſt animadverſio maleficii, vel potius, ut è ſchola Grotius, *malum paſſionis quod infligitur ob malum actionis r)* à potiori facta denominatione; ſiquidem & omisſionis malum pœnam recipere poſſe non dubitatur. Sed pœna rurſus aut mere perſonalis, aut ad rem comparata eſt, priore ſenſu ad hunc locum altero ad ſequentem referendo. s)

7. Quod ſi nonniſi à ſuperiore pœna infligi poſſet, ad articulum de ſubjectione referri potuiſſet. t) At naturaliter etiam à pari (ſuperiorem viribus eum qui puniat, eſſe oportere, ſatis ipſa res loquitur) delinquentibus irrogari poſſe pœnam, ex eo patet, quod cum licentia & impunitate u) delictorum

---

n. 6. r) actionis) *Si ulla doctrina infinitis difficultatibus ſubjacet, certè doctrina de pœnis talis eſt, ut cuilibet evolventi Grotium* l. 2. c. 20. 21. *cum ejus commentatoribus, ad oculum patebit. Cauſa difficultatum ſunt variæ. 1. quod Dd. ſcholaſtici ubique confuderint naturam rerum diverſarum, ſcil. pœnam divinam & humanam, etſi finibus & adeò conceptu eſſentiali pœnarum, toto cœlo inter ſe differentes. 2. quod ex doctrinis ſuis, etſi primario ad lumen naturæ & philoſophiam pertinentibus, (quatenus præcipuè agunt de pœnis humanis) fecerint articulos fidei, & eos, qui veritatem hàc parte volverunt inquirere, deterruerint metu pœnarum hæreticis debitarum, ne latum unguem recederent à traditis veterum magiſtrorum. 3. quod neglexerint ſufficienter tollere homonymiam vocis pœna, quæ decuplex & ultrà eſt. 4. quod hoc modo ſæpiſſimè fuerint confuſa pœna & vindicta, quæ tamen accuratè loquendo adhuc magis inter ſe differunt, quam pœna divina & humana. His defectibus tentavi mederi* in Inſtit. Juriſpr. div. lib. 3. c. 7. & in Fundam. Juris N. & G. ibid. *Ibidem oſtendi, quod iſta definitio quam hic ex Grotio autor repetit ſit nimis generalis, neque diſtinguat pœnam divinam ab humana, neque pœnam à vindicta.*

s) referendo) *Interim tamen & pœna pecuniaria eſt pœna propriè dicta.*

n. 7. t) potuiſſet) *Et fortè etiam melius fuiſſet factum. Nam imperium & huic correſpondens ſubjectio non poteſt ſine coactione, coactio ſine coercitione, coercitio ſine jure puniendi concipi.*

u) impunitate] *Sed hac ratio facilè tolli poteſt, ſi diſtinguas inter vindictam & pœnam. Non*

Digitized by Google

lictorum genus humanum, etſi nullo imperandi parendique ordine diſtinctum, conſiſtere non poſſet: Ac ideo cuilibet humanæ ſocietatis, quam natura conſtituit, membro jus in ejus violatores animadvertendi, comparatum eſſe oportet, ſub hac limitatione, ſi paria non deliquerit, quo pertinet Chriſti dictum *Joh.* VIII. 7. w)

8. Verum republica ſtabilitâ, jus puniendi non cuilibet viribus prævalenti; ſed poteſtati ſummæ vel magiſtratibus ad hoc conſtitutis permitti potuit, iiſque delatum eſt, cum alioqui jus puniendi promiſcuum bello & armis, x) quibus evitandis civitates conſtitutæ, occaſionem daret aſſiduam. Ut tamen etiamnum, qui jure ſunt pares, quemadmodum populi & principes diverſi, jus puniendi y) in alios ſibi non ſubjectos exercere queant; quomodo rex Galliarum, anno hujus ſeculi LXXII. Belgis fœderatis aliiſque deinceps intulit arma, prætextu illos *puniendi*, cum nihil equidem deliquiſſent. At ſi cauſa facti ſubeſſet, juris cauſa negari non poterat, etſi non ſuperior, ſed par duntaxat iis, quos oppugnabat, erat ille ſuo jure: de facto enim qui puniendi animum præfert, hunc ſe viribus ſuperiorem præſumere, manifeſtum eſt.

9. Ab illo diſcrimine, ſtatus naturalis & reipubl. pendet ejus deciſio dubii, z) punire maleficium, ſitne tantum ex licitis, ut Grotius vult *l. 2. c. 20. n. 1.* an neceſſarium. In ſtatu naturali eſt licitum, quia delinquens meretur equidem pœnam & puniens utitur jure ſuo, ſed nulla neceſſitas ſingulos ad puniendum cogit. In republicâ, quam præmiis & pœnis recte contineri dixit Plato, princeps aut judex, maleficiis coercendis præpoſitus, ſi delicta relinquit impunita, non facit officium ſuum, & peccat, utique, ſi maleficia juri naturæ, gentium & divino repugnent, a) quo pertinent hæc dicta ſcripturæ ſacræ, de maleficiis; *Ne parcat ei oculus tuus. Ne miſerere maleficum. Abripies eum ab altari meo Gen. 9. v. 5. & 6. Exod. 21. v. 12. & 14. Lev. 20. v. 4. Lev. 27. v. 29. Num. 35. v. 31.*

manet impune delictum inter eos, qui pares ſunt, ſi læſo competat jus vindicandi injuriam ſibi illatam. Sed fruſtrà exinde concluditur, quod cuilibet ſocietatis membro jus animadvertendi competat. Ex dictis etiam ſatisfieri poteſt illis, quæ pro ſententiâ Grotii ex Lockio adducit Barbeiracius ad Pufend. l. 8. c. 3. §. 4. num. 3.

w) Joh. IIX. 7.] *Imo Chriſti dictum reſpicit vel pœnam propriè dictam in republicâ, vel illicitam vindictam privatam, ſub zelo juſtitiæ, aut utilitatis publicæ palliatam. Et præterea Autor committit fallaciam converſionis. Etſi enim turpe ſit, & inconveniens, ut qui paria deliquit, alterum puniat, exinde tamen non ſequitur, quod, ſi quis paria non deliquerit, id ad jus puniendi ſufficiat.*

n. 8. x) & armis) *Sed eadem ratio obtinet etiam in ſtatu naturali inter pares, nam & hic jus puniendi promiſcuum daret occaſionem bello & armis, etiam ab iis exercitum, qui paria non deliquerunt. Aut, ſi hæc limitatio ſufficit in ſtatu naturali ad excluſionem occaſionis bellorum & armorum, cur non & ſufficeret in ſtatu civili.*

y) puniendi) *Voce pœna latius dicta, pro* vindicatione. *Sed tamen & in hoc caſu Rex Galliæ non vindicabat injuriam aliorum, ſed quam ſibi prætendebat eſſe illatam.*

n. 9. z) dubii) *Convenientius ex diſtinctione* vindictæ *&* pœnæ. *Vindicta pertinet ad ſtatum naturalem & licita eſt: pœna ad ſtatum civilem & neceſſaria eſt, Unde vides uſum hujus diſtinctionis: & quod conveniens ſit, res morales diſtinctis effectibus gaudentes, nominibus etiam diſtinctis exprimere.*

a) repugnent) *Propter illa quæ differit Autor infra* lib. 3. ſect. 2. cap. 5. n. 10. *Sed vide quæ ibi notabimus.*

35. v. 31. Deut. 13. v. 18. xix. *v. 12. & 13,* Quod analogicè ad Deum ut judicem bene referri, demonſtratum eſt in *lib. 1. ſect. 4. cap. 6. ſparſim. b)*

10. Nec temere ita dictat humani generis conſcientia, nolle Deum ignoſci maleficiis, ne quidem occultis, ſed ignoſcentibus imputari crimina, *Levit 18. v. 25. Eſai. 26. v. ult. 1. Reg. 2. v. 31. ſeqq.* Quo pertinet, Melitenſium dictum in Paulum à vipera admorſum, *πάντως φονεύς ἐστιν ὁ ἄνθρωπος οὗτος, ὃν διασωθέντα ἐκ τῆς θαλάσσης ἡ δίκη ζῆν οὐκ εἴασεν. Prorſus hunc hominem oportet eſſe homicidam, quem è mari ſervatum divina vindicta vivere non ſinit.* Plato *lib.* IX. *de legib.* *Ἄτιμον δὲ παντάπασι μηδένα εἶναι μηδέποτε. Impunitum omnino neminem ullo modo relinqui oportet ſceleratum.*

11. Unde videndum, ne non ſufficiens enumeratio finium pœnis propoſitorum *c)* ſit, quos Grotius è Senecâ *1. de Clement. 22.* & Gellio *6. Noct. Att.* 14. tres inculcat *d. cap. 20. n. 6. & ſeqq. Peccatis puniendis tres ſunt rationes*, ait Gellius; *Emendatio peccantis; Vindicatio læſi, exemplum in vulgus.* Quibus ceſſantibus, aut aliâ via facultatem habentibus, vel etiam finibus aliis æquè utilibus & neceſſariis concurrentibus, pœnam remitti poſſe docet *ὁ μέγας.*

12. Ita ceſſare emendationis finem, ubi reus verbis & pœnitentia emendatus eſt. Vindicationem ſive reparationem læſi, cum aut verbis ſatisfactum eſt, aut benemerita delinquentis ejuſve parentum erga partem læſam, delictum æquare videantur. Exempli neceſſitatem ceſſare, ubi peccatum pauciſſimis cognitum ſit. Quorum concurſu fieri poſſe, uti vel pœna prorſus exigenda, vel omnino remittenda ſit, vel utrumvis fieri poſſit. Vindictam *d)* ſane extra cauſam utilitatis, non eſſe juſtam, jure naturæ, multò minus Evangelico, puniendi cauſam, fatendum; ſed eſt *ἀπὸ μιᾶς ἀσθενείας, ex eodem animi morbo, τὸ ἀντιτιμωρεῖσθαι τῷ προαδικεῖν, procedit ultio & prior injuria.* Dion. apud Plutarch. *in vit.*

13 Rectè, quatenus ad effectum ejus, qui læſus eſt, explendum, ultio adhibetur; ſed nemeſis & juſtitiæ ſeveritas impreſſa divinitus humano generi conſcientia, maleficia, licet occulta, *e*] citraque reſpectum ſatisfactionis,

---

b) ſparſim) *Sed ibi tractatur quæſtio ad Theologos pertinens primariò, de ſatisfactione Chriſti. Sed tamen & in illa ſæpius non obſervatur monitum 1. & 2. annotationis modo adductæ lit. r. & immiſcentur doctrinæ ſcholaſticæ parvi ponderis, v. g. confuſio juſtitiæ divinæ & humanæ, fictio legis alicujus æternæ, ad quam etiam actiones Dei ſint examinandæ &c.*

n. 11. *c*) propoſitorum) *Oſtenſum fuit* in Inſtit. Juriſpr. div. d. l. 3. c. 7. *pœnæ propriè dictæ humanæ finem unicum & primarium eſſe emendationem communem.*

n. 12. *d*) vindictam) *Vides hic, Grotium miſcere terminos vindictæ & pœnæ. Idem autor facit adhibendo terminum ultionis* n. 13. *quod vocabulum tamen magis ad vindictam quam pœnam pertinet.*

n. 13. *e*) licet occulta) *Scilicet Dd. ſcholaſtici præter tres fines pœnarum, quorum mentionem facit Autor* n. 11. hic, *quartum finem addunt, quem* expiationem *vocant, propter pœnam divinam in futuro ſeculo, ad quam ſententiam multa pertinent quæ differit Lactantius in* lib. 1. de irâ Dei. *Uti vero hæc quæſtio ad Theologos pertinet, ita falluntur, qui putant, etiam hunc finem pertinere ad pœnas humanas, adeoque juſtitiam & pœnam divinam cum humanâ miſcent, (ut facit etiam Autor) fruſtrà provocantes* ad impreſſam divinitus humano generi conſcientiam, *ſi rationem illius conſcientiæ nullam afferant. Nam conſcientia ſine ratione eſt conſcientia erronea.* Confer Autorem lib. 3. ſect. 1. cap. 3. ab init. *Sed multos decepit nimia veneratio patrum Eccleſiæ & v. g. Lactantii, qui elegantia latini ſermonis excæcavit animos ſcholaſticorum, ut non viderent debilitatem argumentorum, qui-*

Digitized by Google

ſactionis, ut è ſuprà dictis intelligitur, puniri vult, idque latius probatur ab Antonio Matthæo f) *tract. de Crimin. Tit. Quib. mod. crim. extingu. cap.* 5. *n.* 2. Idem firmatur è natura contractus involuntarii, g] quem in delictis ineſſe fatentur omnes ex Ariſtotele, quatenus qui peccare voluit, eodem actu, in id quod peccatum illud ſequebatur, conſenſiſſe, pœnæque ſe ipſum ſubdidiſſe videtur, ut juris auctores loquuntur in *l. ult. C. ad L. Jul. maj.*

14. Atque hæc omnia faciunt, ut pœna non modo juſte poſſit, verum etiam debeat exigi, h) quod tamen ita non eſſe accipiendum; ut ſumma poteſtas *nunquam* i) ignoſcere poſſit, infra, ubi de pœnis, quatenus ad officium adminiſtrandæ reipubl. pertinet, videbimus. Hic tantum de jure partis læſæ & obligatione delinquentis agimus, quo ſpectat, quod de contractu diximus involuntario. k)

15. Scilicet, improprie contractum ita ſumi; cum alioqui maleficio opponatur, non eſt dubium: Quid contractus proprie dictus, alibi videndum; ſed *crimen* nihil eſt aliud, quam factum turpe, quod legibus punitur. Dicat aliquis, nonne ſufficit ad delicti naturam, ut ſit factum turpe, quod tantum generis loco ponitur? Non ſufficit, quia ſanctione legis opus eſt, ut factum pro delicto habeatur, quo ſenſu, ſi Hobbes voluiſſet, ex lege ſola colligendum eſſe, quid fas, quid nefas, quid honeſtum aut ſceleſtum ſit, non eſſet tam intolerabilis ejus ſententia, quam eſſe probavimus, in *ſect.* 1. *c.* 3. *n.* 4. 13. & 30. & *part.* 2. *digreſſ. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 10.

16. Si nempe fuiſſet in ea ſententia quam adverſus Grotium tuetur D. Pufendorffius in *lib.* 2. *de jur. N. & G. c.* 2. §. 6. & *lib.* 2. *c.* 3. §. 4. nullos actus pro illicitis habendos, niſi è legis præcepto, ſeu civilis, ſive naturalis, eo ſenſu quo vidimus in *lib.* 1. *ſect.* 1. *c.* 2. *n.* 15. & *cap.* 14. *n.* 18. quod tamen uſque adeo intendi nolim, ut diſtinctio juris congeniti & poſitivi, ſive in cordibus ſcripti & ex

---

bus pro ratione miſerâ illius ſeculi ſubinde utitur pater optimus. Et hac ſententia Autoris tollit omne jus aggratiandi Principum.

f) Matthæo) *Sed ille non de omnibus criminibus loquitur, ut Autor hoc loco, ſed ſaltem de illis, quæ repugnant Juri Naturæ Gentium & Divino, ut autor ſuprà n.* 9. *Unde hæc Matthæi aſſertio remittenda pariter ad ea quæ dicentur* ad d.lib.3. ſect.2. c.5. n.10.

g) involuntarii) *Imbecillitas argumenti vel exinde apparet, quod petatur à naturâ contractus, & tamen ipſe Autor fatetur* n. 15. *contractus terminum hic ſumi planè impropriè. Ut taceam, neque ex natura contractus pro adſtruenda Autoris aſſertione quicquam peti poſſe.*

n. 14. h) exigi) *Sed mallem argumentum audire, unde illud, quod* debeat exigi, *inferatur. Sane, quæ præceſſerunt,* quod ille, qui peccare voluit, eodem actu in id, quod peccatum illud ſit ſecuturum, conſenſerit, pœnæque ſe ipſum ſubdiderit, *nil amplius probant, quam ut delinquens* poſſit *juſtè puniri, nec habeat cauſam querendi, ſi puniatur.*

i) nunquam] *Sed ſi rationes* n. 10. & 13. *quid probarent, ſumma poteſtas nunquam poſſet ignoſcere, quia illæ rationes generales ſunt.*

k) involuntario] *Hæc iterum non cohærent cum præcedentibus* n. 13. *verbis*: ad effectum ejus qui læſus eſt: *item:* ſed juſtitiæ ſeveritas &c. puniri vult & *hic*: *verbis*: etiam debet exigi. *Unde patet clare, quod ea, quæ adduxit de contractu involuntario non reſpiciant ad jus partis læſæ, neque ad obligationem delinquentis, ſed ad obligationem punientis.*

Digitized by Google

ex voluntate divina conſtituti, quod ille vult, tollatur. *l*)

17. Pleraque enim juris naturalis capita ita eſſe comparata, ut ſuppoſita humani generis creatione, aliter habere ſe non poſſe, ab homine intelligi queat, evidens eſt, nec ab ipſo negatur: à quibus alias divini juris conſtitutiones arbitrarias diſcrepare, non minus eſt manifeſtum: unde haſce poſitivas, priores congenitas & naturales appellare, nihil obſtare debet aut poteſt.

18. Sed Hobbes ex ſola lege civili vult eſſe colligendum, quid bonum, malum, fas aut nefas ſit, quod in Philoſophia juris naturalis falſiſſimum, in ordine civitatis de æſtimatione delicti verum & rectum eſt. Sicut enim non omne quod honeſtum, legibus ut neceſſarium præcipitur, ita nec quicquid eſt turpe, punitur. Plurima hominum conſcientiæ & verecundiæ relinquuntur. Ea ſolummodo ſanciuntur, quæ civitati conveniunt & obtineri poſſunt. Ingratitudo nuſquam punitur, ubique improbatur, ait Seneca *3. de Clem. c. 7.* Idem in ebrietate aliiſque innumeris, *quæ tantum odio damnamus & ad vindices Deos mittimus*, *ut ibidem* Seneca. Hinc meretricia voluptas apud veteres tolerata fuit. Hioc maſturbatio *delictum* non eſt in vulgo cœlibum, etſi Martialis haud de nihilo dicat; *m*)

Scelus eſt, mihi crede, ſed ingens
Quantum vix animo concipis ipſe tuo.

19. Sed quod delictum vocatur *factum*, primo requirit hoc monitum *ſuperius* occupatum; non modo commiſſiones, ſed etiam *omiſſiones*, in quibus aut dolus aut enormis culpa animadvertitur, etſi rarius, efficere poſſe delictum. II. Non conſiſtere delicti naturam in ſolis animi actibus, ſed adſumto actu externo, crimina eſſe intelligenda, ut docent JCti, in *l. 215. d. V. S.* eoque pertinet eorundem dictum, cogitationis pœnam neminem pati *l. 18. d. pœn.* III. Cogitationem, etſi ad factum proceſſerit, non dare formam delicto, ſi corpus ſive materia *facti* non conveniat, ut, ſi quis credat invito domino, ſe rem ejus contrectare, domino autem volente id fiat, furtum non fit *§. ſed & ſi credat I. de Obl. ex del.* Qui cum aliena uxore cubare ſe putans, ancillam amplectitur eluſus, non eſt adulter, quia non eſt verum, quod alienam uxorem corruperit *l. 6. §. 1. ff. ad l. Jul. de adult.* Etſi coram Deo tales plane rei ſint, tam furti, quam adulterii; cum juris divini, adde, philoſophi, ſit *crimina mente metiri;* Legislatoris, *quatenus manu rem tenere poteſt*, ut Cicero dixit.

20. Hæc aliaque ad pœnarum modos & ſpecies pertinentia, in loco de pœnis & delictis, qui erit in *lib.* III. rurſus occurrent. Hic proprie agitur de jure, quod in perſonam delinquentis competit; quod *obligatio* dicitur, quam à juriſperitis ita definiri conſtat; Juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ, ſecundum noſtræ civitatis jura. Nec eſt dubium, quin hæc verba delicto in civitate commiſſo non male conveniant. Quis enim neget, delinquentem neceſſitate ſolvendi aliquid adſtringi; cum & pœna deberi, lui, ſolvi dicatur; utpote delicti æſtimatio quomodo appellatur in *l. 41. ff. de pœnis?*

21. Argutatur hac in re, alios argutiæ inſimulans

n. 16. *l*) tollatur) *Sed Pufendorffius nunquam voluit differentiam illam tollere, ſed potius negavit, quod differentia inter illas leges conſiſtat in objecto, ut ſcholaſtici docebant, ſed in modo cognoſcendi. Et ita ſe rem habere ipſe Autor confirmat in* n. ſeq.

n. 18. *m*) dicat) *Sed ſi Martialis haud de nihilo dicit, id eſſe ſcelus, vel falſa eſt, vel dubia ſententia Autoris, id delictum eſſe negantis. Verum Autor diſtinguit inter delictum & ſcelus. Ex noſtra ſententia etiam intuitu legis naturalis diſtinguendum inter præcepta honeſtatis & juſtitiæ.*

ſimulans D. Puſendorffius *lib. 8. de Jur. Nat. c. 3. n. 4. n*) Delinquentes ad pœnam teneri, conſequenter obligatos eſſe negans, eo, quod ſe ipſos pœnis offerre non teneantur, & nemo, niſi volens teneri dicendus ſit. Quod cur ita recipiendum ſit, nihil idoneum profert. Nam teneri & obligatum eſſe continet neceſſitatem, quâ reos criminum obſtringi manifeſtius eſt, quam quod Ariſtoteles, omni poſteritate conſentiente, *o*) dixit, eſſe contractus involuntarios, *συναλλάγματα ἀκούσια*, quæ, ut involuntaria ſint in executione, principio ſui, quatenus omnes cives obligare ſe creduntur ad ferendam, *p*) ſi deliquerint, pœnam, voluntaria eſſe negari non poſſunt.

22. Si nolit dicere, quemadmodum inſtituit §. 5. pœnam *deberi* maleficiis, quo tamen nihil uſitatius, *q*] Cicero *pro Sext. Quibus omne ſupplicium atque omnis jure optimo pœna debetur*; eo quod is *cui debetur*, *in debitorem jus habet*, *ut debitum illud ab ipſo exigere poſſit*, ambiguitate verbi abſtinere licet, tametſi notum ſit, *deberi* aliquid dici, non tantum, quod ab alio exigi poteſt, ſed etiam, quod fieri & exequi & alii quovis modo tribui oportet: Denique, ſic potius ineamus; haud adeo pœnam maleficis deberi, quam hos eam debere, vi tacitæ vel expreſſæ conſenſionis in leges civitatis: quo pertinet, quod apud Tacitum, ſemina, quæ ignaro domino, ſe alieno ſervo miſcuit, *in ſervitutem ſui*, quæ eſt pœna, *conſenſiſſe* dicitur, & quod in ſacris literis ipsâque oratione dominica peccata vocantur debita, quibus addε ſis, *l. 34. de jur. Fiſc. l. ult. C. ad L. Jul. Majeſt.*

23. Non ſatis juſta ratione Puſendorffius huic

n. 21. *n*) c. 3. n. 4.) *Ita & nos olim diſputavimus adverſus Puſendorff.* d. l. 3. c. 7. Inſt. Jurispr. div. *& facit pariter Barbeyracius* ad d. §. 4. n. 8. *Sed poſtea rem magis attente conſiderans, deprehendi Puſendorffii ſententiam veram eſſe, & communem, quam Autor defendit, ludere ſaltem vocibus, & nullum habere uſum.* vid. Fundam. J. N. & G. d. l. 3. c. 7.

o) conſentiente) *Sed hæc eſt provocatio parum tempeſtiva ad autoritatem, ubi rationes quærimus, & ad autoritatem quidem Scholaſticorum (nam ſi per poſteritatem intelligeretur genus humanum, aſſertio falſa eſſet) qui hodie non magis æſtimantur apud eruditum orbem, ac lemures & larvæ. Et oblitus eſt præterea Autor, dictorum n. 15. quod omnis etiam poſteritas conſentiat, hic improprie ſumi contractum.*

p) ad ferendam) *Ut diximus, nil magis inde inferri poteſt, quam quod delinquenti non fiat injuria. Demus aliud exemplum: ita qui ex lubricitate ſaltum periculi plenum ſuſcipit, ſi crura frangat, non poterit conqueri de injuria: quia qui vult antecedens, debet etiam velle conſequens, & ita dicimus, eum eſſe obligatum ut hoc crurifragium patienter ferat. Sed quis tamen inde vellet inferre, eos qui tales ſaltus faciunt, eſſe obligatos in conſcientia, ut crura frangant, & peccare eos, ſi crurifragia non ſequantur.*

n. 22. *q*) uſitatius) *Mutat autor ſtatum controverſiæ. Puſendorffius aſſerit, non accuratam eſſe phraſin, pœnam* deberi *maleficis, aut pœnam* debere *maleficos, in ſenſu morali aut juridico* debiti. *Et Autor probat, eam phraſin eſſe optimè latinam, ſcilicet in ſenſu Grammatico. Unde nimis frigidum eſt, dum in* n. ſeq. *Puſendorffio objicit, quod refragetur* receptæ generis humani ſententiæ. *Et quid opus eſt multis, habemus confitentem Autorem* n. 28. *pœnam corporalem (ſed de hâc præcipuè diſputabat Puſendorffius, pertinere ad debita minus propriè dicta. Jam judicet Lector, quid ſentiendum ſit de ſententia autoris initio* n. 21. *& uter ex his duobus Argutatoris nomen mereatur.*

us huic receptæ generis humani ſententiæ refragatur, eo quod dici nequeat, *aliquem directe & immediate in pœnam ſuam conſenſiſſe.* Quid opus illo, directe & immediate. An nemo ſe, niſi directe & immediate, obligare poteſt? Qui vendit, tenetur ad evictionem, etſi nihil de illâ dictum ſit; non quidem directe & immediate; nihilominus vere, quoniam hæc eſt proprietas venditionis ex jure gentium, ut venditor præſtet, rem habere licere. Cives obligant ſe mutuo ad leges ſervandas, expreſſe vel tacite. Ergo etiam ad ſanctionem, quæ jure gentium eſt pars legis & ad pœnam ſanctione comprehenſam.

24. Excipit vir Cl. *Nemo delictum admittit, quin ſimul ſperet, ſeſe latendo aut aliâ ratione pœnam declinaturum*, proinde non conſentit. Quaſi venditores etiam ſæpe non ſperent, evictionis præſtationem ſe declinaturos, invitique ad eam compellantur, idque præcedentem illorum obligationem & conſenſum everteret. Initium in delictis, maxime priuſquam committantur, in caſum quo quis reus fiat, eſt à conſenſu, cujus vis in executione, per indutam voluntatem contrariam, ſubverti non poteſt.

25. Si pœna eſt in obligatione, cum illa ſit vinculum duos colligans, oportet etiam ſit, qui pœnæ jus exigendæ habeat; quod cur iterum Grotio adfirmanti *lib. 2. c. 20. §. 2.* neget Puſendorffius in *d. §. 1.* juſta ratio non eſt; Ait, ei qui jus puniendi habet, eſſe quidem ita faciendi, id eſt, puniendi jus, ſed hunc non eſſe actum juſtitiæ expletricis, quo pœnas refert Grotius, & quo contractus referuntur. Actum juſtitiæ dici reſpectu ejus cui ineſt obligatio, ad aliquid alteri tribuendum, cui facultas ſit illud exigendi: quod de maleficio & officio punientis dici non poſſe arbitratur.

26. Ego in ordine civitatis & juris publici diſciplina nullam in eâ re difficultatem reperio. Non poteſt exerceri Juſtitia liquidius quàm ſuum cuique tribuendo, à magiſtratu, cui jus eſt ita puniendi maleficos, ut ſi hoc negligat, evidentiſſime juſtitiam negligat & quidem expletricem. Quid hic deſiderat Puſendorffius; cum delinquentes pœnam perfecte & adæquatè mereantur, cum & magiſtratus ad hoc teneantur, & ipſi delinquentes è prævio conſenſu in leges, quod ſit, ut hoc ab illis exigi poſſit, ut pœnam pati, luere, ſolvere debeant?

27. Idem clarius eſt in privatis delictis, de quibus hi tantum agunt, ad quos commiſſum pertinet, vel ad damnum ſarciendum, vel mulctas cuique delicto legibus impoſitas; Etenim has, delinquentes optimo jure debere læſis, & illos his non minus ſolvere debere, quam hi exigere poſſunt, ecquis, omni die, quod ſit, dubitare queat? In quibuſdam locis ipſi, quibus injuria facta eſt, eam æſtimant, lege præcipiente; quo caſu plenum eſſe debiti & crediti jus, ne Puſendorffius quidem, credo, negabit: Alibi lex æſtimat mulctas eodem jure, quod inter partes vertitur, exigendas & præſtandas.

28. Quin etſi pœna corporalis infligatur, adhuc, etſi minus proprie, jus debiti & crediti vertitur. Nam qui furem deducit ad præfectum vigilibus, vel ad præſidem, exiſtimandus eſt; elegiſſe viam, quâ rem perſequeretur, ait Julianus in *l. 56. §. 1. ff. de furt.* quemadmodum ſi quis actionem, quæ ex maleficiis oritur, velit exequi, aut pecuniariter agere, aut extra ordinem ejus rei pœnam exercere poteſt *l. ult. d. Priv. ut. del.* utrovis modo tenetur reus, ad ſatisfaciendum læſo; nam & verberibus ſatisfieri poteſt, ait Ulpianus in *l. 17. §. 4. ff. de Injur.* & Papinianus, animo læſi pœna delinquentis ſatisfieri ſolere ſcribit in *l. 1. §. 6 ff. de Serv. export.*

29. Paulo diverſa ratio eſt in publicis judiciis, de quibus olim quilibet ex populo, moribus hodiernis reipubl. Procuratores agere ſoliti ſunt; quatenus omnium intereſt, delicta puniri: Inter omnes & ſingulos ſponſio ſive conventio de legibus ſervandis ferendisque delictorum pœnis inita eſt, quas ideò ex illo conſenſu omnes & ſingulos exigere

igere poſſe, manifeſtum eſt.

30. Illud vero, jus omnium, ubi compertum eſt, minus à ſingulis pro vigore publicæ diſciplinæ exerceri, magiſtratibus, unique potisſimum ejus rei procuratori placuit committi; cui proinde jus exigendi competere, manente eadem obligatione præſtandi in delinquentibus, quæ fuit antea, conſentaneum eſt.

31. Quod autem aliquoties in hiſce connexionibus dictum eſt, in lege civili conſenſum civium verti, quâ id ratione conſtet, & quomodo accipiendum ſit, in loco de legibus, qui *in princ. libri ſequ.* occurret, videbimus.

CAP. II.

DE JURE IN PERSONAM AD REM COMPARATO, EJUSQVE CAUSA, ET PRIMO DE COMMERCIO SERMONIS.

Tranſitus ad jus & commercium ſermonis. n. 1. 2. Mendacium eſſe prohibitum & vile imprimis. n. 3. 4. Pertinere prohibitionem ejus ad ſecundam Decalogi tabulam, & ad læſionem proximi. n. 5. Qua in re mentiens lædat jus proximi, ſine dolo in rebus admiſſo. n. 6. Caſus ab homine enunciati falſiloquii, in quibus nulla ejusmodi læſio committitur. n. 7-15. An in mendacio ſit repugnantia cum naturâ Dei, ſine reſpectu ad jus hominum inter ſe. n. 16. Reſponſum ad argumenta Ziegleri & Auguſtini, n. 17-25.

1. RES privatorum, jure vel in re, vel ad rem, quod dicitur, diſtingui communis etſi recentior, ignotaque veteribus, eſt doctrina. Et de jure quidem in re conſtituto ejuſque ſpeciebus in *ſect. 4.* quatenus ad hanc artem ſpectare videretur, egimus. Jus ad rem, quod dicitur, habet cauſam, obligationem, quæ vel eſt è conventione, vel delicto, vel è variis cauſarum figuris. Ex omnibus oritur jus in perſonam non in rem directe: ſed vel in perſonam qua talem, de quo genere egimus in *cap. præced.* vel in perſonam ob rem, ſive ad rem præſtandam; Facto etiam ſub re comprehenſo, quæ res habet utilitatem pecuniariam. Et hoc eſt, quod vulgo ἀκολόυμως, JUS AD REM appellari diximus.

2. Videamus primo de jure in perſonam, propter, vel ad rem, è conventione oriundo. Conventio eſt duorum vel plurium in idem placitum conſenſus. Et hic eſt vel expreſſus vel tacitus. Ille ſermone vel literis exprimitur; tacitus è factis colligitur. De expreſſo conſenſu, ad quem tacitus exigitur, primo agendũ; de quo videtur intelligendus Plato, quando ex Simonide *lib. 1. de republ.* Juſtitiam dicit eſſe, *τ ἀληθῆ λέγειν, vera dicere*, id eſt ſervare fidem, ut præcipuum, non totum, opinor, juſtitiæ officium deſignaret.

3. Et ſane verum dicundi officium è fundamentis humanæ ſocietatis eſt unum, quo nihil ſanctius, expreſſa imago rationis, quâ proximè ad Deum accedimus, ejuſque donum, ad hoc datum, ut cogitationes ſuas humanum genus inter ſe mutuo communicet; quod ideo ex inſtituto creatoris ſui & rectoris hujus mundi, ita ſibi invicem debent, ut non modo nullum damnum alter alteri mentiendo inferat, ſed & in ipſo o-

 ratio-

Digitized by Google

rationis commercio illam æqualitatem ſervent, *r)* ut ne aliter verba, quam uſus & convenientia cum ratione, cujus interpretationem præferunt, exigit, inter ſe commutent.

4. Proinde, qui talibus utitur verbis, quæ alio ſenſu, quam à mente loquentis diſcrepante ſumi non poſſunt, ille mentiri dicitur, quo nullum in ſacris & in profanis literis vitium decantatius eſt. Alii falſiloquium id eſſe dicunt; Mendacium id tantum appellant, reſpectu ejus, qui jus habet, ut animi mei ſententiam liquido debeat intelligere. Ita Pufend. *L. 4. c. 1. n. 9.* Quam diſtinctionem ut non ſpernimus, ita necdum hæc uſu venit nobis. *s)* Prius igitur hic falſiloquium & mendacium promiſcuè accipiemus; dein res ad illam diſtinctionem nos manuducet.

5. Juxta furioſos, & homicidas ponuntur mendaces *Pſ. 5. v. 7. Prov. 6. 17.* abominabiles Deo *Prov. 12. 22.* Spirans mendacia non evadet, peribit. xix. 5. 9. Mendacium pars veteris hominis, abjicienda piis *Eph. 14: 5. Coloſſ. 3: 9.* Auctor mendacii Diabolus *Joh. 8; 44.* Deus è contra verax *Rom. 3: 4.* qui mentiri non poteſt *Hebr. 6: 18.* Et qui prohibitionem hanc contulit in decalogum, caput ejus IX. adeoque ad tabulam ſecundam; quia *t)* verba ſunt inſtituta, ut per ea in aliorum hominum notitiam cogitationes noſtras tranſmittamus, atque adeo hominibus proprie falſum teſtimonium, id eſt, mendacium dicimus; quia veritatis obſervantiam unusquiſque proximo ſuo debet, ex obligatione naturalis & divini juris, ut docet Ameſius *lib. 5. de Conſc. c. 53. n. 7. & 11.*

6. Unde liquet, non aliter committi peccatum mendacii, quam ſi jus proximi ex obligatione, quâ homines erga ſe invicem obſtricti ſunt, lædatur; non quidem ut detrimenti quid alterius patrimonio, incolumitati aut honori inferatur, cuiuſmodi aliquid cum falſiloquio plerumque conjunctum, peccati deformitatem auget ac intendit in primis; ſed etſi nulla ſit, quam deceptio in verbis, à mente loquentium ita diverſis, ut ſano ſenſu aliter accipi nequeant, hæc eſt læſio alterius *u)* in re ſanctiſſimi inſtituti

& ordi-

n. 3. *r)* ſervent) *Sed hac diſtinctio, qua nullum fundamentum habet, valde obſcurat ea, qua aliàs Autor in hoc capite benè diſſerit contra receptam communiter ſententiam de turpitudine omnis falſiloquii. Quid enim hoc eſt: Mendacium non ſolum turpe eſt, quatenus proximo damnum datur, ſed & quatenus violatur æqualitas proximo debita. Et tamen poſtea dicere: Mendacium tum demum eſt turpe, quatenus læditur proximus. Sane ſi violatur æqualitas proximo debita, læditur proximus, ſi læditur proximus, damnum ipſi datur (tam latè enim damnum hoc loco accipi, conſtat ex* n. 6.)

n. 4. *s)* venit nobis) *ob nullam aliam cauſam quam propter ſubtilem illam ſed inanem diſtinctionem modo memoratam & ſæpius repetitam.*

n. 5. *t)* quia) *cur non potius magis proximè, quia verba ſunt inſtituta a Deo, ut proximo noſtro proſimus, non ut ei noceamus. Nam in ſecunda tabula prohibetur damnum proximi, & jubetur promotio commodi.*

n. 6. *u)* alterius) *Neſcias quid velit: opponit enim hanc læſionem alterius i.e. proximi damno dato in patrimonio, ſanitate & honore, i.e. damno dato in bonis corporis & fortunæ. Præter hæc nulla alia bona dantur, in quibus alter me lædere poſſit invitum. Nam bona animi non ſubjacent læſioni alienæ, niſi quatenus cohærent incolumitati & ſanitati. Ergo vides iterum, iſtam diſtinctionem inanem eſſe, & non cogitaſſe autorem de poſſibilitate caſus in altero diſtinctionis membro. Sane ſi quis falſiloquio intendat ſaltem deceptionem alterius, ſine ratione aliquâ, in caſibus ab ipſo autore relatis n. 8. ſeq. contentâ, etiamſi non lædat*

& ordinationis divinæ, w) quo reſpectu læditur hoc peccato majeſtas Dei, qui veritatis auctor & amator talis eſt, ut mentiri non poſſit & imaginem ſuæ veracitatis homini impreſſerit conſervandam: quibus accedit, quod illa deceptio verbalis, etſi in rebus tralatitiis commiſſa, ſignum eſt animi levis ac impoſtoris, x) ab omni candore & ingenuitate alieni; quod & objectum alicui, ſenſibilis injuriæ loco habetur, & exulat à converſatione civili.

7. At hæc omnia ſupponunt formale mendacii adeſſe, læſionem ſcilicet proximi in commercio ſermonis; cujusmodi læſio, ne de alio detrimento alteri intentato dicam, ſi nulla committatur, oportet illa vilitas & levitas, illa violatio inſtituti & majeſtatis Dei, & quicquid in mendacio turpe ineſſe demonſtravimus, ceſſet. Si nihil, inquam, in eo reperiatur, quod tabulam Decalogi ſecundam, quæ ad proximum ſe refert, imminuat eique fraudem faciat.

8. Quare, I. Si quis enunciationes falſas ex ore ſuo proferat ſolus, ſine animo & uſu cum aliis communicandi, hunc non mentiri certum eſt, etſi actus ille poſſit eſſe ineptus & vitioſus, non tam reſpectu ſermonis, quam cogitationis & actus ipſius, ſi nihil ad honorem Dei & uſum rectæ rationis attineat.

9. II. Si quis etiam enunciet verbis, quod non habet in animo, ad eos qui non habent uſum rationis; cum oratio ſine ratione nulla ſit, ac ideo commercium orationis ſine ratione haberi non poſſit; in eo non eſſe mendacium, quia commercium ſermonis, aut jus alterius hoc reſpectu non læditur, ſtatuendum eſt: Unde, ſi quid furioſo, quod ita non eſt, adfirmetur, non magis eſt mendacium, quam fides conventionis & contractus cum illo initi non ſervata, perfidia eſt; eademque ratio erit infantium. Etſi id genus falſiloquia, ſine aliqua ipſorum utilitate, rectius omittuntur, ut ineptiæ ſaltem & nugæ.

10. III. Sequitur, quando res aliter quam ſunt, enunciantur, apud eos, qui fictionis vel præmoniti, vel ex negotii natura gnari ſunt, non eſſe mendacium, quia non violatur commercium ſermonis, aut jus alterius, eo reſpectu æque manifeſtum eſt, ut cum in apologis, arbores & animalia bruta loqui dicuntur; aut etiam hominibus, ea quæ non egerunt, adſcribuntur, eruditionis inde colligendæ causâ. Eodem pertinent fictiones legum, ut cum filius in movendâ quetela inofficioſi teſtamenti dicit; ita fingi lege jubente; Patrem ſuum, cum faceret teſtamentum, non fuiſſe ſanæ mentis, & id genus alia, quo nomine parum ſcite cenſuram in artem juris exercent quidam, ut probavimus *in Eunom. Rom. ad l. 2. ff. de inoff. teſtam.* modo id fiat, cum aliquo fructu utilitatis aut honeſtatis publicæ, quod juris auctores fategerunt.

11. V. Si non quidem præmonito vel gnaro; ſed tamen, re comperta, conſenſuro & gratia

---

deceptum, intuitu patrimonii & ſanitatis, lædit tamen intuitu honoris, quia intendit gaudium ex hâc deceptione: Er hält ihn für einen Narren. *At hic contemtus maximè lædit honorem communem omnibus hominibus debitum.*

w) ordinationis divinæ) *Sed ſi quis lædit alterum ſaltem intuitu ordinationis divinæ, abſque propiore reſpectu ad ipſum læſum, ſed ut ſolum lædatur hoc peccato Majeſtas Dei, ut autor mox loquitur; Tum ſanè propriè loquendo proximus non læditur ſed Deus, & adeo falſum eſſet, mendacium pertinere ad ſecundam tabulam hoc intuitu, ut tamen Autor vult, ſed pertineret tum ad primam.*

x) impoſtoris) *Sed nemo meretur nomen impoſtoris, niſi qui alteri damnum det. Unde vilitas de quâ hic loquitur autor, iterum non eſt ſeparanda ab animo damnum alii dandi.*

Digitized by Google

gratias habituro aliter res, quam eſt, adſeratur; nulla fit ejus læſio, nihil præjudicii hoc reſpectu creatur, adeoque mendacium non committitur. Eò pertinet Maximi Tyrii dictum, καὶ ἰατρὸς νοσοῦντα ἐξαπατᾷ, καὶ στρατηγὸς στρατόπεδον, καὶ κυβερνήτης Ναύτας, καὶ δεινὸν οὐδὲν, *Medicus ægrotum, Imperator exercitum, & gubernator navigantes decipit abſque malo*; rurſus ſub eadem limitatione boni, & conſenſus ſaltem taciti, evidentis. Exempla paſſim obvia nihil opus eſt commemorari.

12. VI. Qui in hoc eſt, ut ſocietatem humanam nefarie lædat, alioſque contra jus naturæ vexet & opprimat, huic, eo reſpectu, quo melius id efficiat, non debetur hoc commercium ſermonis & communicatio cogitationum, nec ideo mendacii peccatum in vero diſſimulando contra illum committitur. Quo pertinet obſtetricum adverſus Pharaonem adſeveratio, cui quod Deus benedixiſſe legitur, indigere non videtur illâ diſtinctione, quæ in ſacrum textum majori, ut videtur, ſubtilitate, quam ſoliditate, infertur. *Exod. 1. 19. 20.*

13. Inde VIII. nec hoſti in bello juſto, ferrum & flammam patriæ noſtræ inferenti, cui vitam & opes eripere fas eſt, nihilo magis hoc reſpectu, ſermonis illud officium & jus commercii, quod cum eo nullum eſt, debetur; quam rem etſi latius pateat quam prius, aliqui facilius concedunt. Quos inter Zieglerus, qui in cæteris contra Grotium diſputans, hac in re, *Non negaverim tamen*, inquit, *hoſtem reipubl. tam geſtu & ſignis, quam confictis ſparſiſque literis, aut vulgato falſo rumore falli licitè poſſe; quandoquidem ille commercium juris gentium jam violavit, & per ordinariam juris viam in ordinem redigi non poteſt*, ad Grot. *lib. 3. de Jure B. & P. c. 1. §. 17.*

14. IX. Rectori ſupremo reipubl. propter commune vel ſingulare bonum concedit falſum dicere Plato', eoque refert Grotius adſeverationem Salomonis, de ſcindendo in partes infante, cum animus ei longiſſime à tali voluntate abeſſet, *d. c. 1. n. 15.* Ejusque rei cauſam referre oporteat, ad tacitum civium conſenſum, qui omne ſuum jus, adeoque etiam id, quod è promiſcuo ſermonis commercio ſingulis debetur, propter utilitatem publicam, in imperantes ſuos contulerint.

15. Hæc & ſimilia ſicut à nobis abſolutè non adfirmantur, *y*] ita concedi non poſſe fatemur, ſi in falſiloquio ſit vitium quo Dei naturæ, ſine reſpectu ad jus proximi, contrarietur; vitium, inquam repugnantiæ cum natura Dei, abſtractum à reſpectu mutuæ obligationis hominum inter ſeſe; quod ſi eſt ita, quur magis ad ſecundam, quam ad primam decalogi tabulam referatur mendacium, non animadvertimus.

16. Equidem eſſe Deum veracem, nec eſſe non poſſe, quis non agnoſcat? æque ac eundem eſſe juſtum, nec eſſe non poſſe fatentur omnes. Quin etſi non exercere juſtitiam', vel ipſam punitoriam, non poſſe Deum ſtatuamus, ideo tamen non ſequitur, non multos juſtitiæ actus inter homines circa res, circa vitam illorum, diſpenſante Deo, aliter aliterq; habere ſe poſſe, vel etiam ſine diſpenſatione, variantibus objectis, ſalva ſcilicet Dei juſtitia; quemadmodum falſiloquia, quæ vitio carere putamus inter homines, ſalva Dei veracitate fieri, non eſt quod dubitemus.

17. Inſtantiam tamen à Deo, inquam, valde urgent, qui falſiloquium indiſtinctè damnant. Zieglerus in *d. ad Grotium loco §. 5. At ſi licitum quid eſt homini in relatione ad hominem, quidni id liceat Deo erga homines? Et ſi ea eſt natura mendacii, ut ex circumſtantiis in*

---

n. 15 *y*) non affirmantur] *Hæc magis ex metu videtur ſcripſiſſe autor, potentiæ Doctorum adverſæ ſententiæ, quam ex animi ſententia. Nam contextus oſtendit, eum haud dubiè affirmare præcedentia. Confer quoad totam hanc controverſiam quæ diximus* in Inſtit. Juriſpr. divin. lib. 2. c. 8.

Digitized by Google

tiis in genere licitorum poni poſſit, quid eſt, quod Deo id tribuere prohibeat: Vel hinc ergo apparet, eam eſſe mendacii naturam, ut ne quidem propter circumſtantias laudari atque ab hominibus probari queat.

18. Placet ea de re quid Plato dixerit, referre. Τὸ ἐν τοῖς λόγοις ψεῦδος, inquit, ποτὲ καὶ τί χρήσιμον, ὥστε μὴ ἄξιον εἶναι μίσους; Ἆρ᾽ οὐ πρός τε τοὺς πολεμίους, καὶ τῶν καλουμένων φίλων, ὅταν διὰ μανίαν, ἤ τινα ἄνοιαν, κακόν τι ἐπιχειρῶσι πράττειν, τότε ἀποτροπῆς ἕνεκα, ὡς φάρμακον, χρήσιμον γίνεται; *Mendacium, quod verbis committitur, nunquid aliquando eſt utile, ut odio dignum non ſit? Nonne adverſus hoſtes, & eos qui amici vocantur, quando propter furorem vel inſaniam quandam, aliquid mali aggrediuntur, nonne tunc avertendi cauſâ, tanquam remedium, utile ſit mendacium? lib. 2. de republ. ſub fin.* Subjungit deinde, Κατὰ τί δὴ οὖν τούτων, τῷ Θεῷ τὸ ψεῦδος χρήσιμον; *Qua parte vero harum rerum vel uſuum, Deo mendacium eſt utile?* Κομιδῇ ἄρα ὁ Θεὸς ἁπλοῦς καὶ ἀληθὴς ἔν τε ἔργῳ καὶ ἐν λόγῳ, καὶ οὔτε αὐτὸς μετάθισαι, οὔτε ἄλλους ἐξαπατᾷ, οὔτε κατὰ φαντασίας, οὔτε κατὰ λόγους, οὔτε κατὰ σημείων πομπάς, οὔθ᾽ ὕπαρ, οὔδ᾽ ὄναρ. *Plane Deus ſimplex & verax opere atque verbis eſt, nec ipſe mutatur, nec alios decipit, neque per viſiones, neque verbis neque ſignis, aut oſtentis, nec per vigilias neque per ſomnia d. loco,* Idem ſummatim repetit *à princ. lib. 3.*

19. Primo quidem, ſi verum eſt, quod Plato ait, & quod neminem ſcio negaturum, Deum neminem vel per ſigna geſtusque in errorem deducere; neque tamen quisquam negat, ex juſtâ cauſâ ſignis & geſtibus aliud præ ſe ferre, quam ſit in mente, licere, quo pertinent ſtratagemata belli aliaque in ſacris & profanis hiſtoriis infinita exempla, argumentum à Deo ad hominem labaſcere oportet.

20. Plato ſignificat, idque verum eſt, Deo nec opus eſſe *z*) neque dignum, adhibere ſigna vel voces, quibus aliud præ ſe ferat, aliud velit, ut hominibus prodeſſe queat, ſicut uſus venit hominibus ob ignorantiam & impotentiam. Eſt enim imperfectio in homine *a*) tali indigere circuitu, ut alii proſit. Quanto unumquodque minorem ab objectis mutationem accipit, tanto perfectius eſt, ait idem Plato *lib. 2. paulo ſuperius.* Ἀλλὰ μὴν, addit, ὁ Θεός τε καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ πάντα ἄριστα ἔχει.

n. 20. *z*) opus eſt) *Id conſtat ergo, neminem unquam fuiſſe tam abſurdum, ut Deo attribuat mendacium. Cæterum an naturæ Dei repugnet falſiloquium mendacio oppoſitum &, & quæ huic in factis correſpondet ſimulatio, huc non pertinet, (poſtquam autor benè oſtendit, à naturâ Dei ad naturam hominum non valere illationem) ſed ad Theologiam naturalem. Interim cavendum eſt à reſponſionibus, quæ ducunt in circulum. Communiter enim ita ſolent diſſerere, omne falſiloquium, omnis ſimulatio eſt peccatum, quia Deus non utitur falſiloquio & ſimulatione. Et Deus non poteſt uti falſiloquio & ſimulatione, quia ſunt res haud dubiè turpes & peccata. Quodſi ulterius premas ut meliora afferant, nil habent amplius: quam, quia ita voluit B. Auguſtinus. Nam hic ubique fere magis regnat quam ratio & ſcriptura. Sed hos id ſaltem vellem admoneri, ut non ludant, aut non confugiant id mutabilitatem Dei, ſi urgentur à diſſentientibus, Deum tamen dixiſſe ad Moſen, quod vellet extinguere populum, & tamen deſtitiſſe (& quæ ſunt alia quæ opponi ſolent ex V. T.) item Chriſtum ſimulaſſe, quaſi vellet abire à diſcipulis &c.*

a) in homine) *Sed & hic opponent diſſentientes, confundi hic diſtinctiſſima, innoxiè videlicet decipientem & deceptum. Imperfectio illa quæ hic intenditur, non eſt in decipiente ſed in decepto, i. e. ut exempla hic ex n. 11. repetamus, in ægroto, in exercitu, in navigantibus, non in Medico, non in Imperatore, non in Gubernatore navis. Ergo, ad-*

Digitized by Google

ἔχει. *Enimvero Deus*, inquit, *& quicquid eſt Dei omni ex parte optime & perfectiſsime ſe habet.* Imperfectionem igitur eſſe falſiloquium, aliquando innoxium, patet, quale in hominem quidem ſine delicto, in Deum cadere non poteſt.

21. Ex his etiam intelligitur, quo pacto illud celebre dictum Auguſtini, nullum mendacium non eſſe peccatum, ne quidem, ſi ob gloriam Dei fiat, accipiendum ſit; etſi maxime non concedatur in ejus ſententiam rigidiorem non admittentis ullum ſcientis falſiloquium; non eſſe videlicet, quod gloriam Dei per ſe & directè, ejusmodi commentis & ambagibus innoxiis, quæ tamen imperfectionem & infirmitatem continent, ſine reſpectu ad hominum officia inter ſe, promovere ſtudeamus.

22 Damus etiam Auguſtino, mendacium non ideo deſinere eſſe peccatum, *quia poſſumus aliquando alicui prodeſſe mentiendo. Poſſumus enim & furando alicui prodeſſe, ſi pauper, cui palam datur, ſentit commodum, & dives, cui clam tollitur, non ſentit incommodum.* Nec ideo tale furtum quiſquam dixerit, non eſſe peccatum, ut loquitur in *Enchirid. c. 22.* Dives enim habet hoc jus ex lege naturæ, gentium & divina, ne quod proprium ejus eſt, ipſi auferatur: ſed cui falſum perſuademus, in caſibus *ſuprà* exceptis, non habet jus, ut verba cum eo commutemus, ejuſdem ſignificationis, cujus eſt noſtra mens aut voluntas. Ubi hoc jus habet alter, ibi mendacium eſſe peccatum intelligimus & dictum eſt.

23. Idem ſervit ad hoc; *Poſſumus & adulterando prodeſſe* inquit, *ſi aliqua, niſi ad hoc ei conſentiatur, appareat moritura, & ſi vixerit, pœnitendo purganda, nec ideo peccatum negabitur tale adulterium.* Nemo dicet, utilitatis causâ licere mentiri, ſi tam veri copia debetur ei, quicum res eſt, quam uxorium jus alteri debetur. Inſtat Auguſtinus, *ſi autem merito nobis placet caſtitas, quid quæſo offendit veritas, ut propter alienam utilitatem, illa non violetur adulterando, & violetur iſta mentiendo?* Si violatio veritatis inter homines magis intelligi poteſt ſine reſpectu juris alieni, quam caſtitas ab adultero ſine tali reſpectu violari poteſt, argumentum valebit. Sed cum neutra tali reſpectu carere poſſit, quid ab adulterio, quod jus alienum indigne violat, argumentemur ad falſiloquium noſtræ hypotheſeos, in quo nulla ejuſmodi juris alieni violatio vertitur?

24. Denique, *non ideo mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnunquam pro ſalute quorundam mentiamur*, ait ille; Recte; pro ſalute aliena non eſt mentiendum; ſi talis eſt is, ad quem verba proferuntur, in quo locum habet obligatio illa juris naturalis & divini, ut internas loquentis cogitationes intelligere debeat. Si talis ille non ſit, furioſus gladio armatus; aut tyrannus vel latro innocentem ad cædem quærens, huic ego cogitationes meas convenientibus verbis, aperire non teneor; ſed verba dare, ſine mente, quibus in furore ſuo impediatur, jus & fas videtur.

25. Jam ſi quis id, quod contra obligationem illam naturalis & divini juris profertur, mendacium; quod inde alienum ac innoxium eſt, falſiloquium, appellare velit, ut Puſendorffius inſtituit, nihil refragamur: Quemadmodum ſi quis ipſe verum putans, falſum enunciet, aut ſi verba ſint ambigua, vel tantummodo reticentiam veri totius vel pro parte contineant; hæc ut à controverſia remota, ab aliis petenda relinquimus, *vid. Grot. lib. 3. c. 1. & Ameſ. d. cap. 53.*

CAP.

dent diſſentientes, nec in Deo. Quis enim abſque abſurditate aſſereret, eſſe imperfectum Medicum, qui non poſſet perſuadere nauſeantem ægrotum, ut medicinam aſſumat, etſi Medicus ægrotum de amaritudine medicamenti & verbis & factis confirmet: eſſe imperfectum patrem, qui non poſſit filium, cujus affectuum & ſtultitiæ miſeretur, abſque diſſimulatione amoris & miſericordiæ ſuæ & ſimulatione iræ in ordinem redigere &c.

Digitized by Google

CAP. III.
DE PACTIS ET JUREJURANDO.

Conventio ſive Pactum quid? n. 1. 2. 3. Non obligare pactum, niſi per acceptationem ejus cui promiſſum eſt. n. 4. Requiri in utroque uſum rationis, n. 5. non æquè deliberatum animi conſilium, n. 6. 7. niſi aliter lege civitatis cautum ſit. n. 8. Non videri opus eſſe, ut acceptatio innoteſcat promittenti, n. 9. ſed morte jus acceptandi extingui. n. 10. De promisſione & ſtipulatione plurium n. 11. Rem promiſſam in poteſtate promittentis eſſe debere, tam rei quam perſonæ reſpectu; n. 12. 13. proinde curam, n. 13. turpitudinem, n. 14. commercii prohibitionem, n. 15. dationem factumve alterius, niſi mandatum intervenerit, impedire obligationem. n. 16. Alius pro alio an ſtipulari vel acceptare posſit, diſputatur, adverſus Grotium n. 16-21. De jurejurando, quid, & an licitum ſit. n. 22. 23. 24. Per ſe hoc non producere obligationem, nec efficere, ut obligationes valeant. n. 25. Quid de obligationibus ſolo jure civili prohibitis hac parte juris ſit. n. 26. Reliqua remisſive. n. 27.

1. Acturis de jure, quod ad rem ex conventione oritur, quemadmodum ſupra inſtituimus in anteceſſum, de præcipuo conventionis inſtrumento, quod eſt ſermo, & de commercio illius agendum actumque fuit: nunc ad ipſam conventionem pergendum.

2. Eſt autem nihil aliud conventio quam duorum pluriumque ratione utentium, in idem placitum conſenſus; aliter pactum & pactio appellata. Declarationes autem ab una parte factæ non pariunt obligationem, quæ eſt vinculum inter duos, ſed in poteſtate ſunt ejus à quo prolatæ ſunt, ut impleantur vel mutentur: Quemadmodum in ultimis fit voluntatibus, quæ uſque ad ſupremum vitæ exitum ambulatoriæ eſſe dicuntur & ſunt.

3. Nec valet à naturâ Dei, cujus dictum eſt *ἀμετάθετον πρᾶγμα, res immutabilis*, ut ait auctor ad Hebræos, argumentum in contrarium. Eſt enim infirmitas, mutare conſilium, qualis ut homini ſine ſcelere evenire poteſt, ita in Deum nullo modo cadit.

4. Conventio igitur non obligat, niſi per translationem juris in alterum factam, quæ nonniſi per actum voluntatis, id eſt, per acceptationem alterius committi poteſt; niſi quod lex aliquando ſupplet actum voluntatis in acquirente, quemadmodum in ultimis voluntatibus accidit, & rogatio præcedens poſt ſecutam promisſionem ſine dubio vim acceptationis habet.

5. In utroque tam promittente, quam acceptante requiritur uſus rationis; Unde furioſos, & infantes neque promittere nec acceptare poſſe manifeſtum eſt. Quin etſi omnes qui intelligunt, quid dicatur, aut agatur, è conventionibus teneri videantur, omnium tamen uſu gentium paulo major ætas ad efficacem conventionis effectum requiritur, cujus determinatio juris poſitivi eſt; quemadmodum eodem jure negatur a-

liquando effectus obligationi, qua per ætatem aliquis obſtrictus fuerit, quemadmodum de his qui ſub curatoribus agunt, *infrà* videbimus.

6. Quidam præter uſum rationis, requirunt animum in promittente deliberatum; etiam Grotius ita, *quod ſit*, inquit, *animo non deliberato, id nos quoque ad vim obligandi non credimus pertinere lib. 1. de J. B. & P. c. x. n. 4.* Deliberationem, qualis ad quemlibet actum animi voluntarium, à philoſophis requiritur, quem electio ſequitur, ſi intelligit, bene eſt; Si vero populariter in promittente requiri putant ejuſmodi præviam deliberationem, qua nonniſi bene ſubductis rationibus, homines ad conventionem accedunt, hoc requiſitum incideret in ſententiam eorum, qui pacta non aliter obligare putant, quam ſi bene ſerio animoque determinato fiant ac interponantur: Temere autem inita non cenſent eſſe obligatoria, nec aliter quod jure Romano de nudis pactis docetur, accipiunt, quâ de re diximus in *Eunomiâ Rom. ad l. 7. ff. d. pact. & in prælect. ad d. tit. n. 8.*

7. Verius eſt, eos, qui mentis compotes temere promittunt, bene tamen intelligentes quid agant, nec in facto deceptos, ad ſervandam fidem datam teneri, ut ipſe Grotius probat *l. 2. c.* xi. *d. pr.* & eſſe quod ſibi temeritatem ſuam imputent. Acceptatione ab altero factâ, jus ei quæſitum eſt, & promittens ſtipulatori obnoxius tenetur: Alioquin hoc prætextu quilibet contractus atque alienationes in dubium vocari poſſent: ſiquidem in promiſſione, cauſa eſt alienandi & juris in alium transferendi. Docet idem rex ſapientiſſimus *in proverb. c. 6. Si ſpopondiſti manumque dediſti, illaqueatus es oris tui eloquio & teneris, veniſti in manum proximi tui, cui te ſubjicias eique ſatisfacias oportet.*

8. Si qua tamen civitas inutile eſſe arbitretur, inter cives ſuos è quibuslibet conventionibus actiones dari, ſtatuatque in eum finem certam aliquam & ſolennem formulam, qualis apud Romanos ſtipulatio fuit, eſſe requirendam, hanc conſtitutionem è conſenſu vel lege juſtam fieri poſſe, non eſt, quod negemus, eàque ratione quod è pactis nudis jure Romano non datur actio, ut in *dictis locis* probavimus, defendi poteſt; tametſi jure gentium, quod hodie merito viget, aliter obtinere jam diximus.

9. Cæterum, acceptatio tribuit jus ei, cui promittitur, etſi facta ſit abſenti; modo contractus inter abſentes per leges celebrari queat, nec opus eſſe videtur, ut acceptatio promiſſori innoteſcat, niſi id pactus ſit; ne quidem in negotiis reciprocæ obligationis, ſecus ac vult Grotius *d. cap.* xi. *n.* 15. Quid enim? ſi quis addixerit abſenti rem certo pretio & hic coram teſtibus acceptaverit, an venditor revocare poterit, ſi pœniteat, ante quam acceptatio ipſi renuntietur? Non habet rationem; Transtulit in emptorem jus, ſi acceptaverit. *b*) Acceptavit: tenet igitur obligatio. Ante acceptationem, poſſe revocari jam dictum eſt.

10. Si ante acceptationem mortuus ſit ille, cui promiſſio facta fuit, ad heredem ejus nihil tranſit, quia nihil defuncto acquiſitum fuit; jus acceptandi non tranſit; quia non eſt jus quæſitum, ſed eſt res meræ facultatis, ſive potentiæ, quæ cum perſonâ extin-

n. 9. *b*] ſi acceptaverit) *Sed hoc eſt illud ipſum de quo quæritur. Utrum ſcilicet ex natura promiſſionis cenſeatur jus eſſe translatum in alterum, ſi ille acceptaverit quocunque modo, an demum, ſi promittens acceptatum intellexerit. Autor prius aſſerit. Mihi placet poſterius, eſt enim negotium mutuum. Unde quemadmodum promiſſio non eſt, niſi acceptans eam factam eſſe ſciat, ita par videtur eſſe ratio acceptationis. Fac me præſenti promittere, ipſum acceptare in mente, aut in aurem tertii. An putas promittentem obligari? Ego non arbitror.*

extinguitur. Quid ſi promiſſor ſit mortuus, an is cui promiſſum eſt, acceptare poteſt? Sane poteſt; *c*) ſed &, heres promiſſoris ante acceptationem revocare poteſt, ſicut ipſe promiſſor potuiſſet.

11. Plane, ſi plures ſint promittentes aut ſtipulantes, ſingulos pro partibus obligare & obligari, naturalis juris eſt; Ut in ſolidum ſinguli teneantur, non fit, niſi per expreſſam conventionem, quâ fiunt duo correi ſtipulandi & promittendi; vel quod res ſint individuæ, ut quædam facta & res incorporales. Eadem ratio eſt in heredibus ejuſdem promiſſoris aut ſtipulatoris.

12. Hæc de conſenſu utriusque vel plurium. Sequitur materia pacti, *in idem placitum*, ut in definitione fuit. Qualitas materiæ expreſſa non eſt, neque potuit exprimi ob infinitam varietatem: Sed hoc ultro intelligitur, rem ejuſmodi eſſe oportere, quæ ſit in poteſtate promiſſoris, quæ deficit, vel ratione perſonæ, vel rei. Priore ſenſu quicunque ſub curatoribus agunt, promittendo cum effectu non obligantur. Etſi enim quominus ex conventione teneantur, qui ratione utuntur, nihil obſtat, effectus tamen, qui conſiſtit in alienatione, ab iiſdem proficiſci non poteſt, cum hæc auctoritate curatoris impediatur, quod univerſo juri convenienter, etiam à Romanis obſervatum eſt, *l. 101. ff. de verb obl. & l. 3. C. de in int. reſt.*

13. Reſpectu rei, non valet promiſsio rerum, non modo impoſſibilium, ſed etiam commercio exemptarum, ut ſunt res ſacræ, ſanctæ, religioſæ, publicæ, liberi homines; ſed rerum quæ nullius ſunt, aut alienarum promiſsio, in caſum, quo noſtræ futuræ ſunt, promiſsio valet: & ſic etiam publicarum vel ſacrarum, in caſum ſi quando privatæ & noſtræ ſint futuræ; modo in illa ſpe vel deſtinatione nihil ſit turpitudinis, qualis eſſe videtur in promiſsione matrimonii futuri, ab eo eave, qui conjugem nunc habet, tamen etſi aliter, quod mirere Grotius *d*) in *lib. 2 c. XI. n. 8. in fin.* Quanquam autem qui promittit res in commercio poſitas, ſed nunc alienas, ad ipſarum præſtationem in præſenti non obligatur; ſi tamen eas purè promiſerit, in id quod intereſt tenebitur; ad quod ſi promiſsio penitus nulla ſit, ob defectum commercii, ceſſantibus omnino terminis habilibus, non tenetur.

14. Ad nullitatem pertinet etiam promiſsio rerum vel actionum turpium, quas nemo in

Ttt 2

n. 10. *c*) ſanè poteſt) *Et hic mallem defendere contrarium Si enim jus acceptandi non tranſit ad heredem ejus cui promiſsio facta eſt, quia non eſt jus quæſitum; nec videtur onus obligandi tranſire ad heredem promiſſoris, ſi is cui promittitur, demum poſt mortem promiſſoris acceptet, quia etiam tempore mortis obligatio nondum erat quæſita. Nam correlatorum eadem videtur eſſe ratio.*

n. 13. *d*) Grotius) *Quæſtio præjudicialis eſt: An fides conjugalis violetur ſi alteruter conjugum vivente altero promittat tertio ſub conditione extincti prioris conjugii matrimonium. Quod in omnibus caſibus haud dixerim. Fingamus, tempore peſtis duos amicos ita inter ſe convenire conſentientibus utrobique omnibus quorum intereſt, ut, ſi contingat, per peſtem extingui alterutrum ex maritis & uxoribus, ſuperſtites ad conſervandam utramque familiam debeant novum matrimonium inire. Fingamus maritum uxoris virtuoſæ patrimonium ſuum perdere, neglectâ conjuge & liberis; uxorem vero eâ de re conqueri coram amico ſincero, & hunc promittere fœminæ, quod opibus & conſilio ipſius & liberorum indigentiæ ſubvenire, & in caſum mortis mariti prodigi eam in uxorem ducere velit. Quæritur an hic violetur fides conjugalis? Tales caſus plures contingere poſſunt. Inquirendum etiam eſſet, annon ſententia adverſa fluat ex præjudicio erroneo doctrinæ Pontificiæ, quaſi matrimonium ſit ſacramentum.*

Digitized by Google

mo in poteſtate habere cenſetur, & unde ne quidem, poſt rem geſtam, oritur obligatio, ſecus ac Grotius docet in *d. cap.* XI. *n. 9.* argumento ejus, quod Juda egerit, erga Thamarem nurum, cui ſolvit mercedem ſtupri *Geneſ. 38.* Sed unde probat Grotius, ſi non ſolviſſet, eum fuiſſe peccaturum? ſolvit generoſitatis profanæ causâ, ne veniret in contemptum, *e*) ut indicat ipſe *verſ. 23.* nec facile perſvadebit ὁ μέγας, eum qui ſicario conducto poſt cædem peractam ſolvit mercedem promiſſam, non magis probare factum, quam explere juſtitiam. Cæterum, quod is qui ſine causâ promiſit, non tenetur lege civili, id magis ob præſumptionem turpitudinis, quam quod promiſſio ſola deliberato animo facta non teneat, fieri videtur, ut idem recte *n. 10.*

15 Non eſt etiam in poteſtate promiſſoris, alium eſſe daturum quid vel facturum, niſi de ſe promiſſor expreſſerit, effecturum ſe, ut alius det vel faciat: tunc enim niſi id effecerit, in id quod intereſt tenebitur. Sane qui mandatu alterius promiſerit, is ſine dubio mandantem obligat, ſive mandatum generale ſeu ſpeciale fuerit, etſi promiſſor mandati generalis fines exceſſerit; quatenus mandans eum præficiendo rebus ſuis, quicquid in iis egerit & promiſerit, ſe ratum eſſe habiturum tacite recepit; haud tamen ultra ſcilicet quam res patent, quibus eſt præpoſitus, quod in exercitoribus, inſtitoribus, etiam in legatis uſum habet.

16. An alius pro alio acceptare aliiſve ſtipulari poſſit, quod jus Romanum optimus alioqui juris naturæ interpres negat, in eo Grotius diſtinguit inter *promiſſionem mihi factam de re dandâ alteri, & inter promiſſionem in ipſius nomen, cui res danda eſt, collatam. Si mihi facta eſt promiſſio, omiſſa inſpectione, an mea privatim interſit, quam jus Rom: introduxit, naturaliter videtur mihi acceptandi jus dari, ad efficiendum, ut ad alterum jus perveniat, ſi & is acceptet. d. c.* XI. *§. 18.*

17. Atqui jus Romanum non negat, promiſſionem mihi factam, ut ego alii dem, valere; ſed negat alium alii poſſe ſtipulari, hoc modo; *centum Titio dare ſpondes? §. alteri 18. I. de inutil. ſtipul. l. 38. §. 17. ff. de V. obl.* Addit quidem hanc rationem, quod obligationes ſunt inventæ, ut unuſquisque acquirat id quod ſua intereſt: ſed hæc ratio ceſſans efficere non poteſt, ut theſis ignota juri Romano adſtruatur, & ſtipulatio, quâ quis ſibi dari ſtipulatur quod alii det, non valere dicatur: eo quod ſtatuit, alium alii propter illam rationem non poſſe ſtipulari. Præter quod, non poſſit non intereſſe ſtipulantis, ſibi acquiri quod alii det; ſive negotium alteri gerat, quo caſu habet actionem; ſive quod donatum ei velit, quo beneficii debitorem accipiat, quod minime remotum eſt à facultate civilis negotii: Nec adeo ſic juris auctores negant, quod Grotius illis ut negatum imputat, in his verbis, *nam is ſenſus juri naturæ non repugnat, & verbis talis promiſſionis maximè congruit, neque nihil mea intereſt, ſi per me alter beneficium accipiat.* Non ſunt hæc revera contra jus Romanum, ut recte etiam obſervat D. Zieglerus *ad hunc Grotii locum.* Valet igitur ſtipulatio tam jure civili quam naturali hoc modo; Centum mihi dare ſpondes, quos ego dem Titio?

18. Pergit Grotius; *Quod ſi promiſſio in nomen ejus collata eſt, cui danda res eſt, diſtinguendum eſt, an qui acceptat, ſpeciale mandatum*

n. 14. e) contemptum) *Sed Judas non metuebat contemtum ſimplicem, ſed contemptum ex capite injuſtitiæ, & fidei dato pignore violatæ, ut contextus oſtendit. Tota deciſio redit ad explicationem dicti Ulpianei, meretricem turpiter facere quod ſit meretrix, non vero turpiter pecuniam promiſſam petere vel accipere, cum ſit meretrix. De quo dixi, ni fallor, in notis ad Strauchium.*

datum habeat acceptandi, aut ita generale, ut talis acceptatio ei incluſa cenſeri debeat: an vero non habeat. Ubi mandatum tale anteceſſit, diſtinguendum ultra non puto, ſitne perſona ſui juris, nec ne, quod Romanæ leges volunt ſed plane ex tali promiſſione obligationem perfici. Ego adhuc puto diſtinguendum, ſaltem in poſſeſſione dominioque rerum; utrum is qui ſtipulatur, ſive acceptat in alterius nomen, ex ejus mandato generali, vel ſpeciali; mandatum illud præferat an non. Si præferat mandatum, acquirit etiam mandanti, *l. 13. ff. de Donat.* Quod ſi mandatum non præferat meus procurator, acceptans pro me; tunc idem, quod ad promiſſorem eſt, ac ſi deficeret mandatum: quod enim ignoratur, in civilibus habetur, ac ſi non eſſet. *l. 1. §. 20. ff. de acquir. poſſ.* Hæc etiam de obligatione acquirenda valeant; etſi paulo ſecus hac parte jus Romanum *l. 49. §. 1. ff. de acquir. poſſ.*

19. Hoc igitur quærendum eſt, an deficiente mandato, valeat in nomen tertii ſtipulatio, ſive acceptatio, in hunc modum, *Centum Titio dare ſpondes? ſpondeo.* vel ita; *Titio centum dabo.* Alius præſens ſubjicit, *accipio pro Titio*, id ignorante, neque prævio mandato. Romani putarunt, ego etiam magis puto *f)* talem promiſſionem non habere majorem vim, quam ſi nemo acceptaſſet, quo caſu revocare liceret promiſſum. Quod enim ego me Titio daturum profiteor, quid hoc ad tertium, qui in Titium non habet poteſtatem? Arbitratu meo emiſi vocem, in Titii favorem; hanc excipit Cajus aut Sempronius: non contrahitur inde vinculum, quo promiſſor obligetur promiſſario. Titius eſt promiſſarius; ego promiſſor; nos duo colligandi ſumus, ut vinculum obligationis naſcatur: non ego & quilibet alius, cui nihil promiſi. Si veniat is qui acceptavit, dico; nihil tibi promiſi *g]* ſi veniat Titius, dico, Sum equidem profeſſus me tibi daturum; ſed revocavi antequam acceptares, *h)* per te vel per miniſtrum, quod erat liberum facere. Non eſt hæc ſubtilitas, eſt vera rei geſtæ hiſtoria & conſecutio.

 20. Gro-

ñ. 19. *f)* magis puto) *Ergo diſtinguerem inter caſum primum & ſecundum. In primo puto jure naturæ valere promiſſum, quod ad mei inſtantiam tertius Titio ſe daturum mihi promittit, quia videlicet jure naturæ tum præſumitur mea intereſſe, ut Titio ſolvatur, nec adeò opus eſſe, ut hoc intereſſe à me probetur. Nam ſi id probatum fuerit, tum & jure civili ſponſio valet. At in ſecundo caſu non puto oriri obligationem; quia, qui dicit:* Titio centum dabo, *recenſet ſaltem verba enunciativa, non promittentia. Ergo alius præſens ſi ſubjiciat* accipio pro Titio, *non poteſt ex enunciatione ſimplici facere promiſſum. At ſi Autor, ut fieri debebat, ita formaſſet caſum ſecundum:* Promitto tibi me Titio daturum centum: *Et tunc ego ſubjungam;* Accepto, *Tunc utique abſtrahendo à Jure Romano obligatio orietur, ex eàdem ratione, qua præſumtio oritur, me habere intereſſe ad acceptandum. Unde nec moribus Germanicis attenditur ſubtilitas juris Romani, ſed valet ſimplicitas juris Gentium, ita ut & tertius alteri obligationem acquirere poſſet, ut probavit Schilterus in Exercitationibus ad Pandectas.*

g) tibi promiſi) *Sed ſecundum noſtram explicationem, hæc reſponſio non quadrabit, quia, qui mihi promittit quod Titio ſolvere velit ſi meâ interſit utique mihi promittet.*

h] acceptares) *Sed jure Romano etiam promiſſor non erat obligatus, etiamſi Titius (abſq; tamen novâ ſtipulatione) acceptaſſet. Unde & Autor tacitè fatetur, eſſe ſaltem in hoc caſu differentiam inter Jus naturæ & Jus Romanum.*

20. Grotius duplicem ejusmodi promiſſionis in aerem factæ, ab eo, ad quem non pertinebat, acceptatæ, ſtatuit eſſe effectum: primus eſt, *ut promiſſori revocare promiſſionem non liceat, antequam is, ad quem ſpectet promiſſio, eam ratam habuerit aut irritam. i)* Hoc jus promiſſarii (liceat ita loqui cum Grotio) ut ab ejus ratihabitione pendeat promiſſio, conſiſtere debet in vinculo, quod ipſum & promiſſorem colliget, quod in hac ſpecie deficere probavimus. Ait Grotius: *ſi promiſſor revocet, non facit contra jus proprium alterius, ſed contra fidem.* Atqui nos agimus de obligatione, quæ jus proprium alteri tribuit; ubi non eſt jus proprium alteri quæſitum, ibi non eſt obligatio, perfidia quoque non committitur, ubi fides data non eſt ei, ad quem res pertinet; mutatio conſilii & levitas non eſt ſtatim perfidia.

21. Alter effectus Grotio eſt, *quod is qui acceptavit, medio tempore promiſſum remittere poſſit*, id eſt, antequam is cui promiſſio facta fuit, ipſo acceptante, eam ratam vel irritam haberet. Sed qui nihil juris acquiſivit, k) ut Grotius ipſe fatetur, ſibi nec alii, non habet etiam quod remittat. Quid ni vero qualemcunque fidem à me datam, in tertii nomen, ipſe remittere poſſit, cum nullo pacto illi tertio teneatur, quid hic conqueri poteſt? Pone caſum; Ego dixi *Titio centum dabo* Tertius ſubjecit, *Accipio pro Titio:* cui nulla re tenetur, & qui rem totam ignorat. Si quid inde juris ortum ſit, hoc eſt penes tertium acceptantem; nihil adhuc penes Titium. Tertius antequam referat Titio, promiſſum mihi remittit; quid habet de quo Titius queratur, cui nihil ademptum, nihil quæſitum fuerat?

22. Promiſſionibus crebro accedit jusjurandum, quod eſt, adſeveratio, cum invocatione numinis in teſtem, & cum imprecatione noſtri: Etſi poſterior pars, haud expreſſa licet, ultro intelligitur, cum, qui Deum invocat, ſuperiorem citat, habentem ἔκδικον ὄμμα, vindicem oculum: Quod Mennonitæ noſtri, quibus jurare religio eſt, animadvertentes, cum diu uſi eſſent indulgentia legis, quæ permittit iis ſola invocatione numinis in teſtem, ἄνευ κατάρας, ſine imprecatione defungi, poſtremo qui ex illis rigidiores ſunt, id ipſum repudiarunt; neque plus quam ſimplices adfirmandi vel negandi formulas à Chriſto permiſſas arbitrati ſunt. *Matth. V.* Quemadmodum inter ipſos paganos non defuere, qui videntes, nonnullos hominum *eſſe nimis faciles ad jurandum contemptu religionis*, in adverſam partem ſe recepere, *perquam timidi in jurando, metu divini numinis, usque ad ſuperſtitionem*, ut refert Ulpianus *in l. 8. ff. de Condit. Inſtitut.*

23. Nec eſt dubium, quin, nonniſi in magni rebus momenti, minimè in tralatitiis, aut incertis adhibendum ſit jusjurandum. Eaque mens videtur eſſe Chriſti domini l) & Jacobi Apoſtoli juramenta prohibentium, non ut ex uſu judiciorum rerumque maximarum penitus aboleantur; Id enim propoſitum Servatoris noſtri declarantis, ſe non veniſſe

n. 20. i) aut irritam) *Et recte, nam ſi irritam habeat Titius, nullum amplius intereſſe habet is, qui acceptavit promiſſum, cum renuente Titio ipſe liberetur ab eo, quod Titio debebat.*

n. 21. k) juris acquiſivit) *Sed ſecundum noſtram explicationem utique jus acquiſivit, etſi ſub conditione, modo Titius non renuat.*

n. 23. l) Chriſti domini) *Imo potius contextus oſtendit, Chriſtum non ibi agere primario de juramentorum temeritate coercenda, ſed potius de improbanda violatione fidei juramentorum etiam temerariorum, aut, ut autor loquitur, in rebus minoris momenti.*

Digitized by Google

veniſſe καταλῦσαι τὸν νόμον, abolendi legem, in quâ olim ſancitum eſſe jusjurandum ſatis conſtat, idemque ſanctorum exempla in ipſa novi teſtamenti oeconomia abunde refellunt.

24. Idem igitur velle videtur Chriſtus, quod Philo; Κάλλιστον καὶ βιωφελέστατον καὶ ἁρμόττον λογικῇ φύσει τὸ ἀνώμοτον, οὕτως ἀληθεύειν ἐφ' ἑκάστου δεδιδαγμένῃ, ὡς τοὺς λόγους ὅρκους εἶναι νομίζεσθαι. *Optimum atque utiliſſimum & rationali naturæ convenientiſſimum eſt, juramento abſtinere, atque ita ſe veracitati adſuefacere, ut verba pro juramento accipiantur.* Proinde τὴν ἀποχὴν τοῦ ὀμνύναι προστάττει περὶ τῶν ἐνδεχομένων καὶ ἀόριστον τῆς ἐκβάσεως ἐχόντων τὸ πέρας. *Imperat igitur abſtinentiam jurisjurandi de contingentibus, ſive de his, quæ poſſunt & non poſſunt fieri & incertum habent eventus terminum* ut Hierocles.

25. Non eſt animus omnem exhaurire jurisjurandi materiam, quod actum in *prælect. d. tit. ff. de jurejur.* Sed hic de eo, quod promiſſionibus accedit, agimus. Per ſe non parit obligationem inter homines, quia ſe refert ad Deum; ſed conventionem firmat: Quæ ſi non eſt obligatoria, jusjurandum eam vim inter homines addere non poteſt. Unde pacta nuda, quæ jure Romano non obligant, eam quoque virtutem non adipiſcuntur ex jurejurando, ut eodem jure proditum eſt; non quod jurantis conſcientiam obligari coram Deo negent, *m*] ſed quia forenſem inde actionem dari non probant, tam ratione jam dicta, quam quod uſu promiſcuo jusjurandum vileſceret, quâ de re prolixe egimus in *Eunom. Rom. ad l. 7. §. 16. d. pact.* ubi & illud, jusjurandum contra bonos mores non valere, quia nec ipſa valet obligatio, cui adjicitur, & jusjurandum non debet eſſe vinculum iniquitatis. Idem eſt in impoſſibilibus, de quibus omnibus ad Grotium; in *lib. 2. c. 13. n. 6. & ſeqq.*

26. De his, quæ jure civili ſolo prohibiti ſunt, contractibus, non conveniunt Romani & pontificii juris auctores. Utrique ſane in eo conveniunt; ſi quis jurando promiſerit rem naturali & divino jure licitam, ſed poſitivo jure prohibitam quidem, attamen in alterius privati aut reipubl. præjudicium non vergentem, ut is coram Deo teneatur: Sed jus canonicum vult tale jusjurandum etiam habere juris externi effectum *in cap. 28. x de jurejur.* ubi exemplum, ſi mulier jurejurando conſenſerit in alienationem rerum dotalium lege civili prohibitam. Item *cap. 2. de pact. in 6.* Ubi filia juravit, ſe dote contentam, hereditate paternâ abſtenturam; cujuſmodi renuntiatio legibus invalida eſt. Sed jus Romanum non agnoſcit ejuſmodi juramenta in foro, *l. 5 c. de legib.* idque nec immerito, quia ſic leges eluderentur: Qui non eſt idoneus ad contrahendum, ille jurando ſe contra ſententiam legum idoneum facere non poteſt, nec etiam poſſe debet; quâ de re ſimiliter actum ad *d. l. 7. §. 16. d. pact.*

27. Quamvis autem ex jurejurando, qua tali, novum jus alteri non acquiratur, promiſſio tamen, cui adjicitur, inde fit firmior, ut etiam præſtari illam neceſſe ſit, etſi aliquid promiſſario, cur promittentem liberare debeat, objici poteſt, quales ſunt

hoſtes

n. 25. *m*) negent) *Sed quomodo jurantis conſcientia poteſt obligari coram Deo, cum Deo nihil promittatur, & clauſula juratoria ſit ſaltem ſermo acceſſorius, ex validitate rei principalis dijudicanda?*

n. 26. *n*) effectum) *Ex falſa doctrina, acſi in clauſula juratoria fiat promiſſio Deo, quod falſum eſt aperte, quia teſtis & vindex tertius eſt, & diverſus planè ab eo, cui quid promittitur. Sed hac erat palliata impietas juris Canonici, ſub prætextu pietatis cerebrius infringere leges Reipublicæ, & poteſtatem legiſlatoriam Clero vindicare.*

Digitized by Google

hoſtes, impii, latrones *o*) & tyranni, quâ de re Grotius *d. cap. 13. n. 14. & 15.* quod tamen vinculum religionis cum mere perſonale ſit, heredibus, quominus contra promiſſarium, juris utantur remediis, non obſtat, ut idem probat *n. 17.* Quis ſit effectus jurisjurandi, quo reges & alii ſummam poteſtatem habentes civibus ſuis obligantur, aliquoties in loco diximus. Quibus autem modis conventiones & jusjurandum obligare deſinant, alibi commodius explicabitur.

CAP. IV.
DE CONTRACTIBUS.

Differentiæ Pacti & contractus à Grotio & juris civilis Auctoribus proditæ ad artis rationes examinatæ. n. 1-7. Summa Contractuum diviſio in Conſenſuales & Reales. n. 8. Conſenſualium primus, Emptio Venditio; ubi, an rem minoris emptam multo pluris vendere, philoſophia civilis permittat. n. 9. Periculum rei venditæ necdum traditæ ad Emptorem ipſo jure naturali pertinere. n. 10. Idem eſſe analogicè in locatione conductione, quod ad mercedem & uſum fructumve rei. n. 11. In locationibus facti non liberari contrahentem præſtatione ejus quod intereſt, altero invito. n. 12. In Societate, ſi nihil convenerit, eſſe videri Æqualitatem arithmeticam, etſi rerum vel operarum diſpar ſit collatio. n. 13. Modi finiendi ſocietatem n. 14. Mandati & juſſus differentia. Mandantem non obligari tertio, qui cum mandatario contraxit, niſi ex eo quod ſpecialiter actum ſit. n. 15. Ratio non excedendi fines mandati, diſtincte expoſita. n. 16. Cur Societas & Mandatum, ſecus ac alii Contractus, morte finiantur. n. 17. Ad conſenſuales contractus etiam poſſe referri ſtipulationem, cujus uſum adhuc non eſſe nullum. n. 18. Quin & Fidejusſionem, cujus differentiæ & materia ſubjecta; n. 19. ubi & de obligatione ſui ad mortem vel ad cruciatum, exponuntur. n. 20. Aſſecuratio n. 21. Donationem quoque ad hoc genus rectè referri: n. 22. Nec eam ſine acceptatione donatarii valere, n. 23. ſed de omnibus, etiam futuris bonis, quominus fiat, nihil obſtare. n. 24. Denique, Transactionem ejusdem eſſe generis. n. 25. De contractibus realibus, n. 26. imprimis de mutuo & pactione uſuraria breviter. n. 27. Eodem poſſe referri contractus innominatos. n. 28. Cambia. n. 29. Sponſiones de rebus fortuitis. n. 30.

1. A Pactis

n. 17. *o*) latrones) *Sed latronis exemplum huc non quadrat. Quia latro non habet jus acceptandi. Sed impio, hoſti, & tyranno non poteſt opponi exceptio metus.* Confer. ſupra dicta ad lib. 1. ſect. 7. c. 3. n. 31. lit. b. p. 262.

Digitized by Google

1. A Pactis & jurejurando tranſitus eſt ad *contractus*, de quibus hic etiam nonnihil quod ad univerſam eorum conſiderationem juris publici ratio poſtulet, eſt collocandum. Quale etſi & Grotii inſtitutum fuerit, in *d. l. 2. c. 12.* ejus tamen partitiones à methodo juris Romani conſulto in philoſophicum & inexpectatum abeuntes non ſequemur; cum ordo juris latini æquè ſit idoneus ad recipiendas hujus artis obſervationes, ad memoriam vero & perſpicuitatem aliquanto ſit expeditior. *p*)

2. Conventio ſive pactum quid ſit, antea dictum eſt. Ab ea contractum aliter Grotius, aliter veteres juriſconſulti diſtinguunt. Grotius *omnes actus aliis utiles, extra mere beneficos*, contractuum nomine appellari docet *d. lib. 2. c. 12. n. 7.* minus caute, ut videtur; nam pacta ſive promiſſiones; quas à contractibus ſeparat, & de quibus agit *in cap. præced. q*) ſunt etiam aliis utiles: Mutuum vero & commodatum ſunt etiam mere benefici, neque tamen non ſunt contractus. *r*)

3. Juris Romani auctores differentias habent ejusmodi, quæ non ſunt univerſales aut naturales. Prima eſt ab effectu; quod è contractibus obligationem naſci & actionem volunt, è pactis contra; ſed hæc è ratione juris gentium univerſalis æque ad actionem producendam ſufficere, quam contractus *ſupra* nos & Grotius *in pr. c. 11.* plenius probavit, idque moribus omnium gentium, qui maxime ad hanc artem pertineat, aliter obſervari videmus.

4. Alterum à priori diſcrimen juris Romani eſt; quod contractus habeant vel nomen certum, vel cauſam; Pacta, nec nomen ſpeciale, nec cauſam habere dicuntur; ita ut, per cauſam intelligant dationem vel factum ab una parte impletam vel impletum. Sic emptio venditio, locatio conductio, mutuum, commodatum, depoſitum, pignus aliique plures ſpecies habent nomen certum, quo propter uſum eorum frequentem opus fuit. Pacta, quæ dando vel faciendo ab una parte conſummata ſunt, hæc, cauſam habere dicuntur, ac inde ſunt contractus innominati. Specimina liberalitatis, in quibus non eſſent reciprocæ præſtationes, ut donatio & precarium, Romani

Uuu   à con-

n.1. *p*) expeditior) *Nobis neque Grotii partitio ideo rejicienda videtur, quod philoſophica ſit & inexpectata, neque diviſio juris Romani recipienda quaſi ſit expeditior ad memoriam & perſpicuitatem. Nam in priore aſſerto ratio non ſtringit, in poſteriori ratio falſa eſt, & eſt hæc proteſtatio autoris facto contraria, cum autor diſtinctionem inter pactum & contractus, item contractuum literalium & verborum ſeparatas ſpecies, item ſeparationem innominatorum à nominatis &c. rejiciat, & ſolos reales & conſenſuales contractus retineat, quamvis in aliâ plane acceptione, quam jus Romanum, ut mox videbimus. Ergo Grotii inſtitutum non planè ſeponendum, etſi fortè Grotius immiſceat ſubinde ſubtilitates quasdam, parvi uſus, ſed facilè omittendas. Ita nullum eſt dubium rem eſſe & ad memoriam & ad perſpicuitatem expeditam, ſi contractus dividantur in principales & acceſſorios, illi in beneficos & non beneficos. Nam contractus qui aleam continent, pertinent ad diverſitatem modorum promittendi, utrum videlicet promiſſio fiat purè, vel in diem vel ſub conditione. Scilicet contractus aleam continentes ſemper habent adjectam conditionem expreſſam vel tacitam &c.*

n.2. *q*) cap. præced) *Fallitur autor, nam in* cap. præced. *Grotius egerat non de pactis in ſpecie, quatenùs contractibus opponuntur, ſed de promiſſis in genere ut ipſe autor* hîc in cap. præced.

r) non ſunt contractus) *Aſt ſi Grotium conſideres* d. l. 2. c. 12. §. 2. *mutuum & commodatum non ſunt merè benefici, ſed quos vocat cum obligatione mutuâ.*

à contractibus etiam removerunt.

5. Poſtquam vero iisdem placuit, pactis nudis, id eſt, conventionibus, quæ nec habent nomen certum, neque cauſam, ita, ut diximus, intellectam, actionis effectum non dari, opus fuit illis obligatione verborum, quam dixere ſtipulationem, quæ per ſolennem verborum conceptionem pacti vice fungeretur. Quibus dein acceſſit obligatio literarum, qua tenetur is qui ante biennium confeſſus eſt chirographo ſuo, ſe pecuniam quam revera non accepit, accepiſſe, eo ſolo, quod ita ſcripſit.

6. Reliquos contractus bifariam diſcreverunt, in conſenſuales & reales. Nam qui expeditioris erant commercii, his è ſolo conſenſu vim obligandi dederunt, quales emptio, locatio, mandatum, ſocietas. Reliquis minus forenſibus magisque beneficis, ut ſunt mutuum, commodatum, depoſitum, obligandi vim, nonniſi poſt rei interventum & traditionem dederunt, quibus acceſſit pignus, eo quod hoc non eſſet per ſe contractus, ſed alterius acceſſio.

7. Haſce differentias probabili ratione conſtitutas eſſe, non eſt, quod negemus. Sed nobis ex ſimplicitate juris univerſi nulla cauſa videtur, quamobrem omnes conventiones, vim obligandi habentes, non ſint accenſendæ contractibus, idque moribus hodiernis magis obſervari videtur. Quid enim vetat, cum ſtipulationes ſint contractus, pacta quæ nihil hodie differunt à ſtipulationibus, eodem nomine deſignare? Donatio vero, transactio, fidejuſſio, conſtitutum & precarium à contractibus ipſo jure civili tam parum differunt, ut plerumque illis adnumerentur, & vix aliud quam nominis ſonus interſit.

8. Sequamur igitur hanc ſimplicitatem, non rejecta tamen conſenſualium & realium differentia contractuum, s] quæ & in mores gentium abiiſſe videtur: iis qui verbales dicuntur ad pacta, qui à literis appellantur, ad mutui doctrinam relatis, nec verorum & quaſi talium qui dicuntur, denique nec nominatorum & innominatorum ſpretâ differentia. t) Ac ita locus præcedentis capitis fuit communis, hic de ſingulis contractuum ſpeciebus agetur, quatenus, ut dictum, hujus

n. 8. s) contractuum) *Scilicet Autor rejectis & ſepoſitis diviſionibus reliquis juris Romani, putat omnes contractus dividi poſſe in reales & conſenſuales. Sed fallitur, dum putat hos reales & conſenſuales eſſe eosdem cum realibus & conſenſualibus Romanorum. Romani conſenſuales vocabant, qui conſenſu quocunque modo declarato abſolvebantur, reales qui ante rei interventum non obligabant, uti literales & verbales, qui citra literarum & verborum interventum non producebant actionem. At autor reales ſuos non eos eſſe dicit, qui citra rei interventum non producant actionem, ſed qui ſaltem nomen accipiunt peculiare poſt rei interventum. Adde autorem* n. 7. & 26. *hic ubi iterum deprehendes variam inconſtantiam conceptuum, quorum explicatio diſcurſui reſervanda. Fortè melius feciſſet intuitu juris gentium, ſi ſaltem retinuiſſet in claſſe verorum contractuum conſenſuales propter dicta* n. 7. *& reales omnes retuliſſet ad quaſi contractus. Etenim vel ex jure civili notum eſt, ubi Cajus dicit obligationem ex quaſi contractu, ibi JCtos alios ponere obligationem ex re. Et certe v. g. æque in mutuo vel commodato mutuatarius & commodatarius eſt obligatus ad reſtitutionem, ac in negotiorum geſtione geſtor ad rationum redditionem, etſi nec ibi reſtitutio mutui vel commodati ſit expreſſe promiſſa. Obligantur utrobique ex re i. e. ex natura negotii mutuum & commodatum infert reſtitutionem, etſi non promiſſam, uti negotiorum geſtio rationum redditionem &c.*

t) differentia) *Scilicet nomina retinet, definitiones æquè mutat. Nam innominatos refert* n. 10. *ad reales. Et vide quæ ibi notabimus.*

hujus inſtituti ratio poſtulat.

9. Conſenſuales igitur contractus ſint, emptio venditio, locatio conductio, mandatum, ſocietas, donatio, transactio. *u)* In emptione venditione ſcrupulum movet, quod uſus & vita ejus conſiſtit in licentia rem pluris quam comparata fuit, diſtrahendi; quod philoſophi imo & juris quidam magiſtri, cenſores, ut adverſum præcepto juris naturæ, alterum non lædendi, reprehendunt. Sed in Eunomiâ Romanâ ad *l. 16. §. 4. de Minor.* inæqualitatem illam non eſſe iniquam, ne quidem ut jure Romano permittitur, approbavimus, è tacito quidem, ſed indubitato generis humani conſenſu, præter id quod Grotius ex interiore philoſophia depromptum habet in *lib. 2 c. 12. n. 26.* quibus accedit ratio juris publici univerſalis, ab utilitate maximâ, per quam fit, ut nulla re magis floreant civitates, quam commerciis, quorum anima eſt illud lucrum: Nec quidem limitatio juris Romani, ne ultra duplum procedat inæqualitas ex *l. 2. C. de Reſc. vend.* hic locum habet; cum illa ſupponat uniformem æſtimationem mercium; nos in commerciis, pretia rerum fluxa & æſtimationis incrementum ſupponimus; cui varietas indigentiæ & affectionis hominum certos poni limites non patitur. *w)*

10. Venditio conſenſu perfecta, non tantum parit obligationem, ſed ex naturali ratione dominium quoque rei nondum traditæ in emptorem transfert, ſecundum ea, quæ *ſuprà* diximus, traditionem ad dominii translationem non requiri, *x)* ut late probavimus in *digreſſ. lib. 4. c. 8. n. 2.* & inſerto ibi tractatu *de jure in re & ad rem. c. 16.* Quod etſi jure gentium poſitivo mutatum ſit, ut dominium nonniſi poſt traditionem in emptorem tranſire cenſeatur, tamen periculi ratio, ſi forte res caſu fortuito pereat ante traditionem, manſit in ſimplicitate naturali, etiam jure Romano; nam periculum re quoque nondum tradita pertinet ad emptorem; quoniam in rei veritate dominium, jure naturali in emptorem eſt translatum, *y)*

11. In locatione conductione, quæ proxima eſt emptioni venditioni, cum nihil quam uſus rei transferatur in conductorem, periculum ipſius rei nonniſi ad dominum locatorem

n. 9. *u)* Transactio) *Imo & promiſſio mutui, commodati, depoſiti, pignoris &c. per* n. 26. junct. n. 7. *Sed tamen ſecundum ſignificatum autoris v. g. emtio & donatio tum ſaltem erunt conſenſuales, ubi non ſtatim traditio conjungitur. At ubi traditio eſt conjuncta erunt reales. Ita enim promiſſionem mutui & mutuum ſecernit.*

w) non patitur) *In hoc conſentio. Et latius deduxi peculiari diſſertatione de æquitate cerebrinâ* l. 2. C. de reſcind. vendit. *caſum* d. l. 2. *nunquam in praxi datum fuiſſe, nec dari poſſe.*

n. 10. *x)* non requiri) *Sed exinde non probatur, venditionem omnem conſenſu perfectam ex naturali ratione dominium transferre, ſed id ſaltem, poſſe transferri in venditione dominium ſine traditione. Sed ſcilicet opus eſt, ut id exprimatur pacto adjecto. Si enim nihil dictum ſit, dominium non cenſetur translatum venditione conſenſu perfecta. Haud dubie enim venditio conſenſu perfecta eſt, quoties partes convenerunt de pretio. Sed ex naturâ venditionis venditor non eſt obligatus ad dominium transferendum, niſi pretium ſit traditum, aut fides de pretio habita.*

y) eſt translatum) *Hæc ratio valet quidem intuitu juris naturæ: ſed non intuitu juris Romani. Incongruum enim eſſet negare dominii translationem, & tamen effectum retinere translati dominii. Ergo potius juris Romani in hoc capite illa eſt ratio, quod debitor ſpeciei liber ſit à periculo. Et hæc ratio etiam obtinet jure naturæ in eo caſu, ubi pretium nondum eſt ſolutum, nec fides habita de pretio, per modo dicta.*

catorem ſpectare poteſt: Verum ſicut uſus rei, & merces in ea reſpondet dominio & pretio, quod vertitur in venditione, ſic etiam periculum uſus ita tranſit in conductorem, ut ille mercedem debeat, etſi uſus ipſi fuerit inutilis, niſi vis major foris adveniens æquitati locum faciat; omnino, ſicut emptor pretium debet, etſi res pereat; niſi quod ibi differentia caſuum excluditur à cauſâ dominii infinita, ſecus ac in locatione bene conſultum eſt z) à Romanis in *l. 15. §. 4. ff. de Locat. conduct.*

12. Ita in locatione rerum. Si quis factum locaverit, conduxerit, eum non teneri ad factum illud ſpecifice implendum, ſed præſtando id quod intereſt in omnibus facti obligationibus, promiſſorem liberari poſſe, frequenter à juris interpretibus proditum eſt; quod non habet rationem. Quid enim magis à fide quam dederis, ſervandâ, in faciendo, quàm in dando liberare quem poſſit, non apparet: Etſi verum eſt, ſi quis præfracte nolit facere, quod ſe facturum promiſit, eum præciſe cogi non poſſe, tametſi à judice condemnetur ad faciendum; nec enim voluntas abſolute cogi poteſt; ſed illa conſideratio non impedit, quominus & perfidiæ notetur, & judicialibus cogendi remediis, veluti pignorum captione, mulctæ dictione, cuſtodia a] ad ſervandam fidem adigi poſſit; quibus tamen id non efficientibus, rem in exactionem ejus quod intereſt, oportet equidem deſinere, ſed hoc minime in debitoris facultate poſitum eſſe, vel ipſum ab obligatione faciendi quod promiſit, liberare, ſtatuendum eſt; forte ne quidem jure civili, ut probavimus in *prælect. ad tit. inſtit. de V. O. n. 5. verſ. Quod ſi promiſſor.*

13. *SOCIETATIS* fundamentum ſingulari modo, quæ vel eſt ab expreſſâ conventione, vel à tacitâ, quæ communio dicitur, eſt *æqualitas* lucri & damni inter ſocios, proportione, quam vocant, geometrica, ὥςε πλεῖω λαμβάνειν τὸς συμβαλλομένες πλεῖω *lib.* VIII. *ad Nicom. cap. ult. Ut qui plus conferunt, etiam plus capiant* lucri atque damni: Idque non modo in pecuniariis collationibus, ſed etiam in operarum, laboris & periculi præſtatione locum habere, vult ratio & docet Grotius *d. lib. 2. c.* XII. *n.* 24. Sed hujus rei æſtimatio nonniſi ex arbitramento boni viri, facta comparatione pecuniæ & operarum, fieri poteſt; quæ res cum ſine facto & prævia conventione peragi nequeat, ſi abſque ulla conventione de partibus lucri & damni ſocietas initia ſit, partes videntur eſſe æquales & viriles, b) tam reſpectu collationis operarum, quam pecuniæ, quas contrahentes inter ſe compenſaſſe videntur; quod etiam ita jure Romano conſtitutum eſſe probavimus in prælect. ad *tit. inſt. de ſociet.*

14. Sed quia communiones & ſocietates multis obnoxiæ ſunt diſſenſionibus, ut unus etiam, quod reliqui omnes volunt, impedite queat; ac cujuſque facultati id ineſt, ut res ſuas, ubi velit, ſibi ſeorſim habere liceat, ſi quem pro ratione pecuniæ operæve ſuæ pœniteat æqualitatis, is ſemper ad diviſionem aut ad meram converſionem provocare poteſt: quod adeo eſt inſitum naturæ dominii

---

n.11. z) conſultum eſt) *Sed danda erat ratio illius boni conſilii, cum comparatio cum emtione, unde autor rationem æquitatis petere volebat, rem non perficiat. Scilicet diſtingue inter regulas juſtitiæ & decori. Sed quoniam regulæ decori in ſtatu naturali non tribuunt jus perfectum, neque admittunt coactionem, inde vis illa major foris adveniens in ſtatu naturali non liberabit conductorem à ſolutione mercedis.*

n.12. a) cuſtodia) *imo ipſâ immiſſione & executione, ut in caſu locationis, ſi locator nolit permittere conductori uſum rei locatæ.*

n.13. b) viriles] *Sed vide quæ notavi* ad prælect. Autoris in ſcholiis & novis addit. ad Inſt. de Societ. p.307. ſeq.

Digitized by Google

dominii & ſocietatis, metu diſcordiarum; ut ne quidem pacto convenire poſſe videatur, ne unquam à ſocietate recedere liceat, etſi temporalis ejuſmodi conventio, tanti non eſt præjudicii, quin ſecundum fidem datam conſiſtere poſſit, ob propinquæ ſpem reparationis; idque tam juris univerſi quam Romani, eſſe videtur.

15. Mandati uſus in jure publico frequens eſt, à quo juſſum haud immerito diſtinguitur. Quippe mandatum eſt inter eos, qui *manum dant* ex libera utrimque voluntate; Juſſum eſt ab eo qui jubet, id eſt, *jus habet* imperandi, & eſt ſuperioris erga inferiorem. Fit autem vel ita, ut is qui jubetur, tantum ſit miniſter & pararius alienæ voluntatis, neque perſonæ jus ſeparatæ in illo negotio exerceat; vel ut ipſe fidem ſuam apud tertium, nomine jubentis, interponat. Hoc ſenſu, modo magis quam ſpecie diſcrepat à mandato; cum ex utroque duplex obligatio naſcatur. Una inter mandantem & mandatarium; Altera inter hunc & eum quicum contrahit aut negotium gerit; qui tertius eſt: ſed inter mandantem & tertium nulla vertitur obligatio, quia nihil inter ſeſe egerunt: Niſi mandans tertio promiſerit, ſe quod mandatarius egerit, ratum eſſe habiturum, aut perinde, quaſi à ſe geſtum eſſet, haberi velle. Quin etſi hoc generaliter declaraverit; ſine mentione certæ perſonæ, quilibet hanc ejus emiſſam declarationem acceptare, ac ita cum ipſo mandante vinculum obligationis contrahere poteſt; quæ res uſum habet frequentem, ſuis locis occurſurum. Sine tali prævia declaratione res ipſa quandoque tacitè id infert, *e*) ut ob utilitatem mercaturæ fit, in exercitoribus & inſtitoribus, de quibus ad *tit. inſt. de his qui in al. pot.*

16. Mandatarius ad fines mandati exactè ſervandos tenetur mandanti; quos ſi exceſſerit, haud dubie illi obligatur in id quod intereſt; ad implendum verò contractum, ei, cum quo contraxit ex ſua perſona, vel ſi malit hic, aut aliter fieri nequeat, etiam in id quod intereſt. Per æquipollens tamen aut quod magis expediat, ſi mandatum impleverit, minime dici poteſt exceſſiſſe fines mandati; neque etiam, ſi per ſubſtitutum id executus ſit; modo nihil interſit mandantis, aut etiam peculiari modo ipſius induſtria perſonalis, vel adminiſtratio certæ formæ in terminis præſcripta non ſit; quo pertinet, quod apud Gellium hac de re legitur, *in lib. 1. c. 13.*

17. Cum autem mandatum, quod ſemper eſt gratuitum, amicitiæ induſtriæque perſonalis fiducia, quæ ad heredes utriuſque partis non tranſit, ineatur, morte non minus extinguitur, quam ſocietas, quæ ſimilis fiduciæ perſonalis reſpectu contrahitur: Etſi aliorum contractuum obligatio, quæ ratione patrimoniali conſtat, ad heredes tranſire ſoleat. Non minus etiam quam ſocietas pro lubitu finitur, mandatum à partibus liberè contrahentibus, re adhuc integra, revocari aut renunciari poteſt; qua in re differt à juſſu, qui habet neceſſitatem parendi; verum ubi res integra eſſe deſierit, tam inter ipſos quam ratione tertii, manet obligatio, ad præſtandum id quod convenit, vel ſi res ita non fieret, ad id quod intereſt.

18. Inter conſenſuales contractus videtur etiam merito referri ſtipulatio; poſtquam non modo ſolennitas verborum recentiori jure Juſtiniani ſublata eſt, ſed nihil præter qualemcunque, modo claram voluntatis declarationem, moribus gentium, requiri cœpit. Verum enimvero cum apud Romanos ſtipulatio vix alium habuerit uſum, quam ut aliis conventionibus firmandis & quaſi obſignandis ſubjiceretur, quod hodie ſupervacuum habetur, dicendum fuerit, nunc quis

n. 15. *e*) tacitè id infert) *Quâ ſententiâ illuſtratur quod ſuprà diximus* ad cap. præced. n. 19. ſeq. *alium pro alio acceptare & obligationem acquirere poſſe, ob præſumtum intereſſe &c.*

uſus ſtipulationum ex hodierno jure gentium ſuperſit. Primo, etſi conventiones hodie non minus validæ ſint, tametſi nulla ſtipulatio ſubjiciatur, revera tamen in omnibus fere majoris momenti, pactionibus & contractibus ſubjicitur clauſula ſtipulationis, qua partes ſtipulantur & promittunt reciproce, quicquid inter eos placuit, hoc ſe mutuo ſervaturos, præſtituros, quæ nihil eſt aliud quam veterum ſtipulatio. *d*) Etſi nunc ea non ſit ejus vis & neceſſitas, ut obligationis & actionis efficacia inde ſuſpendatur. Præterea, cum ipſæ conventiones quælibet, non habentes aliud nomen, reipſa nihil differant à contractibus, univerſalis hujus artis diſciplina inde non abhorret, ut quæcunque de rebus licitis conventiones ſine rei interventu verbis aut literis inter abſentes vel præſentes contrahuntur, hæ cum vim obligandi habeant, ſtipulationes appellentur, ac ita cenſeo, obſervemus.

19. Eo pertinet etiam fidejuſſio, qua quis obligat ſe pro alio, quod fit bifariam ut vel primus debitor juxta ſponſorem, maneat obligatus, vel is penitus liberetur, & omnis obligatio in ſponſorem transferatur. Prior modus adpromiſſio, fidejuſſio, conſtitutum à juriſconſultis vocatur. Nam etſi conſtitutum à fidejuſſione; præter antiquam ſtipulationis, qua hæc, & pacti, quo conſtitutum fiebat, differentiam; adhuc ſubtiliter diſtinguitur, ut demonſtravimus in *prælect. ad tit. ff. de conſt. pec. n. 3.* Id tamen in hac univerſali diſciplina attendi non poteſt. *e*) Altera ſponſionis, quâ primus debitor omnino liberatur, ſpecies, expromiſſio vocatur; quando quis ſe reum pro alio & debitorem priori obligatione perempta, conſtituit; cujus rei uſum in ipſa re Theologica vidimus in *lib. 1. ſect. 4. cap. 5. n. 10.*

20. Uſus & materia ſponſionum tam late, quam obligationis & contractus, quorum acceſſio ſunt, patere videtur: Ac ideo cum nihil obſtet, quominus ſe aliquis ad mortem, ad cruciatum corporis & ad carceres obliget, omnibusque in delictis obligatio & inſtar contractus (unde Ariſtotelis *συναλλάγματα ἀκούσια, contractus involuntarii f*)) vertatur, ratio vult, ut etiam ſponſor & fidejuſſor ita ſe obligans pro patria vel pro amicis

---

n. 18. *d*) veterum ſtipulatio) *Scilicet juris Juſtinianei recentioris per dicta initio numeri. Sed fallitur autor, nam & hæc ſtipulatio veterum requirit ſolennitatem præcedentis interrogationis & ſubſequentis reſponſionis, nec fieri poteſt inter abſentes aut per literas. Ergo conventiones hodiernæ æquipollent quidem ſtipulationibus veterum, & poſſunt hoc intuitu appellari ſtipulationes, ſed tamen non ſunt ſtipulationes, nec ſtipulatio eſt contractus conſenſualis, ſed potius ſtipulationes veterum deſierunt eſſe in uſu.*

n. 19. *e*) non poteſt) *Unde iterum patet, ſtipulationes veterum jure gentium non habere uſum.*

n. 20. *f*) involuntarii) *Non ſunt confundendæ quæſtiones diſtinctæ: 1. an quis poſſit obligari ad cruciatum corporis & mortem, 2. an quis poſſit obligari ex contractu. Adde & alias. Alia enim quæſtio eſt 3. an quis poſſit obligari ex contractu ad mortem ſub conditione ſi ipſe fidem violet; alia an quis ita poſſit 4. obligari ex fidejuſſione, & ſub conditione, ſi alter fidem violaverit. Contractus regulariter fiunt de rebus quæ ſunt in commercio, & omnino fidejuſſiones: etſi fiant ob actiones aliorum merè perſonales; unde qui fidejuſſit de judicio ſiſtendo, cenſetur promiſiſſe intereſſe pecuniarium &c. At vero vel ideo quia vita & corpus hominis non ſunt in commercio, rectè JCti dixerunt, fidejuſſorem non obligari ad cruciatum & mortem. Unde jam non obſtat obligatio ex delicto, & iſta jam ſæpius repetita doctrina Ariſtotelica de contractibus involuntariis. Quia enim conſenſus requiritur ad eſſentiam contractus, ideo contractus involuntarius eſt ignis frigidus & ferreum lignum.*

Digitized by Google

micis teneatur, idemque uſus Obſidum, & hiſtoria confirmant: Etſi in foro judiciiſque ordinariis ſponſio ad mortem, cruciatum, carcerem, exiliumrecepta non ſit; ut diximus in *prælect. ad tit. inſt. & ff. de fidejuſſ.* ratione magis civili, ut ibi probavimus, quam naturali. Non certè ea, qua juriſconſulti, neminem ajunt eſſe dominum membrorum ſuorum. Hoc enim nihil indicat aliud, quam vitam & corpus hominis liberi non eſſe in commercio, nec æſtimationi ſubjectum.

21. A ſponſionis natura non eſt alienus *adſecurationis* qui dicitur, contractus, quo quis alienarum mercium in ſe periculum pro certo præmio recipit: niſi hæc ſpecies magis ad contractus innominatos referenda videatur, *g*) utique, ſi non prius initium habere cenſeatur, quam præmium ſit præſtitum & numeratum, ut fere ſervant mercatores; Tunc enim magis eſt contractus innominatus, ut *infra* demonſtrabitur.

22. Quominus etiam donatio inter contractus conſenſuales referatur, ex ea quam adſtruximus, doctrina, non eſt dubitandum, etſi juris Romani conditores, paulo aliter inſtituerint; ſic tamen, ut donationem juxta contractus ſæpe recenſeant, & diſcrimen, quod ſupereſt & ſuprà indicavimus, ſubtile magis quam populare ſit. Verum interim eſt, quod donatio quandoque traditione perficiatur; ſed hæc non magis efficit, ne ſit conſenſualis; quam emptio venditio deſineret eſſe talis contractus, ſi traditio incontinenti accederet. Plane quod aliquæ gentes donationem nullo modo valere ſtatuunt, quam ſi traditione perfectæ fuerint, unde Gallicæ praxeos dictum circumfertur, *donner & retenir, ne vaut*, id mere poſitivum & ad reſtringendam donandi libertatem inſtitutum eſſe oportet, qua de re dix. *in prælect. ad tit. ff. de donat n. 2. in fin. & n. 4.*

23. Ex proprietate contractus & quidem conſenſualis ſequitur, non valere donationem, niſi acceptata fuerit à donatario: Conſequenter, ſi donatarius ante acceptationem moriatur, donatio ſit caduca, nec ad heredes tranſmittitur, ſecundum ea, quæ de natura conventionum *præced. capite* diximus, & quæ nec uſu fori hodierno, qui eſt optimus juris gentium poſitivi interpres *h*) improbantur, ut docet Joh. à Sande *lib. 5. deciſ. Friſ. tit. 1. def. 1.* Ubi & improbat, quod à nonnullis populis receptum eſt, ut ſi Tabellio donatarii nomine, donationem acceptaverit, etſi abſque mandato, ſub conditione ratihabitionis, hæc à donatore revocari non poſſit, ut de Hollandis ſuis teſtatur Grotius *lib. 3. Introd. jur. Holl. cap. 2. n. 21.*

24. Quid quantumque ſit donandum, ſi donator liberam rerum ſuarum habeat poteſtatem, ratio non præſcribit, ideoque valet etiam de omnibus bonis, etſi ratione minus probabili facta; Nam prodigæ donationis vitium impingit in probabilitatem, non in facultatem juris; niſi lex illam probabilitatem convertat in neceſſariam juris prohibitionem, ut factum eſt à populis, qui donationem omnium bonorum, præſentium & futurorum, non patiuntur habere neceſſitatem obligationis, idque ſine diſcrimine cauſæ juſtæ

n. 21. *g*) videatur) *Fluctuat hic iterum inter hypotheſin juris Romani & propriam. Secundum priorem quæri poterat an ſit contractus nominatus an innominatus. Secundum poſteriorem, ſecundum quam & innominati ſunt reales per* n. 28 *& omnes contractus ſunt vel nominales vel reales, per* n. 8. *quærendum erat, annon videatur eſſe realis.*

n. 23. *h*) interpres) *Diſtinguo: quatenus uſus fori hodiernus nititur moribus patriis antiquis, qui ſimplicem doctrinam juris Gentium ſequebantur, ſine ſpinoſis ſubtilitatibus Juris Romani, quas ignorabant, tum ſero hoc prædicatur. At ſi per uſum fori intelligit ſententias pragmaticorum, mores antiquos expellere conantium, tunc uſus fori nihil minus eſt, quam optimus interpres Juris Gentium.*

Digitized by Google

ſæ juſtæ an injuſtæ, quâ de re diximus *ad tit. ff. de donat.* Ubi ſicut ex jure Romano docuimus, illam ſententiam adſtrui non poſſe; ita nec philoſophia civilis obſtat magis, infinitæ donationi, quam heredis inſtitutioni, *i*) maxime, ſi donator uſumfructum retineat; quem ſi forte ſtipulari negligat, alimenta ipſi à donatario deberi, tam valida gratitudinis & tacitæ obligationis ratio dictat, ut actioni producendæ ſufficere debeat.

25. Denique *tranſactio* inter conſenſuales, ex hujus artis hypotheſi, contractus etiam referenda videtur: Eſt conventio de lite nondum finita vel quavis re dubia, dato aliquo vel promiſſo, vel retento, componenda: cujus maximus favor, ob utilitatem litium finiendarum in republ. eſſe debet; ut tamen, quod in omni alio contractu requiritur, ne cauſa vel res inhoneſta ſit, de quâ contrahitur, hic minime ceſſet; quo tamen non pertinere tranſactionem de criminibus ſanguinis pœnam ingerentibus, quatenus hoc tantum agitur, ut aliquis ſanguinem ſuum redimat; defendi poteſt, ita, quemadmodum jure civili conſtitutum eſt, & explicari ſolet, à nobis etiam explicitum eſt, *ad tit. ff. de tranſact.* & in *Eunom. Rom. ad l. 1. §. 3. ff. de columniat.*

26. Fuere contractus, ut pro hoc inſtituto ſufficiat, conſenſuales. Sequuntur reales, qui ſunt, mutuum, commodatum, *k*) depoſitum, pignus, & ſi qui ad hoc genus alii referri poſſint: Omnibus commune eſt, quod cum nonniſi poſt rei interventum & traditionem perfecti ſunt; conventiones ſuper illis initiæ, ante traditionem nihil quam pacta nuda ſint, cum illo effectu, quem jus gentium illis tribuit, ut vim actionis in id quod intereſt, habeant: ſi quis ex eo quod alius mutuum ſe daturum, vel depoſitum accepturum pollicitus erat, damnum paſſus ſit: etſi jus Romanum ejusmodi pactionibus nullam niſi conſcientiæ obligandæ vim tribuiſſe videatur *l. 30. ff. de reb. cred.*

27. Tribus etiam prioribus commune eſt, quod ſint benefici, nec ullam recipiant acceſſionem mercenariam; etſi mutui naturam hac parte mores gentium ſubegerint, ut nihil frequentius quam uſurariam pactionem recipiat. Romani quidem hanc ſpeciem ei circumdederunt, quod niſi è peculiari conventione debeatur, & mutui natura maneat intacta benefica: Sed cum ſtipulatio uſuraria non habeat aliam, præter mutuum, cauſam, non poteſt negari, quin mutuum illo & omnium populorum jure, ſit uſurarium. An autem & quatenus uſura ſit licita, cum alibi, tum hoc ipſo *libro 2. ſect. 2. cap. 2. n. 20.* declaratum eſt, cætera, quis uſuræ ſit modus, quibus ex cauſis debeatur & deberi deſinat, aliaque etſi à juris univerſi tractatu uſuque

n. 24. *i*) inſtitutioni) *Imo etſi mox dicenda ſint oſtenſura, heredis inſtitutionem non oriri ex ratione naturali ſed ex jure poſitivo, infinitæ tamen donationis alia eſt ratio. Nam heredis inſtitutio eſt aliena à jure naturali, non ob infinitatem donationis, ſed ob carentiam juris poſt mortem, quæ ratio ad donationem non quadrat.*

n. 26. *k*) commodatum) *Hic intuitu jurisprudentiæ univerſalis illud monendum etſi multas ſubtiles differentias jus Romanum faciat inter mutuum, commodatum, precarium, maximè intuitu actionis, repetitionis, periculi, culpæ, iſta tamen omnia ignorari à Jure Gentium & hic mores antiquos Patrios eſſe optimum interpretem Juris Gentium. Apud Germanos enim hæ tres conventiones ſunt unus contractus:* Gelichen Gut; *ubi res ad uſum conceſſa eſt reſtituenda domino quando ipſi placuerit, niſi aliud actum, & ille qui rem utendam accepit ferè periculum ſuſtinet, niſi aliud actum.* Confer differt. noſtram de Uſu exiguo diſtinctionis culparum in foris Germaniæ. *De pignore jam ſuprà monuimus* ad Sect. 4. c. 6. n. 51. *huc repetenda.*

Digitized by Google

uſuque reipubl. aliena non ſint, hic tamen facile, ne vel de his, vel de mutuo, commodato, precario, depoſito, pignore latius agi neceſſe videatur, obrinebimus.

28. Verbo monendum; Ad reales contractus, videri & illos ex hujus inſtituti ratione referendos, qui à juriſperitis innominati contractus appellantur, *l*) utique tales, qui non habent initium, niſi à dando, ut eſt contractus do, ut tu des, ſive permutatio; Item do ut facias, quia non habent formatam contractus naturam, niſi poſt dationem ab una parte impletam. Reliqui duo, qui ſic exprimuntur, facio ut des, & facio ur facias, analogice & latiſſimo rei ſignificatu ad idem genus referri poſſunt. Sed ut hiſce non præjudicatur diverſæ juris civilis methodo, ita ſpeciebus hiſce latius explicandis non eſt hujus inſtituti ratio comparata.

29. Sed quorſum referemus adeò celebrem his diebus *cambium* quod dicitur, ſeu collybum, ur græci. Contractum innominatum, ut appellamus, poſtquam nihil eo frequentius in hominum commercio eſſe cœpit, non fert ratio, etſi crebro volunt juriſconſulti. Sed etſi non habet locum aut nomen proprium in methodo juris Romani, nos in hac arte tamen non dubitabimus inter contractus referre nominaros. Eſt revera mandatum, quo quis alteri mandat, ut tertio numeret pecuniam ſuo nomine. Plerumque duplex, ut qui pecuniam amico curare vult foris, mercatori mandet, ut is ſecundo mandet, amico illi nnmerare pecuniam. Veteres larini, pecuniam hac via permutari dicebant, qua de re diximus ad *tit. ff. mandati ſub. fin.*

30. Poſſet hic etiam agi de ſponſionibus in fortuitos rerum eventus, quos alii licitos, alii prohibendos arbitrantur; neque res hæc non directe ad inſtitutum præſens & juris publici diſciplinam pertinet. Sed moles rerum & operis coarctandi neceſſitas hic etiam remiſſione defungi nos jubet, ad locum ejus proprium in prælect. ad pandectas juris *tit. de aleatoribus n. 5.*

CAP. V.

DE OBLIGATIONE E VARIIS CAUSARUM FIGURIS, SPECIALITER EX DOMINIO.

Ad varias cauſarum figuras primo referendos quaſi contractus, n. 1. inter quos negotiorum geſtio, quæ ex jure nat. probatur adverſus Grotium. Communio. Indebiti ſolutio. n. 2. Tutela. n. 3. Exercitoria obligatio. n. 4. de quâ cum Grotio diſſeritur. n. 5. Huc etiam pertinere patrum obligationes è contractibus filiorumfam. n. 6. Locupletationes & cum alienâ jacturâ. n. 7. De quaſi delictis remiſſive. n. 8. Quo ſenſu naſcatur obligatio è dominio & ex juri-

n. 28. *l*] appellantur) *Sed id tamen notari ſimul debebat, pacta de permutando, de factis mutuis aut de factis & dandis promiſcuè, jure gentium æquè contractus eſſe, ac ſi res vel factum jam intervenerit, adeoque doctrinam de pœnitentiâ in contractibus innominatis, de condictione cauſa datâ ex capite pœnitentiæ & quæ ſunt ſimilia, eſſe propria juri Romano utpote profluentia ex differentia inter pacta & contractus, ac propterea longe aliter ſe habere communi jure gentium.*

Digitized by Google

mo in poteſtate habere cenſetur, & unde ne quidem, poſt rem geſtam, oritur obligatio, ſecus ac Grotius docet in *d. cap.* xi. *n. 9.* argumento ejus, quod Juda egerit, erga Thamarem nurum, cui ſolvit mercedem ſtupri *Geneſ. 38.* Sed unde probat Grotius, ſi non ſolviſſet, eum fuiſſe peccaturum? ſolvit generoſitatis profanæ causâ, ne veniret in contemptum, *e*) ut indicat ipſe *verſ. 23.* nec facile perſvadebit ὁ μέγας, eum qui ſicario conducto poſt cædem peractam ſolvit mercedem promiſſam, non magis probare factum, quam explere juſtitiam. Cæterum, quod is qui ſine causâ promiſit, non tenetur lege civili, id magis ob præſumptionem turpitudinis, quam quod promiſſio ſola deliberato animo facta non teneat, fieri videtur, ut idem recte *n. 10.*

15 Non eſt etiam in poteſtate promiſſoris, alium eſſe daturum quid vel facturum, niſi de ſe promiſſor expreſſerit, effecturum ſe, ut alius det vel faciat: tunc enim niſi id effecerit, in id quod intereſt tenebitur. Sane qui mandatu alterius promiſerit, is ſine dubio mandantem obligat, ſive mandatum generale ſeu ſpeciale fuerit, etſi promiſſor mandati generalis fines exceſſerit; quatenus mandans eum præficiendo rebus ſuis, quicquid in iis egerit & promiſerit, ſe ratum eſſe habiturum tacite recepit; haud tamen ultra ſcilicet quam res patent, quibus eſt præpoſitus, quod in exercitoribus, inſtitoribus, etiam in legatis uſum habet.

16. An alius pro alio acceptare aliiſve ſtipulari poſſit, quod jus Romanum optimus alioqui juris naturæ interpres negat, in eo Grotius diſtinguit inter *promiſſionem mihi factam de re dandâ alteri, & inter promiſſionem in ipſius nomen, cui res danda eſt, collatam. Si mihi facta eſt promiſſio, omiſſa inſpectione, an mea primum interſit, quam jus Rom: introduxit, naturaliter videtur mihi acceptandi jus dari, ad efficiendum, ut ad alterum jus perveniat, ſi & is acceptet. d. c.* xi. *§. 18.*

17. Atqui jus Romanum non negat, promiſſionem mihi factam, ut ego alii dem, valere; ſed negat alium alii poſſe ſtipulari, hoc modo; *centum Titio dare ſpondes? §. alteri 18. I. de inutil. ſtipul. l. 38. §. 17. ff. de V. obl.* Addit quidem hanc rationem, quod obligationes ſunt inventæ, ut unuſquisque acquirat id quod ſua intereſt: ſed hæc ratio ceſſans efficere non poteſt, ut theſis ignota juri Romano adſtruatur, & ſtipulatio, quâ quis ſibi dari ſtipulatur quod alii det, non valere dicatur: eo quod ſtatuit, alium alii propter illam rationem non poſſe ſtipulari. Præter quod, non poſſit non intereſſe ſtipulantis, ſibi acquiri quod alii det; ſive negotium alteri gerat, quo caſu habet actionem; ſive quod donatum ei velit, quo beneficii debitorem accipiat, quod minime remotum eſt à facultate civilis negotii: Nec adeo ſic juris auctores negant, quod Grotius illis ut negatum imputat, in his verbis, *nam is ſenſus juri naturæ non repugnat, & verbis talis promiſſionis maximè congruit, neque nihil mea intereſt, ſi per me alter beneficium accipiat.* Non ſunt hæc revera contra jus Romanum, ut recte etiam obſervat D. Zieglerus *ad hunc Grotii locum.* Valet igitur ſtipulatio tam jure civili quam naturali hoc modo; Centum mihi dare ſpondes, quos ego dem Titio?

18. Pergit Grotius; *Quod ſi promiſſio in nomen ejus collata eſt, cui danda res eſt, diſtinguendum eſt, an qui acceptat, ſpeciale mandatum*

---

n. 14. e) contemptum) *Sed Judas non metuebat contemtum ſimplicem, ſed contemptum ex capite injuſtitiæ, & fidei dato pignore violata, ut contextus oſtendit. Tota deciſio redit ad explicationem dicti Ulpianei, meretricem turpiter facere quod ſit meretrix, non vero turpiter pecuniam promiſſam petere vel accipere, cum ſit meretrix. De quo dixi, ni fallor, in notis ad Strauchium.*

datum habeat acceptandi, aut ita generale, ut talis acceptatio ei incluſa cenſeri debeat: an vero non habeat. Ubi mandatum tale anteceſſit, diſtinguendum ultra non puto, ſitne perſona ſui juris, nec ne, quod Romanæ leges volunt ſed plane ex tali promiſſione obligationem perfici. Ego adhuc puto diſtinguendum, ſaltem in poſſeſſione dominioque rerum; utrum is qui ſtipulatur, ſive acceptat in alterius nomen, ex ejus mandato generali, vel ſpeciali; mandatum illud præferat an non. Si præferat mandatum, acquirit etiam mandanti, *l. 13. ff. de Donat.* Quod ſi mandatum non præferat meus procurator, acceptans pro me; tunc idem, quod ad promiſſorem eſt, ac ſi deficeret mandatum: quod enim ignoratur, in civilibus habetur, ac ſi non eſſet. *l. 1. §. 20. ff. de acquir. poſſ.* Hæc etiam de obligatione acquirenda valeant; etſi paulo ſecus hac parte jus Romanum *l. 49. §. 1. ff. de acquir. poſſ.*

19. Hoc igitur quærendum eſt, an deficiente mandato, valeat in nomen tertii ſtipulatio, ſive acceptatio, in hunc modum, *Centum Titio dare ſpondes? ſpondeo.* vel ita; *Titio centum dabo.* Alius præſens ſubjicit, *accipio pro Titio*, id ignorante, neque prævio mandato. Romani putarunt, ego etiam magis puto *f)* talem promiſſionem non habere majorem vim, quam ſi nemo acceptaſſet, quo caſu revocare liceret promiſſum. Quod enim ego me Titio daturum profiteor, quid hoc ad tertium, qui in Titium non habet poteſtatem? Arbitratu meo emiſi vocem, in Titii favorem; hanc excipit Cajus aut Sempronius: non contrahitur inde vinculum, quo promiſſor obligetur promiſſario. Titius eſt promiſſarius; ego promiſſor; nos duo colligandi ſumus, ut vinculum obligationis naſcatur: non ego & quilibet alius, cui nihil promiſi. Si veniat is qui acceptavit, dico; nihil tibi promiſi *g*] ſi veniat Titius, dico, Sum equidem profeſſus me tibi daturum; ſed revocavi antequam acceptares, *h*) per te vel per miniſtrum, quod erat liberum facere. Non eſt hæc ſubtilitas, eſt vera rei geſtæ hiſtoria & conſecutio.

 20. Gro-

n. 19. *f*) magis puto) *Ergo diſtinguerem inter caſum primum & ſecundum. In primo puto jure naturæ valere promiſſum, quod ad mei inſtantiam tertius Titio ſe daturum mihi promittit, quia videlicet jure naturæ tum præſumitur mea intereſſe, ut Titio ſolvatur, nec adeò opus eſſe, ut hoc intereſſe à me probetur. Nam ſi id probatum fuerit, tum & jure civili ſponſio valet. At in ſecundo caſu non puto oriri obligationem; quia, qui dicit:* Titio centum dabo, *recenſet ſaltem verba enunciativa, non promittentia. Ergo alius præſens ſi ſubjiciat* accipio pro Titio, *non poteſt ex enunciatione ſimplici facere promiſſum. At ſi Autor, ut fieri debebat, ita formaſſet caſum ſecundum:* Promitto tibi me Titio daturum centum: *Et tunc ego ſubjungam;* Accepto, *Tunc utique abſtrahendo à Jure Romano obligatio orietur, ex eâdem ratione, quia præſumtio oritur, me habere intereſſe ad acceptandum. Unde nec moribus Germanicis attenditur ſubtilitas juris Romani, ſed valet ſimplicitas juris Gentium, ita ut & tertius alteri obligationem acquirere poſſet, ut probavit Schilterus in Exercitationibus ad Pandectas.*

g) tibi promiſi) *Sed ſecundum noſtram explicationem, hæc reſponſio non quadrabit, quia, qui mihi promittit quod Titio ſolvere velit ſi meâ interſit utique mihi promittet.*

h] acceptares) *Sed jure Romano etiam promiſſor non erat obligatus, etiamſi Titius (abſq; tamen novâ ſtipulatione) acceptaſſet. Unde & Autor tacitè fatetur, eſſe ſaltem in hoc caſu differentiam inter Jus naturæ & Jus Romanum.*

20. Grotius duplicem ejusmodi promiſſionis in aerem factæ, ab eo, ad quem non pertinebat, acceptatæ, ſtatuit eſſe effectum: primus eſt, *ut promiſſori revocare promiſſionem non liceat, antequam is, ad quem ſpectet promiſſio, eam ratam habuerit aut irritam.* i) Hoc jus promiſſarii (liceat ita loqui cum Grotio) ut ab ejus ratihabitione pendeat promiſſio, conſiſtere debet in vinculo, quod ipſum & promiſſorem colliget, quod in hac ſpecie deficere probavimus. Ait Grotius: *ſi promiſſor revocet, non facit contra jus proprium alterius, ſed contra fidem.* Atqui nos agimus de obligatione, quæ jus proprium alteri tribuit; ubi non eſt jus proprium alteri quæſitum, ibi non eſt obligatio, perfidia quoque non committitur, ubi fides data non eſt ei, ad quem res pertinet; mutatio conſilii & levitas non eſt ſtatim perfidia.

21. Alter effectus Grotio eſt, *quod is qui acceptavit, medio tempore promiſſum remittere poſſit*, id eſt, antequam is cui promiſſio facta fuit, ipſo acceptante, eam ratam vel irritam haberet. Sed qui nihil juris acquiſivit, k] ut Grotius ipſe fatetur, ſibi nec alii, non habet etiam quod remittat. Quid ni vero qualemcunque fidem à me datam, in tertii nomen, ipſe remittere poſſit, cum nullo pacto illi tertio teneatur, quid hic conqueri poteſt? Pone caſum; Ego dixi *Titio centum dabo* Tertius ſubjecit, *Accipio pro Titio:* cui nulla re tenetur, & qui rem totam ignorat. Si quid inde juris ortum ſit, hoc eſt penes tertium acceptantem; nihil adhuc penes Titium. Tertius antequam referat Titio, promiſſum mihi remittit; quid habet de quo Titius queratur, cui nihil ademptum, nihil quæſitum fuerat?

22. Promiſſionibus crebro accedit jusjurandum, quod eſt, adſeveratio, cum invocatione numinis in teſtem, & cum imprecatione noſtri: Etſi poſterior pars, haud expreſſa licet, ultro intelligitur, cum, qui Deum invocat, ſuperiorem citat, habentem ἔκδικον ὄμμα, vindicem oculum: Quod Mennonitæ noſtri, quibus jurare religio eſt, animadvertentes, cum diu uſi eſſent indulgentia legis, quæ permittit iis ſola invocatione numinis in teſtem, ἄνευ κατάρας, ſine imprecatione defungi, poſtremo qui ex illis rigidiores ſunt, id ipſum repudiarunt; neque plus quam ſimplices adfirmandi vel negandi formulas à Chriſto permiſſas arbitrati ſunt. *Matth. V.* Quemadmodum inter ipſos paganos non defuere, qui videntes, nonnullos hominum *eſſe nimis faciles ad jurandum contemptu religionis*, in adverſam partem ſe recepere, *perquam timidi in jurando, metu divini numinis, usque ad ſuperſtitionem*, ut refert Ulpianus *in l. 8. ff. de Condit. Inſtitut.*

23. Nec eſt dubium, quin, nonniſi in magni rebus momenti, minimè in tralatitiis, aut incertis adhibendum ſit jusjurandum. Eaque mens videtur eſſe Chriſti domini l) & Jacobi Apoſtoli juramenta prohibentium, non ut ex uſu judiciorum rerumque maximarum penitus aboleantur; Id enim propoſitum Servatoris noſtri declarantis, ſe non veniſſe

---

n. 20. i) aut irritam) *Et recte, nam ſi irritam habeat Titius, nullum amplius intereſſe habet is, qui acceptavit promiſſum, cum renuente Titio ipſe liberetur ab eo, quod Titio debebat.*

n. 21. k) juris acquiſivit) *Sed ſecundum noſtram explicationem utique jus acquiſivit, etſi ſub conditione, modo Titius non renuat.*

n. 23. l) Chriſti domini) *Imo potius contextus oſtendit, Chriſtum non ibi agere primario de juramentorum temeritate coercenda, ſed potius de improbanda violatione fidei juramentorum etiam temerariorum, aut, ut autor loquitur, in rebus minoris momenti.*

veniſſe καταλῦσαι τὸν νόμον, abolendi legem, in quâ olim ſancitum eſſe jusjurandum ſatis conſtat, idemque ſanctorum exempla in ipſa novi teſtamenti oeconomia abunde refellunt.

24. Idem igitur velle videtur Chriſtus, quod Philo; Κάλλιστον καὶ βιωφελέστατον καὶ ἁρμόττον λογικῇ φύσει τὸ ἀνώμοτον, οὕτως ἀληθεύειν ἐφ' ἑκάστου δεδιδαγμένῃ, ὡς τοὺς λόγους ὅρκους εἶναι νομίζεσθαι. *Optimum atque utiliſſimum & rationali naturæ convenientiſſimum eſt, juramento abſtinere, atque ita ſe veracitati adſveſacere, ut verba pro juramento accipiantur.* Proinde τὴν ἀποχὴν τοῦ ὀμνύναι προστάττει περὶ τῶν ἐνδεχομένων καὶ ἀόριστον τῆς ἐκβάσεως ἐχόντων τὸ πέρας. *Imperat igitur abſtinentiam jurisjurandi de contingentibus, ſive de his, quæ poſſunt & non poſſunt fieri & incertum habent eventus terminum* ut Hierocles.

25. Non eſt animus omnem exhaurire jurisjurandi materiam, quod actum in *prælect. d. tit. ff. de jurejur.* Sed hic de eo, quod promiſſionibus accedit, agimus. Per ſe non parit obligationem inter homines, quia ſe refert ad Deum; ſed conventionem firmat: Quæ ſi non eſt obligatoria, jusjurandum eam vim inter homines addere non poteſt. Unde pacta nuda, quæ jure Romano non obligant, eam quoque virtutem non adipiſcuntur ex jurejurando, ut eodem jure proditum eſt; non quod jurantis conſcientiam obligari coram Deo negent, *m*) ſed quia forenſem inde actionem dari non probant, tam ratione jam dicta, quam quod uſu promiſcuo jusjurandum vileſceret, quâ de re prolixe egimus in *Eunom. Rom. ad l. 7. §. 16. d. pact.* ubi & illud, jusjurandum contra bonos mores non valere, quia nec ipſa valet obligatio, cui adjicitur, & jusjurandum non debet eſſe vinculum iniquitatis. Idem eſt in impoſſibilibus, de quibus omnibus ad Grotium; in *lib. 2. c. 13. n. 6. & ſeqq.*

26. De his, quæ jure civili ſolo prohibiti ſunt, contractibus, non conveniunt Romani & pontificii juris auctores. Utrique ſane in eo conveniunt; ſi quis jurando promiſerit rem naturali & divino jure licitam, ſed poſitivo jure prohibitam quidem, attamen in alterius privati aut reipubl. præjudicium non vergentem, ut is coram Deo teneatur: Sed jus canonicum vult tale jusjurandum etiam habere juris externi effectum *n*) *in cap. 28. x de jurejur.* ubi exemplum, ſi mulier jurejurando conſenſerit in alienationem rerum dotalium lege civili prohibitam. Item *cap. 2. de pact. in 6.* Ubi filia juravit, ſe dote contentam, hereditate paternâ abſtenturam; cujuſmodi renunciatio legibus invalida eſt. Sed jus Romanum non agnoſcit ejuſmodi juramenta in foro, *l. 5 c. de legib.* idque nec immerito, quia ſic leges eluderentur: Qui non eſt idoneus ad contrahendum, ille jurando ſe contra ſententiam legum idoneum facere non poteſt, nec etiam poſſe debet; quâ de re ſimiliter actum ad *d. l. 7. §. 16. d. pact.*

27. Quamvis autem ex jurejurando, qua tali, novum jus alteri non acquiratur, promiſſio tamen, cui adjicitur, inde fit firmior, ut etiam præſtari illam neceſſe ſit, etſi aliquid promiſſario, cur promittentem liberare debeat, objici poteſt, quales ſunt

hoſtes

---

n. 25. *m*) negent) *Sed quomodo jurantis conſcientia poteſt obligari coram Deo, cum Deo nihil promittatur, & clauſula juratoria ſit ſaltem ſermo acceſſorius, ex validitate rei principalis dijudicanda?*

n. 26. *n*) effectum) *Ex falſa doctrina, acſi in clauſula juratoria fiat promiſſio Deo, quod falſum eſt aperte, quia teſtis & vindex tertius eſt, & diverſus planè ab eo, cui quid promittitur. Sed hæc erat palliata impietas juris Canonici, ſub prætextu pietatis crebrius infringere leges Reipublicæ, & poteſtatem legiſlatoriam Clero vindicare.*

hoſtes, impii, latrones *o*) & tyranni, qua de re Grotius *d. cap. 13. n. 14. & 15.* quod tamen vinculum religionis cum mere perſonale ſit, heredibus, quominus contra promiſſarium, iuris utantur remediis, non obſtat, ut idem probat *n. 17.* Quis ſit effectus jurisjurandi, quo reges & alii ſummam poteſtatem habentes civibus ſuis obligantur, aliquoties in loco diximus. Quibus autem modis conventiones & jusjurandum obligare deſinant, alibi commodius explicabitur.

CAP. IV.
DE CONTRACTIBUS.

Differentiæ Pacti & contractus à Grotio & juris civilis Auctoribus proditæ ad artis rationes examinatæ. n. 1-7. Summa Contractuum diviſio in Conſenſuales & Reales. n. 8. Conſenſualium primus, Emptio Venditio; ubi, an rem minoris emptam multo pluris vendere, philoſophia civilis permittat. n. 9. Periculum rei venditæ necdum traditæ ad Emptorem ipſo jure naturali pertinere. n. 10. Idem eſſe analogicé in locatione conductione, quod ad mercedem & uſum fructumve rei. n. 11. In locationibus facti non liberari contrahentem præſtatione ejus quod intereſt, altero invito. n. 12. In Societate, ſi nihil convenerit, eſſe videri Æqualitatem arithmeticam, etſi rerum vel operarum diſpar ſit collatio. n. 13. Modi finiendi ſocietatem n. 14. Mandati & juſſus differentia. Mandantem non obligari tertio, qui cum mandatario contraxit, niſi ex eo quod ſpecialiter actum ſit. n. 15. Ratio non excedendi fines mandati, diſtincte expoſita. n. 16. Cur Societas & Mandatum, ſecus ac alii Contractus, morte finiantur. n. 17. Ad conſenſuales contractus etiam poſſe referri ſtipulationem, cujus uſum adhuc non eſſe nullum. n. 18. Quin & Fidejusſionem, cujus differentiæ & materia ſubjecta; n. 19. ubi & de obligatione ſui ad mortem vel ad cruciatum, exponuntur. n. 20. Aſſecuratio n. 21. Donationem quoque ad hoc genus recté referri: n. 22. Nec eam ſine acceptatione donatarii valere, n. 23. ſed de omnibus, etiam futuris bonis, quominus fiat, nihil obſtare. n. 24. Denique, Transactionem ejusdem eſſe generis. n. 25. De contractibus realibus, n. 26. imprimis de mutuo & pactione uſuraria breviter. n. 27. Eodem poſſe referri contractus innominatos. n. 28. Cambia. n. 29. Sponſiones de rebus fortuitis. n. 30.

1. A Pactis

n. 17. *o*) latrones) *Sed Latronis exemplum huc non quadrat. Quia latro non habet jus acceptandi. Sed impio, hoſti, & tyranno non poteſt opponi exceptio metus.* Confer. ſupra dicta ad lib. 1. ſect. 7. c. 3. n. 31. lit. b. p. 262.

Digitized by Google

1. A Pactis & jurejurando tranſitus eſt ad *contractus*, de quibus hic etiam nonnihil quod ad univerſam eorum conſiderationem juris publici ratio poſtulet, eſt collocandum. Quale etſi & Grotii inſtitutum fuerit, in *d. l. 2. c. 11.* ejus tamen partitiones à methodo juris Romani conſulto in philoſophicum & inexpectatum abeuntes non ſequemur; cum ordo juris latini æquè ſit idoneus ad recipiendas hujus artis obſervationes, ad memoriam vero & perſpicuitatem aliquanto ſit expeditior. *p*)

2. Conventio ſive pactum quid ſit, antea dictum eſt. Ab ea contractum aliter Grotius, aliter veteres juriſconſulti diſtinguunt. Grotius *omnes actus aliis utiles, extra mere beneficos*, contractuum nomine appellari docet *d. lib. 2. c. 12. n. 7.* minus caute, ut videtur; nam pacta ſive promiſſiones; quas à contractibus ſeparat, & de quibus agit *in cap. præced. q*) ſunt etiam aliis utiles: Mutuum vero & commodatum ſunt etiam mere benefici, neque tamen non ſunt contractus. *r*)

3. Juris Romani auctores differentias habent ejusmodi, quæ non ſunt univerſales aut naturales. Prima eſt ab effectu; quod è contractibus obligationem naſci & actionem volunt, è pactis contra; ſed hæc è ratione juris gentium univerſalis æque ad actionem producendam ſufficere, quam contractus *ſupra* nos & Grotius *in pr. c. 11.* plenius probavit, idque moribus omnium gentium, qui maxime ad hanc artem pertinent, aliter obſervari videmus.

4. Alterum à priori diſcrimen juris Romani eſt; quod contractus habeant vel nomen certum, vel cauſam; Pacta, nec nomen ſpeciale, nec cauſam habere dicuntur; ita ut, per cauſam intelligant dationem vel factum ab una parte impletam vel impletum. Sic emptio venditio, locatio conductio, mutuum, commodatum, depoſitum, pignus aliique plures ſpecies habent nomen certum, quo propter uſum eorum frequentem opus fuit. Pacta, quæ dando vel faciendo ab una parte conſummata ſunt, hæc, cauſam habere dicuntur, ac inde ſunt contractus innominati. Specimina liberalitatis, in quibus non eſſent reciprocæ præſtationes, ut donatio & precarium, Romani

Uuu à con-

---

n. 1. *p*) expeditior) *Nobis neque Grotii partitio ideo rejicienda videtur, quod philoſophica ſit & inexpectata, neque diviſio juris Romani recipienda quaſi ſit expeditior ad memoriam & perſpicuitatem. Nam in priore aſſerto ratio non ſtringit, in poſteriori ratio falſa eſt, & eſt hæc proteſtatio autoris facto contraria, cum autor diſtinctionem inter pactum & contractus, item contractuum literalium & verborum ſeparatas ſpecies, item ſeparationem innominatorum à nominatis &c. rejiciat, & ſolos reales & conſenſuales contractus retineat, quamvis in aliâ plane acceptione, quam jus Romanum, ut mox videbimus. Ergo Grotii inſtitutum non planè ſeponendum, etſi fortè Grotius immiſceat ſubinde ſubtilitates quasdam, parvi uſus, ſed facilè omittendas. Ita nullum eſt dubium rem eſſe & ad memoriam & ad perſpicuitatem expeditam, ſi contractus dividantur in principales & acceſſorios, illi in beneficos & non beneficos. Nam contractus qui aleam continent, pertinent ad diverſitatem modorum promittendi, utrum videlicet promiſſio fiat purè, vel in diem vel ſub conditione. Scilicet contractus aleam continentes ſemper habent adjectam conditionem expreſſam vel tacitam &c.*

n. 2. *q*) cap. præced.) *Fallitur autor, nam in* cap. præced. *Grotius egerat non de pactis in ſpecie, quatenus contractibus opponuntur, ſed de promiſſis in genere ut ipſe autor* hic in cap. præced.

r) non ſunt contractus) *Aſt ſi Grotium conſideres* d. l. 2. c. 12. §. 2. *mutuum & commodatum non ſunt merè benefici, ſed quos vocat cum obligatione mutuâ.*

à contractibus etiam removerunt.

5. Poſtquam vero iisdem placuit, pactis nudis, id eſt, conventionibus, quæ nec habent nomen certum, neque cauſam, ita, ut diximus, intellectam, actionis effectum non dari, opus fuit illis obligatione verborum, quam dixere ſtipulationem, quæ per ſolennem verborum conceptionem pacti vice fungeretur. Quibus dein acceſſit obligatio literarum, qua tenetur is qui ante biennium confeſſus eſt chirographo ſuo, ſe pecuniam quam revera non accepit, accepiſſe, eo ſolo, quod ita ſcripſit.

6. Reliquos contractus bifariam diſcreverunt, in conſenſuales & reales. Nam qui expeditioris erant commercii, his è ſolo conſenſu vim obligandi dederunt, quales emptio, locatio, mandatum, ſocietas. Reliquis minus forenſibus magisque beneficis, ut ſunt mutuum, commodatum, depoſitum, obligandi vim, nonniſi poſt rei interventum & traditionem dederunt, quibus acceſſit pignus, eo quod hoc non eſſet per ſe contractus, ſed alterius acceſſio.

7. Haſce differentias probabili ratione conſtitutas eſſe, non eſt, quod negemus. Sed nobis ex ſimplicitate juris univerſi nulla cauſa videtur, quamobrem omnes conventiones, vim obligandi habentes, non ſint accenſendæ contractibus, idque moribus hodiernis magis obſervati videtur. Quid enim vetat, cum ſtipulationes ſint contractus, pacta quæ nihil hodie differunt à ſtipulationibus, eodem nomine deſignare? Donatio vero, transactio, fidejuſſio, conſtitutum & precarium à contractibus ipſo jure civili tam parum differunt, ut plerumque illis adnumerentur, & vix aliud quam nominis ſonus interſit.

8. Sequamur igitur hanc ſimplicitatem, non rejecta tamen conſenſualium & realium differentia contractuum, s] quæ & in mores gentium abiiſſe videtur: iis qui verbales dicuntur ad pacta, qui à literis appellantur, ad mutui doctrinam relatis, nec verorum & quaſi talium qui dicuntur, denique nec nominatorum & innominatorum ſpretâ differentia. t) Ac ita locus præcedentis capitis fuit communis, hic de ſingulis contractuum ſpeciebus agetur, quatenus, ut dictum, hujus

---

n. 8. s) contractuum) *Scilicet Autor rejectis & ſepoſitis diviſionibus reliquis juris Romani, putat omnes contractus dividi poſſe in reales & conſenſuales. Sed fallitur, dum putat hos reales & conſenſuales eſſe eosdem cum realibus & conſenſualibus Romanorum. Romani conſenſuales vocabant, qui conſenſu quocunque modo declarato abſolvebantur, reales qui ante rei interventum non obligabant, uti literales & verbales, qui citra literarum & verborum interventum non producebant actionem. At autor reales ſuos non eos eſſe dicit, qui citra rei interventum non producant actionem, ſed qui ſaltem nomen accipiunt peculiare poſt rei interventum. Adde autorem* n. 7. & 26. *hic ubi iterum deprehendes variam inconſtantiam conceptuum, quorum explicatio diſcurſui reſervanda. Fortè melius feciſſet intuitu juris gentium, ſi ſaltem retinuiſſet in claſſe verorum contractuum conſenſuales propter dicta* n. 7. *& reales omnes retuliſſet ad quaſi contractus. Etenim vel ex jure civili notum eſt, ubi Cajus dicit obligationem ex quaſi contractu, ibi JCtos alios ponere obligationem ex re. Et certe v. g. æque in mutuo vel commodato mutuatarius & commodatarius eſt obligatus ad reſtitutionem, ac in negotiorum geſtione geſtor ad rationum redditionem, etſi nec ibi reſtitutio mutui vel commodati ſit expreſſe promiſſa. Obligantur utrobique ex re i. e. ex natura negotii mutuum & commodatum infert reſtitutionem, etſi non promiſſam, uti negotiorum geſtio rationum redditionem &c.*

t) differentia) *Scilicet nomina retinet, definitiones æquè mutat. Nam innominatos refert* n. 28. *ad reales. Et vide quæ ibi notabimus.*

Digitized by Google

hujus inſtituti ratio poſtulat.

9. Conſenſuales igitur contractus ſint, emptio venditio, locatio conductio, mandatum, ſocietas, donatio, transactio. *u*) In emptione venditione ſcrupulum movet, quod uſus & vita ejus conſiſtit in licentia rem pluris quam comparata fuit, diſtrahendi; quod philoſophi imo & juris quidam magiſtri, cenſores, ut adverſum præcepto juris naturæ, alterum non lædendi, reprehendunt. Sed in Eunomiâ Romanâ ad *l. 16. §. 4. de Minor.* inæqualitatem illam non eſſe iniquam, ne quidem ut jure Romano permittitur, approbavimus, è tacito quidem, ſed indubitato generis humani conſenſu, præter id quod Grotius ex interiore philoſophia depromptum habet in *lib. 2 c. 11. n. 26.* quibus accedit ratio juris publici univerſalis, ab utilitate maximâ, per quam fit, ut nulla re magis floreant civitates, quam commerciis, quorum anima eſt illud lucrum: Nec quidem limitatio juris Romani, ne ultra duplum procedat inæqualitas ex *l. 2. C. de Reſc. Vend.* hic locum habet; cum illa ſupponat uniformem æſtimationem mercium; nos in commerciis, pretia rerum fluxa & æſtimationis incrementum ſupponimus; cui varietas indigentiæ & affectionis hominum certos poni limites non patitur. *w*)

10. Venditio conſenſu perfecta, non tantum parit obligationem, ſed ex naturali ratione dominium quoque rei nondum traditæ in emptorem transfert, ſecundum ea, quæ *ſuprà* diximus, traditionem ad dominii translationem non requiri, *x*) ut late probavimus in *digreſſ. lib. 4. c. 8. n. 2.* & inſerto ibi tractatu *de jure in re & ad rem. c. 16.* Quod etſi jure gentium poſitivo mutatum ſit, ut dominium nonniſi poſt traditionem in emptorem tranſire cenſeatur, tamen periculi ratio, ſi forte res caſu fortuito pereat ante traditionem, manſit in ſimplicitate naturali, etiam jure Romano; nam periculum re quoque nondum tradita pertinet ad emptorem; quoniam in rei veritate dominium, jure naturali in emptorem eſt translatum, *y*)

11. In locatione conductione, quæ proxima eſt emptioni venditioni, cum nihil quam uſus rei transferatur in conductorem, periculum ipſius rei nonniſi ad dominum lo-

n. 9. *u*) Transactio) *Imo & promisſio mutui, commodati, depoſiti, pignoris &c. per* n. 26. junct. n. 7. *Sed tamen ſecundum ſignificatum autoris v. g. emtio & donatio tum ſaltem erunt conſenſuales, ubi non ſtatim traditio conjungitur. At ubi traditio eſt conjuncta erunt reales. Ita enim promisſionem mutui & mutuum ſecernit.*

w) non patitur) *In hoc conſentio. Et latius deduxi peculiari diſſertatione de æquitate cerebrinâ* l. 2. C. de reſcind. vendit. *caſum* d. l. 2. *nunquam in praxi datum fuiſſe, nec dari poſſe.*

n. 10. *x*) non requiri) *Sed exinde non probatur, Venditionem omnem conſenſu perfectam ex naturali ratione dominium transferre, ſed id ſaltem, poſſe transferri in Venditione dominium ſine traditione. Sed ſcilicet opus eſt, ut id exprimatur pacto adjecto. Si enim nihil dictum ſit, dominium non cenſetur translatum Venditione conſenſu perfecta. Haud dubie enim Venditio conſenſu perfecta eſt, quoties partes convenerunt de pretio. Sed ex naturâ Venditionis Venditor non eſt obligatus ad dominium transferendum, niſi pretium ſit traditum, aut fides de pretio habita.*

y) eſt translatum) *Hæc ratio valet quidem intuitu juris naturæ: ſed non intuitu juris Romani. Incongruum enim eſſet negare dominii translationem, & tamen effectum retinere translati dominii. Ergo potius juris Romani in hoc capite illa eſt ratio, quod debitor ſpeciei liber ſit à periculo. Et hæc ratio etiam obtinet jure naturæ in eo caſu, ubi pretium nondum eſt ſolutum, nec fides habita de pretio, per modo dicta.*

catorem ſpectare poteſt: Verum ſicut uſus rei, & merces in ea reſpondet dominio & pretio, quod vertitur in venditione, ſic etiam periculum uſus ita tranſit in conductorem, ut ille mercedem debeat, etſi uſus ipſi fuerit inutilis, niſi vis major foris adveniens æquitati locum faciat; omnino, ſicut emptor pretium debet, etſi res pereat; niſi quod ibi differentia caſuum excluditur à causâ dominii infinita, ſecus ac in locatione bene conſultum eſt *z*) à Romanis in *l. 15. §. 4. ff. de Locat. conduct.*

11. Ita in locatione rerum. Si quis factum locaverit, conduxerit, eum non teneri ad factum illud ſpecifice implendum, ſed præſtando id quod intereſt in omnibus facti obligationibus, promiſſorem liberari poſſe, frequenter à juris interpretibus proditum eſt; quod non habet rationem. Quid enim magis à fide quam dederis, ſervandâ, in faciendo, quàm in dando liberare quem poſſit, non apparet: Etſi verum eſt, ſi quis præfracte nolit facere, quod ſe facturum promiſit, eum præciſe cogi non poſſe, tametſi à judice condemnetur ad faciendum; nec enim voluntas abſolute cogi poteſt; ſed illa conſideratio non impedit, quominus & perfidiæ notetur, & judicialibus cogendi remediis, veluti pignorum captione, mulctæ dictione, cuſtodia *a*] ad ſervandam fidem adigi poſſit; quibus tamen id non efficientibus, rem in exactionem ejus quod intereſt, oportet equidem deſinere, ſed hoc minime in debitoris facultate poſitum eſſe, vel ipſum ab obligatione faciendi quod promiſit, liberare, ſtatuendum eſt; forte ne quidem jure civili, ut probavimus in *prælect. ad tit. inſtit. de V. O. n. 5. verſ. Quod ſi promiſſor.*

13. *SOCIETATIS* fundamentum ſingulari modo, quæ vel eſt ab expreſsâ conventione, vel à tacitâ, quæ communio dicitur, eſt *æqualitas* lucri & damni inter ſocios, proportione, quam vocant, geometrica, ὥςε πλεῖον λαμβάνειν τοὺς συμβαλλομένους πλεῖον *lib.* VIII. *ad Nicom. cap. ult. Ut qui plus contulerunt, etiam plus capiant* lucri atque damni: Idque non modo in pecuniariis collationibus, ſed etiam in operarum, laboris & periculi præſtatione locum habere, vult ratio & docet Grotius *d. lib. 2. c.* XII. *n* 24. Sed hujus rei æſtimatio nonniſi ex arbitramento boni viri, facta comparatione pecuniæ & operarum, fieri poteſt; quæ res cum ſine facto & prævia conventione peragi nequeat, ſi abſque ulla conventione de partibus lucri & damni ſocietas inita ſit, partes videntur eſſe æquales & viriles, *b*) tam reſpectu collationis operarum, quam pecuniæ, quas contrahentes inter ſe compenſaſſe videntur; quod etiam ita jure Romano conſtitutum eſſe probavimus in prælect. ad *tit. inſt. de ſociet.*

14. Sed quia communiones & ſocietates multis obnoxiæ ſunt diſſenſionibus, ut unus etiam, quod reliqui omnes volunt, impedire queat; ac cujuſque facultati id ineſt, ut res ſuas, ubi velit, ſibi ſeorſim habere liceat, ſi quem pro ratione pecuniæ operæve ſuæ pœniteat æqualitatis, is ſemper ad diviſionem aut ad meram converſionem provocare poteſt: quod adeo eſt inſitum naturæ dominii

---

n.11. *z*) conſultum eſt) *Sed danda erat ratio illius boni conſilii, cum comparatio cum emtione, unde autor rationem æquitatis petere volebat, rem non perficiat. Scilicet diſtingue inter regulas juſtitiæ & decori. Sed quoniam regulæ decori in ſtatu naturali non tribuunt jus perfectum, neque admittunt coactionem, inde vis illa major foris adveniens in ſtatu naturali non liberabit conductorem à ſolutione mercedis.*

n.12. *a*) cuſtodia) *imo ipsâ immiſſione & executione, ut in caſu locationis, ſi locator nolit permittere conductori uſum rei locatæ.*

n.13. *b*) viriles] *Sed vide quæ notavi* ad prælect. Autoris in ſcholiis & novis addit. ad Inſt. de Societ. p. 307. ſeq.

Digitized by Google

dominii & ſocietatis, metu diſcordiarum; ut ne quidem pacto convenire poſſe videatur, ne unquam à ſocietate recedere liceat, etſi temporalis ejuſmodi conventio, tanti non eſt præjudicii, quin ſecundum fidem datam conſiſtere poſſit, ob propinquæ ſpem reparationis; idque tam juris univerſi quam Romani, eſſe videtur.

15. Mandati uſus in jure publico frequens eſt, à quo juſſum haud immerito diſtinguitur. Quippe mandatum eſt inter eos, qui *manum dant* ex libera utrimque voluntate; Juſſum eſt ab eo qui jubet, id eſt, *jus habet* imperandi, & eſt ſuperioris erga inferiorem. Fit autem vel ita, ut is qui jubetur, tantum ſit miniſter & pararius alienæ voluntatis, neque perſonæ jus ſeparatæ in illo negotio exerceat; vel ut ipſe fidem ſuam apud tertium, nomine jubentis, interponat. Hoc ſenſu, modo magis quam ſpecie diſcrepat à mandato; cum ex utroque duplex obligatio naſcatur. Una inter mandantem & mandatarium; Altera inter hunc & eum quicum contrahit aut negotium gerit; qui tertius eſt: ſed inter mandantem & tertium nulla vertitur obligatio, quia nihil inter ſeſe egerunt: Niſi mandans tertio promiſerit, ſe quod mandatarius egerit, ratum eſſe habiturum, aut perinde, quaſi à ſe geſtum eſſet, haberi velle. Quin etſi hoc generaliter declaraverit; ſine mentione certæ perſonæ, quilibet hanc ejus emiſſam declarationem acceptare, ac ita cum ipſo mandante vinculum obligationis contrahere poteſt; quæ res uſum habet frequentem, ſuis locis occurſurum. Sine tali prævia declaratione res ipſa quandoque tacitè id infert, *c*) ut ob utilitatem mercaturæ fit, in exercitoribus & inſtitoribus, de quibus ad *tit. inſt. de his qui in al. pot.*

16. Mandatarius ad fines mandati exactè ſervandos tenetur mandanti; quos ſi exceſſerit, haud dubie illi obligatur in id quod intereſt; ad implendum verò contractum, ei, cum quo contraxit ex ſua perſona, vel ſi malit hic, aut aliter fieri nequeat, etiam in id quod intereſt. Per æquipollens tamen aut quod magis expediat, ſi mandatum impleverit, minime dici poteſt exceſſiſſe fines mandati; neque etiam, ſi per ſubſtitutum id executus ſit; modo nihil interſit mandantis, aut etiam peculiari modo ipſius induſtria perſonalis, vel adminiſtratio certæ formæ in terminis præſcripta non ſit; quo pertinet, quod apud Gellium hac de re legitur, *in lib. 1. c. 13.*

17. Cum autem mandatum, quod ſemper eſt gratuitum, amicitiæ induſtriæque perſonalis fiducia, quæ ad heredes utriuſque partis non tranſit, ineatur, morte non minus extinguitur, quam ſocietas, quæ ſimilis fiduciæ perſonalis reſpectu contrahitur: Etſi aliorum contractuum obligatio, quæ ratione patrimoniali conſtat, ad heredes tranſire ſoleat. Non minus etiam quam ſocietas pro lubitu finitur, mandatum à partibus liberè contrahentibus, re adhuc integra, revocari aut renunciari poteſt; qua in re differt à juſſu, qui habet neceſſitatem parendi; verum ubi res integra eſſe deſierit, tam inter ipſos quam ratione tertii, manet obligatio, ad præſtandum id quod convenit, vel ſi res ita non fieret, ad id quod intereſt.

18. Inter conſenſuales contractus videtur etiam merito referri ſtipulatio; poſtquam non modo ſolennitas verborum recentiori jure Juſtiniani ſublata eſt, ſed nihil præter qualemcunque, modo claram voluntatis declarationem, moribus gentium, requiri cœpit. Verum enimvero cum apud Romanos ſtipulatio vix alium habuerit uſum, quam ut aliis conventionibus firmandis & quaſi obſignandis ſubjiceretur, quod hodie ſupervacuum habetur, dicendum fuerit, nunc quis

N.15. *c*) tacitè id infert) *Quâ ſententiâ illuſtratur quod ſuprà diximus* ad cap. præced. n. 19. ſeq. *alium pro alio acceptare & obligationem acquirere poſſe, ob præſumtum intereſſe &c.*

Digitized by Google

uſus ſtipulationum ex hodierno jure gentium ſuperſit. Primo, etſi conventiones hodie non minus validæ ſint, tametſi nulla ſtipulatio ſubjiciatur, revera tamen in omnibus fere majoris momenti, pactionibus & contractibus ſubjicitur clauſula ſtipulationis, qua partes ſtipulantur & promittunt reciproce, quicquid inter eos placuit, hoc ſe mutuo ſervaturos, præſtituros, quæ nihil eſt aliud quam veterum ſtipulatio. *d*) Etſi nunc ea non ſit ejus vis & neceſſitas, ut obligationis & actionis efficacia inde ſuſpendatur. Præterea, cum ipſæ conventiones quælibet, non habentes aliud nomen, reipſa nihil differant à contractibus, univerſalis hujus artis diſciplina inde non abhorret, ut quæcunque de rebus licitis conventiones ſine rei interventu verbis aut literis inter abſentes vel præſentes contrahuntur, hæ cum vim obligandi habeant, ſtipulationes appellentur, ac ita cenſeo, obſervemus.

19. Eo pertinet etiam fidejuſſio, qua quis obligat ſe pro alio, quod fit bifariam ut vel primus debitor juxta ſponſorem, maneat obligatus, vel is penitus liberetur, & omnis obligatio in ſponſorem transferatur. Prior modus adpromiſſio, fidejuſſio, conſtitutum à juriſconſultis vocatur. Nam etſi conſtitutum à fidejuſſione; præter antiquam ſtipulationis, qua hæc, & pacti, quo conſtitutum fiebat, differentiam; adhuc ſubtiliter diſtinguitur, ut demonſtravimus in *prælect. ad tit. ff. de conſt. pec. n. 3.* Id tamen in hac univerſali diſciplina attendi non poteſt. *e*) Altera ſponſionis, quâ primus debitor omnino liberatur, ſpecies, expromiſſio vocatur; quando quis ſe reum pro alio & debitorem priori obligatione perempta, conſtituit; cujus rei uſum in ipſa re Theologica vidimus in *lib. 1. ſect. 4. cap. 5. n. 10.*

20. Uſus & materia ſponſionum tam late, quam obligationis & contractus, quorum acceſſio ſunt, patere videtur: Ac ideo cum nihil obſtet, quominus ſe aliquis ad mortem, ad cruciatum corporis & ad carceres obliget, omnibusque in delictis obligatio & inſtar contractus (unde Ariſtotelis *συναλλάγματα ἀκούσια, contractus involuntarii f*)) vertatur, ratio vult, ut etiam ſponſor & fidejuſſor ita ſe obligans pro patria vel pro amicis

---

n. 18. *d*) veterum ſtipulatio) *Scilicet juris Juſtinianei recentioris per dicta initio numeri. Sed fallitur autor, nam & hæc ſtipulatio veterum requirit ſolennitatem præcedentis interrogationis & ſubſequentis reſponſionis, nec fieri poteſt inter abſentes aut per literas. Ergo conventiones hodiernæ æquipollent quidem ſtipulationibus veterum, & poſſunt hoc intuitu appellari ſtipulationes, ſed tamen non ſunt ſtipulationes, nec ſtipulatio eſt contractus conſenſualis, ſed potius ſtipulationes veterum deſierunt eſſe in uſu.*

n. 19. *e*) non poteſt) *Unde iterum patet, ſtipulationes veterum jure gentium non habere uſum.*

n. 20. *f*) involuntarii) *Non ſunt confundendæ quæſtiones diſtinctæ: 1. an quis poſſit obligari ad cruciatum corporis & mortem, 2. an quis poſſit obligari ex contractu. Adde & alias. Alia enim quæſtio eſt 3. an quis poſſit obligari ex contractu ad mortem ſub conditione ſi ipſe fidem violet; alia an quis ita poſſit 4. obligari ex fidejuſſione, & ſub conditione, ſi alter fidem violaverit. Contractus regulariter fiunt de rebus quæ ſunt in commercio, & omnino fidejuſſiones: etſi fiant ob actiones aliorum merè perſonales; unde qui fidejuſſit de judicio ſiſtendo, cenſetur promiſiſſe intereſſe pecuniarium &c. At vero vel ideo quia vita & corpus hominis non ſunt in commercio, rectè JCti dixerunt, fidejuſſorem non obligari ad cruciatum & mortem. Unde jam non obſtat obligatio ex delicto, & iſta jam ſæpius repetita doctrina Ariſtotelica de contractibus involuntariis. Quia enim conſenſus requiritur ad eſſentiam contractus, ideo contractus involuntarius eſt ignis frigidus & ferreum lignum.*

micis teneatur, idemque uſus Obſidum, & hiſtoria confirmant: Etſi in foro judiciiſque ordinariis ſponſio ad mortem, cruciatum, carcerem, exilium recepta non ſit; ut diximus in *prælect. ad tit. inſt. & ff. de fidejuſſ.* ratione magis civili, ut ibi probavimus, quam naturali. Non certè ea, qua juriſconſulti, neminem ajunt eſſe dominum membrorum ſuorum. Hoc enim nihil indicat aliud, quam vitam & corpus hominis liberi non eſſe in commercio, nec æſtimationi ſubjectum.

21. A ſponſionis natura non eſt alienus *adſecurationis* qui dicitur, contractus, quo quis alienarum mercium in ſe periculum pro certo præmio recipit: niſi hæc ſpecies magis ad contractus innominatos referenda videatur, *g*) utique, ſi non prius initium habere cenſeatur, quam præmium ſit præſtitum & numeratum, ut fere ſervant mercatores; Tunc enim magis eſt contractus innominatus, ut *infra* demonſtrabitur.

22. Quominus etiam donatio inter contractus conſenſuales referatur, ex ea quam adſtruximus, doctrina, non eſt dubitandum, etſi juris Romani conditores, paulo aliter inſtituerint; ſic tamen, ut donationem juxta contractus ſæpe recenſeant, & diſcrimen, quod ſupereſt & ſuprà indicavimus, ſubtile magis quam populare ſit. Verum interim eſt, quod donatio quandoque traditione perficiatur; ſed hæc non magis efficit, ne ſit conſenſualis; quam emptio venditio deſineret eſſe talis contractus, ſi traditio inconrinenti accederet. Plane quod aliquæ gentes donationem nullo modo valere ſtatuunt, quam ſi traditione perfectæ fuerint, unde Gallicæ praxeos dictum circumfertur, *donner & retenir, ne vaut*, id mere poſitivum & ad reſtringendam donandi libertatem inſtiturum eſſe oportet, qua de re dix. *in prælect. ad tit. ff. de donat n. 2. in fin. & n. 4.*

23. Ex proprietate conrractus & quidem conſenſualis ſequitur, non valere donationem, niſi acceptata fuerit à donatario: Conſequenter, ſi donatarius ante acceptationem moriatur, donatio ſit caduca, nec ad heredes tranſmittitur, ſecundum ea, quæ de natura conventionum *praced. capite* diximus, & quæ nec uſu fori hodierno, qui eſt optimus juris gentium poſirivi interpres *h*) improbantur, ut docet Joh. à Sande *lib. 5. deciſ. Friſ. tit. 1. def. 1.* Ubi & improbat, quod à nonnullis populis receptum eſt, ut ſi Tabellio donatarii nomine, donarionem acceptaverit, etſi abſque mandato, ſub conditione ratihabitionis, hæc à donarore revocari non poſſit, ut de Hollandis ſuis teſtatur Grotius *lib. 3. Introd. jur. Holl. cap. 2. n. 21.*

24. Quid quantumque ſit donandum, ſi donator liberam rerum ſuarum habeat poreſtatem, ratio non præſcribit, ideoque valet etiam de omnibus bonis, etſi ratione minus probabili facta; Nam prodigæ donationis vitium impingit in probabilitatem, non in facultatem juris; niſi lex illam probabilitatem convertat in neceſſariam juris prohibitionem, ut factum eſt à populis, qui donationem omnium bonorum, præſentium & futurorum, non patiuntur habere neceſſitatem obligationis, idque ſine diſcrimine cauſæ juſtæ

n. 21. *g*) videatur) *Fluctuat hic iterum inter hypotheſin juris Romani & propriam. Secundum priorem quæri poterat an ſit contractus nominatus an innominatus. Secundum poſteriorem, ſecundum quam & innominati ſunt reales per* n. 28 *& omnes contractus ſunt vel nominales vel reales, per* n. 8. *quærendum erat, annon videatur eſſe realis.*

n. 23. *h*) interpres) *Diſtinguo: quatenus uſus fori hodiernus nititur moribus patriis antiquis, qui ſimplicem doctrinam juris Gentium ſequebantur, ſine ſpinoſis ſubtilitatibus Juris Romani, quas ignorabant, tum fero hoc prædicatum. At ſi per uſum fori intelligit ſententias pragmaticorum, mores antiquos expellere conantium, tunc uſus fori nihil minus eſt, quam optimus interpres Juris Gentium.*

Digitized by Google

ſæ iuſtæ an injuſtæ, quà de re diximus *ad tit. ff. de donat.* Ubi ſicut ex jure Romano docuimus, illam ſententiam adſtrui non poſſe; ita nec philoſophia civilis obſtat magis, infinitæ donationi, quam heredis inſtitutioni, *i*) maxime, ſi donator uſumfructum retineat; quem ſi forte ſtipulari negligat, alimenta ipſi à donatario deberi, tam valida gratitudinis & tacitæ obligationis ratio dictat, ut actioni producendæ ſufficere debeat.

25. Denique *tranſactio* inter conſenſuales, ex hujus artis hypotheſi, contractus etiam referenda videtur: Eſt conventio de lite nondum finita vel quavis re dubia, dato aliquo vel promiſſo, vel retento, componenda: cujus maximus favor, ob utilitatem litium finiendarum in republ. eſſe debet; ut tamen, quod in omni alio contractu requiritur, ne cauſa vel res inhoneſta ſit, de quâ contrahitur, hic minime ceſſet; quo tamen non pertinere tranſactionem de criminibus ſanguinis pœnam ingerentibus, quatenus hoc tantum agitur, ut aliquis ſanguinem ſuum redimat; defendi poteſt, ita, quemadmodum jure civili conſtitutum eſt, & explicari ſolet, à nobis etiam explicitum eſt, *ad tit. ff. de tranſact.* & in *Eunom. Rom. ad l. 1. §. 3. ff. de columniat.*

26. Fuere contractus, ut pro hoc inſtituto ſufficiat, conſenſuales. Sequuntur reales, qui ſunt, mutuum, commodatum, *k*) depoſitum, pignus, & ſi qui ad hoc genus alii referri poſſint: Omnibus commune eſt, quod cum nonniſi poſt rei interventum & traditionem perfecti ſunt; conventiones ſuper illis initiæ, ante traditionem nihil quam pacta nuda ſint, cum illo effectu, quem jus gentium illis tribuit, ut vim actionis in id quod intereſt, habeant: ſi quis ex eo quod alius mutuum ſe daturum, vel depoſitum acceptuгum pollicitus erat, damnum paſſus ſit: etſi jus Romanum ejusmodi pactionibus nullam niſi conſcientiæ obligandæ vim tribuiſſe videatur *l. 30. ff. de reb. cred.*

27. Tribus etiam prioribus commune eſt, quod ſint benefici, nec ullam recipiant acceſſionem mercenariam; etſi mutui naturam hac parte mores gentium ſubegerint, ut nihil frequentius quam uſurariam pactionem recipiat. Romani quidem hanc ſpeciem ei circumdederunt, quod niſi è peculiari conventione debeatur, & mutui natura maneat intacta benefica: Sed cum ſtipulatio uſuraria non habeat aliam, præter mutuum, cauſam, non poteſt negari, quin mutuum illo & omnium populorum jure, ſit uſurarium. An autem & quatenus uſura ſit licita, cum alibi, tum hoc ipſo *libro 2. ſect. 2. cap. 2. n. 20.* declaratum eſt, cætera, quis uſuræ ſit modus, quibus ex cauſis debeatur & deberi deſinat, aliaque etſi à juris univerſi tractatu uſuque

n. 24. *i*) inſtitutioni) *Imo etſi mox dicenda ſint oſtenſura, heredis inſtitutionem non oriri ex ratione naturali ſed ex jure poſitivo, infinitæ tamen donationis alia eſt ratio. Nam heredis inſtitutio eſt aliena à jure naturali, non ob infinitatem donationis, ſed ob carentiam juris poſt mortem, quæ ratio ad donationem non quadrat.*

n. 26. *k*) commodatum) *Hic intuitu jurisprudentiæ univerſalis illud monendum etſi multas ſubtiles differentias jus Romanum faciat inter mutuum, commodatum, precarium, maximè intuitu actionis, repetitionis, periculi, culpæ, iſta tamen omnia ignorari à Jure Gentium & hic mores antiquos Patrios eſſe optimum interpretem Juris Gentium. Apud Germanos enim hæ tres conventiones ſunt unus contractus:* Gelichen Gut; *ubi res ad uſum conceſſa eſt reſtituenda domino quando ipſi placuerit, niſi aliud actum, & ille qui rem utendam accepit ferè periculum ſuſtinet, niſi aliud actum.* Confer differt. noſtram de Uſu exiguo diſtinctionis culparum in foris Germaniæ. *De pignore jam ſuprà monuimus* ad Sect. 4. c. 6. n. 51. *huc repetenda.*

uſuque reipubl. aliena non ſint, hic tamen facile, ne vel de his, vel de mutuo, commodato, precario, depoſito, pignore latius agi neceſſe videatur, obtinebimus.

28. Verbo monendum; Ad reales contractus, videri & illos ex hujus inſtituti ratione referendos, qui à juriſperitis innominati contractus appellantur, *l*) utique tales, qui non habent initium, niſi à dando, ut eſt contractus do, ut tu des, ſive permutatio; Item do ut facias, quia non habent formatam contractus naturam, niſi poſt dationem ab una parte impletam. Reliqui duo, qui ſic exprimuntur, facio ut des, & facio ut facias, analogice & latiſſimo rei ſignificatu ad idem genus referri poſſunt. Sed ut hiſce non præjudicatur diverſæ juris civilis methodo, ita ſpeciebus hiſce latius explicandis non eſt hujus inſtituti ratio comparata.

29. Sed quorſum referemus adeò celebrem his diebus *cambium* quod dicitur, ſeu collybum, ut græci. Contractum innominatum, ut appellamus, poſtquam nihil eo frequentius in hominum commercio eſſe cœpit, non fert ratio, etſi crebro volunt juris-conſulti. Sed etſi non habet locum aut nomen proprium in methodo juris Romani, nos in hac arte tamen non dubitabimus inter contractus referre nominatos. Eſt revera mandatum, quo quis alteri mandat, ut tertio numeret pecuniam ſuo nomine. Plerumque duplex, ut qui pecuniam amico curare vult foris, mercatori mandet, ut is ſecundo mandet, amico illi numerare pecuniam. Veteres latini, pecuniam hac via permutari dicebant, qua de re diximus ad *tit. ff. mandati ſub. fin.*

30. Poſſet hic etiam agi de ſponſionibus in fortuitos rerum eventus, quos alii licitos, alii prohibendos arbitrantur; neque res hæc non directe ad inſtitutum præſens & juris publici diſciplinam pertinet. Sed moles rerum & operis coarctandi neceſſitas hic etiam remiſſione defungi nos jubet, ad locum ejus proprium in prælect. ad pandectas juris *tit. de aleatoribus n. 5.*

CAP. V.

DE OBLIGATIONE E VARIIS CAUSARUM FIGURIS, SPECIALITER EX DOMINIO.

Ad varias cauſarum figuras primo referendos quaſi contractus, n. 1. inter quos negotiorum geſtio, quæ ex jure nat. probatur adverſus Grotium. Communio. Indebiti ſolutio. n. 2. Tutela. n. 3. Exercitoria obligatio. n. 4. de quâ cum Grotio diſſeritur. n. 5. Huc etiam pertinere patrum obligationes è contractibus filiorumfam. n. 6. Locupletationes & cum alienâ jacturâ. n. 7. De quaſi delictis remiſſive. n. 8. Quo ſenſu naſcatur obligatio è dominio & ex juri-

n. 28. *l*] appellantur) *Sed id tamen notari ſimul debebat, pacta de permutando, de factis mutuis aut de factis & dandis promiſcuè, jure gentium æquè contractus eſſe, ac ſi res vel factum jam intervenerit, adeoque doctrinam de pœnitentiâ in contractibus innominatis, de condictione cauſa datâ ex capite pœnitentiæ & quæ ſunt ſimilia, eſſe propria juri Romano utpote profluentia ex differentia inter pacta & contractus, ac propterea longe aliter ſe habere communi jure gentium.*

juribus in re cæteris. n.9. Inventorem alienæ rei eſſe obligatum ad reſtituendum. n.10.11.12. Quid ſi dominus non inveniatur. n.13. Quid ſi ille jam pridem de recuperandâ re deſperaverit. n.14.15. Obligationem tacitam de reſtituenda re domino, eſſe validiorem expreſſa, de reſtituenda re non domino. n.16. De fructibus rei reſtituendæ, & de causâ fructus acquirendi à non domino. n.17-20. Emptorem rei alienæ teneri ad reſtitutionem, non recepto pretio. n.21. nec quidem venditori illam reſtituere poſſe; ſed ipſi domino teneri ex jure naturæ, n.22. Exceptiones quædam juris poſitivi de pretio reſtituendo emtoribus. n.23. Deductio impenſarum. n.24.

1. Cum duæ ſint principes obligationis cauſæ, delictum & contractus, & tamen ea varietas rerum actionumque ſit humanarum, ut certis nominibus aut terminis contineri nequeant omnes, hinc Cajus Jctus in *lib. 2. aureorum*, obligationes, inquit, aut ex contractu naſcuntur, aut ex maleficio, aut proprio quodam jure, *ex variis cauſarum figuris l.1. in pr. ff. de O. & A.* ita ut ſumma cauſa ſit æquitas, *m)* cujus infinitæ ſunt hypotheſes. Unde Celſus cum de ſpecie facti, in qua nihil cum altero actum erat, quæſiviſſet, an obligatio inde oriretur, *ſubſiſto*, inquit; ſed mox, *propius eſt, ut obligari te exiſtimem*, quia *bonum & æquum eſt. l. 32. de Reb. Credit.*

2. Species ad hanc varietatem figurarum pertinentes, quædam propius ad naturam contractuum, quædam ad maleficiorum ſimilitudinem accedunt; Ad contractus; ſi quis amici abſentis negotia non rogatus adminiſtraverit, quæ dicitur negotiorum geſtio, quam ex æquitate naturali non minus quam uſu civili introductam eſſe docet lex *1. ff. de Negot. geſt. ubi*; Hoc edictum neceſſ. &c. Æquum enim eſt, ut & ipſe qui geſſit, ratio-

n.1. m] Æquitas) *Sed maximè danda eſt opera ut æquitas non ſupponatur cerebrina, de qua latius egi* c.1. diſſert. de æquitate cerebrina l. 2. C. de reſcind. vendit. *Unde etſi verum ſit, quod in præſenti negotio communiter tanquam principium afferri ſolet, quod nemo debeat locupletari cum alterius damno* vid. Grot. l.2. c.10. § 2. Autorem hic n. 7. *videndum tamen eſt, ne illa regula tam crude accipiatur. Utuntur enim & illa Dd. in aſſertionibus, quarum contrarium defenderat autor* c. præced. n. 9. *Ergo ut illa regula recte applicari poſſit, addendæ ſunt aliæ regulæ clariores ſpeciales. Tentabimus, an eas ſuccinctè hic poſſimus exprimere, uſui futuras in definitione quæſtionum variarum in ſequentibus. Tales vero ſunt 1. Dolum in acquiſitionibus nemini debere prodeſſe, ſed potius nocere. 2. Idem dicendum de culpâ. 3. Beneficium nemini debere eſſe damnoſum. 4. Beneficium non dari invito. His regulis paucis puto niti univerſam doctrinam, cum jus Romanum dicit, obligationem venire ex re citrà conſenſum, id eſt ex naturâ negotii cujusvis. Quodſi igitur negotium, de quo agitur, ſit licitum, & quod non incipit à damni datione ſed à facto honeſto, maximè vero ex beneficio, tum vocatur quaſi contractus. Sed ſunt tamen etiam tales obligationes ex re venientes, quæ comitantur veros contractus, quales ſunt omnes illæ, quæ dicuntur eſſe naturalia contractuum verorum, quæ tacitè inſunt, id eſt, etſi partes de illis non convenerint, quales ſunt v. g. evictionis præſtatio in emtione, doctrina de periculo & commodo in contractibus, de præſtatione culparum &c.*

Digitized by Google

rationem reddat, & amicus eum indemnem præſtet. Quo magis miror, à Grotio ſcriptum, *negotiorum geſtorum actionem, nullum habere eorum fundamentorum, ex quibus naturâ obligationem inducit. lib. 3. c. 10. n. 2.* quod inconſiderate videri Grotio, excidiſſe, *n*] demonſtravimus in *Eunom. Rom.* ad *l. 1. ff. de Negot.* geſt. Si duo ſine conventione, re tamen ita ferente, incidant in *communionem*, ut ſi duobus eadem res legata vel donata ſit, æquitas eaſdem inter eos præſtationes, quæ ſunt in ſocietate, producit, quemadmodum præcedens ſpecies haud procul à mandato diſtat. Qui pecuniam indebitam ſibi per errorem ſolutam accepit, æquitate jubente, tenetur ad eam reſtituendam, non modo ſi facti, ſed etiam, ſi juris error fuerit; etſi diſtinctio hac in parte, utrum is qui ſolvit, de vitando ſaltem damno, an de captando lucro certet, ita, ut lucrum captanti juris error minus proſit, ab æquitate remota non ſit.

3. Inter Tutorem etiam & pupillum, etſi nihil ſit geſtum, quia Tutela publicum officium eſt, etiam invitis imponi ſolitum; Adminiſtratio tamen illius officii parit obligationem, quâ tutor ad reddendas rationes & pupillus ad indemnitatem tenetur, non è contractu, nec utique è delicto, ſed è negotio, quod propius à contractu, quam à delicto abeſt. Denique & heres, qui adit hereditatem, ſibi teſtamento vel lege delatam, nihil cum legatariis aut crediroribus agit; Sed tamen hoc ipſo, quod ſuſcipit hereditatem, obligare ſe videtur ad ſatisfaciendum legatariis & creditoribus defuncti; etſi quod ad hos ultimos attinet, hac obligatione ſubſidiariâ, cum heres pro ipſo defuncto habeatur, non ſit opus, qua de re dabitur *infra dicendi locus.*

4. Huc etiam pertinet exercitoria & domini præponentis inſtitorem, obligatio, qua tenentur his, qui cum præpoſitis contraxerunt, haud tamen ultra, quam de rebus, quibus ſunt præpoſiti. Nam hoc ipſo, quod eos præpoſuerunt, videntur eatenus in ſe recepiſſe onus obligationum, quas illi in officio contraherent. Sed in hos, qui cum præpoſitis contraxerunt, non eſt eadem actio præponentibus, quoniam his applicari non poteſt alia ratio, quam quod alius per alium, niſi ratione poteſtatis vel officii, non obligatur: Extranei illi cum præpoſitis contraxerunt; his igitur ſunt obligati, non præponentibus, quos non noverunt; nec ullum extat eorum factum, quo alii quam ei, quicum egerunt, teneri debeant; quod ita quoque jure civili rectè conſtitutum eſt; niſi quod in extremo æquitaris caſu, cum præponentes ſuum à præpoſitis, quos obligatos habent, adipiſci non poſſunt, in ſubſidium adverſus eos qui cum illis contraxerunt, agere poſſunt. *l. 2. ff. de Inſt. act.*

5. Quod autem plures numero præponentes in ſolidum ſinguli tenentur, id malè Romanis legibus introductum eſſe Grotius adfirmat, cum id neque naturali æquitati conveniat, quæ ſatis habet, ſi pro ſuis ſinguli partibus teneantur; nec publice utile ſit, cum ita homines ab exercendis navibus abſterreantur, ſi metuant, ne non ex facto magiſtri in infinitum teneantur. *lib. 2. cap. 11. n. 13.* De ultima ratione conſentimus, *o*) ſed hæc facit, ut

n. 2. *n*) excidiſſe) *Omnino, quamvis non recte ſit citatus locus Grotii. Nam verba ab autore hic excerpta extant* lib. 2. c. 10. §. 9. *Et Grotius alibi, nempe* eod. cap. §. 2. *ſæpius ad actionem negotiorum geſtorum provocat tanquam fundatam in jure naturæ. Quod vero fundetur, patet, quia ea omnia quæ in actione negotiorum geſtorum ſunt juris naturalis fundantur in regulis illis 4. notâ præced. expoſitis, ut in diſcurſu declarabitur.*

n. 5. *o*) conſentimus) *Sed nec iſta tamen univerſalis eſt, poteſt enim contra ſententiam Grotii urgeri quod ſecundum eam deterreantur illi, qui cum magiſtris navis contrahunt, ſi videant, ita difficile ſibi reddi recuperationem damni, quod ex contractu cum magiſtro navis paſſi ſunt. Vide Becman.* in notis ad d. l. Grotii.

Digitized by Google

cit, ut quod Grotius vult, ſit juris poſitivi; naturalis æquitas videtur eſſe pro jure Romano quod ita ſtatuit, ſi exercitores per ſe plures, navem exerceant, ſingulos pro ſuis partibus teneri; Si vero ſuas rationes & jura in unam perſonam compingant, quæ pro omnibus uno actu cum aliis contrahat, non poſſunt ab his contrahentibus exigere, ut hi de eo, quod cum uno pro omnibus in unum conjunctis egerunt, adverſus plures agere cogantur. Utilitas mercaturæ fecit, ut ab illa ſimplicitate rationis evidentiſſimæ receſſum fuerit.

6. Eadem ratio eſt in contractibus filiorumfam. ac ut olim fuit, ſervorum, qui peculiis à parentibus, in quorum poteſtate ſunt, aut ab heris inſtructi ſunt, ut patres & domini è contractibus ſervorum & filiorumfam. teneantur in eam quantitatem, quæ eſt in peculio, cui liberos & ſervos præpoſuerunt: Unde liquet, hanc obligationem nonniſi ad peculium, quod ex illorum bonis profectum eſt, non ad id quod filii aliunde conſequuti ſunt, pertinere.

7. Quando quis ex alieno factus eſt locupletior, cum id alteri abeſt, hæc etiam eſt juſta obligationis cauſa, modo non ex datione vel facto alieno ad illum juſto titulo pervenerit, quo caſu ille, cui res abeſt, adverſus eum, qui in alium id contulit, actionem habet, non in tertium. Niſi quod pater & dominus è contractu ſervi vel filii familias locupletiores facti, ob arctitudinem poteſtatis & conjunctionem perſonarum, probabili ratione, de in rem verſo tenentur jure Romano. Sed qui immediate locupletior eſt factus, re obligari dicitur: *p*) quomodo & reliquæ ſpecies obligationum, quæ non habent ſpeciale nomen, ſed quas ipſa res & æquitas dictat eſſe dandas, aperte deſignantur. Adde Grotium *d. cap. 10. n. 2.*

8. Et iſtæ quidem ſpecies contractibus ſunt adfines: De his quæ ad maleficiorum ſimilitudinem accedunt, locus eſt in jure civili, de quo nihil habemus ſingulare, quod hujus ſit inſtituti: Etiam latius patet illa quaſi delictorum obligatio, quam ut certis terminis comprehendi poſſit: *q*) Quin ut hæ ſpecies intermediæ contractuum & delictorum varie miſcentur, ita quandoque in eodem facto *quaſi* contractum & *quaſi* delictum poſſe committi, animadvertere licet: Quemadmodum nautæ, caupones, ſtabularii de rebus in nave, caupona, ſtabulove receptis & furto ſublatis, tenentur è quaſi contractu, recipiendo rem, & è quaſi delicto, quod infidis hominibus uſi ſint. *T. ff. naut. caup. ſtab.*

9. Ad varias cauſatum figuras videtur etiam referenda obligatio ex dominio, de quâ caput proprium habet Grotius, *in lib. 2. c. 10.* & conſequenter ex omni jure in re conſtituto; quod minus à definitione obligationis, à juriſconſultis traditâ, quam eorundem uſu abhorret. Eſt enim in omni jure, quod in re dicitur, maximeque in dominio, vinculum juris, quo neceſſitate obſtringimur alicujus rei ſolvendæ, ſecundum cujuſque

n.7. *p*) dicitur) *Sed additâ explicatione ex iis, quæ modo notavimus* lit. m.

n.8. *q*) comprehendi poſſit) *Ita quidem Tribonianus in Inſtitutionibus ſatis confuſe eandem ferè deſcriptionem habet quaſi contractuum & quaſi maleficiorum. Sed tamen neceſſe eſt, JCtos Romanos & hic habuiſſe conceptus non nimis vagos ut autor putat. Scilicet quaſi delicta in jure dicuntur, ſi alteri damnum datum ſit non dolo ſed culpâ tantum. Culpa autem eſt vel vera, vel à jure civili ex peculiari ratione utilitatis publicæ imputata. Illius exemplum eſt in judice male judicante, & hæc obligatio etiam juri naturæ convenit ob rationem ex* lit. m. *petendam. Reliqua quaſi delicta pleraque ſi non omnia, quæ culpam imputativam præſupponunt, non repugnant quidem juri naturæ, ſed veniunt tamen proprie ex jure civili, ut actio de dejectis, ſuſpenſis, adverſus nautas in duplum &c.*

que civitatis jura. Nam juris in re vis à parte domini, aut ejus cui jus eſt quæſitum ſpectatur; obligatio reſpectum habet, ad quos ea res vel lucrum inde pervenit. Recte enim, ad quem res mea pervenit, teneri dicitur, ad eam rem mihi reſtituendam, non modo repetenti, ſed etiam ultro & quidem gratis, etſi non ſuis impenſis, niſi poſt moram, aut per malam ejus fidem.

10. Quæ obligatio cum ſit univerſalis, nullam admittit exceptionem perſonarum. Ideoque male Judæi rem à gentili deperditam ſibi retinere licere ſtatuunt, & ſi quid indebitum vel nimium per errorem ſolverit gentilis, fas ajunt hoc retinere Iſraëlitam; idque ea ratione, quod jure naturali domino res ſuas petenti quidem *r*) ſed non ultro reſtituenda ſit. Inter ipſos autem aliter eſſe juris, ex ratione peculiari nihil attinente ad gentiles, ut tradit Selden. *in lib. 6. de jur. nat. & Gent. Hebræor. c. 4.*

11. Verius eſt, inquam, diſcretis rerum dominiis, hoc quaſi pactum humanæ ſocietatis eſſe contractum, ut quicunque rem alterius in ſuâ poteſtate haberet ſciens, quantum in ſe foret, efficeret, *s*) ut in domini poteſtatem veniret, etſi hic quo loco res eſſet, ignoraret: Ideoque nec uſucapione, ſecundum hanc humani generis conventionem, aliena res à ſciente acquiri poteſt; etſi pacis & litium minuendarum cauſa, *t*) immemoriali aut longiſſimi temporis exceptione injuſtis etiam detentoribus; ut aliàs dictum, prodeſſe placuerit.

12. Proinde, qui rem ab alio deperditam invenit, non tam ſervare debet Legem Platonis, *ἃ μὴ κατέθου μὴ ἀνέλῃ; Quæ non poſuiſti, ne tollas*, ſed *ἰάτω κεῖσθαι*, in loco relinquat. Νομίζων φυλάττειν ἐνοδίαν δαίμονα τὰ τοιαῦτα; *Credens Deam itinerariam talia cuſtodire*, ut ille vult in *lib. xi.* ſed tollat & domino reſtituat gratis; nec enim *μήνυτρον* ſive *εὕρετρον* mercedem inventionis aut indicationis exigere jus eſt, etſi ultro oblatum, vel promiſſum accipere nil vetat. Denique, ſic rectè juris interpretes inculcant, eum qui inventa retinet nec indicat, aut publicat, ſe rem non ſuam inveniſſe, nihilo ſecus ac furem teneri; niſi in littore aliove loco, ex quo credibile ſit, rem non habere dominum, invenerit, quo caſu omiſſa publicatio non poteſt talem mereri notam.

13. Si dominus rei non inveniatur, cum obligatio reſtituendi ceſſet, plerique Juris-Conſulti monent, quod inventum fuerit, pauperibus eſſe donandum: quod juris eſſe non videtur. Quid enim ſi dominus diu deſideratus aliquando ſupervenerit? Res ſine actu voluntatis ab ejus dominio exire non potuit: Quomodo igitur inventor jus de eâ diſponendi exercere potuit? oportet adeò res apud inventorem maneat, aut alibi cuſto-

n.10. *r*) petenti quidem) *Imo ne quidem petenti, quia res Gentilium deperditas retinebant ut ſibi acquiſitas. Vide Seldenum* d. l.

n.11. *s*) efficeret) *Ita & Grotius* l. 2. c. 10. *& communiter Dd. haud dubiè propter ea quæ dicuntur* Deuteron 22. v. 1. *Interim quoad merum jus naturæ videntur ſecernenda præcepta juſtitiæ & decori ſeu amoris. Secundum priora ſufficit, rem alienam non celare domino, & ei poteſtatem facere ut auferat. Secundum poſteriora (ad quæ ſæpius etiam Deus reſpexit in legibus Moſaicis) etiam ex officiis humanitatis debet domino offerre, imò adducere. Neque illa diſtinctio uſu caret. Nam qui poſteriora negligit, parum humanus quidem eſt, ſed alteri tamen non facit injuriam, nec propterea conveniri aut bello peti poteſt. At qui celat rem alienam & reſiſtit, dat bello & actioni ad intereſſe cauſam.*

t) cauſa) *clarius ob derelictionem præſumtam, ut ſuprà ſuo loco diximus, & Autor hic repetit mox* n. 15.

cuſtodiæ mandetur, ſi res ſit ejusmodi, quæ ſervando ſervari poſsit. Nam ſi durare nequeat, ab inventore, ſi velit, conſumi poteſt, aut ſi malit, id jam magis laudabimus, *u*) ut eam det pauperibus.

14. Quid ſi dominus, omni ſpe rem ſuam recuperandi pridem abjectâ, præter ſpem, repertam cognoverit, an inventor & poſſeſſor eam, ſine ulla temporis exceptione, reſtituere cogitur? Uſucapionis terminos hic non obtinere ſatis conſtat, ex iis quæ dicta ſunt ad *tit. ff. de Uſucap. pro derelict.* Ne quidem præſcriptionis longisſimi temporis, ſi quidem poſſeſſor, qui non habeat animum furandi, dominum adhuc extare crediderit; quia tunc absque animo ſibi habendi fuit, ſine quo nullum præſcriptionis initium fieri poſſe, docet ratio, non minus naturalis quam lex civilis in *l. 2. C. de Præſcript. 30. vel 40. ann.* Si vero crediderit, non extare dominum, etſi defectus tituli uſucapionem non ferat, præſcriptio tamen longisſimi temporis impediri non poteſt.

15. Sed an opus eſt uſucapione, vel præſcriptione hoc caſu? nonne per deſperationem incontinenti perit dominium, ut inventor rem nullo modo reſtituere cogatur, quemadmodum Grotius? Actum eſt hac de re ſuperius *ſect. 4. cap. 3. n. 13. & ſeqq. & lib. 4. Digreſſ. cap. 24.* & plenius Eunom. Rom. ad *l. 8. §. ult. ff. Famil. Erciſc.* hac ſumma; Videri manere dominium, quandiu res manet & deſiderium eam recuperandi: Sed diuturnitate temporis, id ipſum deſiderium, una cum jure domini obliterari, & rem denuo occupantis fieri, inprimis ſi magno ſumptu periculoque res ſint recuperatæ; quod larius executi ſumus *in dict. Eunomia loco.*

16. Obligatio poſſeſſoris ad reſtituendam vero domino rem ſuam, etſi tacita, validior eſt, quam obligatio expreſſa inter poſſeſſorem & non dominum, de reſtituendo. Quare etſi depoſiti, commodati, vel mandati ſanctisſima fides eſt, ut res deponenti, commodantive petenti reſtituatur, domino tamen ſupervenienti, ſi non dubitetur, potius eſt reddenda, quo pertinet philoſophia Tryphonini in *l. bona fides 31. ff. depoſiti*, & quod diximus in *Eunom. Rom. ad l. 8. §. 1. ff. de Negot. geſt.*

17. Eſt autem reſtituenda res cum fructibus adhuc extantibus, qui dum pendent, ſunt pars & dein accesſio rerum, nec poteſt hac parte diſtingui inter naturales & induſtriales, ut viſum Grotio *d. cap. 10. n. 4.* Eſt regula juris naturæ; Quod ex re meâ ſupereſt id meum eſt ejuſq; vindicandi jus habeo, *l. 49. ff. de R. Vindic.* atque ut ipſe Grotius ait, qui dominus eſt rei, idem naturaliter eſt dominus fructuum rei; Grotium movit ratio hæc, *induſtria fructus, etiamſi ſine re non procederent, rei tamen non debentur*, ait; Quod ad compenſationem induſtriæ attinet, concedimus; petitionem fructuum extantium impenſis operæque pretio minui. Sed deducto eo quod bonæ fidei poſſeſſori pro induſtriâ curæ culturæque debetur, reliquum eſt rei, nec aliter quam rei deberi poteſt.

18. Re ſine mala fide poſſeſſoris extinctâ, hic non tenetur, niſi quatenus inde locupletior

n. 13. *u*) laudabimus) *Nos vero magis laudabimus, ſi liberalitatem exerceat de bonis indubie ſuis. Et vereor, ne illa ſententia, quod bona inventa danda ſint pauperibus, ſit inventum Clericale juris pontificii. Satis enim notum eſt, quid Pontificii per* pauperes *intelligant, ſcilicet Clerum &* Monachos, *in tantum, ut Franciſcani ideò ſe* Minimos *vocent, quia Chriſtus dicit, ſe imputaturum, acſi ſibi datum eſſet, quod datum ſit* minimis *ex fratribus ejus.*

pletior eſt factus, *w*) qua de re modo egimus & egit prolixe Grotius *d. c. 10. n. 2.* quod ipſum de fructibus, qui ſunt acceſſiones rei, ſtatuendum, ſine diſtinctione naturalium & induſtrialium; etſi aliter è quibuſdam juris civilis textibus à nobis diſputatum eſt ad *§. 35. Inſt. de A. R. D.* Nam ſi ob rem ipſam vel extinctam vel conſumptam, non tenetur bonæ fidei poſſeſſor, non poteſt fieri, ut de fructibus rei diverſum jus ſtatuatur. Quod autem rei ſingularis poſſeſſorem de fructibus conſumptis, ne quidem ut locupletior eſt, teneri volunt juris civilis interpretes, ſecus ac in hereditate juris ſit, hoc adeo repugnat æquitati juris naturæ, *x*] ut verius ſit, ne quidem ipſo jure Romano aliud eſſe conſtitutum, ut à nobis demonſtratum eſt in *prælect. ad d.* 6. *35.* remotis objectionibus in *parte 2. digreſſ. lib. 2. c. 4.*

19. Qui ſunt in ea ſententia, tenent, cauſam, per quam bonæ fidei poſſeſſor fructus lucratur, eſſe bonam fidem; quæ proinde ſufficiat ad fructus omnes ei plene acquirendos, *y*) ut ne quidem teneatur, quatenus eſt locupletior. Sed cum bona fides nihil ſit aliud quam opinio, quâ quis credit, ſe eſſe dominum rei poſſeſſæ, ratio non patitur, ut unius opinio ſit cauſa juris aliis auferendi *z*) vel minuendi; opinantem abſolvere poteſt à delicto, non præjudicare tertio. Quod ut fiat, opus eſt aliqua reali cauſâ, qua non poteſt eſſe juſtior & perfectior jure naturæ, quam juris civilis auctor Juſtinianus prodidit, cura & cultura. *Naturali ratione placuit, fructus quos percepit, ejus eſſe pro curâ & culturâ*, ait in *d. §. 35. I. de A. R. D.* quod plenius adſtructum & à diſcrepantium rationibus vindicatum eſt, in *parte 1. digreſſ. lib. 4. c. 23. n. 2. &* 3. Ubi & hoc probatum eſt, *n. 4.* à ratione naturali alienum eſſe, quod alii tradunt, conſumptionem eſſe cauſam acquirendi, *a*) cum potius ſit effectum acquiſitionis. Quæ etſi ad hunc locum & hoc inſtitutum pertinent, alibi tamen expoſita non repetemus.

20. De malæ fidei poſſeſſore non dubitatur, quin etiam ex facto ſuo teneatur, ſi res per culpam ejus perierit, tam de re ipſa, quam de fructibus; adeo ut de conſumptis, etiam

n. 18. *w*) eſt factus) *Scilicet quia nemo debet locupletari cum alterius damno. Sed vide quæ modo notavimus* lit. m. *Unde mallem dicere, re extincta ceſſare obligationem bonæ fidei poſſeſſoris, quia correſpondet dominio per dicta* n. 9. *at re extincta ceſſat dominium. Nec in rebus ſingularibus pretium ſuccedit in locum rei. Et infinitas difficultates habet illa inſpectio, utrum quis ex re alienâ bonâ fide poſſeſſa vel ejus fructibus ſit locupletior factus, & ferè exitu caret. Quodſi tamen quis indubiè ſit factus locupletior ex re aliena, v. g. ſi rem 100. emtam ſtatim vendat 120: poteſt dici, eum ex regulis decori teneri ad 20. danda domino, non ex regulis juſti.* Confer modo dicta lit. s. *Imo forte nec ex regulis decori. Nam ſi dominus rem ita venditam vindicet à ſecundo poſſeſſore, & hic conveniat emtorem primum de evictione, hic fortè ipſi ratione evictionis tenebitur ultra 120. Et ita in cæteris caſibus.*

x) Juri naturæ) *Imò vero per modo dicta minimè repugnat.*

n. 19. *y*) acquirendos) *Scilicet per conſumtionem: extantes utique reſtituit, tanquam partem rei, per* n. 17.

z] auferendi) *Sed hæc ratio petit principium. Nam quæritur, an dominus habeat jus petendi fructus conſumtos. Senſum vero dicti Juſtinianei exponere non eſt hujus loci.*

a) acquirendi) *Nos vero dicemus conſumtionem ſeu interitum fructuum eſſe cauſam extinguendi dominii intuitu domini prioris. Et res tamen eodem redibit.*

Digitized by Google

etiam non locupletior factus teneatur; imo nec iniquam ſibi conditionem inferri jure queri poteſt, ſi de non perceptis etiam, quos honeſte percipere potuit, teneri dicatur, ut jure Romano conſultum eſt *l. 33. ff. de Rei Vind.* ſecus ac de bonæ fidei poſſeſſore, collocat Grotius *in d. cap. 6.* ut ne quidem de his teneatur fructibus, quos liberaliter in alios contulit; quatenus ἀντίδωρα, ſive remunerationes acceperit, ut Ulpianus recte in *l. 25. §. 11. d. Hered. pet.* cui nec male Grotius addit, niſi & alioquin, utcunque fructibus illis non auctus, idem donaturus fuiſſet. n. 7. *b*)

21. Vis obligationis ad reſtituendum domino, quod ipſius eſt, non pendet, ut diximus, ex eo, quod cum alio actum geſtumve ſit; ne quidem ſi poſſeſſor rem bona fide juſtoque titulo, & quidem oneroſo emptionis aliove acceperit, etſi pretium ſolverit; nec quidem negare poteſt reſtitutionem, dum *c*] ſibi pretium refundatur. Eſt enim prior & potentior obligatio ex dominio cum ipſo genere humano prodita, ut quiſque ſocietatis humanæ particeps cuique ſuæ rei, quantum in ipſo eſt, copiam faciat; quod per acta geſta poſterius auferri non poteſt; ac ita bene reſcriptum ab Alexandro in *l. 16. C. de Eviction.*

22. An ſaltem regredi poteſt emptor ad venditorem, ut huic rem, pretio recepto, reſtituat, quo is illam dein vero domino reſtituat? Ne id quidem; quia ex quo res in emptoris poteſtate fuit, ipſe tenetur ad reſtituendum, *d*) nec alium huic obligationi ſubſtituere poteſt, idque, ni fallor, vult Grotius in *d. cap. 10. n. 10.* Sed venditor etiam re non recepta, tenetur ipſi ad pretium reſtituendum, non ex hac obligatione dominii; ſed ex emptionis venditionis natura, quæ eſt evictionis apud juris auctores obligatio.

23. Excipiunt hodie aliquot caſus plurium mores populorum: primum, ſi quid in nundinis comparatum ſit. Alter eſt pro menſulariis, qui publice mutuas exponunt pecunias, ſub pignoribus. Tertius, pro pannorum, ſive tritarum veſtium mercatoribus: quos omnes ita demum teneri volunt ad reſtituendum, ſi pretium illis reſtituatur: verum has exceptiones non eſſe juris gentium, ſed è privilegio ſive jure poſitivo cujuſque civitatis eſſe receptas, probavimus in *prælect. ad tit. ff. de A. R. D. n. 2.*

24. Hæc omnia, ſalvis impenſis, à poſſeſſore deducendis, de quibus ad *tit. ff. de rei vind.* dicta, non eſt quod hic referamus.

CAP. VI.

DE JURE ULTIMARUM VOLUNTATUM.

Tranſitus ad ſucceſſiones, n. 1. Quid ſit hereditas, n. 2. 3. & quibus modis deferatur. n. 4. Ultimam voluntatem, quâ quis alteri dat jus, nonniſi poſt mortem ſuam inchoandum, non videri eſſe juris naturalis. n. 5. Sed eſſe cauſam

n. 20. *b*) fuiſſet n. 7.) *Sed quemadmodum hæc limitatio eſt difficillimæ applicationis, ita ex noſtrâ doctrinâ eâ tutius caremus per dicta* lit. w.

n. 21. *c*) dum) *Hoc* dum *hic non denotat* modo, *ſed* donec.

n. 22. *d*) ad reſtituendum) *Diſtinguo. Si jam conveniatur à domino, non poteſt rei litigioſæ alienatione conditionem domini reddere deteriorem. Anteà poteſt per dicta* lit. s.

Digitized by Google

ſam ejus rei probabilem in hominum naturâ, quæ dedit occaſionem legibus gentium, ejusmodi poteſtatem morituris faciendi. n. 6. 7. 8. Inde teſtamenta recte publici juris eſſe dici. n. 9. Quia per legem dominii vis extenditur, ultra ſuam activitatem naturalem. n. 10. 11. 12. Quid ſit teſtamentum, ubi de Puffendorffii in Grotium nota. n. 13. 14. Ad teſtamenti naturam, ex ratione juris Gentium, plus non requiri, quam ut certo conſtet, quod, & quid teſtari voluerit defunctus. n. 15. Eſſe tamen graves cauſas populis, qui exquiſitas huic rei ſolennitates præſcripſerunt. n. 16. Quibus neglectis, teſtamenta non obligare, ne quidem hominum conſcientias regulariter, ad implendam defuncti voluntatem. n. 17. Qui poſſint condere teſtamenta. n. 18. Materia duplex, univerſalis & ſingularis. n. 19. Heredis inſtitutionem jure naturæ eſſe liberam; exceptis liberis, ratione alimentorum. n. 20. Probabili tamen ratione naturali, coarctari illam libertatem. n. 21. De ſubſtitutione heredum ejusque ſpeciebus; n. 22. ſolam vulgarem quæ dicitur, eſſe naturalem, ſuppoſito teſtandi inſtituto. n. 23. 24. De præteritione & exheredatione, ejusque cauſis. n. 25-28. De ſingularibus teſtamentorum capitibus, n. 29. 30. & de nuncupativo teſtamanto. n. 31. Teſtamentorum reſciſſio & nullitas. n. 32-34. Teſtamenta imperfecta. n. 35.

1. **E**Tſi doctrina de ſucceſſionibus magis ad jus in re conſtitutum, quam quod ad rem dicitur, pertinere diximus *ſect. IV. cap. 5. n. 51.* quia tamen ut prima ejus delatio ad poſteriorem, ita proxima hereditatis acquiſitio ad jus in re ſolet referri; cum & illic, ubi de hoc jure fuit actum, vix obiter hanc materiam attigerimus, inſtituti ratio poſtulat, ut quid de ſucceſſionibus teſtamentariis & inteſtatis, ad juris publici univerſalis tractatum & ſubjectionem rerum politicam faciat, animadvertamus; eàdem quæ prius, habitâ cura, ne juris privati adfinitas *εἰς ἄλλο γένος* ad tranſitum diverſi generis nos abripiat, aut in tædioſa repetitione detineat. *e)*

2. Hereditas igitur nihil eſt aliud, quam univerſum jus, quod defunctus, cum moreretur, habuit; fere ut juris-conſulti in *l. 24. d. V. S.* Tantum quod illi dicunt, *ſucceſſio in univerſum jus*; cum obſcuritatem interpretationis apud eos faciat, facile heic abeſſe poteſt. Jus hic eſt, facultas ad aliquid habendum aut agendum; ut intelligamus, hereditatem non eſſe res ipſas, etſi frequenter ita ſumitur, cum v. gr. Hereditatem vendimus; Sed facultatem, qua defuncti res ad nos pertinent, etſi non poſſideantur, nec adhuc exiſtant, veluti fructus rerum adhuc percipiendi, quos recte partem hereditatis voca-

n. 1. *e)* detineat) *Ita vero multo brevius poterat Autor tractare doctrinam teſtamentorum, poſtquam ipſe oſtenderat, totam teſtamentifactionem non eſſe juris naturæ* n. 5. ſeq. *Quod vero prolixior fuerit, factum ex duplici cauſa. 1. quod putaverit, tamen eſſe juris Gentium, ut in ſummariis, & paſſim in textu ſtatuit. 2. quod multa capita juris Romani, etiam ſuppoſito, teſtamentifactionem eſſe juris Gentium, adhuc tamen recedant à ſimplicitate juris naturæ, adeoque ex duplici quaſi ratione ſint juris poſitivi.* Vid. maximè n. 20. ab init. & n 24.

vocamus etſi rerum ſingularum pars non ſunt.

3. Dicitur & univerſum jus, quia hereditas eſt *Colbo* Hebræum, *pandecte* quam Græci dicunt; quo continetur, quicquid in patrimonio eſt, & quicquid utilitatem præſtare poteſt, tam corporalia quam incorporalia: propria debita, quin & aliena, bona fide poſſeſſa, conducta, commodata, pignorata, depoſita, quatenus defuncto jus in iis rebus fuit, activum vel paſſivum; heres enim in eadem qualitate tenetur & alios pari modo devinctos habet.

4. Modi, quibus hereditas defertur, duo feruntur; Teſtamentum & lex, ut illud priore loco cenſeatur; neque legis ordini, quam deficiente teſtamento, locus ſit. Hoc quidem ita, quod ad ordinem bonorum devolvendi à vivis in mortuos attinet. Ipſa enim ſucceſſionis determinandæ facultas magis eſt, ut à lege ſola eſſe videatur. *f*)

5. Poſſunt equidem viventes naturaliter de bonis ſuis diſponere ſuo arbitratu, ſi res aut jus rerum in alium perfecte transferant, ut hoc jus maneat, illis quoque ſublatis, in perpetuum; ſed ut alium ſuo loco ſtatuant, qui nonniſi poſt obitum ex hac vita jus in bona à ſe relinquenda ſit habiturus, cum ipſum m nulla facultas erit aut potentia; non habet rationem naturæ, neque multis gentibus *g*] uſitatum aut probatum eſt.

6. Sed tamen juſta deſiderii cauſa, ut homines illam poteſtatem ſibi dari cupiant, ac ideo voluntate communi, id eſt, lege civitatis; bene & merito *b*) recipitur hoc inſtitutum, ut cuique libetum de bonis ſuis poſt mortem quoque diſponendi arbitrium præſtetur; ut ſupremæ voluntatis, poſtquam aliud velle jam non poſſunt, liber ſit ſtylus, & lic tum, quod iterum non redit arbitrium, ut olim Conſtantinus Imperator edixit ad populum; Ratione magis, inquam, probabili, qua jus hoc commune ſtabiliatur, quam juris perfecti, & juſtitiæ expletricis in ſtatu naturali.

7. Intererat etiam publicæ quietis & ſecuritatis hominum in civitate agentium; ne bona mortuorum quaſi nullius, cuilibet occupanti cederent; *i*) quod naturaliter futurum erat, cum mortuus ipſe, nullus eſſet, nec conſanguinei plus quam rationem haberent probabilem, ſicut hodieque nihil amplius habent.

8. Enimvero ſententiam auctoris *novæ juriſprud.* qui vult, ultimarum voluntatum jus niti immortalitate mentium, quæ adhuc vivunt & volunt, & dominia rerum ſuarum, uſufructu tenus, heredibus relinquunt, non examinabimus ſed lectori dijudicandam relinquemus cum Puſendorffio. *l. 4. c. 10. n. 4.*

9. Poſtquam igitur viſum eſt cultioribus populis, *k*) hucuſque domini vim extendere, ut vo-

n.4. *f*) eſſe videatur) *Rectè. Ergo ſucceſſio pariter teſtamentaria & ab inteſtato, quanta quanta eſt, eſt meri juris civilis & arbitrarii, adeoque ad jus naturæ non pertinet.*

n.5. *g*) multis gentibus] *Imò nullis præter Romanos, & qui utuntur legibus Romanorum. Latius id oſtendit tribus diſſertationibus.* 1. De origine ſucceſſionis teſtamentariæ. 2. De origine ſucceſſionis teſtamentariæ Romanæ. 3. De ſenſu Legis decemviralis de teſtamentis. *Unde & alia multa capita, quæ autor hic diſſerit, aut quæ notabimus, lucem accipient.*

n.6. *b*) benè & merito) *Quæſtio hæc politica eſt. Et plurima poſſent contrà diſſeri. Paucis. Teſtamenti factio ortum habet ab ambitione, avaritiâ, invidia, vindictæ cupiditate. Quod vero tam benè audiat ubivis, factum ex commendatione cleri Pontificii, cujus valde intereſt, teſtamenta non aboleri.*

n.7. *i*) cederent) *Sed hæc ratio ceſſat, ſi modo obtineat ſucceſſio ab inteſtato.*

n.9. *k*) populis) *corrige ex hactenus notatis, & ſcribe*: populo Romano.

Digitized by Google

ut voluntas ejus qui velle nec poteſt, tum demum ubi ipſe non erit amplius, operari incipiat, duæ poſitiones inde ſunt ortæ: Una, teſtandi poteſtatem eſſe juris publici, ut recte dixit Papinianus *in l.3. D. qui Teſtam. ſac. poſ.* Altera, quod ultima voluntas defuncti præcedat diſpoſitionem legis, ſuper ordine ſucceſſionis; nec eſſe legi hac parte locum, niſi deficiente teſtamento, quod merito Romanis etiam placuit *l.39. de Acquir. Hered.*

10. Quanquam nec minus verum eſſe, liquet è ſuprà dictis, hoc ipſum teſtandi jus validum & plenum à lege proficiſci; cum ipſa quidem hanc diſpoſitionem occupare potuiſſet, hereditates ſimpliciter deferendo liberis aut cognatis defunctorum, abſque licentia illum ordinem mutandi; maxime, dum in extremis agunt domini rerum, ὅταν ἀνοήτως καὶ διατεθρυμμένως ἔχωσιν οἱ πλεῖστοι *quando inſipienter & corrupte plerique ſe habent*, ut Plato *lib.* XI. *de LL.* non probans id quod Solon *l*) Athenienſibus dederat, τὰ ἑαυτοῦ διατίθεσθαι, ὅπως ἂν ἐθέλῃ τὸ παράπαν, *de ſuis rebus quomodo quiſq; velit, ſimpliciter diſponere*, quod Romani à Solone transſcriptum ſuis legibus inſecuerunt *l. 120. ff. de Verb. Signif.*

11. Retenta etiam hac poſitione, quod lex in ſumma quidem cuique patrifamilias dedit poteſtatem teſtandi & legandi de rebus ſuis, ut tamen præſcriptum rectæ rationis & publicæ utilitatis obſervarent; unde regula juriſprudentiæ, non minus univerſali quam civili conveniens; Nemo facere poteſt, quominus leges in ſuo teſtamento valeant.

12. Eſt igitur vis illa dominii, lege adjuvante, pleniſſima, de qua Plutarchus ait in *Solone*, eum feciſſe, ut τὰ χρήματα, κτήματα τῶν ἐχόντων *eſſent*; *bona cuique ſua pleniſſimo jure forent.* Ac ab eo tempore, lex nihil aliud, quam vicarium defunctis miniſterium præbuit, admittendo ad ſucceſſionem bonorum, quibus ea defunctus, ſi morte non præventus eſſet, relicturus fuiſſet; ex ejus inquam, voluntate præſumpta, quemadmodum mox videbimus. *m*) Hæc confer ſis, cum dictis in *lib. 4 digreſſ. cap. 29.*

15. Quid ſit teſtamentum, qui non habeamus in animo methodicum de illo tractatum, neceſſe non erat dicere, niſi daret occaſionem Grotius, cujus nihilo magis hoc erat inſtitutum, qui in *lib. 2. c. 6. n. ult.* ſic ait, *alienatio in mortis eventum, ante eam revocabilis, retento interim jure poſſidendi ac fruendi, eſt teſtamentum*; contra quam definitionem diſputat Puſendorffius in *lib. 4. cap. 10. à pr.* Sed mihi non videtur ibi Grotius, in animo habuiſſe, definire teſtamentum, ſed aliquid prædicare de teſtamento, quod erat verum; Eiuſmodi alienationem eſſe teſtamentum: ſed non hoc ipſum & ſolum eſſe teſtamentum. In definiendo, nihil eſt cauſæ, recedendi ab exemplo juriſconſultorum; Proinde verbulo addito, teneas ita, teſtamentum eſt *voluntatis noſtræ juſta ſententia, de eo, quod quis poſt mortem ſuam*, de bonis ſuis, *fieri velit.*

14. Verba hujus definitionis ſimpliciter accepta non ſuppeditant diſcrimen inter teſtamentum & Codicillum, quod Romanis poſterioribus placuit: Multo minus inferunt tot ſolennitates, quot ab illis introductæ ſunt, diligentiâ quam *nimiam & miſeram* vocat paterfamilias apud Scævolam in *L. pen. §. ult. ff. d. Legat.* 2. qui ſic arbitratur, habendam eſſe pro jure legitimo ſani hominis voluntatem, quam is animi ſui rationem ſequutus dictaverit.

15. Et eſt certum, jure gentium ſimplici, nihil

n.10. *l*) Solon) *Imo nec Solonem teſtamenti factionem propriè dictam introduxiſſe apud Athenienſes, aut certè hanc introductionem eſſe valde dubiam, oſtendimus* in diſſert. de orig. ſucceſſ. teſtam.

n.12. *m*) videbimus) *Et nos mox oſtendemus contrarium.*

nihil amplius ad teſtamenti formam valoremque requiri, quam Romani in teſtamento militis & in primævo codicillo requirendum putarunt; uti conſtet, *quod*, *&* *quid* defunctus teſtari voluerit; hoc eſt, illum ſerio habuiſſe in animo ſupremam condere voluntatem, & voluntatis illius capita liquido conſtare, vel per ſcripturam, de qua non dubitetur, vel per teſtes duos aut tres, & fide dignos, ſi nuncupata ſit voluntas.

16. Attamen nulla res hominum cupiditates magis ad nefaria quæque præcipites agit, quam diteſcendi ſpes, cujus compendium eſt ſucceſſio; quo pertinent *aquæ hereditariæ & pulveres ſucceſſorii*, quales ſuperioribus annis in Gallia inclaruerunt; item, quod lex Cornelia de falſis olim teſtamentaria dicta eſt, ut auctor eſt Juſtinianus Imperator ex veteribus in *§. 7. Inſt. de publ. Jud.*

17. Ubi autem jure publico receptæ ſunt, ibi non eſt dubium, quin eandem vim habeant, quam leges probabili ratione conditæ habere debent inter homines, eorumque in animos: Ut quibuſcunque teſtamentis ſolennitates præſcriptæ non ſunt adhibitæ, illa non teneant cives inter ſe, nec ipſas in univerſum quidem obligent conſcientias, ut prolixe à nobis diſputatum & demonſtratum eſt, in *lib. 4. digreſſ. c. 34. & ſeqq.* qua de re forte locum in *libro ſequenti* agendi occupabimus. Ut tamen ex imperfecto teſtamento acquiri hereditatem, ſi nemo jure publico contra nitatur, nihilo equidem prohibeat.

18. Jus ultimas voluntates condendi habent, quicunque rerum ſuarum domini & adminiſtratione potiuntur & voluntatem ſuam exprimere poſſunt; niſi lex, ſicut poteſt, quibusdam hanc facultatem interdixerit: Quod tamen ex ratione juris gentium *n*) non habet cauſam faciendi omnibus, quos Romana lex ſub prohibitione comprehendit; non certe peregrinis, aut filiisfamiliarum, de rebus, in quibus patri nec proprietas nec uſusfructus acquiritur.

19. Materia ultimarum voluntatum biſariam diſpeſcitur, in univerſam & ſingularem. Illius caput eſt heredis inſtitutio; at hæc in legatis aliisque pro lubitu cujusque diſpoſitionibus & præceptis conſumitur: Atque in eo, ſi qua ſit teſtamenti & codicilli differentia, conſiſtit, nam quæ in forma diſponendi, Romanis placuit, non eſt juris univerſi, nec ubique obſervatur.

20. Heredis inſtitutio jure naturali, ſuppoſito teſtandi inſtituto, eſt libera, ut inſtitui poſſint vel non poſſint, quos voluerit teſtator; modo liberis, ſi ipſi exhibere ſe nequeant, *o*] de alimentis proſpiciatur: Extra quam neceſſitatem, ad cujus legem factum procreationis parentem obligat, nonniſi probabilis, etſi valde ratio probabilis, *p*] addicit liberis hereditatem.

21. Cujusmodi probabilitas cum ſit præcipua legum condendarum materia, recte à plerisque populis *q*) proviſum eſt, ut aliquanto plus inde verteretur in neceſſitatem; non modo reſpectu liberorum, quibus certa bonorum

---

n. 18. *n*) Juris Gentium) *Scilicet* ſuppoſito teſtandi inſtituto, *uti mox addit ipſe autor n. 20. Eandem reſtrictionem adde in fine* n. 19. *& in ſequentibus paſſim, ubi ſimiles locutiones occurrent.*

n. 20. *o*) nequeant) *Hactenus juris naturalis eſt providere, ut liberis aliquid relinquatur à parentibus. Sed cum ad hanc rationem non reſpiciat legitima portio, inde falſum eſt, legitimam eſſe juris naturalis, etſi communiter Dd. ex non bene intellectis legibus quibusdam juris civilis id ſtatuant, ut oſtendi in differt.* de leg tima viventis.

p) probabilis) *Sed quænam? Mallem, ut autor addidiſſet. An illa, quæ deſumitur ex voluntate præſumtâ teſtatoris*, ex n. 12. *Sed tum non fuiſſet res ad neceſſitatem perducta, ut etiam parentes inviti liberos inſtituere tenerentur.*

n. 21. *q*) plerisque populis) *Corrige iterum, & ſubſtitue* populo Romano.

Digitized by Google

bonorum portio neceſſario relinqueretur, ſed etiam in favorem parentum & fratrum atque ſororum, ne penitus aut infinita libertate exheredari queant; imò & remotioribus alicubi cognatis, quod ad partem aliquam bonorum, maxime rerum ſoli hereditariarum attinet, ita ut cuique populo viſum, conſulitur.

22. Inſtitutio heredis eſt prima vel ſecunda, quæ vocatur ſubſtitutio; cujus è quatuor ſpeciebus jure Romano proditis, una tantum eſt juris naturæ, quando ſecundus heres vocatur, in caſum, ſi primus heres non fiat, quæ vulgaris dicitur. Nec enim aliud hæc in effectu eſt, quam inſtitutio heredis, qui in jus defuncti immediate ſuccedit. Sed pupillaris ſubſtitutio, qua pater de bonis filii ſui impuberis, quem habet in poteſtate, non à ſe profectis, arbitratu ſuo diſponit, notisſimos dominii terminos egreditur, & eſt ſpecimen enormis illius poteſtatis, quam Romani patribus dederunt, aliæ gentes non probaverunt.

23. Exemplaris, quæ dicitur, habet eandem rationem. Non eſt quidem abſurdum aut incivile, pro liberis, qui ipſi non poſſunt teſtari, parentes ut fungantur: Sed nihil etiam incommodi in hoc erat, quod bona talium liberorum adventitia, proximis eorum conſanguineis relinquerentur, ut fit hodie, ſubſtitutione pupillari fere per desvetudinem abſoletâ.

24 De fideicommiſſaria ſubſtitutione quid judicandum ſit, pro ratione juris gentium, colligi poteſt ex his quæ diximus *in ſect. 4. cap. 6. n. 28. & ſeqq.* Quibus addi poteſt; Si teſtamentum, è quo nonniſi poſt mortem loquentis alii jus orietur, excedit terminos naturalis potentiæ, nec ſine lege facultatem habere poteſt; fidei commiſſariam ſubſtitutionem, quæ nonniſi poſt mortem ſecundi vel tertii heredis alii jus tribuit, duplo triplove longius à ſimplicitate naturali recedere. Quia tamen ambitio & imperandi in homine voluptas ne vitæ quidem termino finitur, hinc uſu veniſſe videmus, ut fideicommiſſariæ ſubſtitutiones in omnium fere gentium mores & jura confertim abierint, ut jam ſuperius dicere occupavimus.

25. Inſtitutioni heredis opponitur exheredatio & præteritio. Sed utraque ſupponit inſtituendi neceſſitatem; privatio enim præſupponit habitum, ut in ſcholis loquebantur. Ac ideo non habet uſum in conſideratione juris naturæ, niſi reſpectu liberorum, ratione alimentorum; & dein, quatenus jure civitatis inſtituendi neceſſitas in quibuſdam perſonis eſt determinata. Perſonis, inquam; Si enim rebus certis impoſita lex eſt, ut ad ſanguine proximos deferantur, neque de illis teſtari liceat, exheredatio vel præteritio in illis non habet terminos habiles.

26. Sed quando lex, inquam, perſonis conſulit, fieri poteſt, ut ob juſtas cauſas exheredentur, quas expedit eſſe certas, ut noviſſimo jure Romano bene conſultum eſt. Etſi forte non eſt rationis neceſſariæ, quod eodem jure placuit, ut ſolæ ſpecies ingratitudinis admittantur: magis enim eſt, ut juſtæ parentem cauſæ movere poſſint, quo familiæ ſuæ expedire judicet, ut quidam è liberis ſuis, etſi non male meriti, ab hereditate ſuâ removeantur: ut, ſi quidam bonis adventitiis copioſi, alii ſint inopes & miſerabiles; forte nec id, aut ſi quid ſimile ſit, procul ab eo recedit, quod vetus juriſprudentia recepit, nec ultimo jure ſublatum eſt, ut ſi parens non ex odio, ſed ut liberis conſulat, illos exheredet, ferenda ſit ejus voluntas: Etſi enim hoc proprie de providentiâ conſulendi exheredatis cautum ſit, ejuſmodî tamen extenſionem ratio facile dictet.

27. Sed differentia præteritionis & exheredationis, ut illa nullitatem pariat, in hac opus ſit actu reſciſſionis, eſt juris poſitivi; nec in eventu intereſt, cum ſi is, cujus favore nullitas conſtituta eſt, acquieſcat, æquè effectum habeat voluntas, etiam jure Romano; quam ſi actio ad reſcindendum non-

moveatur; & imploratio judicis officii ob nullitatem, ab actione reſciſſoria, nonniſi forma diſcrepet externâ.

28. Sane, quod Paulus Apoſtolus de teſtamento morte confirmato ſcribit, ad Galatas & ad Hebræos, quod ili ὐδεὶς ἐπιδιατάσσεται, καὶ ὐδεὶς ἀυτὸ ἀθετεῖ nemo illud mutare vel abolere poteſt, de teſtamento jure facto eſſe intelligendum, res loquitur. Nam de vitiis vel formæ, ubi certa præſcripta eſt, quemadmodum fere ubique eſt, vel naturæ, ſi cum jure naturali vel civili pugnet, querelâ vel nullitatis vel reſciſſionis agi licere, non eſt dubitandum.

29. Præter univerſam heredis inſtitutionem, tot ſingularia teſtamentorum capita ſunt, quot rerum genera, de quibus in mentem venit patrifamilias de morte cogitanti, diſponere; modo talia ſint, quæ ipſius voluntate ſolius conſtent: Nam contractus & plurium conventiones, quæ ſunt & vocantur actus inter vivos, nihil habent commune cum ultimis voluntatibus. Adeo ut donationes mortis causâ, quæ nonniſi à donatario acceptatæ valent, non tam pars ſint teſtamenti, quam ſpecies ultimarum voluntatum diſtinctæ.

30. Enimvero codicilli, ut dicere occupavimus, à teſtamentis univerſali jure non habent ſtabilem differentiam. Nam etſi voluntas ultima, continens heredis inſtitutionem, non male teſtamentum, & rerum ſingularium, codicillus vocari poſſit, accidentale tamen hoc magis quam reale diſcrimen & perpetuum eſſe videtur. Ut adeo, ſi quis ſe teſtamentum condere dicens, heredis inſtitutionem omiſerit, tamen utiliter teſtari & propoſito ſatisfacere credatur, uſu gentium hodierno; etiam quæ juris Romani diſciplinam ſequuntur.

31. Cæterum, ultimas voluntates non modo per ſcripturam, ſed etiam viva voce comprehendi poſſe, jam diximus, ut nuncupatio inprimis uſum habeat, quando repentina vis morbi non fert ſcribendi moram. Sed nuncupatione facta, teſtandi actus abſolutus eſt, & ſcriptura, quæ dein adhibetur, uſum habet probationis, ut ſolet in aliis rebus geſtis.

32. Etſi autem in ſubvertendis ultimis voluntatibus è cauſis jure cognitis, querela nullitatis & reſciſſio per actionem in effectu parum differant, uſuque populorum in executione diſcerni non ſoleant; non eſt tamen quod hac de re juriſperiti Romani diſtinxerunt, evanidum vel effectu penitus carens.

33. Nam teſtamenta, quæ non ſunt condita ſecundum requiſita lege præſcripta, inde ab initio à judice rejiciuntur, nec ullum producere poſſunt effectum; niſi quem hi, quorum intereſt, ſponte ſibi mutuo præſtare velint. Idem juris eſt in nullitate; quam lex ob præteritionem liberorum introduxit; etſi diſcrimen inter eos qui in poteſtate ſunt vel non ſunt, minime ſit juris univerſi, nec hodie à pluribus obſervatur. Si cui jus ex ejuſmodi teſtamento comparatum ſit, is hoc ab invito ne quidem ab initio nec unquam impetrare poteſt.

34. Sed quæ ex poſt facto reſcinduntur, hæc ab initio, teſtamenta valent, & quæ relicta ſunt in illis, peti poſſunt, antequam exiſtat caſus & cauſa, per quam reſcindantur, ut ſunt ea, quæ per agnationem poſthumi rumpuntur; antequam poſthumus naſcatur, vel cum iterum ante teſtatorem deceſſit. Aut cum exheres ſcriptus deliberat, utrum de inofficioſo teſtamento queri velit. Si enim actu querelam non inſtituat, teſtamentum valet, omneſque habebit effectus adverſus eos, qui cauſam querendi non habent.

35. Poſtremo; Quod ex voluntate imperfecta ne quidem id, quod jam conſtat, valere volunt Romani juris-periti, ut, ſi quatuor heredes ſe nuncupaturum præfatus, cum tres nominaſſet, defecerit, nemo ſit heres *l. 25. ff. Qui Teſtam. fac.* id etſi ſubtilitatis poſitivæ videatur, pro naturali tamen habendum eſt, ne voluntas inchoata duntaxat vim habeat perfectæ.

CAP.

CAP. VII.

DE HÆREDITATIBUS INTESTATO MORIENTIUM.

Succeſſionis ab inteſtato regendæ neceſſitas & diverſa populorum hac parte judicia Hollandiæ exemplo declarata. Legem ſequi poſſe,quod velit,principium. n.1.2.3. Sed teſtandi libertate civibus permiſſa, conſequens fuiſſe, ut præſumpta voluntas & adfectio defuncti ſit principium ordinis inteſtati, n.4.5. & præſumptionem illam eſſe pro ſanguine proximis. n.6-8. Primo quidem pro liberis, ſine diſcrimine ſexus & ætatis,aut poteſtatis, n.9. 10. 11. etiam adoptatis, n.12. non tamen ſpuriis & nothis, n. 13. ne quidem reſpectu matris. n. 14. Repræſentationem in nepotibus eſſe ex eâdem voluntate præſumptâ. n.15.16. Poſt liberos vocari parentes, n.17. eosque nec abdicari poſſe, ſecus ac liberi, n. 18 poſſe tamen exheredari, n.19. & quidem facilius quam fratres, jure Romano, n.20. Qur ita? præferendos eſſe parentes fratribus & ſororibus,etſi aliter jure Rom. n.21. Inter adſcendentes ulteriores bona magis ſecundum lineas,quam in capita dividi, ſine diſtinctione,unde bona venerint; quam rationem eſſe ordinis diverſi, non habentis principium à tacita voluntate defuncti. n. 22. 23. 24. Poſt adſcendentes ex ſimplicitate rationis naturalis ſequi reliquos agnatos & cognatos, ſolâ graduum prærogativâ; n.25.26. cum differentia tamen unius aut utriusque lateris, n.27. usque ad fratrum & ſororum liberos, n. 28. 29. quos inter repræſentationem quoque locum habere, licet nulli fratres ſororesve ſuperſint. n.30.31.32. Cognationem illegitimam ne hic quidem admitti. n. 33. 34. Cur amicitia & conjugalis amor non pariant jus ſucceſſionis, ubi principium inteſtati ſucceſſionis eſt præſumptus defuncti affectus. n. 35-38. Fiſci locus ſupremus. n. 39.

1. Quid juris ſit in ſucceſſione imperiorum, priore libro expoſitum, non repetemus. Hic de privatis hereditatibus, cum reſpectu ad jus publicum univerſale quæritur; Si paterfamilias, nullo teſtamento facto, ſit mortuus, non eſſe è republica defuncti patrimonium relinquere in ſtatu quo ſors id deprehendit, ut nullius ſit, hoc eſt, mortui, *r*) quod acerrimis civitatem certaminibus impleret, res ipſa loquitur.

2. Quin cohibitis certaminibus, cum ne ſic quidem fatis conſtet inter homines, ad quos

n.1. *r*) mortui) *qui poſt mortem in civitate pro nullo habetur, & ita bona defuncti cederent primis occupantibus.* Conf. ſuprà ſect.4. c.13. n.9.

quos ex juris ratione bona pertineant; dum alii mares feminis præferendos, & inter illos potiorem primogenitorum cauſam eſſe volunt: Liberis autem deficientibus, quidam bona ſanguine proximis; alii delata velint his, à quorum latere pervenerunt, quemadmodum hæc judiciorum diverſitas hodieque varias populorum exhibet conſvetudines; opus fuit legis præſcripto, id eſt, prudentium virorum conſulto ad hanc incertitudinem determinandam.

3. Poterat autem lex, id eſt, communis civium conſenſus, ſuffragio vel ejus eorumve qui jus omnium habebant, arbitrio, talem ſuccedendi ordinem ſtatuere, qui pro cujuſque populi ſenſu proximè ad æquitatem *s*) accedere videretur. Qua in re, quam varia ſint populorum judicia, ſi quis compendio noſſe velit, Hollandiæ conſvetudines hac parte ſibi ponat ob oculos, ubi duæ ſummæ diſcrepantiæ, ab Attis ſive Azis & Scabinis nomen habentes, primitus ſtabiſitæ, deinceps in mixtum genus abierunt, unum rurſus ſummum, at dein pro cujuſque civitatis & pagi arbitrio deſiderioque in eum modum variatum, ut memoriam prope intentam fallat, quam inſtruit eà parte Grotius *Introduct. ad juriſpr. Holland. lib. 3. cap. 28.*

4. Sed poſtquam placuit, civibus dare liberam de bonis poſt mortem ſuam diſponendi poteſtatem, ita ut legis ordo, nonniſi deficiente teſtamento, locum haberet, conſentaneum fuit, ut lex aliud ne ageret, quam defectum ultimæ voluntatis ſuppleret, iiſque deferret ſucceſſionem, quibus eam defunctus, ſi viveret, delaturus fuiſſet, ex ejuſdem voluntate præſumpta. *t*)

5. Præ-

n. 3. *s*) ad æquitatem) *Nec aliter fieri poteſt. In rebus enim, quæ jus naturæ non determinavit, pro æquo habendum, quod determinavit civitas. Si autem civitates in determinatione hac varient, plerumque indicio eſt, rem de qua agitur, ita eſſe indifferentem, ut nec dictamen rectæ rationis unam determinationem præ alia ſuadeat. Et ita revera comparatum eſt cum ſucceſſione ab inteſtato. Si enim ſucceſſionem liberorum, quatenus hi reliquis ordinibus fuere prælati, eximas, (quam communiter gentibus ſuaſit jus naturæ) in reliquis quæſtionibus, ubi jura civilia variant, quamcunque ſententiam arripias, poteris aliquem colorem æquitatis non difficulter invenire, non tanti tamen valoris, quin non ex adversâ parte aliquid poſſit afferri contra. Unde autor potuiſſet ſuperſedere toto hoc capite, niſi affectus nimius erga jus Juſtinianeum ipſum impuliſſet, tentare demonſtrationem, quod hoc jus proximè conveniat juri naturali.* Conf. ſuprà c. 5. n. 58.

n. 4. *t*) præſumtâ) *Quod communiter Dd. etiam Grotius & Puffendorffius hoc fundamentum ſucceſſionis ab inteſtato ponant, in causâ fuit, quod putaverint, teſtamenti factionem eſſe juris naturalis, prout etiam iſta ſententia communis eſt. Sed poſtquam Autor docuerat* in cap. præcedente, *teſtamenti factionem ex jure naturæ non fluere, facile etiam ſentire potuiſſet, hypotheſin de ſucceſſione ab inteſtato eſſe mutandam. Et poterant ejus inſufficientiam ſuadere plures rationes, 1. Non apparet, quod Romani poſt receptam teſtamentifactionem, ſtatim leges priſtinas de ſucceſſionibus ab inteſtato mutaverint, ſed mutationes pleræque diu poſt contigerunt & plurimæ demum ſub Juſtiniano. Ergo uti priores leges ſe non fundarunt in præſumta voluntate defuncti, ita nec mutationes ſubſequentes ex iſtâ ratione factæ ſunt. 2. Quod fundat ſe in præſumta voluntate privatorum, jus civile, id privatos non obligat contrà voluntatem eorum expreſſam. At ſuceeſſio ab inteſtato etiam poſt receptam teſtamentifactionem in multis norma eſt ipſius teſtamentifactionis, ut teſtatores etiamſi velint, inde recedere nequeant, ut conſtat ex doctrina de præteritione & exheredatione, item de*

Digitized by Google

5. Præſumptio voluntatis aliunde melius quam è ϛοργῆ, id eſt, amore ſanguinis, colligi non potuit; cum ita fere ſint animati mortales, ut in ſanguine ſuo mortalitatis ſolatium quærant, nec cuiquam libentius, bona ſua, quam propinquis, relicta velint, & in dubio, qui proximus eſt gradu, idem proximus affectu eſſe credatur: Ut tamen identidem causâ novi affectus incidente, diverſitas aliqua ſuboriri poſſit.

6. Hæc ratio, quæ eſt juris Romani, ſine dubio proxime convenit hypotheſi, qua cuique patrifamilias à lege datur poteſtas ſuo arbitratu de bonis ſuis per ultimam voluntatem diſponendi. Cui ſane conſentaneum erat, ut ſi morte præveniri nihil expreſſe declaratum reliquiſſent, ipſorum tacita voluntas ſecundum propinquitatem ſanguinis eâdem legis indulgentia prævaleret.

7. Probabilius, quam aliæ gentes, quæ licet eandem teſtandi licentiam morituris indulſerint, nulla tamen ultima voluntate exiſtente, ſuccedendi æquitatem aliunde, quam à præſumpta defunctorum voluntate petierunt, in primis eo ſpectantes, ut bona illuc unde profecta ſunt, reverti curentur. *u*)

8. Verum adfectus ratio, licet à ſanguine ſæpe recedat ad extraneos, & fieri poſſit, ut proximi odio ſe quam maximo invicem proſequantur, juxta illud, *ὡς τὶ πίρα ϛίξαιτο καὶ πίρα μισῶσι*, in materia tamen ſucceſſionis, quæ ſecundum tacitam defunctorum voluntatem regenda erat, affectus cauſa merito à neceſſitudine ſanguinis alienari non debuit, cum, quia lex eſt generalis, & amat ea, quæ plerumque uſu veniunt, nec ad ſingularia attendere ſolet aut poteſt; *w*) tum quod plerumque tamen, bona, qui proximis ſuccenſent, manere malunt in familiis ſuis, quam per amicos extraneos in alienas transferri domos, *x*) quod *ϛυγεϱώτατον θνήσκουσι*, morientibus odioſiſſimum, dixit Pindarus.

9. Primo igitur, cum nihil carius homini ſit liberis à ſe procreatis, ad quos etiam exhibendos ſe naturaliter teneri ſentit, his omnium primo ſua bona deſtinat. Hinc Julianus Imperator, cum dixiſſet in *Cæſarib*, *Παισὶ νόμιμον ἐπιτρέπειν τὰς διαδοχάς*, *leges ſucceſſionem liberis permittunt*; addit hanc rationem, *καὶ τοῦτο ἅπαντες εὔχονται*. *Et hoc eſt, quod omnes optant fieri.*

 10. Di-

legitima. Ergo poſt receptam teſtamenti factionem etiam ſucceſſio ab inteſtato potius eſt norma teſtamentifactionis, quam ut à teſtamentifactione ſumantur regulæ & rationes explicandi ſucceſſionem ab inteſtato. 3. Parum honorificum eſt illud inventum autoribus juris Romani, dum Autor ſæpius cogitur fateri, jus Romanum à principio illo ſuo, quod Autor poſuit eſſe præſumtam defuncti voluntatem, abiiſſe. Ita enim imprudentiæ accuſantur Autores. 4. Indicant imbecillitatem hujus doctrinæ fluctuationes perpetuæ & connexiones parum cohærentes, quibus Autor modo huc modo illuc abripitur. Et imò 5. in fine capitis n. 35. & ſeq. *totam machinam tantum non deſtruit ipſe.*

n. 7. *u*) reverti curentur) *videbimus ad n. 24.*

n. 8. *w*) aut poteſt) *De iis quidem non fiunt Leges, quæ ſemel aut bis fieri ſolent. At Autor initio hujus numeri conceſſerat, affectum defunctorum* ſæpè *à ſanguine recedere: experientia teſtatur, (exceptis fortè liberis) à proximitate ſanguinis recedere* plerumque. *Ergo inſufficiens eſt Autoris hæc reſponſio.*

x) domos) *Sed hæc ratio probat ſaltem, quod bona defuncti non pertineant ad extraneos, non, quod debeat ea habere proximus. Adde, quod leges teſtamentifactionem recipientes adjudicent etiam proximo bona defuncti, etſi is diſertè dixerit, quod proximum nolit eſſe heredem, modo teſtamentum non fecerit debito modo, tantum abeſt, ut in hoc caſu lex ſe fundet in voluntate defuncti præſumta.*

10. Diſcrimen amoris erga liberos etſi parentes ſæpe non tralatitium habent; in univerſum tamen lex è tacita voluntate nihil differentiæ præſumere poteſt; ideoque parentes, omnes liberos mares & feminas, primo & poſt genitos, emancipatos & ſuos eodem loco & affectu habere creduntur: Unde & par jus omnibus in ſuccedendo.

11. Diſtinctiones, quæ nonnullis placuere gentibus, in favorem marium & maxime primogenitorum, ſuo loco non improbabiles, & ad conſervandum decus familiarum pertinentes, à principio ſucceſſionis ab inteſtato, quod diximus, permiſſaque omnibus teſtandi libertate, quin & à naturali ſimplicitate, ad jus poſitivum & arbitrariæ utilitatis rationes deflectunt. *y*)

12. Pro liberis adoptatis eſt eadem ratio affectus, quæ pro naturalibus, ſiquidem alia gratia, quam ut jure locoque liberorum haberentur, adſciti non ſunt: Idcirco parentibus ſuis naturalibus, à quorum familia ſegregati ſunt, non habent quo ſuccedant: niſi ex adoptiva domo rurſus exierint; tunc enim naturæ ſuæ denuo aggregantur.

13 Sed inter liberos è legitimo natos conjugio, & nothos atque ſpurios eſt manifeſta differentia, non tantum quatenus ſpurii incerto patre ſunt geniti; ſed etiam, quod affectus relinquendæ ſucceſſionis non convenit iis, quos ad familiam propagandam non creaverunt, & quos ſine dedecoris memoria adſpicere non poſſunt. Ideoque non eſt, ut quicquam illis liberis, quam alimentorum exhibitio è tacita *z*) parentum voluntate debeatur, quod mores omnium fere gentium ſequuntur.

14. Ita autem Romanis eorumque exemplo aliis pluribus aliter viſum eſt in ſucceſſione matrum; quod tamen hac parte magis ad certitudinem genituræ, quam ad affectum referentem ſe ad intentionem propagandi familiam, & relinquendi ſucceſſionem, ſpectarunt; in eo à principio ſucceſſionis ab inteſtato ſuperius collecto abludere vel potius abhorrere videntur: *a*) Cum in matribus ratio adverſus nothos & ſpurios paulo ſupra collocata non minus evidens ſit, quam in genitoribus.

15. In liberis diverſorum matrimoniorum, reſpectu parentum, nulla affectionis diverſitas præſumi poteſt, ideoque omnes ab inteſtato communi parenti æqualiter ſuccedunt. Attamen, quia novercalis aut vitricalis conſvetudo, ſequiorem erga prioris matrimonii liberos affectum generare ſolet, haud temere fit, ut hac parte lex à communi principio ordinandæ ſucceſſionis recedat, *b*) & degenerantem illum affectum revocet in contrarium, figendo aliquid pro liberis prioris matrimonii, plus minusve, ut ſingulis gentibus ſedit, prorogativæ.

16. Sed quibuſdam è liberis ante parentem mortuis, e quibus nepotes neptesque ſuperſunt, hæc eſt inſita naturæ hominum affectio, ut in illis prædefunctos filios filiasque ſuas libenter ſibi repræſentent, hoc eſt, iterum quaſi præſentes ſiſtant; adeoque liberos parentum loco habeant, ament, neque vero per obitum quorundam è liberis ſuis imma-

n. 11. *y*) deflectunt) *Imo non deflectunt. Nam ſucceſſio agnatorum, quæ & liberos intuitu matrum excludebat, & emancipatos intuitu patris, diu fuit retenta apud Romanos poſt receptam teſtamentifactionem. Et ſucceſſionem filiorum præ filiabus juris Gentium magis eſſe, quam mores hodie receptos, jam ſuperius indicavimus*

n. 13. *z*) tacita) *Quomodo vero è tacita, cum pater liberis talibus non poſſit plus relinquere quam leges indulgent, etiamſi vellet.*

n. 14. *a*) videntur) *Id potius indicio eſt, autorem falſum principium ſucceſſionis ab inteſtato ex mente Romanorum ſuppoſuiſſe.*

n. 15. *b*) recedat) *Idem monendum, ac ad* n. præced.

immaturam, conditionem reliquorum velint immutatam. Unde nihil expeditius, quam ut plures ex eodem filio filiavè nepotes defunctum parentem repræſentent; neque plus aut minus univerſi capiant, quam ille ſuperſtes habiturus fuiſſet: quod eſt jus repræſentationis communiter dictum; non inconcinne ad rem, ut alibi indicavimus, exprimendam; etſi forte vox illa veteribus ita non ſit cognita latinis.

17. Secundum liberos, præcipuus erga parentes eſt amor, & eſſe debet, c) ob acceptorum beneficiorum memoriam, & neceſſitudinem arctiſſimam. Etſi enim parentibus non debetur filiorum hereditas, propter votum parentum, & naturalem erga filios caritatem, turbato tamen ordine mortalitatis, non minus parentibus quam liberis pie relinqui debet, ait Papinianus in *l. 15. in pr. ff. de inoff. teſtam.*

18. Una quoque re, paternum jus filiali præfertur, quod filius abdicari, ac ita, ſine exheredatione, tametſi Romanis id inuſitatum fuerit, à bonis excluditur; patet abdicari non poſſit, ut obſervat Ariſtoteles 8. *ad Nicom. 14* Διὸ κἂν δόξειεν, inquit; ὐκ ἐξεῖναι υἱῷ πατέρα ἀπείπασθαι; Πατρὶ δὲ υἱόν; dicendum igitur, inquit, patri licere filium abdicare; ſecus ac filio patrem, ratione addita, τοῖς γὰρ γεννῶσιν ἀεὶ ὀφείλουσι τὰ τίμια. *Parentibus enim liberi ſemper*, ait, *debitores ſunt.*

19. Exheredare tamen quominus patrem filio, gravi ex cauſâ liceat, ratio obſtare non videtur, ſed difficilius quam patri licet adverſus filium, ut videtur, & viſum Romano legiſlatori; qui cum filium exheredari permittat, ob cauſas quatuordecim; in patre duntaxat octo probat; Nec dubitares, eandem eſſe rationem, quam prævivit Ariſtoteles; niſi de fratribus eſſet proditum, illos nonniſi tribus de cauſis exheredari poſſe, eadem jure Romano: Quibus tamen plus debere fratrem, quam patri filium, dici non poteſt.

20. Quur igitur pater facilius exheredari poteſt quam frater? Quia quo tenerior eſt neceſſitudo ſanguinis, eo facilius violatur & exquiſitius obſervari debet. Hoc ut inter fratrem & patrem habet rationem differentiæ, ita in filio nihil vetat, obſervantiam, & gratitudinis obligationem majorem, quâ patri obſtrictus eſt, efficere, ut illi plures ingratitudinis cauſæ imputentur.

21. Cum igitur propinquitas & affectus erga parentes quam erga fratres ſit major, ex ſimplicitate iuris naturæ, ſuppoſito ſucceſſionis, quod diximus, principio, parentes fratribus & ſororibus præferendi fuerint, non æquandi, ut Romanis legibus viſum; qui in hoc articulo videntur à communi ſuo principio deflectere d) ad diverſæ utilitatis rationes, ut juvenes ad nuptias & novas domos excitandas ſint inſtructiores.

22. Secundum analogiam repræſentationis in deſcendentibus, quam vidimus; ſolent homines in adfectu animi cum relatione ad ſtatum familiæ & ſucceſſionem, in perſonâ patris adſpicere paternos adſcendentes, in matre maternos: Cui bene conſentaneum eſt, ut ſucceſſiones in adſcendentibus ulterioris

n. 17. c) debet) *Sed hic iterum miſcentur duæ quæſtiones. Si lex in ſucceſſione ab inteſtato ſequeretur tacitam voluntatem defunctorum, conſideraret, quid homines vellent, non quid velle deberent. Nam debitum & liberum arbitrium ſunt oppoſita.*

n. 21. d) deflectere) *Aut potius Autor aberrare à verâ ratione legum Romanarum. Et cur Autor planè omittit jus vetus Romanum, ubi fratres planè excludebant parentes? Ergo maneamus potius in obſervatione initio poſita. Habemus hic jura triplicia, vetus Romanum ubi parentes excludebantur à fratribus, novum Romanum, ubi parentes & fratres ſimul admittuntur, & Germanicum ubi fratres excluduntur à parentibus. Singula jura habent rationes probabiles, de quibus in diſcurſu pluribus.*

Digitized by Google

gradus, ſecundum lineas potius quam ſecundum capita perſonarum æſtimentur, adeoque paterni & materni adſcendentes ſinguli ſemiſſem bonorum auferant.

23. Idque licet diſparis numeri ſint, & forſitan ab altero latere nulla venerint ad defunctum bona; quia in hac hypotheſi, quam ſequimur, in qua ratio ſuccedendi pendet à jure, quod defunctus habuit tempore mortis, & à præſumpto ejus affectu, nihil habet commune, cum viſione originis, unde bona venerint; quia tam jus illorum, unde profecta ſunt, quam voluntas expreſſa vel præſumta inde jam olim ceſſant, nec amplius quicquam operari poſſunt.

24. Longe aliter gentes, quibus hæc regula placuit, ut bona redeant illuc, unde venerunt, quæ proinde brevi ſe redactas eſſe viderunt ad inhumanam Conſtitutionem; ut ne parens, altero parente mortuo, ſuperſtes filio, huic defuncto ſuccederet; quia ſcilicet à ſuperſtite parente nulla venit ad defunctum hereditas, ſed bona vadunt ad cognatos ulteriores intermortui lateris; quæ res in hypotheſibus fert ſecum multam duritiem. *e)* Et quæ præterea ſint in hoc genere ſuccedendi, vide ſis Grotium *d. cap 18. n. 3.*

25. Deficientibus liberis & parentibus, amor & affectus relinquendi bona poſt mortem, tranſit ad reliquos ſanguine junctos, *τὺς ἐγγύτατα γένει πρὸς μητρὸς καὶ πατρὸς proximos, è familia paternâ vel materna*, ut habet Plato *lib. xi. de republ.* Amor enim non diſtinguit; etſi populis multis viſum eſt, inter agnatos & cognatos intereſſe oportere, decori familiarum cuſtodiendo.

26. Sed Romani, cum prius ad conſervanda in familiis patrimonia, ſolos agnatos ad inteſtati ſucceſſionem vocaſſent, non tulere deinceps incommoda diſtinctionis illius, & duritiæ *f)* adverſus cognatos, cui par non fuit poſteritas. Ideoque prætor edicto ſuo jam olim cognatos ante penitus excluſos, duntaxat poſt agnatos vocavit, & poſtremo res ad ſimplicitatem affectionis naturalis rediit, ut nihil in ſucceſſione, quam graduum propinquitas ſpectaretur, Nov. CXVIII. *c. 4.*

27. Cum autem perſpicuè major ſit adfectio adverſus utrimque conjunctos fratres atque ſorores, quam erga uterinos & conſanguineos, hic merito lex utrimque conjunctos & conjunctas, qui germani germanæque vocantur, præfert his, qui ab uno latere ſanguinis ſunt juncti, licet eadem cum germanis propinquitate gradus à defuncto diſtent, ut affectus rationem cæteris prævalere conſtet rationibus.

28. Sed poſt fratrum liberos memoria novercalis aut vitricalis averſationis in hominibus langueſcit aut obliteratur, ut exinde duplex vinculum, ab unius cognatione lateris tam notabiliter non diſtinguatur, ut graduum ordinem & prærogativam ſuperare poſſit. Ideoque in ulterioribus ſola propinqui-

n. 24. *e)* duritiem) *Sed durities hæc & inhumanitas eſt ſaltem cerebrina, quia non alia ratio ejus afferri poteſt, quàm, quod contradicat diſpoſitioni juris Romani, adeoque rurſus principium petit. Et forte diſſentientes urgebunt, Romanos ex hypotheſi ſuarum legum redactos eſſe ad inhumanam conſtitutionem, ut v. g. avia ex matre, unde omnia bona provenerant ad filium ultimo mortuum, excluderetur à patre ſuperſtite, à quo tamen defunctus nihil acceperat, etſi avia ſit in magnâ indigentiâ &c.*

n. 26. *f)* duritiæ] *Mera petitiones principii & locutiones oratoria. An poſteritas Romana ſapientior fuit majoribus? Annon potius prudentia & ſapientia progreſſu ſeculorum magis decrevit, quam aucta fuit?*

pinquitas affectionis ſuffragium meretur, idque populos, *g*) obſervare videmus.

29. Hinc etiam prædefunctorum fratrum atque ſororum liberi, pari cum fratribus & ſororibus ipſis, loco, etſi gradu remotiores, habentur; quia ſic fert hominum adfectus & conſvetudo στοργῆς ut fratrum liberi defunctos quoque parentes repræſenteut, eoſque pater & avunculi cum tali reſpectu libenter ſibi apud animos ſuos proponant; quaſi parentes denuo vivi & præſentes forent.

30. Verum, quod lex Romana reſtringit hanc repræſentionem, ad caſum, ſi adhuc unus vel una defuncti fratrum aut ſororum ſuperſint, recedere videtur ab illa ſimplici conſideratione στοργῆς, & deflectere ad rationem extrinſecus adſumptam, *h*) ſcilicet, repræſentationem, qua plures in unius mortui locum ſubeunt, quæ eſt ſucceſſio in ſtipites, amittere terminos habiles, ubi nullus ſtipes ſupereſt.

31. Atqui non vetat hæc ratio, quominus in lineâ rectâ plures nepotes, in avi ſucceſſione, parentem ſuum repræſentent, etſi nullus liberorum primi gradus ſuperſit, ut ipſe Romanus legislator poſuit: Ratio autem ab ingenio στοργῆς & adfectionis erga defunctum in liberis ſuis exhibitum, & repræſentationis, quam ſibi quiſque apud animum ſuum, conferendo vivos cum mortuis facit, utrobique eſt eadem, ideoque diverſas juris poſitiones producere non poteſt. Sed ut repræſentatio in deſcendentibus indiſtinctè habet locum, ita cur in fratrum liberis diverſum obtineat, ratio non apparet.

32. Sed poſt fratrum liberos affectio ſanguinis non eſt tam valida & præſens, nec memoria defunctorum adeo viva & efficax, ut hæc magis quam ipſi cognati, in conſpectu defuncti fuiſſe cenſeantur: Idque ſatis evidenti hominum uſu & conſvetudine στοργῆς compertum eſſe videtur. Ut exinde ſolius propinquitatis ejuſque graduum in ſucceſſione computatio valeat: Sine ulla ſexus, nativitatis, cognationis aut agnationis differentia.

33. Sed matrimonii apud cultiores populos is eſt honos & ad ſucceſſionem bonorum comparata relatio: Ut nemo hereditatem ad eos, qui extra matrimonium nati ſunt, quamdiu legitimè nati ſuperſunt, pervenire velle credatur.

34. Idque tam reſpectu feminarum, quam marium valere videtur. Unde, quod mores populorum, etiam leges Romanæ, frequenter abeunt; ut in ſucceſſione feminarum nothi & ſpurii à legitimis non diſcernantur, id à præſumpta defunctorum voluntate non videtur repetendum; *i*] ſed à certitudine prolium, quæ reſpectu feminarum eſt eadem in liberis & propinquis, tam extra quam ex conjugio natis.

35. Si autem præſumpta defuncti intentio, regula juris naturalis eſt, in Succeſſionibus inteſtatis; quemadmodum ſuppoſito teſtandi inſtituto verius eſſe probavimus, *k*) certitudo propinquitatis non abſolvit hujus rei momen-

n.28. *g*) populos) *Scilicet populum Romanum. Nam ex principiis juris Germanici duplicitas vinculi fuit conſiderata in infinitum.*

n.30. *h*) adſumtam) *Suppoſito ſcilicet, quod ratio ab Autore aſſignata ſit genuina.*

n.34. *i*) repetendum) *Diximus jam ad n. 14.*

n.35. *k*) probavimus) *Si ratiocinatio, quâ hic utitur Autor, formaliter proponatur, ſenſus hic erit; ſi verum eſt, ut probavimus verum eſſe, apud populos qui receperunt teſtamentifactionem, fundamentum ſucceſſionis ab inteſtato eſſe præſumtam voluntatem à benevolentia & amore defuncti deſumtam, ſequitur extraneos qui cum defuncto in arctâ amicitiâ vixe-*

momentum; ſed & reliqua voluntatis ad ſucceſſionem pertinentia argumenta in cenſum veniunt.

36. Nam quod ſolus amor & benevolentia non ſufficiant ad argumentum ſucceſſionis in bona inteſtatorum, patet inde, quod nusquam gentium, ne quidem jure Romano, quod adfectus rationem imprimis ſequitur, amicitia cum patre vel matrefamilias culta defunctis, quenquam ad hereditatem illorum vocat.

37. Nec quidem amor conjugalis, etſi ipſum amorem ſanguinis, maxime remotioris, longè ſuperat, ut ex duobus hominibus quaſi unum faciat, ad hunc effectum valet; quia non ſolent eſſe conjuncti affectus iſti cum intentione relinquendi bona poſt mortem; quæ homines ad propinquos & ſanguinis ſui participes translata, inque familiis ſuis conſervata fere cupiunt, ac ita velle præſumuntur.

38. Conjugalis amor tamen usque adeo non eſt alienus à reſpectu bonorum & ſucceſſionis, ut ſanguinis linea deficiente, non præbeat hac in parte voluntatis argumentum. Reliquarum amicitiarum, quæ non habent terminos adeo ſtabiles, neque fixum principium aut durationis tenorem, prorſus ab hoc effectu & jure ſucceſſionis alienantur, nec usquam gentium huic emolumento admoventur.

39. Defectis omnibus, qui voluntatem defuncti ad obtinendam ſucceſſionem, aut ſuffragium legis habent atque merentur, fiſco locum eſſe, non è præſumpto defuncti affectu, ſed ex univerſali Juris publici diſciplinâ & conſecutione jam diximus in *ſect. 4. cap. 4. n. 47.* qua de re in *prælect. ad princ. lib. 3. Inſt. à princ. in enarr. Nov. 118. ſub finem* egimus. Adde omnino dicta *ſect. 4. c. 5. & ſeqq.*

---

runt, itera conjuges præferendos eſſe proximis ſanguine. Sed poſterius eſt abſurdum E. & prius, i.e. non eſt verum, quod verum eſſe probavimus, ſed præſumta voluntas defuncti non ſufficit ad ſucceſſionem ab inteſtato exponendam. Imo falſum eſt, quod Autor ſæpe objecit Romanis, quod ipſi à genuino principio aberraverint.

LIB.

DE JURE CIVITATIS.
LIBER III.
Qui eſt de jure Adminiſtrandi rem Civitatis.

SECTIO I.
De Summa initioque Adminiſtrationis.

CAP. I.
DE INAUGURATIONE IMPERANTIUM, ET ARTE LEGISLATORIA.

Continuatio n. 1. Pareitio rerum, quæ ad adminiſtrationem requiruntur, è Grotio. n. 2. 3. Nos ſecuturos ordinem magis hiſtoricum, præmiſſa tamen diviſione adminiſtrationis, in internam & externam. n. 4. Primùm, quod in civitate conſtituta fit, eſſe ſolennem fidei dationem atque inaugurationem in Regnis: n. 5. quæ tamen non ſit neceſſaria, neque juris novi quicquam inferre ſoleat. n. 6-18. Stabilito Imperio, primam eſſe Legum curam. n. 19. Difficultas artis legiſlatoriæ. n. 20. 21. 22. Quis proprie ſit Legiſlator. n. 23.

POſtquam de jure imperantium & eorum qui ſubjecti ſunt, ſingulis libris egimus, ſupereſt, ut de *civitate adminiſtranda*, quatenus ad juris rationem pertinet, eadem qua cœptum, methodo, perſequamur.

1. Partes adminiſtrandæ reipubl. alii plures, alii pauciores enumerant, Grotius in *lib. 1. c. 3. §. 6.* ita partitur: Qui civitatem regit, eam partim per ſe, partim per alios regit. Per ſe autem verſatur, aut circa univerſalia aut circa ſingularia. Circa univerſalia verſatur, condendo leges eaſque tollendo

lendo, tam circa ſacra quam circa profana.

3. Singularia, circa quæ verſatur, ſunt aut directè publica aut privata quidem, ſed quatenus ad publicum ordinantur. Directe publica ſunt, vel actiones, ut pacis, belli, fœderum faciendorum; aut res, ut vectigalia & ſi quæ his ſunt ſimilia; in quibus & dominium eminens comprehenditur. Privata ſunt, res controverſæ inter ſingulos, quarum diſceptatio juris quidem privati eſt, ſed cura & diſpoſitio generalis de illis, ad jus publicum ſpectat.

4. Quæ per alterum expediuntur, ea per magiſtratus, aut per alios geruntur miniſtros quales & legati. Nobis quidem hæc partitio poteſt ſuggerere materiam dicendorum, quæ in capite de juribus majeſtatis pleraque ſunt occupata, ſed obiter. Nunc tamen pro inſtituti ratione, magis placet ordo ſimplicior & quaſi hiſtoricus, hoc tamen ſuppoſito; adminiſtrationem eſſe duplicem; aut enim ſpectat ad internam civitatis conſtitutionem, vel habet reſpectum ad exteros. De priore prius agendum.

5. Primum poſt imperii conſtitutionem eſt inauguratio, quæ eſt actus ſolennis, quo imperantes initiantur imperio. Et duas habet partes, ut ſit; Stipulationem & conſecrationem. Quicquid autem hujus eſt, de jure non neceſſarium eſſe, ratio & uſus attendenti ad ſequentia, facile patebit.

6. Nam conſtitutio imperii fit conſenſu libero, *l)* vel mixto. Conſenſu libero, fit vel per compromiſſum populi, vel per contractum cum imperantibus electis. Initur compromiſſum, quando cives inter ſe promittunt & conſtituunt, ſe certis rectoribus eſſe parituros, idque vel certis limitibus eorum poteſtati præſcriptis, vel ſine ullis conditionibus, ut fere in talibus uſu venit. Idque perfectum eſt, ubi primum imperantes ſuum conſenſum declaraverint.

7. Per contractum inter imperantes & ſubjectos; quando hi per conſenſum uniti imperium electo deferunt, vel ſimpliciter, vel, ut in talibus uſu fere venit, certis conditionibus, quas alter acceptat; ac ita contractus ultro citroque obligatorius initur.

8. Conſenſum dicimus mixtum, quando non libera fit electio, ſed neceſſitas elicit conſenſum ſubjectionis; quæ neceſſitas eſt vel ab ipſis imperantibus, aut aliunde. Ab illis, quando populus armis ſuperatus victori promittit obſequium, quâ de re dictum eſt in *lib. 1. ſect. 2. c. 3. à n. 11.* Aliunde, quando populus ab hoſte coarctatus, ſe tertio mancipat, in patrimonium & obſequium, ut olim Campani ſe Romanis dediderunt.

9. Omnibus hiſce caſibus, inaugurationem eſſe rem non neceſſariam, patet inductione ſpecierum. Quippe, in plurium imperiis, quæ jure parendi ac imperandi à monarchiis non diſcrepant, inaugurationes fieri non ſolent, neque ſemper in principatibus; Primo non, ubi per modum compromiſſi fundatum eſt unius imperium, ut Auguſtus ſponſione populi Romani, per legem regiam quæ dicitur, cum rempubl. reddere vellet, electus, non etiam actu ſolenni inauguratus eſt, ut nec fidem dediſſe vel accepiſſe legitur à populo Rom. ſecus ac in Daniâ vidimus factum.

10. Imperio ibi quoque per ordinum compromiſſum ex electivo hereditario facto, & legibus ſoluto, ſequuta eſt inauguratio; ſed nemo dubitat, quin ante ſolennitatem illam jus regium fuerit perfectum, nec quicquam ſummæ poteſtati inde vel acceſſerit vel deceſſerit; quemadmodum in regnis ſucceſſivis, omnibus ſatis conſtat, principes non cunctari actus imperii publicos exercere,

---

n. 6. *l)* libero) *Benè. Ergo unica eſt cauſa conſtituendi imperii, conſenſus. Unde non opus eſt cauſas multiplicari, ut autor fecit ſupra lib. 1. ſect. 7. c. 4. p. 265. ubi quatuor modi ſunt poſiti*, electio, ſucceſſio, matrimonium, bellum.

Digitized by Google

eſſe, priuſquam inaugurati fuerint, nec quidem in electivis id habet dubium, cujuſmodi nuper & in Anglia vidimus exemplum.

11. Nullumne igitur juris effectum habet inauguratio? Nullum habere, dicendum non eſt. Quid enim ſi conſtitutum ſit, ne princeps ullum imperii actum, ante jusjurandum ſolenne præſtitum, ut nuper in Scotia ſtatutum fuiſſe accepimus, exerceat? Si quæ leges etiam fundamentales per modum conventionis inter principem & ordines populi ſtabilitæ ſint, quas ſucceſſores jurejurando firmare debeant, ante ſolennem ejus præſtationem, ad plenum imperii exercitium ut admittantur, exigere non poſſunt.

12. Sed contractus ut facti ſunt, ita probari debent; in dubio magis eſt, ut imperium per modum compromiſſi inſtitutum videatur, quemadmodum aliter in optimatium imperiis intelligi vix poteſt, nec aliter in pleriſque ſucceſſivis, aut quæ ipſo jure competunt, obtinet. In quibus aliquando ſine præjudicio juris omitti poſſunt inaugurationes, quemadmodum Cæſares qui nunc ſunt, vi legis æternæ Othonianæ, per electionem ad regnum Germaniæ factam, ſunt etiam reges Italiæ & Imperatores Romani, ſine ullo actu inaugurationis, quam Auſtriaci inde à Maximiliano I, Carolo V. excepto, neglexerunt.

13. Proinde, ſi omitti poſſunt actus illi ſolennes, ut fere antiquis temporibus ignoti fuere, non eſt verum, quod multis perſuaſum eſt, tum inter imperantes & ſubjectos novum iniri contractum, quo non modo cives principi, ſed etiam principes civibus, aut his quibus jurant, obligentur, quomodo pontifices Romani inde captarunt argumentum, quod Germaniæ reges per jusjurandum inaugurationis, ipſis, ut Chriſtum vel populum Romanum repræſentantibus obligarentur, imo vaſalli fierent, quo pertinet notum illud diſtichon, quod Innocentius pontifex, ab inauguratione Lotharii aulæ parieti inſcribere auſus eſt, Sigonio teſte;

Rex venit ante fores, jurat prius urbis honores,
Mox homo fit papæ, ſumit quo dante coronam.

14. Nihilo magis inter populos & principes, niſi id ſpecialiter actum ſit, per inaugurationem novus initur contractus; Sed populus, id ad quod per electionem aut jus ſucceſſionis jam obligatus erat, hoc ſolenniter repetit; Princeps ſui officii antea ſuſcepti & acquiſiti partes jurejurando confirmat, quo nihil novi, quam religio erga Deum, continetur, qua de re dictum eſt in *lib. 1. ſect. 9. cap. 5. n. 74.*

15. Nil enim fere princeps, quam ſe jus & juſtitiam adminiſtraturum populo, rempublicam & religionem defenſurum; Etiam *alicubi*, leges & jura præcipua ſervaturum; ad quæ jampridem ex officio, quod ſuſceperat, tenebatur, promittit: Populus fidem & obedientiam, ad quam rectoribus conſtitutis, vel compromiſſo inter ſe, vel contractu cum illis, obligati erant, pollicetur. Vel ſi fides alicubi ſola exprimatur, obedientia, ſalvis legibus, quæ conſtitutæ fuerint, ſub illa continetur.

16. Adjunguntur cærimoniæ quædam & ritus ad venerationem animis populorum incutiendam; quo maxime totus inaugurationis actus, magis ſine quam ad juris argumentum vel adſtructionem pertinet, inventi; de quibus hic non eſt agendi locus. De Homagio, quod vaſalli præſtant dominis feudorum, quod hinc eſt alienum, egimus in *loco ſuo.*

17. Ex dictis illud quidem ultro liquet, inaugurationis ſolennia nihil quoque facere ad dignitatis ordinem & jus præcedentiæ, quam vocant, ut qua ratione ſuperiori ſeculo uſus eſt Antonius de Prato, Galliæ cancellarius, in congreſſu Caletano, regem Galliæ non debere cedere Carolo V. propterea, quod is quidem Imperator electus, ſed nondum à pontifice inauguratus eſſet, quod è

 Chaſſa-

Chaſſaneo memorat Arumæus in *orat. de ſeſſionis prærogativa.*

18. Sed hoc cives imperium ſtabilientes animadvertere oportet, ut, ſi rectoribus ſuis imperium ſimpliciter deferre nolint, legibus inde ab initio fundamentalibus conſtitutis; his ſolis rem non committant, ſed Ephoros & Nomophylacas, id eſt, homines legum cuſtodes rectoribus adjungant; aut hoc agant, ut ordines populi certis temporibus conveniant, qui de rebus ad ſalutem publicam & libertatem reſervatam pertinentibus agant & decernant; cum alioqui rectores ſinguli vel plures nihil habeant potius, quam emancipare ſe conari vinculis & repagulis abſolutæ poteſtatis.

19. Summa regendæ civitatis, quam recentem & legibus inconditam adhuc conſideramus, ſtabilitâ, rectores, quos ſimpliciter conſtitutos jam intelligimus, nihil prius agere debent, quam ut legibus univerſam reipubl. adminiſtrationem, inde ab initio complectantur: Ne uſu veniat novæ civitati, quod Romanis accidit, ut primis quidem temporibus manu regum, id eſt, arbitrariâ poteſtate gubernarentur, donec à decemviris leges acceperunt; etſi ne ſic quidem aliter quam crebris ſeditionibus & malorum experimentis ad ſtabilem reipubl. conſtitutionem pervenerunt. *m*)

20. Qui dialecticis ſueti ſunt argutiis, ac in iis ſummam ingenii & judicii vim conſtituunt, rem facilem eſſe putant, condere leges, eamque ſapientiæ partem, quæ in moribus & legibus verſatur, præ theoreticâ adſpernantur. Οἱ σοφισταί, inquit Ariſtoteles, ῥᾴδιον οἴονται εἶναι τὸ νομοθετῆσαι, *Sophiſtæ nihil facilius eſſe putant, quam ferre leges lib. x. ad Nicom. c. ult.* Συναγαγόντι γὰρ τὺς εὐδοκιμῦντας τῶν νόμων, ἐκλέξασθαι εἶναι τὺς ἀρίστυς. *Obvium enim eſſe, ex legibus celebriores colligere & optimas inde excerpere,* quemadmodum decemviros inſtituiſſe legimus Romanos in XII. tabulis condendis.

21. Ex adverſo nihil in rebus humanis eſſe difficilius exempla ſapientiſſimorum, qui his rebus admoti fuerunt, omnium temporum uſus docuit; ſiquidem regulas, quibus infinitæ hominum actiones circa infinita rerum objecta regantur, excogitare, præſcribere, ſine dubio res eſt, quæ ad divinæ vim providentiæ quam proximè accedit. Οὐ δὲ φαίνεται, inquit iterum Ariſtoteles, ἐκ τῶν συγγραμμάτων γίνεσθαι, ἀλλὰ προσδεῖν ἔοικεν ἐμπειρίας. *Neque tales res eſt, ut è ſcriptis comparetur, ſed opus eſt uſu rerum.* Πῶς ἂν ἐκ τῶν σοφιστῶν νομοθετικὸς γένοιτ᾽ ἄν τις; *Quomodo igitur è Sophiſtis legum ferendarum peritus aliquis fieret?* Εὐσυνετώτερος δὲ εἰς ταῦτα τάχα ἂν γένοιτο ὁ διδαξόμενος. *Etſi verum eſt, eruditos ad eam rem præ cæteris aptiores eſſe videri.*

22. Imprimis ſummi ad hanc rem momenti ſit, noſſe populi naturam & nativam omnium civitatis ordinum inter ſe relationem, quod non tam generalibus præceptis, de quibus agit Bodinus *lib. 5. Polit. cap. 1.* quam attenta conſideratione morum & ingeniorum populi, in quo verſamur, rerumque in eo pridem actarum memoriâ & comparatione ſtatus præſentis, acquiritur.

23. Antequam autem ad caput de legibus progrediamur, ſciendum, voce legiſlatoris, pleromque legis conditorem, qui jus habet ſanciendi leges, intelligi; ſed revera & latinè, legiſlatorem eſſe eum, qui fert, hoc eſt, propo-

n. 19. *m*) pervenerunt) *Sed 1. Romani non demum leges à Decemviris acceperunt, ſed jam à Regibus. 2. Leges Regum fortè fuere convenientiores ſtatui Romano, quam Decemvirorum. 3. Ideo quia poſt legem XII. tabularum ſtatus Romanorum non fuit felicior, felicitas reipublicæ non dependet à legibus ſcriptis. 4. Ergo Autor hic miſcet rempublicam omni jure carentem cum republicâ carente legibus ſcriptis.* Vide diſſert. noſtr. de contentione morum cum jure ſcripto: Conf. Autorem cap. ſeq. n. 46.

proponit legem ſanciendam, ut magiſtratus in urbe Romana, qui leges à populo condendas illi proponebant, eaſque ad comitia ferebant; quo ſenſu bene dictum eſt, non Deum ſed Moyſen fuiſſe legislatorem Judæorum; Deum fuiſſe *Nomothetam*.

CAP. II.
DE LEGIBUS.

Ad internam adminiſtrationem primo ſpectare legem; n.1. quæ definitur. n.2. Quo ſenſu dicatur commune præceptum. n. 3. 4. Sponſio reipubl. & fœdus civium, n. 5-10. De ſummæ poteſtatis influxu in leges, & quatenus ab his, qui illâ carent, proficiſci poſſint. n. 11. 12. 13. Diſcrepantia juris municipalis à lege propriè dicta. n. 14-17. Honeſtatis & rationis in lege requiſitum quid ferat, n. 18-21. & quatenus ratio ſit anima legis. n. 22. 23. 24. De generalitate legis n. 24. & de privilegiis. n. 52. 26. Virtutes legis, n. 27. ubi de permiſſione, n. 28. aliter ac Puffendorffius. n. 29. 30. De ſanctione, ſive pœna legis. n. 31. Grotii triplex effectus legis examinatur & declaratur. n. 32. 33. 34. Differentia legis perfectæ & imperfectæ. n. 35. Quod eſt contra leges generaliter, ipſo jure nullum eſſe videri. n. 36. 37. Quid ſi pœna ſpecialis adjecta ſit. n. 38. 39. Jusjurandum legibus adjectum quid faciat; n. 40. An in leges injuſtas aliquando jurare liceat. n. 41. 42. 43. Legem ad futura ſpectare; n. 44. poſſe tamen aliter. n. 45. A quo tempore lex incipiat obligare. n. 46. Tolli legem ab eo qui jus condendi habet, n. 47. idque rem ſæpius exigere. n. 48. Huc etiam referri æquitatem, de quâ diſtincte agitur. n. 49. 50. 51. Quid juris, ubi ratio legis in hypotheſi ceſſat. n. 52. De conſvetudine vim legis habente, n. 53-56. denique, de legibus adoptivis. n. 57. 58. Repetuntur alia ex præcedentibus. n. 59.

1. Nihil igitur prius in civitate imperio fundata, ſolet eſſe, quam legibus ordinare rempublicam. Proinde non intelligi hoc loco legem naturæ, Gentium & divinam, ſed duntaxat civilem res ipſa loquitur.

2. Hoc modo ſumpta lex definitur, *commune præceptum ſummæ poteſtatis honeſtati conveniens, omnesque imperio ſubditos ad parendum obſtringens.* Dicitur *commune præceptum*, quia non de ſingulorum ſed univerſis rebus, non de raro contingentibus, ſed de his quæ ut plurimum eveniunt, concipi ſolet ac debet.

3. Quod tamen vide ſis, ut rectè capias, non more Solonis, *n*) qui parricidio pœnam

n. 3. *n*) non more Solonis) *Sed quid Solon peccavit, aut in quo præceptum modo dictum non rectè intellexit. Sane Cicero cum ſuâ ratiocinatione non ſolum Soloni contradicit, ſed & præcepto, de legibus non ferendis circa ea quæ rarius contingunt. Ergo Soloni non debebat opponere ſolam autoritatem Ciceronis, Autor, & quidem oratorem agentis, id eſt in actu conſtituti, ubi non de inquiſitione veritatis, ſed de populo quocunque modo perſuadendo i-*

nam non poſuit; διὰ τὸ ἀπελπίσαι; quod non crederet, quenquam fore tam immanem, qui parentem occideret. *Solone ſapientius majores noſtri*, inquit Cicero, *qui cum intelligerent, nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando violaret audacia, ſupplicium in parricidas ſingulare excogitarunt. Orat. pro Roſc. Amer.*

4. Non igitur ſimpliciter, ſed comparate ſumendum hoc requiſitum; in materia legi propoſita, ſanctio ferenda non eſt ſecundum id quod raro in eadem materia, ſed plerumque uſu venit. E. gr. In uſucapione poteſt fieri, ut domino res ſua, ſine culpa ipſius, intercipiatur: ſed hoc raro accidit: uſucapione vero non receptâ, plerumque lites antiquæ & intricatæ civitatem vexant, igitur, id quod plerumque fit, præferre legiſlatorem oportet ei, quod rarius accidit, idque Theophraſti vult dictum in *l. 3. & l. 6. ff. de Legibus.*

5. Sciendum etiam, quo ſenſu, Papinianus legem vocaverit ſponſionem reipubl. in *l. 1. ff. de Legibus.* Directe quidem ſpectavit ad morem Democraticum urbis Romæ, ubi leges erant rogationes, quas magiſtratus faciebant ad populum, *Velitis, jubeatis Quirites?* populus autem reſpondebat, *Uti rogas, ita jus eſto.* Sic erat ſponſio perfecta inter duos, populum & magiſtratus.

6. Paulo aliter ab Ariſtotele lex vocatur *Ὁμολογία κοινὴ πόλεως*, ſive, ut Demoſthenes in *l. 2. ff. de Legibus. συνθήκη κοινὴ πόλεως, fœdus & conventio civium*, inter ipſos ſcilicet; quâ ſinguli cives in leges earumque ſanctionem conſentire videntur; non modo in ſingulas, ut quæque fertur, ſed etiam in univerſas; ſive conſiderentur, ut primi auctores ejuſmodi conſenſionis, ſive ex poſtfacto.

7. Primævæ conſenſionis exemplum eſt primum in Athenienſibus, qui cum Soloni darent poteſtatem condendi leges, ſe prius omnibus, quæ ab illo ſancirentur, ſervandis obſtrinxerunt: His ſimiles ſunt; quicunque unius imperio ſe ſubmittunt. Alterum eſt Romanorum, qui decemviris legum creandarum cauſa creatis, primò, ſe omnes ab illis ſanciendas ſervaturos promiſerunt: Et cum his merito, quicunque ſe optimatum imperio ſubmittunt, comparantur. Summâ enim poteſtate jus condendi leges imprimis comprehenditur.

8. Qui vero civitati pridem conſtitutæ ſe aggregant, hi manifeſto in leges ibi receptas conſentiunt, quia nec aliter ſe receptum iri, nec civitatem aliâ ratione ſalvam manere poſſe; denique leges invenire ſe, non adferre novas intelligunt.

9. Hujus rei uſus eſt luculentus in jure publico privatoque; maxime in iis, quæ vocantur in controverſiam æqvitatis: nam volenti non fit injuria; Loqvimur autem de læſione patrimoniali, non de turpitudine morali, quæ nullo conſenſu legitima fieri poteſt: Proinde, ſi qua lex adverſus ſingulos quandoque durior videatur: is tamen in quem illa durities incumbit, non habet conquerendi cauſam, quia pridem in id conſenſerat, ut ſi cui tale quid eveniret, eſſet hoc ferendum; ſine offenſa regulæ Apoſtolicæ, non eſſe facienda mala, ut inde bonum eveniat: hoc enim de malo turpi in ſe, noſter conſenſus de malo triſti, cui ſe aliquem ſubjicere nil vetat, intelligitur.

10. Non recuſat vel removet hanc pactionis & legis obligationem, Hobbes Anglus, ut vidimus in *lib. 1. c. 3. n. 4.* Nec habet D. Puſendorffius juſtam rationem negandi, leges habère vim pactionum in *lib. 3. de jure nat. & gent. c. 6. n. 2.* ubi dicta veterum ſuprà lau-

pſius intentio erat. Imo & falſus eſt Cicero, & lex Pompeja de parricidiis non cum urbe nata eſt. Sed olim etiam apud Romanos, quamdiu videlicet parricidia rariora erant, & adhuc ſemel aut bis fiebant, puniebantur ut homicidia.

Digitized by Google

prà laudatis ſimilia. Reprehendit Græcos & ait, eos in conſpectu habuiſſe domeſticas civitates ſuas. Atqui Romani non deſtiterunt ita loqui, tempore jam adulto principatus; ut Papinianus ſub Severo *l. 1. ff. de Legib.* Id vero fatemur, in eoque deſinit Pufendorffii diſſenſus; Pacti vim, qua legis obligatio nititur, immediate in ipſa legis ſanctione non ſemper verſari, ſed in eo, quod legislationem præcedit, adeoque in primæva conſtitutione imperii, ex quo legum ſanctio immediatè fluit, inprimis. Cui non poteſt opponi præcipuum illius argumentum; quod inviti etiam lege tenentur, pacto nequaquam. Nam invitus nemo civitati, cujus imperium eſt voluntarium, aggregatur, aut in eo perſeverat.

11. Sequitur in definitione; *Summæ poteſtatis*, quam ad legis auctoritatem requiri, ex eo, quod in *lib. 1. ſect. 3. cap. 6. n. 55. & ſeqq.* ubi dicta non repetemus, collocatum eſt, intelleximus. Proinde regno ſimpliciter delato, jus hoc ferendi leges apud regem, in ariſtocratiâ penes optimates, in mixtâ ſuo ſenſu republ. apud utroſque pariter eſt; atque ſi mixtura plebejum ordinem pariter comprehendat, apud omnes ſimul hoc jus reſidet; quemadmodum in democratia apud univerſum populum. Quia cum talia ſummæ poteſtatis jura frequenter in reges aut optimates alienentur, uſu tamen ſæpe venit, ut jus ferendi leges, in quo ſumma reipubl. vertitur, vel à populo retineatur, vel ſine ejus conſenſu, nihil novi juris ſtatuatur.

12. Fit etiam aliquando, ut qui ſummam poteſtatem non habent, juris tamen introducendi, adeoque legis condendæ poteſtatem exerceant; conſenſu videlicet ejus, qui habet ſummam poteſtatem, quod inprimis in Romana republ. perſpicuum fuit uſu & exemplis. Nam etſi plebs abſque patriciis ſeorſim non haberet jus ſummum reipubl. tamen ita juris fuit, ut plebiſcita vim legis haberent, prævio totius populi conſenſu, per leges, Valeriam, Publiliam & Hortenſiam declarato. Prætores erant tantum magiſtratus; Sed edicta ab illis promulgata vim legis habuerunt, populo in id conſentiente; quod ità compertum eſſet, jus XII. tabularum egere quibuſdam mutationibus & ſupplementis, ad ſtatum præſentem accommodatis. Quæ cauſa fuit, ut etiam ſententiæ interpretum, ſive prudentium vim juris obtinerent. Quemadmodum & ſub ipſis Cæſaribus, cum penes eos ſolos eſſet ſumma poteſtas, ſenatus ex illorum arbitrio leges condebat; unde ſenatum jus facere poſſe non dubitatur, ut vetere jam principatu ſcripſit Ulpianus in *l. 9. ff. de legibus.*

13. Nec aliter hodieque uſu venire videmus, quam ut magiſtratibus & curiis univerſæ reipubl. officium adminiſtrantibus, in rebus eo pertinentibus jura legeſque civibus præſcribere liceat, quæ parendi neceſſitatem in curia illa verſantibus & agentibus injungat.

14. Quando igitur, qui non habent ſummam poteſtatem, jura condunt, edicta promulgant, hæc proprie non eſſe leges, ſi conſenſu ſummæ poteſtatis, majores non accipiant vires, inde ſatis intelligitur. Tales ſunt leges, dictæ à rectoribus municipiorum, quæ ſunt urbes ſuperiorem agnoſcentes, vel etiam integrantia majoris imperii membra, quorum jura vulgo *ſtatuta*, ut à legibus optimo jure dictis ſeparentur, appellari ſolent; etſi non raro hac voce leges hodiernæ liberarum gentium, à Romanis legibus diſcernuntur, imo & ipſas leges imperiales ſtatuta vocari nihil vetet *l. 3. §. 5. ff. de ſepulchr. viol.*

15. Rectores illi municipiis à ſummâ poteſtate præpoſiti, non modo ſingulares, ſed etiam univerſas juſſiones, imperia & decreta municipibus ſuis præſcribere & promulgare poſſunt, vi juriſdictionis, quam à poteſtate ſuprema acceperunt; ſed eorum edicta, præter cauſam obligationis, in eo diſcrepant à legibus, quod non valeant, ſi juri

Digitized by Google

juri communi illius imperii, cui ſubſunt, adverſentur; quomodo Antoninus Imperator, legem Rhodiam de re nautica jubet obſervari, *ἐν οἷς μή τις τῶν ἡμετέρων νόμων ἐναντιοῦται, quatenus nulla Romanarum legum ei adverſatur, in l. ἀξίωσις 9. ff. de L. Rhod.*

16. Ex quo loco diſcimus & hoc, uſu venire poſſe, uti lex aliqua municipalis fiat univerſalis, adoptione & ſanctione ſummæ poteſtatis, quod ad vim obligandi totius imperii cives attinet; ut tamen originalis & authentica qualitas dependentiæ municipalis à ſumma poteſtate, maneat, ne quid à jure prius in republ. conſtituto per ejuſmodi ſtatuta mutetur.

17. Eadem municipalis à ſuperiori poteſtate dependentia facit, ut ſi aliter ſederit principi, aut rectoribus univerſæ reipubl. jus illud municipale, quod ad commune regimen ejus loci pertinet, mutandum putet, ſuo arbitratu id facere poſſit; Imo leges univerſæ toto imperio publicatæ, ſtatuta municipalia illis adverſa tollunt iiſve derogant, quemadmodum Hadriani reſcriptum pœnale, de non ſepeliendis in civitate cadaveribus, derogare juri municipali, quo permiſſum id erat in aliqua civitate, tradit Ulpianus in *l. 3. §. 5. d. ſepulchr. viol.*

18. Sequitur in definitione legis, *honeſtati conveniens*. Debet enim eſſe honeſta lex, hoc eſt, non inhoneſta, ut nihil quod neceſſitati morali & divinis præceptis adverſetur, præcipiat, hoc enim ſi fiat, vim ſuam perdit, cives obligandi, quoniam juris naturæ & divini prior ac ſuperior haud dubiè eſt obligatio.

19. Quod non æque dicendum, ſi qua lex dubiæ ſit rationis, nec quare ita placuerit, civibus conſtet; imo ne tum quidem, ſi contrarium probabilius videatur. Sufficit enim, nihil in lege neceſſario morum dictamini contrarium poſſe reprehendi.

20. Hinc merito prohibent legumlatores ne quis in rationem legis inquirat; nempe ita, ut ſi ratio non liqueat aut probetur, tum legi obſequium, ſit negaturus. *l. xx. & ſeqq. de legib.* Quo loco recte illud applices *Hobbeſianum*, non competere civibus diſcretionem boni & mali: Quoniam nihil magis ad reſolvendam imperii vim pertineret.

21. Suppoſita igitur convenientia cum jure divino morali & naturali, dicendum eſt, à ſingulorum judicio non pendere examen rationis, quâ lex nititur: non quod in rationes inquirere non liceat; id enim maxime commendatur: verum ne, ſi fiat, ut cives interpretari quam exequi malint leges, multa quæ modo certa ſunt, ut ait Neratius, ſubverterentur *l. xxi. ff. de LL.*

22. Quid ſibi vult igitur, dicat aliquis, rationem eſſe animam legis? Æſtimatione juris naturalis & gentium valeat regula, valeat ſenſu quoque civili: Sed tum ratio intelligatur, quæ legis auctori placuit, non quam ratiocinator excogitet. Illa plerumque recta, tametſi non omnium optima ſemper, eſt equidem anima legis, & verba ſunt corpus, quæ à ratione, qua motus eſt legis auctor, animantur, & juxta placitum ſummæ poteſtatis, effectus ſuos exercent; ut ubi ratio illa ceſſat, verba veluti cadaveroſa *o*) vim obligandi non habeant.

23. Non eſt heic loci prætereundum, male quoſdam ita in animum induxiſſe, rationem eſſe principium cognoſcendi cum omnes diſciplinas, tum inprimis juriſprudentiam; quod nobis in diſputatione de principio cognoſcendi divinitatem ſacræ ſcripturæ, quam executi ſumus in *lib. 1, ſect. 6.* objectum eſt. Oſtendimus enim in *libro de concurſu rationis & S. ſcript. ſect. 3.* imperitè illos confudiſſe philoſophiam civilem, quam in hiſce libris excutimus, cum juriſprudentiâ. Principium cognitionis in illâ ſane eſt ratio, ſed in juriſprudentia nihil eſt ratio, quam

n.22. *o*) cadaveroſa) *Latius ea de re egi in diſſertatione* de juriſprudentiæ corpore & anima, item cadavere, ſceleto & ſpectro. *Adde diſſert.* de jure ſtatuum imperii condendi leges contra jus commune.

quam inſtrumentum cognoſcendi voluntatem legiſlatoris, quæ licet minus rationi conveniens, quam civilis philoſophia dictet, præferenda tamen eſt ei, quod ratio in abſtracto potius præſcriberet; Si verò principium eſſet ratio, fieri non poſſet, ut quod ratione præſtat, ei quod eſt deterius, postponeretur; quin flagitium alioquin, ut illi amant loqui, committeretur. Vide ſis, quæ *in Eunom. ad l. 21. de legib.* collocata ſunt.

24. Sed redeamus ad definitionem; dictum adhuc eſt in definitione, quod lex omnes imperio ſubditos obſtringat, non cives duntaxat, quia legis obligatio à ſubjectione dependet, quæ continet etiam peregrinos & advenas, ut inferius explicandum occurret. Ubicunque igitur illa ſummæ poteſtatis eſt mens, ut omnes teneantur, ibi vis legis, adeoque lex eſt, quacunque forma emittantur, ſive ut edicta, ſeu reſcripta, vel ut epiſtolæ aut decreta, modo publicè innoteſcat ea mens imperantis, ut prudenter conſtitutum eſt à Theodoſio & Valentiniano in *l. 3. C. de Legib.* quâ de re diximus in *Prælect. ad tit. ff. de Conſtitut. Princ. n. 5.* & in Eunom. *ad l. 1. de Conſtitut. Princ.*

25. Perſonales conſtitutiones, quæ in gratiam, vel in odium certarum perſonarum ſtatuuntur, privilegia dicuntur, quomodo & Cicero *in Orat. pro Dom.* legem Clodiam, qua in exilium actus fuit, privilegium appellabat; maxime tamen exemptiones à jure communi hoc nomine uſurpantur. His quidem æque obligantur omnes, ut reſpectu perſonæ privilegiatæ, conſtitutioni effectum tribuant & tribui patiantur; ſed ad alios eodem jure ornandos aut onerandos minime valent.

26. In plurium imperiis privilegia propter ſtudium æqualitatis rariora ſunt, legibus XII. tabularum prohibita, in monarchiis aliquanto frequentiora ſunt; videlicet, de his quæ vere ſunt talia, loquimur. Enimvero exemptione, quæ integris hominum ordinibus, ut pupillis, mulieribus, fiſco tribuuntur, etſi privilegia dicantur, diverſi tamen generis ſunt; quia non ſingulis, privatiſque, ſed univerſæ civitati conceſſæ videntur, de quibus actum latius in Prælect. *ad T. ff. de Legib.*

27. Sequitur in definitione; *omneſque ei ſubditos ad parendum obſtringens*; hæc eſt virtus legis in univerſum; Sed à juris conſultis virtutes legis enumerantur hæ; Imperare, vetare, permittere, punire *l. VII. ff. de Legib.* Imperantur facienda, vetantur contraria, permittuntur licita: & quidem permiſſio differt à tolerantia: Nam quod permittitur, id juris habet effectus; Toleratur, quod lex impune ſaltem tranſmittit, ut ebrietatem & ingratitudinem.

28. Ita lex Moſaica permiſit divortia, lex Romana concubinatum; ſed meretricias libidines idem jus Romanum tolerat; non permittit, ut aliæ civitates ebrietatem, ingratitudinem aliaque vitia, *quæ ubique improbantur, nuſquam puniuntur, Seneca 3. de clem. cap. 7.* Certe enim propter civiles rationes poteſt aliquid & tolerari & permitti, quod non ſit honeſtum, utique propter neceſſitatem, haud perinde ob utilitatem; ut tamen pro neceſſitate habeatur, ſi permiſſione minoris vitii majus evitari queat. Nec offenditur hoc caſu regula Apoſtoli *Rom 3. v. 8.* non eſt *facienda mala, ut inde eveniat bonum*; nec enim legiſlator eo facit aut probat malum, ſed regit ac intra limites coercet, ut Moſes divortia, libelli impetratione pro remedio extremo diſcordiæ propoſita.

29. Hanc permittendi virtutem negat eſſe legalem Puffendorffius in *lib. 1. de J. N. G. c. 6. n. 15.* Nam permiſſio non eſt *actio legis, p)* inquit, *ſed actionis negatio. Quæ lex permittit, ea neque præcipit neque vetat, adeoque circa eadem nihil agit.* Sed eſt petitio

n. 29. *p)* actio legis) *Sed cur Puſendorffium hic notat Autor, quaſi hæc ſit ſententia peculia-*

tio principii, *q*] quod nihil ſit medium inter præcipere & vetare: poteſt aliquis nec vetando, nec præcipiendo, non agere nihil. Nam dare jus externum ſuper eo, quod alioqui non liceret, non eſt nihil, nec tamen eſt vetare vel præcipere, quod in exemplis modo relatis eſt perſpicuum. Non habet adeo rationem vir Cl. adſerendo, quod differentiæ inter permittere & tolerare, non habeat rationem.

30. Suadere, non eſt virtus legis; cum parendi neceſſitatem ejusmodi decreta habere non poſſint, quales illæ Claudii Cæſaris, ut *uberi vinearum proventu bene dolia picarentur. Nihil æquè facere ad vipera morſum, quam taxi arboris ſuccum. Sueton. in Claud.* Sunt & Romani juris aliquæ admonitoriæ leges, majoris tamen momenti quam Claudinæ; ſed nec hæ leges rectè dicuntur, ut eſt conſilium, quod Juſtinianus ſuggerit patribus, ſubſtituendi liberis heredem in caſum mortis ante pubertatem, dum metuunt, ne ſubſtituti filiis inſidientur, ut ſucceſſionem occupent *§. 3. Inſt. de Pupill. ſubſt.* adde *l. 34. ff. de Legib. l. 24. ff. de rei vind. Nov. 22. c. ult. in pr.*

31. Ultimo virtus legis eſt, *punire*, id eſt, pœnam conſtituere in violatores legum, quæ pars legis ſanctio dicitur, ut Juſtinianus docet in *§. ſancta quoque Inſt. de rer. diviſ.* idemque probant exempla, quotquot in vetuſtis ſuperſunt monumentis, legum Romanarum. Eaque pars legis adeo propria fuit, ut quæ ſanctione carebat, lex imperfecta diceretur. Etſi non ſemper pœna ſpecialis impoſita fuerit; aliquando nil niſi *improbe factum*, ſi quis adverſus ea feciſſet, adjectum eſſe legimus, ut de lege Velleja narrat Livius *lib. 10. c. 1.*

32. Grotius effectum legis ſtatuit eſſe triplicem. Primus eſt obligationis, etiam quod ad animi conſcientiam attinet. Secundus effectus eſt, pœna, ſi hæc legi adjuncta ſit, eaque ad obligationem patiendi valet, ſi quando per judicem exigitur, alias minime; niſi quid ſecus in lege reperiatur. Tertius eſt reſciſſio omnium actorum, quæ legi repugnant, ſi lex id exprimat, aut adimat ipſam facultatem, vel quando factum habet in ſe perpetuam turpitudinem. *Introduct. Jur. Holl. lib. 2. c. 2. à pr.*

33. Obligatio legis civilis, de qua hoc loco agimus, venit à ſumma poteſtate; ſed unde ſuperior habet poteſtatem obligandi conſcientiam & voluntatem? cum veriſſimum ſit, *προαιρέσεως ἀλλοτρίας οὐδένα κύριον εἶναι, neminem alienæ voluntatis eſſe dominum*, ut Epictetus, & omnis philoſophia dictat. Enimvero pœnam à ſuperiore proficiſci, facile conſtat, hoc ipſo, quod ſuperior eſt; ſed animi obligatio à ſula qualitate ſuperiori non poteſt oriri, ut probatum eſt in *lib. 1. ſect. 1. cap. 2. n. 18. & ſeqq.* Meretur hic locus ſeorſim explicari, quod fiet in *cap. ſeq.*

34. Reliqui duo Grotiani effectus, ſunt partes

---

ris ejus. An ignoravit (an ita hoſpes fuit in capite ſtatim 1. ſui Grotii?) Puſendorffium hoc dogma ex Grotio repetiiſſe?

q) principii) *Eſt potius ignoratio elenchi ex parte Autoris. Nunquam dubitavit aut Grotius aut Puſendorffius, dari aliquod medium inter præcipere & vetare. Imo ipſam permiſſionem diſertè pro tali medio habent. Sed id quærebatur, an illud medium ſit effectus legis? Et rectè negant uterque. Convenienter etiam principiis ipſius Autoris. Obligatio eſt de eſſentia legis. Et hæc virtus eſt legis in univerſum. Utrumque horum diſertè noſter hic* n. 2. & 27. *ſed permiſſio quà talis non obligat. Inde & privilegia leges ſunt, quatenus obligant reliquos cives, non quatenus permittunt aliquid ei, qui privilegium habet* ſupra n. 25. *Inde ſuadere non eſt virtus legis, quia non infert parendi neceſſitatem.* vid. n. ſtatim ſequentem & confer cap. ſeq. n. 12.

Digitized by Google

partes ſanctionis, quæ cum perfecta erat, non modo pœnam, ſed etiam contra actorum reſciſsionem continebat, ut Ulpianus docet in *fragm tit. de Legib.* Aliquando pœnam ſine reſciſsione; vel etiam reſciſsionem ſine alia pœna. Pœnam lege ſancitam, ita ſicut expreſſa fuit, eſſe irrogandam, non eſt dubium, & ſi reſciſsio ſimul imperetur, habemus quod liquido ſequamur, ut tam pœna quam reſciſsio locum habeat. De jure obligationis ad pœnam, de quâ in Grotii verbis, actum eſt à nobis in *lib. 2. ſect. ult. cap. 1.*

35. Si lex ſimpliciter aliquid prohibeat, ſine reſciſsione vel pœna, Grotius acta contra legem non eſſe nulla vel reſcindenda, ſtatuit, eo quod exprimi vult in lege reſciſsionem ad hunc effectum; duplici tamen exceptione, facultatis alicui ademptæ & perpetuæ turpitudinis.

36. Hæc ſententia non probatur *r*) imperatoribus Theodoſio & Valentiniano in *conſtit. non dubium eſt 5. de Legib.* ubi ſtatuunt, *ea quæ lege prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolum inutilia, ſed pro infectis etiam habenda eſſe; licet legislator fieri tantum prohibuerit, nec ſpecialiter dixerit, inutile eſſe debere quod factum eſt*; ſine diſcrimine rerum perpetua moralitate turpium & civili ratione prohibitarum; nec quidem admiſſa differentia actus in ſuis requiſitis illiciti, & cujus facultas alicui adempta ſit. Nec videtur hæc ratio imperatorum, à jure naturali, vel publico univerſali abhorrere; Quod enim lex fieri vetat, id factum quominus pro non facto haberi velle videatur, nihil adferri poteſt.

37. Niſi forte nullitas ad præjudicium non peccantis, ſed tertii pertineat, tum reſpectu tertii quominus actus valeat, nihil obſtat: Quemadmodum, ſi prohibeat legatum, etſi dictante teſtatore, ſibi adſcribere; Si tamen id alii teſtator reſtitui juſſerit, huic ſuum jus ſalvum manere, bonum & æquum eſt, ut definitur in *l. 14. ff. ad l Corn. de Fals.*

38. Quod ſi hæc eſt vis legis, ſimpliciter aliquid ſine pœna prohibentis, hujus adjectio, ſecundum illam imperatorum ſententiam efficere non poteſt, ut actus contra legem inſtitutus valeat; niſi pœna ſit ejuſmodi, ut ex ejus uſu diverſa legiſlatoris voluntas intelligi poſſit; Nam ſi pœna locum habente, non poſſit actus eſſe nullus, inde neceſſario colligitur, jubendo certam pœnam exigi, legem ſupponere actum valere, non etiam nolle, ut actus ſubſiſtat. Quæ limitatio à juris interpretibus tradita, vera quidem eſt, ſed uſu parum obvio vel exemplis trito.

 39. Ci-

n.36. *r*) non probatur) *Imo vero, ſi Grotii ſententia fuiſſet recte ab Autore adducta, deprehendiſſet, Grotium & Imperatorem non pugnare. Minimè enim Grotius vult exprimi in lege reſciſſionem vel pœnam. Quin potius diſerte dicit:* Prohibitio vim ſuam exercere poteſt per pœnam vel expreſſam vel arbitrariam, *qualis regulariter eſt, ubi nulla pœnæ eſt mentio expreſſe facta.* vide Grot. l. 2. c. 5. §. 16. *Grotius diſertè loquitur de legibus imperfectis, qualis fuit lex Cincia, & quales ſunt pleraque leges hodiernæ eccleſiaſticæ, poſtquam per artes cleri pontificii ſuaſiones & adhortationes à principibus ſolent immiſceri legibus, contrà doctrinam ipſius Autoris* hic n. 30. *Sed nec Imperator loquitur de legibus omnibus, ſed ut in Codice fieri ſolet, hæc conſtitutio à corpore ſuo diſcerpta eſt, quod veroſimiliter reſpexit ſpeciales leges, qualis eſt illa, quod v. g. mulier non debeat eſſe teſtis in teſtamento. Ubi haud dubiè, vel Grotio concedente; obtinet ſententia Imperatoris. Hoc vero pacto nec opus eſt reſponſione ipſius Grotii* d. l. *qui videtur intellexiſſe Imperatorem, ac ſi regulam doctrinæ hic voluiſſet proponere.*

Digitized by Google

39. Civilius deſtingui poſſe videtur, utrum lex ipſum actum directe prohibeat, an prohibitio ſpectet requiſita quædam ad ipſam actus ſubſtantiam non pertinentia. Si prius, dicendum eſt, actum non definere eſſe nullum, per ſpecialem pœnam, niſi talis ſit, ut modo deſignatum eſt; quæ non poſſit habere locum, in hypotheſi actus jure ſubſiſtentis. Exempla pœnæ ad requiſita, non ad actum ipſum pertinentis obvia ſunt; Matrimonium publice promulgandum & celebrandum eſt, ſub pœna. XII. Librarum. Non ſpectat ipſum matrimonium, aut ejus eſſentiam, ſed modum & circumſtantias. Rurſus, matrimonió inceſto aut aliter legibus interdicto imponitur pœna, quod nihil alter ab altero percipere poſſit lucri, vel beneficii; inde non ſequitur, matrimonium jure valere, ſi pœna locum habeat.

40. Novimus aliquando leges jurejurando fuiſſe ſancitas, ut Lycurgus Spartanos ſuos obligavit, & Romæ ſæpe factum legimus. Cujus rei nec alius eſſe poteſt effectus, quam quod obligationi jam in eodem vigore ſancitæ, ac in eadem latitudine firmatæ religionem núminis addit; novam inter omnes obligandi vim adferre non poteſt.

41. Hoc tamen adfert novi jusjurandum, quod ſi leges ſint apertè iniquæ & turpes, earum executionem injurati cives pati debeant; etſi facere ſecundum eas leges, & actiones ſuas inſtituere non poſſint; hactenus enim veriſſimum eſt illud Apoſtoli; Deo magis obediendum eſſe, quàm hominibus. Ergo nec in ejusmodi leges jurare, pietas & religio permittere videntur; niſi forte paſſivæ quam diximus obedientiæ cauſa.

42. Atqui Catonem in leges, quas injuſtè rogatas putaret, ſæpe juraſſe, narrat & defendit Cicero, *s*) in *Orat. pro Sext.* ratione reddita; Ne *cum Reipubl. nihil prodeſſet, cive rempubl. privaret.* Credo, quod contra jus & utilitatem reipublicæ magis, quam contra honeſtatem moralem latæ fuerint iſtæ leges; vel de patientia civili juramentum illud præſtitum fuerit: Etſi non minus idem Cicero laudat Metelli conſtantiam, qui in exilium abire, quam jurare maluit in leges à Saturnino latas.

43. Sed Cato ne quidem exequi detrectavit legem Clodiam, quâ manifeſta Ptolomæo Cyprio regi injuria fiebat; qui fretus imperio populi Romani regno paterno atque avito rex amicus pacatus, quietus, nullâ injuriâ commemoratâ, nullis repetitis rebus, cum purpura & ſceptro & inſignibus regiis omnibusque bonis ſuis publicatus & præconio publico ſubjectus eſt; Ad hoc miniſterium iniquitatis, eâdem lege Clodia delectus Cato rem injuſtitiæ plenam executus eſt; Sequutus rationem quam Cicero his verbis exponit; *quoniam illa in Republ. macula regni publicati maneret, quam nemo jam poſſet eluere: Quod ex malis boni poſſit in Republ. provenire, id utilius eſſe, per ſe conſervari, quam per alios.* Non poteſt civis actiones ſuas ex præſcripto legis injuſtæ inſtituere: Sed quominus, quod is qui habet ſummam poteſtatem decrevit, ſibi improbatum, exequatur, ut quam minimum inde mali in rempubl. vel privatos redundet, ei non videtur obſtare boni viri officium.

44. Denique, proprietas legis, ut omnium præceptorum, eſt, quod reſpectu futuri intelligatur, ad præterita non pertineat, niſi caſus præteriti temporis diſerte exprimantur, quod in terminis habilibus juſta ratione aliquando fieri poteſt. *l. 21. ff. & l. 7. C. de Leg. l. ult. C. de Pact. pign. Nov. 115. c. 1. in fin.*

45. Poteſt

n. 42. *s*) Cicero) *Sed ad hunc & ſeq. numerum repete dicta ſuperius ad* n. 3. lit. n. *Adde, quod Catones non fuerint ii, quorum actiones exemplar virtutis præbere debeant incautis, etſi ea ſit perſuaſio communis haud dubie orta à Catonibus ſubſequentium ſeculorum.* vid. diſſert. noſtr. de judicio & cenſura morum.

45. Poteſt tamen fieri, ut tametſi non ſit expreſſum, nova tamen lex ad veteres & præteritos caſus etiam pertineat. Primò, ſi lex nova non tam ſit *diſpoſitiva* novi juris, quam declaratoria juris antiqui, ut in hoc exemplo; Lex eſt, ut inter conjuges lucta & damna communicentur; dubitatum, utrum id ipſo jure fieret? Nova lex id determinavit; cujus ſententia non minus ad præterita quam ad futura matrimonia ſpectare, judicatum eſt. Idem uſu venit, quando nova lex aliquid facti injungit his, qui antiquo jure utebantur; veluti lex eſt lata, quod heres ex beneficio inventarii intra ſex menſes, rationes reddere & curatorem bonis petere debeat; hæc etiam ad heredes, qui jam pridem beneficium inventarii impetraverant, merito pertinere viſa eſt. Extra hujuſmodi caſus nihil verius eſt, quàm quod Cicero in Verrem 1. *Cedo mihi*, inquit, *leges Atinias*, *Titias*, *omnes præterea de jure civili*, *hoc reperies*, *in omnibus ſtatui jus*, *quo poſt eam Legem populus uteretur.*

46. Porro, lex habet ſuam perfectionem ſtatim atque decreta eſt, etſi non ſcribatur, ut rhetræ Lycurgi, cujus inter alia inſtituta fuit, μὴ χρῆσθαι νόμοις ἐγγράφοις, non *uti legibus ſcriptis*, ut tanto fidelius impreſſa memoriæ, ſanctius cuſtodirentur. Neque vero, ubi maxime ſcribuntur leges, ſcriptura ad eſſentiam illarum refertur. Lex erat, quam populus juſſerat, quam plebs ſciverat; cum roganti legiſlatori, *Velitis jubeatis Quirites*, reſponſum erat, *uti Rogas.* Verum eſt tamen, ut leges obligent cives, innoteſcere eas & publicari debere, quod vix aliter commode, quam per ſcripturam fieri poteſt. Expedit autem præſcribi tempus, ex quo ſint valituræ, velut jure noviſſimo Romano bimeſtre ſpatium, antequam pœnæ violatarum legum exerceantur, præfinitum eſt à Juſtiniano in *Nov. 66. cap. 1.*

47. Poſtremo, quod juris & communis ratio dictat, unumquodque tolli eo modo, quo eſt colligatum, id æquè in legibus obtinet. Voluntas ſummæ poteſtatis ut legem facit, ita legi tollendæ ſufficit eadem & ſola requiritur, eoque pertinet illud, *Αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσὶ. Conſtitutiones poſteriores prioribus ſunt validiores l. ult. ff. de Conſtit. Princ.* ſive priores leges omnino tollant, quod eſt *abrogare*; ſive ex parte, quod eſt *derogare*; ſive aliquid legi præcedenti adjiciatur, quod *ſubrogare* dicitur; denique, ſi quid ex priori lege mutetur, quod eſt *obrogare*, teſte Ulpiano *fragm. tit. 1.*

48. Mutatio temporum hominumque ſæpe id officium ejuſdem civitatis rectoribus injungit; qua de re Apulejus *in Apolog.* paulo crudiori eloquentia; *Nonne vos quotidie*, inquit, *experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis*, *totam illam veterem & ſqualentem ſylvam legum*, *novis principalium reſcriptorum & edictorum ſecuribus truncatis & cæditis?* Nec ſolummodo magnis temporum intervallis, ſed eâdem hominum ætate res & uſus id ſæpe fieri ſuadent, quomodo ingenuè Juſtinianus, *Οὐ γὰρ ἐρυθριῶμεν, εἴ τι κάλλιον, καὶ ὧν αὐτοὶ πρότερον ἔγνωμεν, προσεξεύροιμεν, τοῦτο νομοθετεῖν καὶ τὴν προσήκουσαν τοῖς πρότερον βελτίονα ἐπιθεῖναι διόρθωσιν, οἴκοθεν μᾶλλον ἢ παρ' ἑτέρων ἀναμένειν ἐπανορθωθῆναι τὸν νόμον. Nec enim erubeſcimus*, inquit, *ſi quid à nobis melius*, *quam primò dixerimus*, *inventum fuerit*, *id ipſum ſancire*, *novaque emendatione priora cogitata è noſtro penu in melius reformare*, *nec expectare*, *dum leges noſtra ab aliis corrigantur*, *Nov. 22. in fin. Bene & generosè*,

49. Hujus etiam facultatis eſt, æquitatem adhibere legibus applicandis; ſed opus eſt hac parte, diſtinctione, quæ hoc loco omitti non debet. Æquitas generaliter *t*) ob

n.49. *t*) generaliter) *Æquitatis naturam*, *communiter confuſe propoſitam enucleare*, *& characteres æquitatis cerebrina perſpicue proponere intendi* cap. 1. de æquitate cerebrina l. 2. C. de Reſc. vend.

Digitized by Google

ab Ariſtotele recte vocatur *Ἐπανόρθωμα τοῦ νομίμου*, *correctio juris legalis 5. ad Nicom. 10.* Fit autem hæc correctio bifariam, vel cum mens & ſententia legis eſt liquida ac indubitata, ſed dura & aſpera; tum princeps vel qui jus ſummæ poteſtatis habet, non judex aut interpres, in applicatione ad ſingulas facti ſpecies rigorem mitigare poteſt. Qua de re Conſtantinus Imperator ita reſcripſit, *inter æquitatem juſque interpoſitam interpretationem nobis ſolis & oportet & licet inſpicere l. 1. C. de Legib.* Hujus ſpecimen eſt, quod de Claudio habet Svetonius, *nec ſemper præſcripta legum ſecutus, duritiam lenitatemque multarum, ex bono & æquo, perinde ut afficeretur, moderatus eſt, c. 14.*

50. Altera ſpecies æquitatis eſt, quando verba legis generalia producuntur ad caſum, quem legis auctor probabiliter ſub eo comprehendi voluit; quam ſpeciem Ariſtoteles vocat *ἐπανόρθωμα νόμου, ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου, emendatio legis, quatenus ob generalitatem verborum defecta laborat.* Captare τὸ καθόλου verborum eſt ſummum & ſtrictum jus; Excipere caſus, ex præſumtâ legiſlatoris voluntate, id eſt æquitatis; de qua idem Conſtantinus & Licinius ita reſcripſerunt; *placuit in omnibus rebus præcipuam eſſe juſtitiæ* æquitatiſque quam ſtricti juris rationem in *l. 8. C. de Judic.* Sit lex ejuſmodi; Qui ſanguinem humanum fundit, ejus ſanguis viciſſim effundetur. Hujus legis verba, tenerent etiam illum, qui moderamen inculpatæ tutelæ ſervavit, imo, qui venam ſecuit. Æquitatis eſt, utrumque caſum eximere pœnæ. De hoc genere Cicero loquitur; Scriptum jus ſequi calumniatoris eſt, ait, boni judicis voluntatem ſcriptoris, idque variis exemplis illuſtrat, in *Orat pro Cecin.* Et diximus hac de re latius in *lib. 1. digreſſ. cap. 6.*

51. Quando igitur uſu venit, ut lex in univerſum æqua & recta, in hypotheſi dura videatur, ſi tamen non dubitetur; quin ille caſus ſub ſanctione comprehendatur, judex ita dicere cogitur; *Totum id quidem durum eſt, ſed tamen lex ita ſcripta eſt*, quæ eſt Ulpiani *ἐπιείκεια* in *l. 12. §. 1. ff. Qui & à quib. manum.* Princeps ſecundum merita circumſtantiarum aliquid remittere poteſt, ut Claudius præivit, & Conſtantinus in *d. l. 1. C. de Legib.* declarat.

52. Quid ſi ratio legis in certis caſibus lege comprehenſis evidenter ceſſet, an tunc ſaltem judex aliud ſtatuere poteſt? Videtur ita, ſecundum illud vulgatum; Ceſſante ratione legis, ceſſat ipſa lex. Attamen verius eſt, ob rationem legis in certis caſibus ceſſantem, non poſſe judicem aliud quam lex jubet, ſtatuere; Principis ad hoc opus reſcripto, eumque eſſe uſum æquitatis à ſumma poteſtate implorandæ. Exempli gr. Minor annis XIV, non poteſt facere teſtamentum, quia nullum eſt ejus animi judicium. Detur puer callidior quam alius pubes. Quæritur, an ille poſſit, hic vero non poſſit teſtari. Dicendum eſt, non obſtante rationis diverſitate, puberem poſſe, impuberem non poſſe facere teſtamentum. Idem multis in jure publico privatoque inſtantiis illuſtrari poſſet: Oportet igitur aliquam partem materiæ legalis univerſalem eſſe, in qua ratio fallat, ut iſti regulæ uſus & locus detur.

53. Et hæc quidem de legibus, pro modo hujus inſtituti. Vim quoque legis habet conſuetudo, ſive jus non ſcriptum, quod tacito populi conſenſu vim obligandi accepit *l. XXXII. ff. de legib.* Hujus initium nunquam eſt à ſcriptura; ſiquidem naturalis ejus proprietas eſt, quod auctorem initiumque habeat incertum: ſed poſtquam vigorem ſuum obtinent mores, & poſſunt & plerumque ſolent ſcribi, ut factum in conſuetudinibus feudorum.

54. Proprie, in popularibus imperiis viget hæc ſpecies, nempe ut ſua vi nitatur; neque enim in diverſis imperiis populus, qui expreſſe nullius auctor juris eſſe poteſt, ſed ipſe leges accipit, tacite jus introducere

poteſt

poteſt. Verum in Monarchiis aut Ariſtocratiis valet nihilominus conſuetudo, ex tacito imperantium conſenſu, *u*] ſic tamen ut contrario placito ſemper abrogari queat.

55. Debet autem, ut conſuetudo obtineat, his prædita eſſe requiſitis; ut honeſta ſit, ut generalis, & certa. Honeſta, pari ſenſu, quo *ſupra* de lege dictum. Generalis, id eſt, ab universâ repnbl. vel potiori parte recepta, perinde ut lex à toto populo fertur: Quatenus enim pari modo obligant, ab una ad alteram rectè argumentamur. Hinc municipiorum conſuetudines eandem habent vim quam ſtatuta, ut teneant, quatenus juri moribusque reipubl. non adverſantur.

56. Ut de certitudine conſtet, requiritur longum tempus, & frequentia actuum, quibus recepta fuerit & probata conſuetudo. Quantum vero temporis & quales actus eſſe debeant, à Magiſtratuum vel judicum arbitrio pendet: modo talia ſint, unde, quod ſatis ſit de veritate conſuetudinis, conſtare queat. Adde quæ *ſcripſ. ad tit. ff. de Legib.* & quæ inferius per occaſionem ſequentur.

57. Quanquam autem alieni leges Imperii, ad alios non ſpectant, ſæpe tamen uſu venit, ut aliorum ſtatuta populorum ab aliis recipiantur & obſerventur; præſertim in eiusmodi rebus, quæ alibi maxime in uſu, & excultæ fuerint; quemadmodum de re nautica apud Rhodios conſtat, quorum leges ideo de re maritima ab ipſis Romanis adoptatæ fuerunt, ut ſuperius probatum eſt, ex *l. 9. ff. ad L. Rhod.* idemque à populis Hollandiæ vicinis; ſi non per ſanctiones expreſſas, attamen tacitè per conſuetudinem, qua de re dictum *in Prælection. ad d. tit. ff. de Legib. n. 14.*

58. Hinc etiam eveniſſe videmus; *w*] ut jus Romanum per omnes fere cultiores populos receptum ſit, hactenus, ut quæ ſtatutis Gentium propriis definita non ſunt, ea ſecundum jus Romanum, quatenus reipubl. & temporum ſtatus non refragatur, decidantur, aut ſaltem ad ſvadendum & illuſtrandum magnam habeant auctoritatem.

59. Poſtremo loco, nec id, quod maxime pertinet ad caput adminiſtrationis, omittendum erat, principem & rectores civitatis eſſe quidem legibus ſolutos; ſed hoc tamen eos agere, ut ultro ſe illis ſubmittant: niſi hunc articulum, quod ſatis eſt, executi eſſemus in *lib. 1. ſect. 3. cap. 1. n. 29. & ſeqq.* Id etiam antehac obſervatum eſt, non ſequi ex eo, quod leges certa forma ferendæ ſunt, nec ſine approbatione, vel ut alicubi loquuntur, *verificatione* alicujus ſenatus publicantur. Penes imperantes ſolos non eſſe po-

n. 54. *u*) tacito conſenſu) *Eſt & hæc doctrina de conſuetudine inter eas referenda, quæ communibus erroribus abundat. Unde & eam explicatius proponere institui in diſſertatione* de jure conſuetudinis & obſervantiæ, *ubi oſtenſum, vim conſuetudinis non dependere in monarchia, ex tacito conſenſu principis, nec indiſtinctè vera eſſe, quæ Dd. docent communiter de rationabilitate conſuetudinis, aliaque ad intellectum etiam aut emendationem eorum, quæ hic Autor de conſuetudine tradit, pertinentia.*

n. 58. *w*) videmus) *Sed planè diverſa eſt ratio hujus exempli à præcedente. Falſum eſt enim, quod prudentia legislatoria magis fuerit exculta à Romanis, quàm à Germanis, aut aliis gentibus Europæis. Sed planè aliæ rationes allegandæ ſunt, cur jus Romanum à gentibus Europæis, maxime vero à Germanis receptum ſit. Vid. quæ diximus in* Hiſtoria juris Romani & Germanici. *Et alibi* lib. 1. de nævis juris Romani ante Juſtinian. *inter nævos juriſprudentiæ Romanæ numerabimus, quod leges XII. tabb. petierunt à Græcis.*

teſtatem legiſlatoriam; Quemadmodum cæſares, reſcripta ſua, niſi cauſâ à magiſtratibus cognita, effectum habere noluerunt

l. 7. C. de Precib. Imp. off. vid. d. cap. 1. n. 29. & ſeqq.

CAP. III.
DE OBLIGATIONE CONSCIENTIÆ EX LEGIBUS.

Conſcientia an errare poſſit, ubi de voce. n. 1-4. Quid ſit conſcientia, & partes ejus. n. 5-8. Obligationem conſcientiæ ad ſolum ſe referre Deum n. 9. 10. Quatenus naturæ jus conſcientiam obliget, accuratius exponitur, n. 11. 12. & an valeat diſtinctio inter honeſtatem & neceſſitatem juris naturalis. n. 13. Non omnia, quæ ſuadentur ut meliora jure naturæ, etiam præcipi ut neceſſaria. n. 14-17. Jus gentium an, & quatenus obliget conſcientiam. n. 18. 19. 20. Eadem quæſtio de jure divino per omnes ejus ſpecies exigitur. n. 21-25. Quæ ſit ratio, quod lex civilis obligat conſcientiam. n. 26. An & quatenus hoc juri naturæ derogare poſſit. n. 27. 28. Quantam ſtragem juri publico inferat hæc poſitio, quod lex civilis juri naturæ, quod ad facultates pecuniarias attinet, derogare non poſſit. n. 29-34. Refellitur illa poſitio, & contrarium probatur. n. 35. 36. Exemplo id uno alteroque illuſtratur, & Ameſii rationes contrariæ refutantur. n. 37-47.

1. SI conſcientia *x*) non poteſt errare, quemadmodum nuper admodum viri docti quidam, primo ſibi, credo, dein aliis perſvaſerunt, fruſtra occupati ſimus in indagandis regulis, quibus regatur & errare prohibeatur. Sed nos ſequimur communem generis humani conſcientiam, quæ ut errare poſſe creditur, ita regulis atque præceptis, ne quid erret, indigere ſemper exiſtimata eſt. Reſervatus eſt hic locus è capite præcedenti ſeorſim tractandus, idque nunc inſtituimus. Primo, quid ſit conſcientia, videamus.

2. Et quidem ſi vocabulum, ut primo in arte loco fieri ſolet, conſideremus: nihil eſt aliud conſcientia, quam ſcientia cum alio, vel nobiſcum. Ita adſumere alium in *conſcientiam*, ita *conſcire* ſibi homines omni die dicuntur: Et poſterius ad hoc inſtitutum pertinet, ut conſcientia ſit, ſcientia ejus, quod ipſe quilibet apud ſe cogitat.

3. Nemo enim cogitat ſanus homo, niſi cogi-

n. 1. *x*) conſcientia) *Doctrinam de conſcientia ita corruperunt doctores Scholaſtici, ut à capite ad calcem pene nihil ſani remanſerit. Nondum repurgatum hoc Augia ſtabulum à noſtratibus. Utinam id facerent Theologi Proteſtantes, ſed non feciſſe, experientia docet, & vel hæc diſputatio præſens Autoris adverſus Ameſium. Bonum factum, quod incipiant eâ de re cogitare JCti. Unde hoc caput valdè commendandum Studioſis. Etſi adhuc plura alia capita emendanda reſtent.*

Digitized by Google

cogitare ſe ſciat, nec hactenus errare poteſt conſcientia; ſed quando cogitationes errant, ut fieri poſſe, difficile eſt negare; qui cogitando errat, habet conſcientiam cogitationis errantis; ſed non eſt ſibi conſcius quod erret; ideo conſcientia propriè non errat; ſed cogitationes errant, cogitantique adeſt ac ineſt conſcientia cogitationum erronearum. Si volunt hoc, qui conſcientiam errare negant, fiat adſertio; & conſcientiam non errare; cogitationes, quarum habemus conſcientiam, errare quandoque dicamus.

4. Verum tamen eſt, quod conſcientia veritatis non ſit, nec eſſe poſſit erronea, & quod clara & diſtincta perceptio rei, ſicut eſt, non differat à conſcientia veritatis. Si hanc igitur ſolam vocant conſcientiam, & eos qui cogitando errant, ſine conſcientia eſſe ſtatuunt, habemus adſertionem adeo veram, ut fere inepta ſit inculcatu; *Conſcientiam* excellenter dictam, quæ *veritatis* eſt, *errare non poſſe.* Simul autem ſe & omnes qui hoc tenent, quoties minus valide philoſophantur, ut à veritate, quam habere ſe putant, aberrent, ſine conſcientia eſſe, teneant, ut quidem videtur, oportet.

5. Sed miſſis argutiis, quarum interpretationem auctoribus ſuis relinquimus, rem ipſam cernamus. Non habemus cauſam recedendi à communi doctrina, ſecundum quam, conſcientia eſt judicium hominis de ſe ſuisque actionibus coram Deo. Judicium hoc nihil eſt aliud, quam applicatio juris ad factum, quod proinde notum eſſe oportet. Notitia facti ſolet vocari *συνείδησις*, applicatio juris eſt *συντήρησις*, ut hi termini ſunt fere recepti.

6. Facti notitia eſt vel ipſius, ut ita loquar, corporis facti, vel *τῶν καθ᾽ ἕκαστα* ſingularium & circumſtantiarum. Utraque ad hoc judicium enixe requiritur, ut jus applicari poſſit: quomodo qui patrem ſuum in bello habet oppoſitum, ut applicet jus ad factum, non modo ſcire debet, hoſtem eſſe, verum etiam patrem eſſe, quem oppugnat. Qui mulierem corrumpit, ſolutane ſit, an materfamilias, cognoſcat oportet, ac ita in ſimilibus.

7. Sed de facto homines errare poſſe notius eſt, quam regula juris; Facta prudentiſſimum quemque fallere poſſunt. De Jure fieri poſſe, ut homines ſimiliter errent, creberrimæ ſapientiſſimorum hominum diſputationes & dubitationes indicant. Ac ita, cum in utraque parte conſcientiæ error uſu veniat, difficile dictu eſt, quomodo conſcientia errare nunquam poſſit. Nam dicere, notitiam veram, judicium verum, ſolummodo eſſe conſcientiam, eſt Claudianum; cum rogatus ſententiam in conflictu opinionum, pronunciaret, ſecundum eos ſe ſentire, qui vera dixiſſent, ut Svetonius auctor eſt.

8. Nos in hocce tractatu facti notitiam ſupponimus, de jure præſens inſtitutum eſt. Etſi autem de lege civili hic propriè agamus, placet tamen per omnes legis & juris ſpecies hoc quæſitum exigere: Etſi de jure naturæ, quod ſatis eſſe videri queat, actum eſt *in lib. 1. ſect. 1. cap. 2. n. 18. & ſeqq.* Ubi dicta ad hunc articulum transferre licet.

9. Principium deciſionis in hac quæſtione, peti debet ex ultimis definitionis *conſcientiæ* verbis, CORAM DEO: *y*) id eſt, prout homo Dei judicio ſubjicitur, ut Ameſius loquitur, *pr. de conſcient.* Cum enim hoc judicium ſit actus animi, nulli quam Deo cognitus, qui ſolus eſt *καρδιογνώστης*, *cordium ſcrutator*

n. 9. *y*) coram Deo) *Sed Dei nomine uti alias abutuntur Pontificii, ita vel maximè in hac conſcientiæ definitione. Modo enim conſcientiæ forum exponunt de Jure Canonico, modo de dictis patrum, modo de ſententiis moraliſtarum, modo neſcio de qua re. Vide* Joh. Valeri differentias utriusque fori.

ſcrutator, fieri non poteſt, ut rationalis creatura cuiquam ſuarum cogitationum, quam ſoli Deo, rationem reddere debeat aut poſſit. Nec ideo, ut aliunde quam à ſolo Deo rationes & regulæ, quibus animi judicium teneatur & regatur, proficiſci poſſint.

10. Pertinet etiam ad quæſtionis ſtatum, per obligationem ut ſciamus, quid intelligatur; nec id melius quam ex eo, quod juriſconſulti de obligatione prædicant, explicetur; Eſt juris *vinculum*, ajunt, obligatio, *quo neceſſitate quis adſtringitur ad aliquid dandum vel faciendum.* Agimus hic de eo, quod aliter facere non liceat, quam judicium illud coram Deo, id eſt, conſcientia dictet. Hoc eſt *τὸ γραπτὸν τῦ Θεῦ*; quod divinitus etiam gentes noverunt, *ὁ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε*: Quod Deus illis notum fecit; ut Paulus *1. ad Rom. Ἑαυτοῖς εἰσι νόμος. Sibi ipſi lex eſt conſcientia*, cui ſi non pareant, eadem minatur illis pœnam. *Ad Rom. 2.*

11.. Sed jus naturæ, dictum eſt *in loco*, eſſe vel præcipiens, vel permittens, vel ſvadens. Prima ſpecies obligat haudubiè conſcientiam, ut aliter facere non poſſit homo, quam ejus regulæ cordibus inſculptæ immutabiliter dictant; quæ ſpretæ reddunt hominem *ἀναπολόγητον* & *αὐτοκατάκριτον*, defenſionis expertem & ſui ipſius judicem, ut Apoſtolus copioſe in *1. & 2. ad Rom.* docet.

12. Jus permiſſivum non poteſt eum, cui facultas datur, obligare; ſed alios, ut quemlibet jure naturaliter permiſſo uti patiantur, nec eos impediant, obligat; Veluti, occupare, in dominium redigere quod nullius eſt, ratio naturalis permittit, nec alius alium in exercendo hoc jure turbare vel impedire, ſalva juris & animi conſcientia, poteſt; nemo tamen ad hoc, ut res nullius occupet ſuaſque faciat, obligatur. Idem eſt, in moderamine inculpatæ Tutelæ, contra vim injuſtam; quæ ut licet, ita non tenemur ad uſum ejus; niſi forte aliorum, quibus tuendis obligati ſimus, reſpectu.

13. De jure naturæ Svaſorio major eſt ἀ-καθαίρεσις. Habemus enim præcepta, Chriſtiani nominatim, *τῦ ἀκριβῶς περιπατεῖν*, *exacte ambulandi*; dandam eſſe operam, ut ubique ſervemus *τὸ εὔσχημον καὶ τὸ εὐπρόσεδρον quod decorum eſt & bene ſedeat*, fugiendi verè non tantum *μόνα* nefaria, ſed etiam *τὰ οὐκ ἀνήκοντα*, *incongrua*; etiam talia, quæ minus conveniant gravitati, ut etiam vetet Apoſtolus *εὐτραπελίαν Ephes. 5.* quæ tantum non virtus eſt in converſatione civili. Hinc graviſſimi homines increpant jus Canonicum, ob uſum diſtinctionis inter honeſtatem & neceſſitatem moralem; ut hæc obliget, illa ſaltem commendet facienda: Peſſimo divortio honeſtatem à neceſſitate ſeparant Canoniſtræ, ait D. VViſſenbach, *D. 6, ad Inſt. 22.* qua de re dixi *in part. 2. digreſſ. c. 7. n. 4.*

14. Verius tamen eſt, non quicquid ut laudatur & commendatur, etiam præcipi & neceſſarium eſſe videri, neque peccare, qui non adſequitur, quod optimum eſt. Sunt quæ *κατὰ συγγνώμην*, alia, *κατ' ἐπιταγὴν* injunguntur; quædam præcipiuntur, quibusdam venia datur, ut Apoſtolus diſtinguit 1. Cor. 7. Eſt quod *ἄδοξόν τι ἔχει, ὅμως οὐχὶ καὶ παρανομίας ἀνέχεται. Habeat aliquid improbabile; neque tamen eſt prohibitum*, ait Leo Philoſophus in *Nov. 24.*

15. Ita cælibatum, quo melius Deo vacemus, non obſcure commendat Paulus *1. Corinth. 7.* negat tamen peccare nubentes, etſi melius faciant contra. Conſobrinam vel ſponſam filii in uxorem ducere, non eſt prohibitum neque peccatum; melius tamen abſtineri talibus nuptiis, pudor, & jus naturale ſvadet, adeo ut multæ gentes eas enixe prohibuerint. Etiam Romani aliquando de conſobrinis, & de ſponſa filii ſemper. At neceſſarium id eſſe juris naturæ præceptum, nemo dixerit. Beza quoque, ſponſæ filii prohibitionem non dubitat appellare duram., *lib. 2. de Polygam.*

16. Conſilium eſt Pauli adſeſſoris, *in re dubia certius & modeſtius eſſe abſtinere, tametſi*

non

non peccet, qui aliter conſulit *l. 14. §. 3. de Rit. nup.* Modo ſervet τὸ πληροφορεῖσθαι ἐν ἰδίῳ νοῒ *ut bene certus ſit apud animi ſui conſcientiam*, ut Paulus Apoſtolus enixe monet. De coma, re minima, ut loquitur Calvinus, idem Paulus, ἡ φύσις διδάσκει, *natura docet*, inquit, ὅτι ἀνὴρ ἐὰν κομᾷ, ἀτιμία αὐτῷ ἐστι, *quod comam alere viro ſit inhoneſtum 1. Cor. 11.* oppoſitè ad mulieris τὸ ἔνδοξον; *decus mulieris in Comâ*. Non tractat eam rem, ut moraliter turpem, aut ubique peccatum, ſed deterius eſſe, comam è viro ali non diſſimulat.

17. Quin etiam poſſe dari circumſtantias & occaſiones, quibus abſtinere talibus, ſit præceptum, nec aliter inſtitutum, peccati ſit expers, fatendum videtur; ſed quicquid natura ſvadet ut melius, id ſtatim non eſſe peccatum, vel ſola ſucceſſio ab inteſtato probat: cognatis enim agnatiſve proximis bona relinqui non poteſt negari, naturæ convenientius eſſe, quam extraneis, neque tamen, ſine peccato aliter decerni poſſe; quiſquam dubitat. Ergo in his eſt latitudo quædam, Ἐν ὑμῖν αὐτοῖς κρίνατε, *vobiſcum ipſi eximate* monet Paulus, *εἰ πρέπον ἐστί, an deceat.* Regula ſic eſt, ut diximus.

19. De jure Gentium major eſt dubitandi ratio: Si hoc à jure naturæ diverſum ſit, non habet immediatè auctorem Deum, nec ullam poteſtatem humanam, quæ cunctas gentes obliget, cum nemo ſit omnium pariter Gentium ſuperior, ac ideo nihil quod vel mediate, vel ſine medio conſcientiam adficere poſſit, apparet.

19. Dicendum, pleraque juris Gentium capita, non eſſe quidem immediatè è dictamine rationis; ſed tam evidenti conſecutione tamen inde eſſe deducta, ut ab eadem auctoritate non immerito derivari poſſint.

20. Quæ vero inde ſunt remotiora magiſque poſitiva, communi populorum, maxime quidem imperantium conſenſu recepta, ſatis inde cauſæ mutuantur ad animos ſingulorum obligandos, ex voluntate, inquam, rectorum cujuſque populi; à quibus inſtituta paci & utilitati generis humani ſervientia non minus quam propria cujuſque civitatis ſcita, expreſſe vel tacitè ſancita videntur; præter, quod omnes homines ratione utentes in jus illud, quemadmodum ejus expoſitio indicat, in *lib. 1. ſect. 1 cap. 5.* conſentire intelliguntur,

21. Sequitur jus divinum, cujus auctoritatem directe ad obligandam conſcientiam pertinere, palam eſt, modo illa mens ſit divini Nomothetæ, ut omnes populi ſuis legibus teneantur. Directè univerſo generi humano jus à Deo datum non legitur, niſi recens condito, & à diluvio inſtaurato, ſed paucis articulis conſtans, z) donec poſtremo per filium Dei latius cautum eſt.

22. Quæ per Moſen latæ ſunt leges, ad Hebræos diriguntur, *Audi Iſrael*; Attamen quæ ſunt ejus ſententiæ, ut aliis gentibus exacte conveniant, valere debent, ad obligandas omnium conſcientias, ut ſunt *decem* dicta; ſi quartum excipias de Sabbatho; & quæ ad exegeſin illorum inter politica reperiuntur, ut de veſtitu diſcrimen ſexus indicante præceptum, a) & ſimilia.

23. Quæ peculiarem ad temporis & gentis illius diſciplinam, pro parte vel in totum habent reſpectum, quatenus à ſtatu

 noſtri

n. 21. z) conſtans) *Quod Seldenus voluit explicare in libris* de Jure N. & G. ſecundum diſciplinam Hebræorum, *alii vero vocant jus divinum poſitivum univerſale. Cujus criteria tentavimus eruere* in Inſtit. Juriſpr. div. lib. 1. *Sed poſtea meliora edocti iterum deſtruximus in* Obſervat. Halenſ. ſelectis.

n. 22. a) præceptum) *Eſſe hoc præceptum juris univerſalis ſuaſorii concedo. Quatenus vero jus præceptivum eſt, pertinet ad ſolam rempublicam Judaicam. At Jus naturale ſvaſorium non ſtatim in conſcientiâ obligat, per dicta n. 14. ſeq.*

noſtri ſoli & ſeculi diſcrepant; ut noſtros animos obligent, deficiente ſummi præceptoris voluntate, fieri non poteſt; quò pertinet de aſylis, de periſtyliis tectorum, aliiſque rebus innumeris ſpecimina; de fœnoribus etiam & de pœnis delictorum; ſecundum ea quæ in *lib. 1. ſect. 1. cap. 6.* ubi actum de jure divino, collocavimus; & quæ ſingulis locis de cujuſque præcepti naturâ, uſu venit, aut veniet obſervari.

24. Quod Chriſtus dominus in Evangelio credentibus in ſe præſcripſit, hauddubie omnes ſinguloſque obligat directè conſcientias; etſi propoſitum illi non fuerit, novum condere jus morum: ſed vetus repetere & ad principia ſua reformare, ejuſque veram & ſpiritualem fidelibus obſervantiam inculcare voluit. *Matth. 5.*

25. Prophetæ & Apoſtoli Spiritu licet divino ducti nullam ex ſe novi juris condendi vel conſcientias obligandi auctoritatem habuere; ſed interpretari voluntatem Dei revelatam, & collectiones inde ac arbitramenta deducere, quæ novas inferrent poſitiones, veteri doctrinæ implicitas, *b*] id potuerunt. Nec aliter accipiendum videtur illud Pauli, Ἐγὼ λέγω, οὐχ ὁ κύριος. *Ego, non dominus, edico*, Δοκῶ δὲ κἀγὼ πνεῦμα Θεοῦ ἔχειν. Cenſeo & ego, me habere ſpiritum Dei *1. Cor.* VII. 12. *& ult.*

26. Tranſeamus ad leges civiles, quæ à ſumma poteſtate cujuſq; reipubl. proficiſcuntur. Et hactenus quidem non valent in conſcientias nulli humanæ juſſioni ſubjectas; ſed in imperiis voluntariis inde ab initio, vel ex poſt facto certiſſima hypotheſis eſt, omnes ſuo conſenſu obligatos eſſe, ad leges civitatis ſuæ obſervandas, ut in *libro 1. ſect. 2. lib. 2. ſect. 6. & in capite præcedenti* copioſè demonſtratum eſt. At ſervare fidem datam, conſcientiæ officium, & præceptum Dei eſt, cujus etiam hæc eſt declarata voluntas, imperiis ſummarum poteſtatum eſſe parendum, οὐ μόνον, ut Apoſtolus, διὰ τὴν ὀργὴν, ἀλλὰ καὶ διὰ συνείδησιν, *Non modo propter iram & metum pœnæ, ſed etiam propter conſcientiam.* Inde, quem civilis poteſtas in hominum conſcientias habeat influxum, in ſummâ, ſatis intelligitur.

27. Sed opus eſt, hanc rem paulo enucleatius exponi, ad applicationem ejus, quod juris auctores de lege, quatenus à jure naturæ diſcrepat, in arte ſua tradunt; quando ſic ajunt; *Jus civile eſt, quod neque in totum à naturali vel gentium recedit; nec per omnia ei ſervit: Itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus juri communi, jus proprium; id eſt, civile efficimus*, verba ſunt Ulpiani *è lib. 1. Inſtitut. in l. 6. ff. de Juſt. & Jur.*

28. Atqui jus naturale convenire cum eo jure, quod in foro conſcientiæ attenditur, frequente conſenſu, non modo Theologi, ſed etiam juriſconſulti tradiderunt, ut videre licet apud Bachovium ad *Tr. 1. diſp. 10. th. 5.* Vinnium *ad §. 3. Inſt. de Teſtam. n. 8.* Ameſ. *5. Conſcient. c. 45. n. 10.* ubi ſic ille; *Niſi igitur jure à Deo, vel in natura vel in verbo publicato, conſtet, dominii titulum eſſe legitimum & verum, in foro conſcientiæ conſiſtere non poteſt.*

29 Hujus rei late patet uſus & obligatio. Sic enim illi ſtatuunt; Qui in teſtamento *c*) jure naturæ valido, ſed ob requiſita juris civilis vitioſo heres, aliquid præſtare juſſus eſt,

n. 25. *b*) implicitas) *An ergo novos condiderunt articulos fidei? Vide Lockii tractatum*, quod religio Chriſtiana ſit maximè rationalis part. 1. c. ult.

n. 29. *c*) teſtamento] *Mirum, quod Ameſius Theologus alias magni judicii non ſubodoratus fuerit, quale intereſſe peculiare habeant Pontificii in hac ſententia defendenda. Uti enim doctrina de valore teſtamentorum eſt una ex potiſſimis columnis Papatus, ita hic eorum intentio primaria fuit, ne legata ad pias cauſas, id eſt, relicta Monachis & Clericis, ob prætextum teſtamenti imperfecti intercidant. Unde ſimul patet quantum noceat doctrina ne-*

ſus eſt, ex animi conſcientia tenetur ad hoc præſtandum; Qui obligatus eſt è contractu jure naturæ legitimo, ſed jure civili invalido, tenetur ad implendum, & peccat, ſi prætextu requiſitorum juris, fidem implere recuſet.

30. Proinde mulier, quæ pro aliquo interceſſit, tenetur ad ſolvendum, & non poteſt ſe tueri beneficio ſenatusconſulti Vellejani; nec filiusfamilias pecunia mutuo ſumptâ ſenatusconſulto Macedoniano. Nec minor annis 25. per beneficium reſtitutionis in integrum, ſi contractus ab ipſo, conſulto initus, jure naturæ ſit validus. Nec ullum adeo privilegium, quo quis juri ab alio quæſito ſubducere ſe queat, illæsâ conſcientia, exerceri poteſt.

31. Ubique enim locum habet Ameſii argumentum *d. cap. 45. n. 15. Per hujusmodi contractus*, inquit, *minus ſolennes, ex omnium conſenſu inducitur obligatio juris naturalis: quia ſunt per liberam voluntatem, ex conſilio deliberato. Sed jus civile non poteſt abrogare jus naturæ. Ergo.*

32. Huic adſumptioni ante omnia ſatisfaciendum eſt; & jam occupaſſe videmur reſponſionem, in *cap. proximè antecedente n. 12*, Ne de jure permittente & ſvadente naturali dicamus, cui jure civili derogari poſſe, nemo negat; etiam de præcipiente ſciendum, hoc vel circa ea, quæ moraliter in ſe turpia, nec aliter habere ſe poſſunt, verſari; vel circa officium tribuendi ſuum cuique in facultatibus externis atque pecuniis. *d*)

33. De prioribus nihil jure civili conſtitui poſſe, quod hominum conſcientias à jure naturæ avertat, expeditum eſt, juxta illud immotum Euripidis, canente choro, *in Phæniſſis verſ. 821.*

Οὐ γὰρ ὁ μὴ καλὸν ὔποτ᾽ ἔφυ καλὸν
Quod turpe in ſeſe eſt, id unquam ſit honeſtum.

Sed cum lex circa facultates civium generaliter diſponit, ut propter certas rationes & circumſtantias, quæ publico expedire judicantur, uni dominium vel jus crediti magis quam alteri ſit comparatum, tameſi in ſimplicitate naturæ aliter obtineret, hoc vel turpe non eſſe oportet, vel omnium populorum jura neceſſe fuerit reſolvi.

34. Si vero qui tali jure utuntur, conſcientiæ jacturam faciunt, quid fiet de omni arte uſuque jurisprudentiæ, cujus univerſum hoc inſtitutum eſſe vidimus, ut juri naturæ modo addat aliquid, modo detrahat? nonne, dum bonis civium conſulere ſatagit, animabus toxicum parat, & pecuniæ compendium æternæ ſalutis diſpendio permutare docet?

35. Proinde ſic habeamus; Diſpoſitiones legum de patrimoniis civium, à ſimplici jure naturæ diverſas & probabili ratione ſubnixas habere vim conſcientiis præſtandi ſecuritatem, imo quod magis eſt, ad earum obſervantiam conſcientias obligandi; perinde ac quibuslibet aliis ſummorum poteſtatum præceptis, neceſſitati morali non adverſis, obligati ſunt cives.

36. Ratio peremptoria pendet à conſenſione civium in leges reipubl. cui ſunt aggregati, toties adſtructa, nec minus à veteribus agnita, quam in ipſius rei naturâ fundatâ. Quæ conſenſio ut nihil poteſt in dictatis Dei moralibus verbi aut naturæ invertendis, ita de

ſtra clero Pontificio in quæſtione præſente. Dum enim ad caput ſextum ſectionis præcedentis *oſtendimus, jus naturæ ignorare teſtamenta, ſimul corruit tota quæſtio, quæ ſupponit, teſtamentum jure naturæ validum.*

n.32. *d*) pecuniis) *Fortè tamen magis perſpicuum erit, ſi maneamus in diſtinctione juris naturæ præcipientis & permittentis. Pacta (imo ponamus etiam teſtamenta) eſſe ſervanda, eſt juris naturæ præcipientis. At quomodo pacta (teſtamenta) ſint condenda, nihil præcipit jus naturæ, ſed permittit, & ſuadet.*

ita de facultatibus pecuniisque diſponendi facultatem habet arbitrariam, indubitatam; Cujus rei nulla pejor eſt ſequela, quàm quod ſinguli, certis caſibus, aliquid damni ſe paſſuros recipiunt; In quo nihil adeo illicitum eſt, ut in omnibus, quæ triſtia mala dicuntur, eandem voluntariam ſubmiſſionem fieri poſſe credamus.

37. Exemplo res fiet clarior. Ad evitandas fraudes in teſtamentis, placuit, ea non valere, niſi certæ ſolennitates adeſſent. Ita Romanis viſum fuit in Comitio, vel in campo Martio πανδημεὶ. In hac conſtitutione talis conventio eſt; Si cuiquam noſtrum hereditas in tali teſtamento imperfecto relinquetur, is heredibus ab inteſtato bona vindicantibus cedat. Si quis heres in tali teſtamento juſſus erit, legatum præſtare, negare poterit ſolutionem; neque legatarius injuriam ſibi fieri putabit. Ecquid in eo, quod conſcientiam lædat, animadvertitur?

38. Poteſt equidem heres ab inteſtato, ſi velit, hereditatem relinquere ſcripto heredi, neque ab hoc violari jus conſcientiæ dicemus, ſi nemine contradicente, hereditatem ex voluntate defuncti retineat. Sed heres legitimus nihilo magis illud jus lædit, quod utitur jure, quo placuit omnibus ejusmodi exiſtente caſu, utendum eſſe. Neque teſtatoris, qui legem latam ſequi tenebatur, voluntas; nec heredis ſcripti intentio, qui legi, inquam conſenſerat, contraria, jus proximi cognati vel ejus conſcientia pervertere poteſt.

39. Inſtat Ameſius *§. 13. d. c. 41. Solennitas hæc idcirco ſolum præſcribitur, in legibus civilibus, ut obviam eatur fraudibus & dolis, qui in talibus contractibus* (quos cum teſtamentis, de quibus agit ibi, theologicè confundit) *plerumque committi ſolent: Sed quando conſtat manifeſtè de voluntate eorum, qui hujusmodi contractus fecerunt, etiamſi prætermiſſa ſit ſolennitas illa, ceſſat ratio iſta, atque adeo ceſſat vis juris civilis; quia ceſſante cauſa, ceſſat effectum.*

40. Impingit Ameſius in id ipſum, *quod præced. capite n. 52.* ubi dictum eſt de regula, *Ceſſante ratione legis, ceſſat ejus vis*; Et probavimus, id equidem eſſe verum, ſi ratio ceſſet in univerſum, non ſi in ſingulis forte caſibus ceſſet. Lex fertur ob rationem certam, quæ plerumque, non ſemper, obtineat: Lata ob hanc rationem lex, *e)* valet æquabiliter, nec amplius ab ſua ratione pendet in ſingulis hypotheſibus; quod ſi fieret, nihil ejusmodi legi fluxius & diſſolutius foret.

41. Non poteſt etiam concedi, quod Ameſius §. 16. ponit; *Intentio ipſa juris civilis eſt*, inquit, *in ejusmodi contractibus irritandis, tantummodo non adjuvare ipſos in foro externo, vel non dare ipſis actionem, propter commune bonum. Relinquit igitur obligationem omnem ex jure naturæ conſurgentem.* Non ita cenſent juris *Auctores*, quando jus civile tradunt eſſe, quod juri naturali modo addit, modo detrahit, ut ſuprà intelleximus, eo quo diximus ſenſu & modo; Si negaret actionem, & conſcientiam relinqueret obligatam jus civile, faceret quod abominati ſumus, ut auctor eſſet bonis conſulendi, animam perdendi.

42. Verius eſt, eum, qui jus naturale de rebus ad patrimonium ſpectantibus, contra legem ſibi notam, urget, verè ordinationi divinæ reſiſtere, quæ parere jubet poteſtatibus in his quæ Deus non vetuit; Nec vetat, rectores populorum de patrimoniis civium ad utilitatem publicam contra ſingulos ita diſponere, ut huic modo & illi aliquid detrimenti imponatur: Ne repetam, eum qui legem in quam conſenſit, urget; quia ſic uſu venit, ut ipſi præjudicium creet, quod alias eidem

n. 40. e) Lex) *Sed ſi teſtamenta reſpicias, falſum eſt inſuper, ſolennitates teſtamentis fuiſſe præſcriptas primariò, ut obviam eatur fraudibus, ſed potius, ut reſtingueretur aliquo modo pruritus teſtandi, ut probavimus in diſſertationibus ſuprà* ad dict. cap. 6. cit.

eidem utile & proximo forte damnoſum fuerat; non ſervare teſſeram bonæ conſcientiæ.

43. Labitur ergo, quod ſubjicit Ameſius in §.18. Non *poteſt igitur*, inquit ille, in *cujus favorem lex irritum facit talem contractum*, *ſalvâ conſcientiâ*, *contra eundem agere*, *coram judice*, *aut petere*, *ut declaretur irritus aut nullus*, *ſi conſtet ipſi de veritate*. Excipiam potius ego, niſi dolus ejus, qui legis auxillo utitur, interveniat. Abſque dolo minimè recte colligit Ameſius. Quid enim? Frater meus heredem inſtituit extraneum, teſtamento vitioſe, meâ tamen abſque operâ, condito; ſed quod teſtatorem valere voluiſſe conſtat. Dico teſtamentum nullum & vindico hereditatem mihi jure ſanguinis debitam. Hoc ſalvâ conſcientia non licebit? Magis ille ſcriptus heres viderit, an ſalva conſcientia opponere ſe poſſit juri publico, ratione probabili conſtituto, retinere volens hereditatem ſine cauſa in civitate approbata.

44. Eodem fundamento nititur Ameſii cenſura de uſucapione. *Poſſeſſio rei alienæ*, in §.19. *invito proprio domino*, *quamvis continuata ſit*, *quamdiu leges requirunt*, *ad præſcriptionem vel uſucapionem in foro conſcientiæ non confert dominium poſſeſſori*, *non modo ſi malæ ſit fidei* §. 20. *ſed etiam*, *ſi alienam bonâ fide poſſideat*, *quia hæc tantum eſt falſa opinio*, *quæ juſtum dominii titulum adferre non poteſt in foro conſcientiæ* §.21.

45. Cum litibus antiquæ originis nihil ſit moleſtius in civitate, populus Romanus ſponſione civium inter ſe facta, eas lege lata præcidere volens ſtatuit; Si quis intra tot annos rem ſuam non vindicaſſet, actionem non habebit contra bonæ fidei poſſeſſorem, ſed res manebit ſuo loco. Quid vetaret, Quirites, omnes ſingulosque renunciare juri ſuo, in ejuſmodi caſu, ob publicam utilitatem? Et quis eorum qui renuntiavit, ſi quis adverſus eum hoc jure utatur, juxta præviam conventionem, opponens ſe, potius actoris quam ſuam accuſabit conſcientiam? Nec eſt, quod me quiſquam exemplum popularis Romanorum imperii, ad conſenſum in leges arguendum, adfectare putet; eadem ratio, licet mediate, in Ariſtocratia & principatu eſt, ut *lib. 1. ſect. 2.* demonſtravimus.

46. Plane, ſi malam fidem habuerit poſſeſſor, hunc ſalva conſcientia negamus uti poſſe jure præſcriptionis, etiam longiſſimæ, quam leges ipſi impertiuntur, jure ſolummodo externo hactenus, ad litigia immemorialis cauſæ extinguenda; minime, ut furem vel prædonem injuſtitiæ perfidiæque notâ liberent, quod tenendum ad convitium Ameſii, quod facit jurisprudentiæ in §.20.

47. Quam late fere jurisprudentia patet, hujus rei obſervantia ſe extendit, nec pluribus uti exemplis, hujus inſtituti ratio patitur; Actum id plenius in quæſtione; an conſciẽtia è teſtamento imperfecto obligetur, quam *in parte 1. Digreſſ. lib. 4. cap. 34. & ſeqq. ad finem libri* plena manu tractavimus, aliarumque rerum exempla ſparſim in *Eunomia Romana* occurrent, & jam expoſita ſunt ad *l. 7. §. 5. & §. 12. ff. de Pactis.* ac alibi paſſim.

CAP. IV.

DE SENATU.

Connexio. n. 1. Definitio Senatus, n. 2. qualitas, n. 3. numerus Senatorum, n. 4. Præter conſilium, quandoque poteſtatem illis tribui. n. 5. Maximus Senatuum uſus in Democratia. n. 6. 7. Ibidem periculoſus & omnia

Digitized by Google

in ſe vertere ſolitus; n. 8. niſi Cuſtodes libertatis popularis ſtatuantur, n. 9. Idem inprimis uſu venire, quando libertas, abolito regno, populo reſtituitur. n. 10. 11. Optima juris inter Senatum & populum diſcretio. n. 12. Uſus Senatuum minorum & ſanctiorum in Democratiâ, tam olim, exceptâ Româ, quam hodie. n. 13. 14. 15. Senatus judiciales etiam Romæ, deque aliis rebus. n. 16. 17. Senatus municipales. n. 18. Senatores perpetui & temporales quid differant. n. 19. 20. Ordinum Conventus an Senatus dicendi. n. 21. 22. In laxioribus Ariſtocratiis fere eandem hac parte rationem eſſe, quæ in popularibus Imperiis. n. 23. 25. Nomen etiam Senatus aliter ſæpe, quam noſtra ferat definitio, ſumi. n. 25. Ratio Senatuum in Monarchiis minus Regiæ, n. 26-29. vel abſolutæ poteſtatis. n. 30-33. Ordinum conventus in regnis, ſintne Senatus è mente noſtræ definitionis, an partem ſummæ poteſtatis obtineant, diſtinctè expoſitum. n. 34-37. Quantum interſit, tempora conventuum illorum à regibus pendeant, an ſecus. n. 38. 39. 40. Et quam, magni conventus iſti, Imperantium poteſtati ſint graves. n. 41. 42. Unde, qui poſſunt, reges, illos atterere aut abolere, vel ad alios uſus convertere. n. 43. 44. Conſilium ſanctius an expediat Reip. n. 45. An ad fraudem adhiberi poſſit n. 46. An Eccleſiaſtici inter Conſiliarios adhibendi? n. 47. De præſidio & relatione. n. 49. 50. 51.

1. Civitas ordinata legibus, quæ ſurdæ & mutæ ſunt, conſervatores, & executores, ſumma poteſtas autem miniſtros & adjutores requirit. Qua ſine ſtatim poſt formatum legibus ſtatum civitatis, neceſſe fuit, creari ſenatum & magiſtratus. Primo de ſenatu *f*) videndum.

2. Etſi autem quid ſenatus ſit, nemini prima fronte dubium videri crediderim, tamen ne hic quidem apta definitio carebit ſua *ῥοπῇ πρὸς τὰ ἑπόμενα, juſto ad ea quæ ſequentur, momento.* Eſt igitur ſenatus, *prudentium virorum cœtus, ab eo, qui ſummam reipubl. poteſtatem habet, ad conſilium ſibi de publicis rebus ſubminiſtrandum, adſcitus.*

3. Prudentes eſſe debere ſenatores, nemo dubitat. Et quoniam prudentia ſine rerum uſu, & hæc ſine provectiori ætate non comparatur, oportet in ſenatum legi ſeniores, unde nomen ſenatus: quod adeo in uſu recentiorum quoque gentium invaluit, ut pleræque gentes Europæ ſeniores, pro dominis & rectoribus ſuis uſurpent; cum nihil ſit aliud Gallicum *ſeniours*, quam *ſeniores*, à quo Itali & Hiſpani minus adhuc derivatione recedunt.

4. Quot numero eſſe debeant, ut de facto ſumma varietas cernitur, ita medium heic quoque, ſicut alias plerumque, tutius eſſe dixeris. Romæ tempore libertatis ultra quingentos fuiſſe, facile conſtat, & ſub imperatoribus aliquanto plures, Venetiis mille

n. 1. *f*) de ſenatu) *Quæ hoc capite de ſenatu proponuntur poſitiones, pertinent ferè vel ad jus naturæ ſuaſorium, non præcipiens, partim ad mores Gentium arbitrarios, partim ad politicam & quæſtiones quid expediat, unde pauca ſunt, quæ adnotationes merentur. Idem etiam monendum de plerisque capitibus hujus libri, vel certe ſectionis hujus & ſequentis.*

mille & amplius. Ex adverſo Spartæ nonniſi triginta, & intra hunc numerum Genuenſes ſubſiſtunt. Rurſus apud Hebræos ex inſtituto divino ſeptuaginta duo, *g*) quem numerum ſi quis ut medium, ideoque præſtantiorem conſiderandum putet, nihil vel rationis, vel auctoritatis cauſa videtur erraturus.

5. Etſi autem conſilii cauſa ſenatus inprimis adſciſcitur, fieri tamen & poteſt, & plerumque ſolet, ut auctoritas & poteſtas quarundam rerum minoris momenti, & quæ moram ferre nequeunt, illis tribuatur, cujus rei pro forma cujuſque reipubl. variat uſus, quemadmodum ex inductione ſequentium patebit.

6. Nuſquam major ſenatuum uſus & neceſſitas eſt, quam in imperiis popularibus. Ubi, cum populus univerſus raro conveniat, nec niſi de rebus ad ſummam rempubl. ſpectantibus conſuli poſſit, quotidianæ adminiſtrationis ratio curam ad ſenatum deducit, ut Pomponius de republ. Romanâ loquitur, in *l. 2. §. 9. ff. de Orig. Jur.*

7. Videamus igitur de ſenatu, prius in democratiis, unde pleraque reliquis applicari poterunt. Difficultas & raritas comitiorum univerſi populi, cum pleraque regiminis publici ad ſenatum deducat, non poteſt fieri, ut per modum conſilii duntaxat illis adhibeatur, ſed & poteſtatem & jus perfectum in iis ab ſenatu exerceri conſentaneum eſt, idque tam latè plerumque patet, ut multi in dijudicatione talis reipubl. fallantur, Ariſtocratias pro imperiis popularibus accipientes; quem exteros etiam de Romana republ. erraviſſe errorem, Polybius aliique obſervarunt.

8. Neque tamen exteri tantum erroris opinione in illâ ſpecie verſati ſunt, verum in plerisque civitatibus democraticis, id operam dant ſerio ſenatus, quo ſummam poteſtatem ſibi totam vel majori ex parte vindicent, ut creberrima Romæ pluriumque Græciæ civitatum, quin & hodierna Coloniæ, Baſileæ, Hamburgi aliorumque exempla populorum demonſtrant.

9. Quin ille tranſitus εἰς ἄλλο γένος, in ejuſmodi conſtitutione, tam propè naturalis eſt, ut nec fieri poſſit, quin ſenatus in ſe paulatim omnia derivent & populare jus obliterent, quemadmodum democratiæ fere omnes, nominatim in Hollandiâ, exoleverunt; niſi populus habeat magiſtratus Νομοφύλακας, legum & libertatis cuſtodes, quales Tribuni plebis Romæ fuere: Neque tamen ita graves hac cauſâ turbas avertere & occupare poſſunt, potuerunt; quin ſenatus non conſilium populi, ſed partem juris ſupremi & quidem potiorem ſibi vindicare conaretur.

10. Non diſſimilis apparet uſus & ratio, ſi quando regia poteſtate abolitâ, libertas ad populum redeat. Nam in illo tranſitu rerum id agere ſolent optimates, ut ſummam poteſtatem naturaliter ad totum populum pertinentem, ejus injuſſu uſurpent ſibique vindicent, animum minus advertente multitudine, læta ſatis revolutione rerum & abolitione tyrannidis; nihil omittente Senatu, quo ſtatum Ariſtocraticum, perſvadeat eſſe libertatem; etſi verum ſit, optimates ex inſtituto ſibi neceſſario plebem cohibere preſſius, quam principes ſoleant.

11. Non neglexit hanc occaſionem Senatus Romæ poſt regifugium, *h*) nec obtentum durare non potuiſſet, ſi patricii primores plebis in conſortium ſuæ prærogativæ ad-

n. 4. *g*) ſeptuaginta duo) *Potius ſeptuaginta. Vide latius Seldenum de ſynedriis Ebræorum* lib. 2. c. 4. *ubi & §. 8. originem erroris de 72 aſſeſſoribus ſynedrii Moſaici exponit.*

n. 11. *h*) regifugium) *Ad illuſtrationem eorum quæ hic & in ſequentibus numeris Autor proponit, de arcanis dominationis à Senatu Romano adhibitis, multum faciunt excerpta ex antiquitatibus Romanis in* lib. 1. de Nævis Jurisprudent. Ante-Juſtinian.

Digitized by Google

væ admittere voluiſſent, quo ab illis ſpreto, natæ ſunt tribunitiæ turbæ: Cum in aliis populis, ubi nulli aditus ad honores præcluditur, & optimates utriusque ordinis in Senatum cooptantur, plebs orba ducibus, jure ſuo facile privetur, ut in plerisque Belgii civitatibus accidiſſe videmus; Ac ita fiunt è popularibus Imperiis Ariſtocratiæ, jure præſcriptionis, de qua diximus in *lib. 1. ſect. 3. cap. 9.*

12. Verum quando jus populi ſalvum manet, ſtatus inter ipſum & ſenatum, ut videtur, optimus, qui Romæ pulſis regibus, poſt primos motus, eſt ſtabilitus, hujusmodi eſſe videtur, ut in populo poteſtas, penes ſenatum ſit auctoritas, hoc ſenſu; ne quicquam ad populum feratur, niſi auctore, id eſt, approbante ſenatu. Neque tamen ſenatus quicquam per ſe de ſumma republ. decernat, verum hæc unice à populi juſſu pendeat. In cæteris autem ad quotidianam reipubl. adminiſtrationem ſpectantibus, imperia ſenatus vim juris obtineant, ut in eadem civitate Romana ſervatum eſt, inde ab eo tempore, quod refert Livius in *lib. 1. c. 17.*

13. In plerisque civitatibus plures ſenatus haberi conſtat; etſi Roma uno contenta fuit, eoque numeroſo, ut intelleximus: Nec probatus eſt illis mos Græcorum, qui *προβύλυς*, *conſilia ſelecta* habere ſoliti ſunt, in quibus cum arcana reipubl. tractarentur, tum inprimis adminiſtratio quotidiana civitatis curaretur. Quomodo Solon Athenis, ubi non minus quam Romæ populare fuit imperium, præter ſenatum quadringentorum, inſtituit *Areopagitarum* è quinquaginta plus minus, nec enim certus fuit numerus, civibus, conſilium. Etſi graviſſima ſæpe belli & pacis conſilia atque diſceptationes ſenatoriæ magis, quam populares, in eccleſiis univerſi populi, ventilatas fuiſſe legimus & miramur, apud *Thucydidem, Xenophontem & Demoſthenem.*

14. Eodem modo Carthaginenſibus democratiam habentibus, fuit conſilium paucorum, in quo arcana & maxima quæque reipubl. negotia tractarentur, haud amplius Triginta procerum, quod *Sanctius* conſilium vocat Livius: At Romanis nihil ejuſmodi fuit, nec tuliſſent id genus ſenatulos, per quos corrumpi libertatem ſenatoriam arbitrati fuiſſent.

15. Verum quotquot hodie, vel inde ab aliquot ſeculis populi democratice gubernati ſunt, Atticum & Carthaginienſe potius, quam Romanum hac parte conſilium ſequuntur & ſecuti ſunt; prævalente publici commodi neceſſitate, nimis diſſolutæ libertatis ſtudio; quod vergentibus in pejus populi Romani moribus, in parte cauſarum fuit, quibus libertas & ſtatus popularis in ruinam incubuit.

16. Judiciorum tamen cauſâ ſenatum habuere peculiarem & ipſi Romani, quanquam ſenatum minime dictum: Sed conſilium centumvirale, tribus è ſingulis tribubus in id ſelectis, exacte numero quinque ſupra centum, qui de cauſis gravioribus, ubi de jure potiſſimum ambigeretur, cognoſcebant; levioribus & facti quæſtionibus ad recuperatores & judices pedaneos ablegatis.

17. Idem frequentius aliæ gentes, ut judicandi cauſâ ſenatus habeant, inſtituerunt; etiam de aliis rebus ad rempubl. ſpectantibus, de Ærario, de re militari, de cauſis maritimis & omni adminiſtratione publica; cujuſmodi collegia non tam more Romano, quam ex noſtræ definitionis & inſtituti ratione *Senatus* appellari poſſunt.

18. Sed quod collegia decurionum in municipiis, hoc eſt, civitatibus majori ſubjectis imperio, vel partem illarum conſtituentibus, hodie *Senatus* appellantur, non magis cum noſtra definitione, quam uſu Romanæ linguæ conſenſerit.

19. Jus habent ſinguli ſenatores perpetuum vel temporarium. Inter quæ, etſi notabile diſcrimen, ut apparet, exiſtat, juris tamen effectus eoſdem habere, temporarios,

rios, dum funguntur, & perpetuos ſenatores, patet ex iis, quæ de ſummæ poteſtatis hac parte differentiis in loco demonſtrata ſunt *lib. 1. ſect. 3. c. 2. n. 46. & ſeqq*

20. Utrum magis expediat publico vel ſummæ poteſtati, eſt σκέμμα πολιτικόν. Solon quidem quadringentos ſuos voluit eſſe annuos; Romanis aliter viſum. In magno numero parum intereſt libertatis: In paucioribus & in magiſtratibus alia conſideratio eſt, ut deinde videbimus.

21. Denique, nec hoc omittendum; Si populus in multas civitates, uno imperii vinculo, diffuſus; non totus, ſed per legatos ab ſe conſtitutos & mandatis inſtructos, qui omnes populi ordines exhibeant, conveniat, hos conventus non videri ſenatus, ſed pro ipſis populis, quos repræſentant, eſſe habendos; ſive procuratores, ut olim erant, hodieque appellantur in Friſia, ſive nuncii publici, ut in Polonia, vel ſtatus, aut ordines, quocunque nomine deſignentur.

22. Hæc quidem, reſpectu ſtatus democratici, de ſenatu dicta ſunto: ſine quo liberæ civitates nullo modo conſiſtere poſſunt; & cujus, etſi forte minus recte conſulentis auctoritate labefactatâ, ſtatus popularis, inſtar navis & tempeſtatibus expoſita fluctuat, quemadmodum Athenis compertum eſt, poſtquam Pericles ſenatus auctoritatem minuiſſet, idemque Romæ Tribunitii motus, aliaque noſtro tempore notabiliter exempla docuerunt.

23. A democratia non multum hac parte diſcrepat ariſtocratiâ laxior, vel Timocratia, de qua diximus in *lib. 1. ſect. 8. cap. 5.* & cujus exemplum ob oculos eſt in Polonia, *i*) ubi cum univerſus nobilium conventus habeat ſummam poteſtatem, procuratores ſeu nuncii, quos ad comitia mittunt, non faciunt ſenatum, ſed exhibent ſummam poteſtatem: Et alius longe minoris numeri cœtus eſt, hujus generis, quem ſenatum regni vocant.

24. Sic in Friſia ſummum jus reipubl. eſt penes prædiorum dominos & curias urbium, quæ pariter legatos, ſive procuratores ſuos ad comitia mittunt, in quos, ut eſt hodie, transferunt annuam ſed verè ſummam poteſtatem. Idcirco ille cœtus legatorum ſeu procuratorum ſenatus non eſt; verum ex his aliud collegium deputatorum, ut vocantur, ad quotidianam reipublicæ adminiſtrationem delegantur, qui propriè ſenatum faciunt, ac ita portæ conſiſtorii illorum inſcriptum eſt, Senatus Friſiæ. Etſi hoc nomen uſu vetere & populari, tam latine quam vernaculè magis adhæſerit *curia ſuprema*, in qua res judicantur.

25. Quin nec ſenatus appellatio, ſicut eſt in uſu communi, magis ad hujus rei, de qua nos hic agimus, quam ad aliarum rerum naturam pertinet; cum etiam cœtus, quibus noſtra ſenatus definitio (cujus tamen non pœnitet) minus convenit, nihilo ſecus eâdem voce deſignentur; quemadmodum accidit ſummo Venetorum Senatui, quem penes eſt verè ſumma poteſtas reipubl. quæ ab hujus loci ratione diſcrepat & aliena eſt; cum iisdem ſint collegia, quæ ſenatus ſunt & vocantur, quod ipſum & aliis accidit optimatium imperiis; de quo genere univerſo collegiorum agere non eſt hujus loci.

26. Transeamus ad monarchias, non tam eas, in quibus principes ſunt, id quod latini veteres hac voce deſignare ſolent, primi dignitate, popularis aut optimatium poteſtatis executores, ut Spartæ olim, hodieque Venetiis & in Polonia, cum hæ ſpecie non differant

n. 23. *i*) in Polonia) *Sed vide quæ jam adnotavimus* ad lib. 1. ſect. 8. c. 1. n. 6. p. 291. lit. x. *Et ſane fluctuat Autor in determinanda forma Reipub. Polonicæ. Modo enim ad monarchiam refert, ut ibi notatum, modo ad ariſtocratiam, ut ibi & hic, modo ad reſpublicas liberas, ut mox n. 26. niſi, ut videtur, ibi vocem liberarum rerumpublicarum impropriè uſurpet, ut etiam ariſtocratias ſub ſe comprehendant.*

ferant à liberis rebuspublicis. Sed tales, quæ ſummam poteſtatem unicuique tribuunt,ut tamen non penitus à libertate populari vel Ariſtocraticâ recedant,ſed in quibus pars juris ordinibus reſervata eſt.

27. Ejuſmodi civitates recte conſulunt, ſi potius ſenatum Nomophylacum, libertatis cuſtodiæ, ut olim Spartani Ephoros, quam unum hac gratia magiſtratum, ut Arragonii quondam habuere, *Juſtitiam* dictum, & à Philippo II. ſublatum, conſtituant. Ejuſmodi autem collegia merito ſenatus appellantur, adſcita ab iis, qui hactenus aut ſummam poteſtatem, aut partem ejus, vel ſocietatem habent.

28. Unde ſequitur, ipſos populorum aut optimatium ordines per legatos ſuos in tali principatu congregatos, non eſſe, quod hic dicimus, ſenatum, qui ſummæ poteſtati inſervit & ab ipſâ in conſilium adſciſcitur; cum illi ipſam repræſentent, exhibeantque ſummam poteſtatem, vel ejus partem reſervatam, ſi modo vere talis reſervatio facta ſit: Nam ubi non ſunt tales magiſtratus aut ſenatus ſtabiliti, quos diximus; ut fere deſunt in regnis ubi ordinum conventus aguntur; ibi cauſa dubitandi & inquirendi eſt, an talis partitio ſummæ poteſtatis facta ſit.

29. Ipſi vero principes, quos ſummam poteſtatem ſed non integram accepiſſe conſtat, etiam ſuos & proprie dictos ſolent habere ſenatus, vel conſilia, ut magis appellantur, qui vel quæ adſiſtant illis in exercitio juris ſupremi, quatenus id ipſis delatum fuit, in quibus hactenus nihil eſt diverſi à conſiliis, quæ reges abſolutæ poteſtatis ſibi in omnibus & ad omnia adjungunt.

30. Regno igitur vel principatu ſimpliciter & abſolute conſtituto, res omnia regendi onus ſibi uni grave ſentiens eget adjutore conſilioque. Stupidus, quia per ſe non ſapit; prudens, quod ſummum ſapientiæ argumentum ſit, prudentiorum uti conſiliis; quæ nemo adſpernatus eſt, quin eum aliquando pœnituerit: Adſpernatur autem nemo: quam quod auctoritati ſuæ putat eo detractum iri, quod aliorum conſiliis egeat; ſtulte; cum nihil æque auctoritati expediat, quam quod cives credunt, ſe conſilio prudentium, non manu, id eſt, arbitrariâ poteſtate gubernari; & exteri, quod rem ſibi, cum principe, qui non impetu, ſed conſilio regat & regatur, futuram vident.

31. Sunt igitur tales ſenatus adjutores & conſiliarii tantum, à nemine, quam à principe, à quo ſelecti ſunt, dependentes; & in cœtum coacti, *ſenatus*, inquam, recte vocantur. Etſi à Romanâ republ. fluit & durat adhuc mos, conſiliarios principum ab ipſis adſcitos, non vocare ſenatum, ſed conſilium; Senatus ut cum reſpectu ad rempublicam diſcernuntur, eadem ratione ſenatores à conſiliariis ſeparare ſolemus.

32. Non caret ea res uſu in ejuſmodi regnis, ubi populus aut optimates ſeparatim jus à principatu tenent, quemadmodum in Polonia & olim in Daniâ, ubi ſenatores regni potius quam regis habentur & appellantur, aut appellati fuerunt: Sed in regnis abſolutis etſi manet diſtinctio vocum, res tamen non fert aliam, niſi à rege dependentiam.

33. Verum tamen eſt, quod illa diſtinctio vocum aliquando præbet argumentum, quod olim de jure non fuerit ſic: Quemadmodum in Gallia ſenatus Pariſinus olim certè nonnihil, aut non parum à regis arbitrio non dependens habuit, idque nec ſine interpellatione, poſtquam regia vi ſubactus eſt, uſucapionis aut præſcriptionis in contrariũ, quemadmodum ingenti voce motuque rerum hominumque Pariſini ſenatores, noviſſime, præſentis ſub regis ætate minore, conteſtati ſunt.

34. Quærendum eſt hoc loco, de conventibus ordinum in regnis, quæ Celtica voce *Parlamenta* vocantur; ſintne conſilia regnantium, an ſenatus regnorum; vel potius repræſentantes ordines, qui jus aliquod ſeparatum à poteſtate regnantium habeant.

35. Deciſio pendet à jure delati imperii, quo

Digitized by Google

quo ſimpliciter facto, cum jus ſummæ poteſtatis ſit omne penes principem aut optimates, quemadmodum in *lib. 1. ſect. 2.* demonſtratum eſt, parlamenta non poſſunt aliud eſſe, quam cœtus conſiliarii, ad hoc inſtituti, ut civium querelæ certius & tutius ad aures regum perveniant, majorique inſtantia & efficacia, malorum remedia quærantur.

36. Si vero ſint leges fundamentales, quibus jura quædam imperii non ſolis imperantibus, ſed una cum ordinibus exercenda ſanciuntur, jam ordinum conventus non ſimpliciter conſiliarii, ſed reipublicæ ſenatorii exiſtimandi ſunt; Etſi propriè loquendo, tum illis non conveniat *ſenatus* appellatio aut definitio, quem diximus à ſumma poteſtate conſilii cauſa adſcitum.

37. Et hoc aliquanto evidentius eſt, ſi conventus illi ordinum, regibus ipſis antiquiores ſint, quemadmodum apud Gallos fuiſſe ordinum Generalium conſilia docet Hotomannus in *Franco Gallicis*, & quemadmodum ſecus ex hiſtoria de Anglis conſtat, *Parlamenta k)* diu poſt occupatum armis belli regnum, ſponte regum cœpiſſe convocari, primo quidem procerum, ſive Baronum duntaxat; dein, cum regibus præſcribere vellent, etiam populi legatorum, quorum obnoxiis votis procerum potentiam & inſolentiam reges infringerent; ut pote qui proceribus obliqui regiæ auctoritatis prærogativam magis ſecuturi crederentur, ut ad regnum uſque Jacobi I. uſu veniſſe conſtat.

38. Idem juris, quod ordinum conventus nihil ſint, quàm magna conſilia, non ſenatus reipublicæ, liquidius inde patet; ſi non niſi à regibus convocari, nutuque regis diſſolvi, neque tempus ſibi ipſis, quo denuo conventuri ſint, definire poſſint: Ex quo non quidem colligi poſſe, quod Hobbes vult, ejuſmodi conventus, aut qui ab illis repræſentantur, nihil habere juris, ubi de hoc jure liquet, antea demonſtravimus, in *lib. 1. ſect. 3. cap. 4.* Attamen in dubio, cum de tali jure quæſito non liquet, hæc dependentia conventus ordinum, dependentiam juris arguere videtur.

39. Unde, quantum è regia majeſtate petatur ejuſmodi, poſtularis, ut reges certis temporibus illos conventus indicere oporteat, aut illis aliter convenire fas ſit; ut ne ſemper eoſdem, ſed novos ſubinde legatos, quorum à ſe non pendeat electio, vocare cogant; vel, ut ne prius eos, quam ipſi conſentiant, vel omnibus eorum deſideriis ſatis factum ſit, à rege dimittantur; quantum illa juris contineant, obvium eſt animadvertere.

40. Quemadmodum & hoc; in magnis populorum conventibus nunquam deeſſe, qui numero freti, jus imperii ad legem mandati exigere, & jura populorum quam proxime ad ſtatum naturalem redigere ſtudens quod gratum populis plerumque regnantibus infeſtis, facile per ſui ſimiles & late valideque in animos, inprimis accedente temporum adverſitate, diffunditur; unde periculoſi motus & viciſsitudines enormes.

41. Quare factum videmus, ut qui facultatem habent principes, ejuſmodi magnis conventionibus libenter ſuperſedeant, ſicut in Gallia pridem exoleverunt: & in Dania, cum ſimplici & hereditaria imperii delatione, mos ille convocandi ordines populi, noſtra memoria, pariter ſublatus & extinctus eſt. Jure, an injuria id fiat, è conſtitutione imperii & ipſa talium origine conventuum exiſtimandum eſt. Nec enim Daniæ regem ad ejuſmodi Panegyreis jam teneri quiſquam dixerit. Proinde nec alios reges, apud quos ſatis conſtar, ejuſmodi conventus nihil eſſe quam conſilia, non ſocietates

n.37. k) Parlamenta) *De differentiâ inter parlamenta Gallica & Anglicana dixi in* ſpecim. jurisprud. judicial. ex jure gentium c. 8. medit. 4. p. 99. *Adde eruditisſimam diſſertationem Larrêi* de origine parlamentorum *ſubjunctam* part. 1. hiſtoriæ Anglic.

tates imperandi; nihil adeo, quam colloquia, quod fuerunt ab initio, & quo amplius nihil habet vox *Parlamenti.*

42. Sed ubi vel inde à principio, vel dein præſcriptione temporis immemoriali, ordines populi ſocietatem & partem aliquam imperii acquiſiverunt, ibi reges, etſi tempus inchoandi finiendique ab illorum arbitrio pendeat, omnino congregationes illas abolere vel omittere non poſſunt; & cives habent jus, intermiſſiones longiores ſaltem precibus interpellandi; præter id quod facere poſſunt, ſi principes jura, quæ nonniſi cum ordinibus exercere poſſunt, ſoli uſurpare inſtituant, qua de re diximus in *lib.* 1. *ſect. 3. c. 5. & paſſim.* Quanquam rurſus, ſi terminos ſuæ poteſtatis non excedant, ad conventus indicendos, ſi nihil ea de re legibus cautum ſit, obſtricti non videntur, nec adigi poſſunt.

43. Enimvero, tam naturale ſolitumque eſt magnis cœtibus, ſi de rebus imperii conſulendi ſint, adverſari actionibus imperantium, & magnitudo illorum numeruſque tam difficulter ſubigi vel circumagi poteſt, ut quicunque ſummam poteſtatem ſimpliciter delatam habent, vel qui in hoc ſunt, ut talem exerceant, quoslibet ſenatus magnos, characterem à republ. præferentes, ſi penitus abolere nequeant, à jure publico ſaltem removeant, & cauſis privatorum diſceptandis occupent, adeoque nihil inde quam curias judiciales faciant; ut de Romano ſenatu fecerunt imperatores & de Pariſino Francorum reges, idemque de aliis, quicunque potuerunt.

44. Denique, eo res rediit, ut in pleriſque regnis abſolutæ poteſtatis, ſenatus nihil ſint aliud quam cœtus conſilii cauſa à principe adſciti, unicè ex lege noſtræ definitionis, qui per ſe non habent juriſdictionem aut imperium ullamve poteſtatem, niſi nomine juſſuque principis; nec enim magiſtratus, ſed ordo ſunt, adeoque nec concludendi jus è prærogativâ numeri præſidente Principe habere poſſunt: Sed hic, etſi cum multis, quid fieri debeat, tractet; quod facturus ſit, cum paucisſimis, vel ſecum potius ipſe decernere poteſt, ut Vegetius 3. 26. In quem uſum ſecretius aliquod, & *cubiculare*, quod vocant, conſilium adhiberi ſolet.

45. Nec quominus id, arbitratu ſuo Princeps habeat, & ſeorſim conſulat, ulla juris obſtat ratio; tametſi, quominus ejusmodi cœtus è republ. fit, adeſſe principi, multa politici non temere monent, de quibus videſis Lipſium *lib.3. Polit. c.4.* Qui tamen nec ipſe, temperamentum reſpuit; maxime, ſi dotes illis conſiliariis privatisſimis adſint, dignæ ſenatoribus, pietas, fidelitas, taciturnitas, judicium, conſtantia cum modeſtia, de quibus politici ac inter eos Lipſius *d. lib. 3. Polit. c. 4. & ſeqq.* conſulantur.

46. Scilicet ad Politicam iſta, non ad jus publicum pertinent; niſi quod juridica illis immixta reperiuntur, ut de pietate; Numquid aliquando fraudibus auctorem præbere ſe posſit, Lipſio quidem è tribus unum admittente genus, de quo diximus in *lib. 1. c. 1. n. 16. & ſeqq.* & id genus alia.

47. Item, an eccleſiaſtici inter conſiliarios adhibendi, quos Veneti quidem nullo modo admittunt, vulgato etiam in hanc rem proverbio, *Fòras ſacriſti*, ob rationem politicam magis, quia pontifici Romano creduntur eſſe obnoxii. De jure dicendum videtur, non eſſe prohibitum, *l*) illos adhiberi, ſi cura animarum per occupationem civilem non impediatur. Quod requiſitum an tollat ipſam facultatem pendet ab ordine regendi

n. 47. *l*) prohibitum) *Neque tamen etiam eſt præceptum. Ergo quæſtio pertinet ad politicam: an conducat? Apud proteſtantes in Germaniâ ſolent adhiberi in conſiſtoriis eccleſiaſticis, ubi principes imperant. In reliquis rebuspublicis nec hic ubique adhibentur, ut Noribergæ.*

regendi eccleſias, qui apud proteſtantes minime factus ad ejusmodi mixturam à pontificiis inde jam olim ita ſtructus eſt, ut non penitus ab illo concurſu abhorreat.

48. At hæc de ſenatu unius civitatis, vel imperii dicta ſufficiant. Poſſunt etiam plures arctè fœderati habere communem ſenatum temporalem, vel perpetuum, quale fuit olim liberis Græciæ populis concilium Amphictyonicum. Et eſt hodie fœderatis Belgarum nationibus; qui præter ipſos ſociorum legatos, habent ſenatum ordinum, aliter conſilium ſtatus. Nec abludit ordinum imperii ſenatus apud Ratisbonam; niſi fortean hi potius ſint, quod dicuntur, Principum & reliquorum ordinum legati, magis quam ſenatus.

49. In quolibet ſenatu ſolet unus eſſe præſes, vel idem perpetuus, vel ubi libertas major, alii aliique per vices, quibus jus eſt ſolis referre ad ſenatum & rogare ſententias; Etſi nec deſunt ſenatus, ubi partes quidem rogandi ſint penes natu vel temporis ordine primum, jus proponendi penes omnes, quod Bodinus ita juris eſſe debere contendit, ut nimis periculoſum putet, uni tantum concedere juris, ut præter eum nemo quicquam ad deliberandum proponere poſſit. *lib. 3. c. 1.*

50. Si nihil certi ſancitum fuerit, jus Romani ſenatus univerſale videtur; ut præſides, qui tum conſules fuerunt, aut prætores, haberent jus rogandi ſententias; At cuique ſenatori libertas erat, antequam ad rem propoſitam reſponderet, in quamlibet aliam digredi cauſam, deque ea dicere ſententiam, de quâ, ſi haberet conſentientes alios, ſenatusconſultum æquè fieri poterat, quam de re à conſulibus relatâ, uti cum paſſim, tum ex *Philippicis Ciceronis, qui in ſenatu quidem habitæ ſunt*, orationibus conſtat.

51. Primo rogari ſententias, ætate, loco, dignitate priores, ordinarii juris eſt. Nec tamen improbandus eorum mos Bodino laudatus, qui juniores & ultimos primo loco interrogandos cenſent, idque uſurpant, tam, ne ſeniorum auctoritate abripiantur, quam ut judicium ipſi, magis exercere & periclitari diſcant. In quem finem, præſtat etiam ut quisque inde ab initio deciſoriè dicat, neque prius collatio rationum deliberativa inſtituatur, ut quibusdam in locis fit, apto paucorum auctoritati potius, quam æquabili juris adminiſtrationi inſtituto.

CAP. V.
DE OFFICIIS PUBLICIS.

Quid ſit officium publicum. n. 1. Munus quid & quotuplex. n. 2. Muneris & honoris diſcrimen. Munera publica, triplicia. n. 3. 4. 5. Eos qui officia publica gerunt, eſſe privatos. n. 6. 7. Honores quid. Dividuntur in magiſtratus & præfecturas ſeu curationes. n. 8. Quid ſit magiſtratus, quæſitum, & definitum. n. 10. Reges non eſſe magiſtratus, non magis quam magiſtratus ſunt reges, etſi etymologia à neutro abhorret. n. 11-14. Officium magiſtratuum exponitur, n. 15. in ordinaria imperandi & judicandi poteſtate, n. 16. 17 18. ſecundum leges n. 19. Sintne magiſtratus, ſingulæ perſonæ, an etiam collegia dentur magiſtratuum. quod aff. n. 20. Diviſio magiſtratuum in majores & minores. n. 21. Eorum differentia vetus & nova. n. 22. Rectene magiſtratus diſtinguantur, quod ſint regis aut regni, latè disquiritur & diſtinctè

 reſpon-

Digitized by Google

reſpondetur. n. 23-32. Alios eſſe magiſtratus regiminis & judiciorum. n. 33. An recte dividantur in civiles & eccleſiaſticos; n. 34. civiles & militares, quod magis neg. n. 35. Diviſio in perpetuos & temporarios; Ad vitam & hereditarios. Sed juriſdictionem territorialem non facere magiſtratus. n. 36-40. Præfecti, curatores quid & eorum diviſiones. n. 41. Quatenus eo pertineant eccleſiarum rectores, n. 42. 43. Exercituum Duces, n. 44. 45 46. De præfecturis ordinariis & extraordinariis, & quatenus hæ ſint periculoſæ vel licitæ. n. 47. 48. De collatione bonorum & nundinationibus eorum. n. 49-59.

1. LEges & ſenatus ad ſummam univerſamque rempublicam pertinent. Præter quos, imperantes, ſeu populus ſit, ſive optimates, vel reges, adjutoribus & miniſtris, qui officia publica gerant & adminiſtrent, indigere manifeſtum eſt. Quid eſt ejuſmodi officium? Eſt *munus civile privati hominis, ex quo commodum ad ſingulos univerſoſque cives auctoritate publicâ, pervenit*, imitatione Pomponii in *l. 239. §. 3. d. V. S.*

2. Primo de genere; Munus, à Feſto *ita* definitur, *munus*, inquit, *eſt propriè, quod neceſſario obimus, lege, more, imperiove ejus, qui jubendi habet poteſtatem.* Eſtque privatum vel publicum. Illud ex ejus, qui privatim jubendi poteſtatem habet, auctoritate proficiſcitur, quo pertinet munus liberti erga patronum. Publicum eſt, quod à cauſâ publicâ neceſſario imponitur, & eſt hujus loci; quod in definitione dictum eſt, *munus civitatis*, quoniam à lege vel imperio in civitate ſtabilito, invitis etiam imponitur, *Πραγμάτειαν κατὰ πόλιν; Negotium à civitate impoſitum* vocat Dionyſ. *lib. 4.*

3. Hæc munera civitatis, ſunt vel munera πρὸς ἴι, ſpecialiter dicta, vel honores. Munera prioris generis, ſunt *miniſteria publica, ſine dignitate*, honores *cum dignitate.* Quæ non habent dignitatem, etſi ad hunc locum proprie non pertinent, omitti tamen non poſſunt. Dicuntur autem eſſe trium generum; Perſonalia, patrimonialia, mixta. Perſonalia ſunt, quæ animi proviſione & corporalis laboris intentione exercentur, ad quam ſpeciem non modo referuntur tutores & curatores, quibus ex lege vel imperio publico ſuæ functiones imponuntur, ſed etiam kalendarii curationes & quæſturæ municipales, ut Arcadius Chariſius tradit in *l. 18. ff. de Muner. & Honor.* etſi quæſturæ, uti nunc eſt, inter honores potius, cum nec utilitate ſua careant, habeantur. Sed vigiliæ nocturnæ & ducatus ordinum in civium cohortibus & centuriis, item diaconatus eccleſiaſtici magis eſt, ut ad hanc claſſem referantur.

4. Hæc de muneribus ſufficient. Nam quæ patrimoniis impoſita dicuntur, huc non pertinent; neque mixta, quatenus patrimonialia ſunt, & quatenus ad perſonas ſpectant, è prioribus intelliguntur. Plenius illa tractantur apud jure-conſultos ad Tit de Munerib. & Honoribus.

5. Ita vidimus, quid ſibi velit, *Munus* in definitione officii publici. Dicitur munus *civitatis*, ſive reipublicæ; qua voce removentur ab officiis *munera* quorum adminiſtratio in privatorum rebus & patrimoniis verſatur, ut ſunt Tutelæ & curæ, quas ideo rectè Modeſtinus negat eſſe reipubl. munera *l. 6. §. 15. ff. de Excuſat. Tut.* etſi quatenus auctoritate publicâ invitis etiam imponuntur, ſuo ſenſu *publica* munera nuncupentur à Juſtiniano in *pr. Inſt. de Excuſ. Tut.*

6. Sequitur in definitione Pomponii, *privati hominis*, quod ad publici juris obſervationem non eſt nullius momenti; ſcilicet, omnes qui officia cujuslibet generis publica

gerunt,

Digitized by Google

gerunt, in ſe eſſe privatos, & quanquam privati aliquando magiſtratibus opponuntur *l. ſi privatus* 17. *ff. Qui & à quib. man. lib.* reſpectu civitatis tamen & principis, à quo officiales æque ac infimi quique dependent, ipſi nihil aliud quam privati cenſentur. *l. 6. l. 35. ff. de jure fiſci.* Unde magiſtratus contra ſummam poteſtatem nihilo plus habere juris, quam privati quique teneant, alibi demonſtratum eſt.

7. Reliqua definitionis verba finem publicorum munerum, & originem; quod è fonte ſummæ poteſtatis profluant, ſignificant, etſi non immediate: quare nec in definitione, de ſumma poteſtate, ſed *auctoritate publica*, deſignatum eſt; quia in latitudine tot civitatis officiorum, pleraque ab inferioribus poteſtatibus conſtituuntur.

8. Hactenus, officiorum publicorum definitio, quæ tam munera, quibus nec emolumentum, neque dignitas continetur, quam honores comprehendit. Et de his porro videndum. Sunt autem honores, miniſteria publica cum dignitate; ne de emolumento, quod & plerumque adeſt, requiſitum addamus. Sed diſtinguuntur honores, ut videtur, in duas ſpecies, in *magiſtratus & curationes.*

9. Quid ſint ſive præfecturæ ſive magiſtratus, exacte dicere, ſatis difficile viſum & compertum eſt juris auctoribus, qua de re prolixe Bodinus *lib. 3. de Rep. c. 3. & 4.* qui nec ita ſuum lectorem nimis certum dimittit. Cujacius alioquin optimus definiendi magiſter, magiſtratum ait eſſe *perſonam publicam*, fere ut Ariſtoteles, *cui publice judicium & juriſdictio data eſt, not. ad l. 2. de O. J. §. 10.* Cum tamen cenſores & tribuni plebis maxime ſint magiſtratus, & juriſdictione careant; Bodinus *in lib. 3. c. 3. in pr.* magiſtratus, inquit, eſt *officialis qui publicum IMPERIUM habet*, addens, *parum referi, quibus verbis, ſi latina deſint, utamur, modo rem teneamus*; hactenus bene.

10. Sed non placet, quod per *imperium m*) ſolum, definit magiſtratum. Latius enim & in juris arte, vel imperium ſignificat armatam poteſtatem, vel amplitudinem magi-

n.10. *m*) imperium) *Forte ſine cauſa hic vapulat Bodinus. Uti res artificiales, ita multo magis res arbitrariæ & apud ſingulos populos variantes difficulter definiuntur. Bodini & Autoris definitiones nonniſi verbis differunt, aut ubi differunt, dubium eſt annon Bodini definitio ſit melior. Quos enim Autor vocat* miniſtros ſummæ poteſtatis, *eos Bodinus unâ voce dicit* officiales. *Porro* imperium *Bodinus non ſumit in ſenſu illius artis juris, quam Autor hic jactat, i.e. in ſenſu juris Romani, ſed in ſenſu politico. Scribebat enim politicam, non commentabatur jus Romanum. Dein ipſe Autor adhibet vocem* imperandi *in ſuâ definitione. Ergo ipſummet feriunt objectiones, quas Bodino fecit. Nam quod &* judicandi *vocem adjungit, Bodino omiſſam, huic parum nocebit. In ſenſu enim* imperii *politico poteſtas judicandi ſub poteſtate imperandi comprehenditur, nam qui ſententiam fert, utique jubet vel imperat àliquid fieri. Adde quod Autor* n. 33. *ſeos* qui imperant, *omnium maximè ſenatores, eſſe concedat, & fateatur* judices *frequenter magis* magiſtratibus *opponi, (in ſuâ ſcilicet juris arte.) Porro quod Autor* ordinariæ *poteſtatis mentionem facit, cum Bodinus eam omittat, poterat & pro Bodino dici, in omnibus definitionibus politicis præſumi reſpectum ad ea quæ ſunt ordinaria, cum extraordinariæ ſint exceptiones à regulis & definitionibus, & ſecundum Autorem* n. 47. *Magiſtratus etiam Bodino conſtituantur jure ſaltem ordinario.. Imo quid vetat, ſub magiſtratibus i. e. officialibus qui publicum imperium habent, etiam comprehendi magiſtratus extraordinarios, cum eam locutionem ſuppeditent ſcriptores pariter Græci & Latini, & ipſa res quoque à plurimis, ſi non omnibus gentibus ſit recepta.* Conf. Feneſtellam & Pomponium Lætum de magiſtrati-

Digitized by Google

magiſtratuum, principis populi, cum oppoſitione ad magiſtratus municipales, ut in *Prælect. ad tit. ff. de juriſdictione* demonſtratum. Atqui nec armata vis magiſtratui adæquata eſt, nec magiſtratus municipales ab hac appellatione ſecludere fas eſt; præter quod imperii vox ita excellenter ſumpta, rem minus explicat evidenter & *σαφῶς*. Refellendo aliorum dicta, nihil agimus, ſed ita nos; magiſtratus ſunt, *miniſtri ſummæ poteſtatis, ad ejus vices ſecundum leges, in quotidiana imperandi & judicandi functione, obeundas, ordinaria poteſtate inſtructi.*

11. Miniſtros cum dicimus, ipſam poteſtatem ſummam ab hac definitione excludimus; etſi vulgus eum qui τὸ κύριον civitatis habet, ipſumque regem vocat *ſummum magiſtratum, contra latinæ vocis uſum: Nam Romanis magiſtratus minorum poteſtatum nomen eſt*, ait Grotius de jure S. P. circa ſacra *cap.* 1. reſpectu regum ſcilicet; nam *alioqui magiſtratus etiam majores* idem fuiſſe conſtat. Cujacius ad *§. 14. l. 2. d. O. J.* etiam βασιλεὺς, addit hic, *Græcis nunquam, dicuntur* Ἄρχοντες, *celſiores ſunt reges magiſtratibus.* Etſi aliter ſæpe Theologi, Politici, uſum potius vulgarem quam Romanum ſecuti. *n*).

12. Vox equidem magiſtratus ſi conſideretur ab etymologia, nihil habet, quod non regibus ipſis convenire poſſit; Quid ni enim magiſtros populorum, illos appellare liceat? Quemadmodum & magiſtratus etymologice reges vocari poſſent; à regendo enim nomen iis optime convenire, quis neget? ſed ut verba valent uſu, ita reges appellari magiſtratus non magis latinum eſt, quam ut magiſtratus latine reges vocentur, quicquid muſtei latinitatis magiſtri nobis perſuadere velint: Plane, quominus aliquis populus ſummo magiſtratui ſuo nomen regis adſcri-

bus Romanis. *Igitur fortè melius feciſſet Autor, ſi loco litigii de definitione magiſtratus ſollicitus fuiſſet de tollendâ homonymiâ vocis. Magiſtratus ſumitur vel in ſenſu latiſſimo ut comprehendat etiam ſenatores, ut infra* n: 33. *ap. Ariſtotelem & communiter apud politicos, ubi agunt de jure majeſtatico conſtituendi magiſtratus, vel in ſenſu ſtricto, ut ſenatui opponatur, ut paſſim fit in jure Romano, ubi potiſſimum ex ſenatu ſumebantur magiſtratus, vel in ſenſu ſtrictiſſimo, ut denotet ſaltem magiſtratus ordinarios ſenatui contradiſtinctos, ut Autor hic, quamvis nondum adduxerit præcepta ex ſua juris arte, quæ jubeant hunc ſtrictiſſimum ſignificatum vel præ reliquis uſurpari, vel ſecundum eam magiſtratus definitionem formari debere. Si hoc vel ſimili modo autor homonymiam magiſtratus enodaſſet, non opus fuiſſet poſteà in ſequentibus proponere quæſtiones parum utiles, ſed inaniter de voce litigantes: utrum magiſtratus militares, item extraordinarii ſint magiſtratus nec ne; quæ ſubtilitates magis nocent juvenibus, eoſque ad logomachias adſuefaciunt, quam ut proſint.*

n. 11. *n*) Romanum ſecuti) *Poterat pro excuſatione afferri, quod ipſi Romani vocem magi*ſtratus *tàm latè extendant. Ita Pomponius Lætus in libro de magiſtratibus Romanis primo & ſecundo capite agit de regibus: Deinde ob ignorantiam politices & juris publici olim Theologi & politici, imò & JCtorum plerique (etiam Proteſtantes) Electores, Principes & Status Imperii habebant pro officialibus imperatoris, & adhuc hodie ex illis, qui Imperatori adulantur, non deſunt, qui pro talibus habeant. Quod vero etiam de regibus indubiiè terminus magiſtratus prædicetur, & de principibus ſuperiorem non habentibus, haud dubiè debetur arcanis cleri papalis. Hic enim perſuaſit Principibus, Deum habere duas vicarias poteſtates in his terris, Principem vel optimates in ſecularibus, papam vel epiſcopos in eccleſiaſticis: adeoque ex omnibus ſummis poteſtatibus fecerunt officiales, eâ intentione ut poſtea ſummas poteſtates tanquam officiales inferioris dignitatis ſubjicerent Papæ vel Clero tanquam vicariis ſuperioribus.*

adſcribere velit, poſſit, quis vetet? ut Suffeten Carthaginenſium vocat, regem Cornelius Nepos *in Hannone*, & Sanothracas ſuum Theondam, qui ſummus erat illis magiſtratus, regem appellaſſe, teſtis eſt Livius *in lib. 45. c. 3.* ſatis indicans, nomen regum illis improprie fuiſſe adſcriptum, ut latini quidem uſurpant.

13. Magiſtratus autem non ſimpliciter miniſtros, ſed miniſtros ſummæ poteſtatis diximus; cum alioqui miniſtri ſæpe magiſtratibus opponi ſoleant, ut M. Cato, cum in viatores, actuarios & ſcribas animadverteret, *vos*, inquit, *veſtræ conditionis meminiſſe, nec vos magiſtratus ſed miniſtros eſſe, cogitare oportuit*, apud Plutarch. *in Caton. Utic.* Etſi verum eſt, magiſtratus quaſi magiſtros, quemadmodum Α'ρχοντες, ab imperando, eſſe dictos; & officia magiſtratuum inferiorum, *magiſteria municipalia* vocantur apud Svetonium *in Auguſt.* Quin dictatur, qui ſummam poteſtatem habebat, magiſter populi dicebatur, ut Feſtus *in verb. optimâ lege.* Hæc nihil obſtant, quominus veri magiſtratus, verè ſint miniſtri ſummæ poteſtatis, etiam populi; magiſtri ſingulorum, minores univerſis.

14. Ex eo quod *miniſtri* ſunt magiſtratus, ſequitur & eorum officia parteſque ſingulas officiorum quæ gerunt, ſemper à ſumma poteſtate dependere, eique rationibus reddendis ſemper eſſe obnoxios; adeo ut nec præſcriptione temporis ei ſe, vel officia ſua parteſve eorum ſubducere poſſint, quandiu ſcilicet magiſtratus ſe eſſe profitentur, quod occupatum eſt in *lib. 1. ſect. 3. c. 9.*

15. Officium igitur magiſtratuum in ſumma eſt, *vices ſummæ poteſtatis obire.* Nam αὐτοτελικῶς, & actu primo, univerſum civitatis regimen ad τὸ κύριον, ad eum cui ſumma poteſtas eſt delata, pertinet; ſed cum omnibus non ſufficiat, in magna præſertim civitate, mediis opus fuit adjutoribus, per quos imperia in ſubjectos exercerent; quo pertinet, quod rempublicam diximus eſſe ordinem civitatis, qui conſiſtat in regimine ſummæ poteſtatis & ſubjectione reliquorum, per medios magiſtratus *l. 1. ſect. 2. c. 2. n. 17.* Unde quo reſpectu iidem ſint miniſtri & magiſtri, aliquanto patet evidentius quam modo dictum eſt.

16. *In quotidianâ imperandi & judicandi functione:* In his enim officium magiſtratuum, imprimis occupatur. Quippe ſumma rerum & majora, quæ majeſtatis jura dicuntur, rectores ſibi ipſis reſervant, de quibus in *lib. 1 ſect. 3. c. 6. n. 3.* diximus. Minora, vel etiam executio majorum, *o*) & uſus eorum particularis ac quotidianus, magiſtratibus committitur. De imperando & judicando plura mox *inferius.*

17. Dicuntur magiſtratus *ordinaria* poteſtate inſtructi; nam qui extraordinarias poteſtates & imperia accepere, non tam magiſtratus ſunt, quam ad genus curatorum, ſive, ut hodie loquuntur, *commiſſariorum*, de quibus ſtatim agetur, referri debent, ut Bodinus recte diſtinguit in *d. lib. 3. c. 2 & 3.*

18. Quod tamen captari nolim, quaſi negemus, in magiſtratibus ullo ſenſu poteſtatem ordinariam & extraordinariam diſtingui poſſe, quemadmodum in Romanis uſu veniſſe conſtat; qui pleraque ſuæ poteſtatis obierunt *ex more, propter vim imperii*, ut Paulus loquitur in *l. 11. §. 1 ff. de Judic.* quatenus erant tales magiſtratus; Nonnulla facere ſoliti ſunt ex ſpeciali lege, qua certis magiſtratibus quædam partes, ante ab iis alienæ

n.16. *o*) majorum) *Diximus jam ad locum hic citatum diſtinctionem in regalia majora & minora nullum habere uſum in jure univerſali. Quæ illuſtrantur ex illis, quæ autor hic ipſe indulget: etiam majorum executionem & uſum concedi poſſe magiſtratibus. Imo nec, quæ minora dicuntur, magiſtratibus conceduntur radicaliter ſed ſaltem quoad uſum & exercitium, ut ibi oſtenſum fuit.*

lienæ, committebantur, de quibus agit Ulpianus *l. 1. in pr. ff. de offic. ej. cui mand. eſt juriſd.* Nam talia poſtquam lege certa recens erant permiſſa magiſtratibus, exinde recto ſenſu, ordinaria dici potuerunt; etſi reliquorum, quæ more veteri, hoc ipſo, quod magiſtratus erant, illis competebant, extraordinaria vocari poſſint & ſoleant à juris conſultis.

19. Additum eſt, *ſecundum leges*, non quod omnes magiſtratus è legibus datos, ut vult Bodinus, & conſtitutos oporteat; ſed quia in rebus adminiſtrandis & functionibus ſuis obeundis legum præſcripta ſervare debent. Nec ulla melior & certior eſt nota majeſtatis & magiſtratuum jura, quæ à minoribus, ex illis ſæpe notis haud facile ſeparantur, diſcernendi; quam quod omnia, quæ miniſterii legum terminos egrediuntur, & ab illarum præſcripto recedunt, ad jus ſummæ poteſtatis referri debent; quæ res exemplis è capite de minoribus majeſtatis juribus, quod in *lib. 1. ſect. 3. c. 7.* habuimus, illuſtrari poteſt.

20. Hæc ad definitionem. Diviſiones rei naturam magis explanabunt, ad quas antequam progrediar, operæ pretium ſit quæri, an, quod à Bodino aliiſque generis loco in definitione collocatum eſt, *perſonam publicam p*) eſſe magiſtratum, id rectè à nobis ſit mutatum, eo quod hodie pleraque magiſtratuum officia non à ſingulis hominibus, ſed à pluribus in modum Collegii adminiſtrantur. Cui ſcilicet inſtituto conſentaneum eſt, ſingula talium membra collegiorum, non eſſe magiſtratus, ſed ipſis collegiis hanc convenire qualitatem, quemadmodum & nomen illud vulgo iis adſcribitur; ut plurium conſulum aut rectorum conſeſſus appelletur *magiſtratus*, etſi neque hodie deſint aliqui magiſtratus, qui ſinguli nomen & poteſtatem, quod olim fere ſemper uſu veniebat, gerunt. Unde notabile diſcrimen juriſdictionis, quod apud Romanos ſinguli magiſtratus, majores quidem, in jus vocari non poterant, eo quod poteſtas major non eſſet, cui ſe, vocati ſiſtere cogerentur: Cum hodie ſinguli magiſtratus membra majoris collegii, huic univerſo ſubjecti ſint, ac ita in jus vocari poſſint atque ſoleant.

21. Diviſio ſumma magiſtratuum eſt, in majores & minores, qui apud Romanos auſpiciis diſcernebantur, ut Gellius tradit in *lib. 3. c. 13.* hodiè ſecundum plus aut minus momenti, quod ſingulorum functiones habent in republ. Quæ res tamen apud Romanos non minus formalem effecit differentiam, quam his diebus efficiant. Auſpicia nihil erant quam hujus diverſitatis, quæ unicè ad rem pertinet, notæ. Summa differentia fuit olim, quod majores habuere vocationem & prenſionem, vel utrumque, ut conſules & prætores, vel prenſionem tantum, ut tribuni plebis. Qui neque vocationem neque prenſionem habebant, ut quæſtores ac ædiles & cæteri, minores erant, docente Gellio *d. lib. 13. c. 12. & 13.* qua de re nos egimus in *part. 1. digreſſ. lib. 3. c. 22.*

22. Hic loci non de Romanâ veteri, ſed de qualibet agimus republ. In quibus majores magiſtratus vocare licet, qui ſummæ reipubl. vel integris provinciis præſunt: Minores in municipiis & modicis juriſdictionibus, minoriſque momenti functionibus verſantur, quorum enumerationem in univerſum facere non licet, cum alii ſint in aliis civitatibus & imperiis, tam poteſtate quam nominibus, & dignitatis æſtimatione; quæ ſæpe

n. 20. *p*) publicam) *Sed Bodinus ſupra* n. 9. *dixerat magiſtratus eſſe* officiales. *Deinde etiam intuitu illorum, qui magiſtratum dixerunt eſſe* perſonam publicam *mallem à ſubtilitate illâ autorem abſtinuiſſe. Nam & in uſu juris pariter & politico notum eſt, perſonæ vocem etiam prædicari de collegio & univerſitate. Vide Schardium* in lexico juris hâc voce. *Puſend.* de J. N. & G. l. 1. c. 1. §. 12. 13.

ſæpe major eſt, ubi poteſtas eſt minor, ut cenſura in veteri civitate Romanâ, conſulatus ſub imperatoribus.

23. Majores magiſtratus in monarchiis à multis diſtinguuntur, quod ſint vel imperatoris vel imperii, regis aut regni, idque non uno ſenſu, pro cujus varietate, probanda vel improbanda diſtinctio videtur. Nam ſi magiſtratus regis eſſe volunt, qui rem illius aulicam & patrimonialem curant; Regni vero, qui reipubl. gubernandæ præficiuntur, hujus diſtinctionis uſu non ſpernimus, ſi quis *officiales* ita dividendos putet; nam *magiſtratus*, iſti aularum præfecti non ſunt, neque appellari ſolent, ut quidem magiſtratus latine & juridicè accipiuntur. Hoc ſenſu igitur illa magiſtratuum diviſio admitti non poteſt.

24. Præfectis igitur & miniſtris aularum à magiſtratuum appellatione remotis, videamus de imperio principum aut optimatium ſimpliciter ipſis delato, an ibi locum habeat hæc diſtinctio; quod ſi rerum momenta ſpectentur, negandum putamus. Eo quod in ejuſmodi imperiis ſimpliciter fundatis, ſumma poteſtas, cujus miniſtri ſunt magiſtratus, & à qua omnis inferior poteſtas derivatur, eſt penes ſolos imperantes. Populus autem omne jus ſuum tranſtulit ac alienavit, unde nullos à ſe dependentes habere poteſt miniſtros ſuæ poteſtatis exercendæ.

25. Quin etſi in talibus imperiis uſu veniat, quod tamen rarius accidit, ut populus quoſdam magiſtratus creet, inde tamen non ſequitur, hos eſſe populi magiſtratus ab ipſo ita dependentes, ut ab imperantibus, in quos populus imperium tranſtulit, non abſolutè dependeant; quia modus eligendi ad jus imperandi nullo modo pertinet, & populus eo caſu, more potius & indulgentia poteſtatis ſupremæ, fungi videtur electionibus; aut ſi jure ſuo, præfecti tamen & electi ab illis, non poſſunt habere plus juris, quam præficientes & eligentes, qui ipſi imperio ſubditi ſunt, habeant.

26. Apparet hoc in magiſtratibus municipiorum majoris imperii, qui multis in locis, ubi imperium ſimpliciter eſt ariſtocraticum aut monarchium, à populis eliguntur; neque tamen ideo populum repræſentant, aut quicquam juris ab iiſdem accipere intelliguntur, ut jam *præcedente libro ſect. 3. cap. 6.* demonſtravimus.

27. Idem probatur ex eo, quod modus & facultas eligendi, quibuſdam in locis, non penes omnem populum, ſed penes certos electores, aut unum etiam legatum, ſeu *locum tenentem*, ut hodiè loquuntur, eſſe videmus: unde tamen nemo dicet, illos magiſtratus eſſe non ejus, qui habet imperium civitatis, ſed eorum, à quibus electi fuerint.

28. Dixi autem, ſi res ipſa ſpectetur, non verba, vel ſpecies inanis; quomodo ſub primis Cæſaribus Romanis, magiſtratus fuere cæſaris aut populi, origine ſumptâ ab exemplo Julii dictatoris, qui comitia cum populo diviſit, ut quoſdam magiſtratus ipſe deſignaret, quoſdam populus crearet, ut Svetonius teſtatur; quod ſequentes *λόγῳ μᾶλλον ἢ ἔργῳ* non tam re quam verbis imitati adumbraverunt.

29. Nam poſtquam lege, quæ regia dicta eſt, populus omne ſuum imperium & poteſtatem in principes cæſares tranſtulit, illud jus creandi magiſtratus per populum, nihil quam modus eligendi fuit, & σόφισμα Πολιτικὸν; qui modus ipſe dein fere totus à Tiberio ſublatus & abolitus eſt, comitiis è campo translatis in curiam, ut Tacitus refert in *lib. 1. Annal cap. 15.*

30. Manſit tamen etiam poſtea diſcrimen magiſtratuum cæſaris & populi verbotenus, quemadmodum fieri videmus, in juris arte præſertim, ut re mutata verborum differentia maneat: Nam conſules, proconſules, prætores, & quæſtores erant magiſtratus populi Romani & tales habiti ſunt adhuc ſub imperatoribus. Præfectus prætorio, urbi, præſes, erant cæſarei magiſtratus, ſicut etiam provinciæ erant cæſaris aut populi, omnia λό-

nia λόγῳ, non ἔργῳ, ut in *Prælect. ad tit. ff. de officiis* maximè de *officiis proconſulis & præſidis* expoſitum eſt.

31. Hinc quibuſdam viſum eſt negare, præſidem eſſe magiſtratum, Hotom. *6. obſerv. 22.* quia legitur aliquando ſeparatim à magiſtratu populi Romani, ut ab Ulpiano in *l. 3. §. 1. ff. Quod met. c.* ubi, *magiſtratus populi Romani, vel provinciæ præſes.* Cum tamen huic maxime definitio magiſtratus conveniat, ut vices ſummæ poteſtatis gerat; Præſes enim habet maximum poſt principem imperium *l. 4. ff. de offic. Præſ.* Quid autem magis, inquam, ad officium magiſtratus pertinet, quam imperium vice principis ordinarium exercere, τὸ γὰρ ἐπιτάττειν ἀρχικώτερον, *imperare vel maxime competit magiſtratui*, ut Ariſtot. *4. Polit. c. 15.* Sed in *d. l. 3. §. 1.* poteſt etiam intelligi oppoſitio, quod magiſtratus urbani ſeparentur à provincialibus: In urbe vero populus Romanus eſt propriè id quod eſt, in ſede dignitatis ſuæ.

32. Denique, hujus diſtinctionis uſus eſt in regnis, ubi non totum jus in imperantes tranſlatum eſt: In his enim poſſunt eſſe magiſtratus, non tantum ad jus populi, adverſus regum uſurpationes cuſtodiendum, populi nomine conſtituti, quales olim erant Ephori apud Spartanos, & Juſtitia, dictus apud Arragonios; Sed etiam qui talibus exequendis & adminiſtrandis juribus præpoſiti ſunt, quæ regi, nonniſi pariter cum ordinibus populi commiſſa ſunt; eodem plane diſcriminis effectu, quo ſenatus regis & regni in talibus imperiis, *præcedenti capite*, diſtinctos eſſe diximus, ubi & exempla Polonorum & olim Danorum, in primis etiam in imperio Romano Germanico & in Britannia magna.

33. Tranſeamus ad alias diviſiones. Magiſtratus ſunt vel regiminis vel judiciorum. Ariſtoteles addit tertiam ſpeciem *l. 3. Pol. 15.* Ἀρχὰς inquit, λεκτέον ταύτας, ὅσαις ἀποδέδοται βουλεύσασθαί τε περὶ τινῶν, καὶ κρῖναι, καὶ ἐπιτάξαι, καὶ μάλιστα τοῦτο, *magiſtratus dicendi ſunt omnes, quibuscunque tributum eſt, jus deliberandi, judicandi & imperandi, & hoc quidem maxime?* Sed revera deliberandi officium eſt ſenatorum, qui ſunt diverſi à magiſtratibus. Omnium maxime qui imperant, magiſtratus ſunt, ut eundem rectè jam modo adfirmantem audivimus; idque cum uſu Romano maxime convenit, à quibus imperium inprimis adſcribitur magiſtratibus, ut *infra capite* de imperio videbimus. Dum è contra judices frequenter magiſtratibus opponant *l. 2. ff. de Reg. Jur. & magiſtratus officium ſit, dare judices l. 3. ff. de juriſd. l. 12. §. 1. ff. de Judic.* Intellige judices datos & delegatos, qui *Pedanei* dicebantur, χαμαιδικασταί Nam alioqui magiſtratus etiam eſſe judices qui jure & poteſtate ſua res judicant, abunde conſtat, ipſo jure Romano *l. 1. l. 81. ff. de Judic. Rubric. de reb. auctor. jud. poſſid.*

34. Diviſione magiſtratuum in civiles & eccleſiaſticos, carere licet; etſi recte intellecta ferre poſſit; non quod ſacerdotes in ordinem magiſtratuum cooptamus: Τοῦτο γὰρ (τοὺς ἱερεῖς) ἕτερόν τι παρὰ τὰς πολιτικὰς ἀρχὰς θετέον. *Sacerdotum ordo aliud quid à magiſtratibus reipubl. eſt dicendum. q)* Sed quia ſumma poteſtas civitatis habet aliquod jus externum in rebus eccleſiaſticis, qui vicibus ejus hac parte funguntur; quominus appellari queant magiſtratus, nihil de jure quidem impedimento fuerint.

35. An etiam in civiles & militares admitti poteſt diviſio, ut præfecti legionum & tribuni militum ſint magiſtratus? Ita nos olim, *r)* hac ratione, quod cum imperatoris ſeu

n. 34. *q)* dicendum) *Interim tamen nec eſt prohibitum, ſacerdotes fieri magiſtratus.* Vide ſuprà c. præced. n. 47. & ibi notata.

n. 35. *r)* olim) *Et fortè melius quam nunc. Scilicet, ſi magiſtratus vox late accipitur, pro omnibus officialibus, quibus ſumma poteſtas opus habet in adminiſtratione, uti communiter ſi-*

ris ſeu regiæ majeſtatis officium non modo ſit, pacis tempore civem regere, ſed etiam armis tueri rempublicam; qui regias vices hac parte ſervat & implet, huic magiſtratuum definitio competere videatur. Imperandi etiam vocabulum ad rem militarem vel maxime pertinet, & Romæ pleroſque magiſtratus juxta civilem habuiſſe militarem poteſtatem, notiſſimæ proditum eſt memoriæ. Sed hoc ſimul conſtat, armorum poteſtatem in illos fuiſſe collatam lege Curiatâ, poſtquam centuriatis comitiis creati fuerant magiſtratus, ut hæc qualitas à præfectura belli ſeparata fuerit. Ergo militare miniſterium ad præfecturas, de quibus ſtatim agetur, referemus. *s*)

36. Dividuntur etiam in perpetuos & temporarios. Perpetuis, quibus adæquata vitæ termino poteſtas defertur, & quid ſi hereditaria ſit? Hæc qualitas excedit equidem notiſſimos magiſtratus limites, quod eſt miniſterium perſonale, ſemper à poteſtate profluens & ab eâ dependens. Nec tamen non erit magiſtratus, ſi ordinaria imperandi vel judicandi poteſtas certæ familiæ; modo non fiat hoc jure Territoriali, quod à proprietate magiſtratus omnino remotum eſt, detur. Nam ſi ipſa poteſtas ſumma recipit hereditariam qualitatem, cur vicarius ejus eandem nullo modo capere poſſit, non habet rationem.

37. Modo, quod eſt veriſſimum teneatur; ſucceſſionem nihil aliud eſſe, quam juris primævi continuationem in heredes, qui nec plus, nec minus habent, quam ei, qui primus illam poteſtatem acquiſivit, à ſummâ poteſtate conceſſum fuit. Etſi verum eſt, ſicut temporis, cum ubique, tum in jure potiſſimum, maxima vis eſt, ita perpetuas & maxime hereditarias poteſtates facile ad incrementa juris eniti. Sed hoc politicæ magis eſt providentiæ quam juridicæ diſceptationis.

38. Imperia tamen & poteſtates, quæ jure territoriali *t*) quibuſdam familiis hereditario ſucceſſionis ordine tribuuntur, ut ex inſtituto feudali per omnem fere Europam hodie receptum eſt, magiſtratus vocari non poſſunt; quia patrimoniale jus à magiſtratus definitione toto genere eſt alienum, nec

 eam

eri ſolet, dum Politici & JCti de regali magiſtratuum conſtituendorum agunt, etiam magiſtratus militares ſub magiſtratibus comprehenduntur. Et hoc innuit etiam autor in ratione hic paululum obſcurius poſitâ.

s) referemus) *Hac ratio parum probat. Nam* 1. *ratio hæc non pertinet ad jus univerſale, ſed ad explicandos ſaltem mores Romanos.* 2. *quid exciperet autor, ſi quis aſſereret ad iſtud dubium ſolvendum, in centuriatis comitiis creatos eſſe magiſtratus ad ſtatum pacis pertinentes? Ergo* 3. *nulla alia cauſa fuit ſententiam mutandi, quam ne aliàs definitio magiſtratus noviter adverſus Bodinum excogitata corrueret.*

n. 38. *t*) territoriali] *Patet ex* hoc numero, *ut & ex* n. 18. & 19. cap. ſeq. *quod Autor jus feudale, territoriale, patrimoniale, item juriſdictionem patrimonialem, (quæ ſingula multum differunt) miſceat & quaſi pro ſynonymis habeat, magis ſcilicet verſatus in ſuâ juris (Romani) arte, quam in antiquitatibus juris Germanici. Sed de his diſtinctionibus aliàs. Sane quod rem ipſam attinet, ipſe autor conceſſit, non repugnare eſſentiæ magiſtratuum, ut ſint hereditarii. Olim vero ducatus & comitatus, qui erant nomina officiorum & magiſtratuum dabantur in feuda, ſed absque ſucceſſione. Succeſſio ſubſequens duces & comites non exemit ſtatim ex claſſe magiſtratuum, adeoque non jus nudum territoriale, ſed ſuperioritas territorialis, multis gradibus pedetentim ſtabilita. Unde ab initio hujus capitis notavimus, adhuc tempore reformationis ſtatus imperii fuiſſe habitos pro officialibus ſeu magiſtratibus*

eam, recipit à ſumma poteſtate dependentiam, qualem expedita facultas regendi civitatem in miniſtris, ipſius vice fungentibus, requirit. Etſi verum tamen eſt, exercitium illius poteſtatis ſubjectum eſſe legibus & imperiis à ſumma poteſtate proficiſcentibus; ipſoſque judices hereditarios & territoriales, rationibus illi reddendis obnoxios eſſe; quoniam unitas reipubl. nullo modo patitur, ut ulla poteſtas, præter eam, quæ τὸ κύριον habet, ἀνυπεύθυνος, *nullis ſubjecta rationibus* exiſtat.

39. Quemadmodum & tota magiſtratus definitio; quod miniſter ſummæ poteſtatis, quod locum ejus tenet, ſive quod vices ejus gerit, indicat, nulli quamlibet maximo magiſtratui, jura ſibi data, vel ullum delatum competere independenter, ab eo, qui illum conſtituit & creavit, quâ de re ſuperius *in loco* de imperio tranſactum eſt.

40. Cæterum, expediatne temporarios, an vero perpetuos & inprimis Hereditarios habere magiſtratus aut præfectos, eſt, inquam, σχῆμα πολιτικόν, ad utilitatis potius, quam ad juris rationes pertinens, fere inde pendens; An continuatio temporis, notabile ſummæ poteſtati, ſeu populus, ſive optimates, ſive princeps eam teneant, præjudicium creare poſſet, quod à cujuſque reipubl. & poteſtatis conſideratione pendet.

41. Sed quia magiſtratus à præfecturis antea ſeparavimus, de his quoque ſeorſim paucis agendum. Qui functiones honorificas à magiſtratuum officiis diſtinctas obeunt, hi curatores à Bodino, vel præfecti appellantur, Ἐπιμέλειαι vocat Ariſtoteles *d. l. 4. c. 15.* quam facit duplicem ἢ πάντων τῶν πολιτῶν, ἢ κατὰ μέρος; univerſalem aut particularem. Utraque ſacra vel profana; & hæc militaris aut civilis; denique & ordinaria vel extraordinaria dici poteſt. Videamus ſingulas ſpecies, & an omnes extra confinia magiſtratuum maneant, animadvertamus.

42. Ἐπιμέλεια, ſive curatio *ſacra*, pertinet ad rectores eccleſiarum, qui cum duplex habeant jus, unum à Chriſto domino ipſis injunctum, alterum à ſummâ poteſtatè dependens, neutro tamen reſpectu magiſtratus ſunt, ἀλλ' ἕτερόν τι. Sed aliquid inde bene diverſum, ut ſupra ex Ariſtotele audivimus. Quippe jus internum τῶν ἔσω τῆς ἐκκλησίας, cum à poteſtate civili non ſit, hinc ſponte eſt alienum. Externum jus τῶν ἔξω τῆς Ἐκκλησίας, eſt quidem à principe & ejuſmodi, ut per alios exerceri poſſit: Attamen non pertinet ad ordinarium imperandi vel judicandi munus, quod in magiſtratus definitione collocatum eſt. *u*)

43. Igitur ſacra curatio, vel eſt univerſalis in una rep. ut in Anglia archiepiſcopi Cantuarienſis & in palatinatu ſenatus eccleſiaſtici electoralis, apud nos ſynodorum & delegatorum ſynodalium; vel particularis paſtorum & ſeniorum cujuſque eccleſiæ, vel plurium

---

Imperatoris. Nobiles vero qui juriſdictione patrimoniali pollent in feudis ſuis diverſo reſpectu pro magiſtratibus haberi poſſunt & non poſſunt, prout ruſtici habentur pro hominibus liberis vel propriis. Plura in diſcurſu.

n. 42. *u*) collocatum eſt) *Conjunctio doctrinæ Ariſtotelicæ cum diſtinctione inter interna & externa poteſtatis Eccleſiaſticæ, quam certè ignoravit ſummus Ariſtoteles, magis implicat, quam ut erudiat. Præſertim cum ſuprà* ad lib. 1. ſect. 5. *oſtenſum fuerit, diſtinctionem in interna & externa Eccleſiæ eſſe inventum merè clericale, ad nihil aliud inſerviens, quam ad coloranda arcana politicæ papiſticæ. Ergo de ſacerdotibus & miniſtris eccleſiæ breviter ſic tenendum. Regulariter non ſunt magiſtratus, quia carent imperio i. e. vi coactivâ. Quatenus vero & ubi hanc, artibus ſuis acquiſiverunt, eatenus ad magiſtratuum claſſem referri poſſunt. Et ſecundum hanc diſtinctionem etiam explicanda ſunt ea quæ Autor tradit* n. ſequente.

Digitized by Google

plurium in claſſes congregatarum; quatenus certa forma conſiſtorialis & claſſicalis ordinis ſine influxu ſummæ poteſtatis haberi non poteſt. Dicerem, aliquando jus eccleſiaſticæ & civilis præfecturæ concurrere; ſed hoc magis ſummis poteſtatibus, ut in pontifice Romano & olim in cæſaribus Romanis, etiam ſummis populi Judaici ſacerdotibus uſu venit, quam in præfectis inferioribus: Etſi tales fuerint epiſcopi in Germania, Saxonibus aliiſque recens victis ſed indomita tumentibus ferocia populis, a Carolo Magno præpoſiti; ut mixto religionibus imperio facilius adſveſcerent atque miteſcerent. Unde poſtea principatus epiſcopales, quibus ſola gentium abundat Germania.

44. Profanæ, ut dictum, præfecturæ ſunt primo, militares, quæ ſimiliter univerſales ſunt aut particulares. Prioris generis eſt στρατηγὸς στρατευμένων ut Ariſtoteles, ſimperator exercitus, qui licet imperet, non eſt tamen ordinaria poteſtas: Nec enim ſemper habetur exercitus, nec idem ſemper exercitui præeſt. Quod ſi conſultum ita fuerit in aliqua civitate, ut idem à ſumma poteſtate perpetuo exercitui præficiatur, difficile dictu eſt, cur non idem magiſtratus ſit dicendus: quomodo præfectus prætorio, qui militibus præerat, ſine dubio magiſtratus fuit; etſi hic quoque civilem juris dicundi poteſtatem conjunctam habuerit, ut juris auctores in *Tit. D. & C. de offic. Præf. Prat.* docent. *w*)

45. Quemadmodum & comites ſtabuli olim in Anglia & in Gallia, æque pro magiſtratibus habiti fuerunt. Idemque Belgæ fœderati in ſuis præfectis obſervant: Et hi quidem ſoli utramq; civilem & militarem poteſtatem adhuc in iiſdem ordinarie & hereditarie continuarunt. In reliquis omnibus imperiis jam pridem ſeparatæ ſunt poteſtas militaris & civilis, ſicut, à Conſtantino magno factum, in præfectis prætorio: Vel perpetua in milites imperia penitus extincta, & in extraordinarias præfecturas commutata ſunt: quod tentatum aliquando à Belgis ætatem non tulit, adverſante nativa reipubl. conſtitutione, ſingulari admodum exemplo.

46. Particulares præfecturæ militares quæ ſint, ultro patet, earumque late patet varietas, tam vetere, quam recentiore diſciplina; ſive aliquis militiæ totius provinciæ cujuſdam, majori imperio; ſive legioni, ſive cohortibus, aut etiam centuriis præficiatur; quorum gradus & appellationes hic recenſere, nihil ad hanc rem attinet.

47. Quod diximus eſſe curationes & præfecturas etiam ordinarias, vel extraordinarias, minus obvium habet intellectum, de quo Bodinus hoc tenet diſcrimen, quod curationes extra ordinem omnes, magiſtratus ordinario jure conſtituuntur. Sed nobis hæc ratio conſtat, quod magiſtratus ſint, ut Ariſtoteles rectè, quibus imperandi & judicandi poteſtas ordinaria *x*) competit; multi autem in civitate reperiuntur, præfecti & curatores ordinarii, quibus nec imperium, nec juriſdictio adſcribi poteſt; ut ſunt advocati & procuratores fiſci, curatores ærarii, præter quæſtores, qui magiſtratus ſunt; Scribæ ſecretorum, quos amplo ſatis miniſterio ſecretarios vocant, & id genus alii innumerabiles, qui nec imperium nec judicandi poteſtatem habent, ideoque magiſtratuum in numero haberi non poſſunt. *y*)

48. Qui-

n.44. *w*) docent) *Illa ratio, quod magiſtratus militares non ſint magiſtratus propriè dicti, quia eorum poteſtas non ſit ordinaria, petit id quod eſt in principio, vide ſuprà notata ad* n.10. lit. m.

n.47. *x*) ordinaria) *Sed vox hæc ordinaria non comparet in loco Ariſtotelis ſuprà* n. 33. *deſcripto.*

y) non poſſunt) *Concedo, quia non habent imperium, ſive igitur ſint ordinarii, ſive extraordinarii.*

48. Quibus autem imperium, vel judicandi poteſtas extra ordinem tribuitur, hi nec ob ordinariæ poteſtatis defectum magiſtratus appellandi ſunt, z) quin nec rato de illis quæritur, an jure a) conſtitui poſſint, quando periculoſas ac odioſas ejuſmodi creationes haberi, omnium fere temporum & civitatum uſu compertum eſt. Deciſio pendet à ſtatu cujuſque reipubl legibuſque ſingulatum fundamentalibus, quibus ſi adverſentur extraordinariæ poteſtates, (contra quas, ſe bellum gerere Brutus ad Ciceronem ſcribens, adfirmat,) ſine dubio improbandæ ſunt. Imperio alioquin & ſumma poteſtate ſimpliciter conſtituta, ſi non lateant arcana dominationis, quæ ſæpe in illis inſunt, nihil eſt, quo videri poſſint excedere, vel jus populi in democratia, vel regum poteſtatem. Exemplis quæ ubique ſunt obvia, abſtinemus.

49. Cæterum, magiſtratus, præfectos & curatores creari ab imperantibus ſupremis, ipſa res loquitur & ſæpe dictum eſt, utique majores. Nam quominus inferiores ſumma poteſtas per miniſtros ſuos creari curet, de jure quidem nihil obſtat.

50. Sed digni an indigni, gratis an pretio functionibus ſuis præficiantur, politicè quidem & interni juris reſpectu intereſt multum; ſed externâ facultate parum aut nihil refert; niſi quod miniſtri hac cauſa rationibus reddendis atque pœnis ſunt obnoxii. Inprimis ſi pretio nundinentur officia reipublicæ. Quod ratio vult, haud minus illicitum eſſe in plurium imperiis, ubi diſpoſitio de pleriſque reipubl. muneribus committi ſulet collegiis à ſummâ poteſtate delegatis; quam ſi in monarchiis idem à miniſtris fiat. Nec aliud in ſingulis ejuſmodi collegiorum membris obtinet, quam ut ſordium convicti, repetundarum, quomodo hoc crimen in jure Romano vocatur, teneantur.

51. Ratio prohibitionis, præter internam turpitudinem, eſt hæc manifeſta; quod cujus rei quiſque tantum ordinandæ gratiâ conſtitutus eſt, abſque proprietate, vel fructu, & uſu, de hac pecuniarum utilitatem nullo modo percipere poſſit: talis autem eſt ſine dubio poteſtas conferendi in idoneos homines munera reipubl.

52. Verum ut hujus rei diſputatio non magnam habet difficultatem juris, ita jam pridem illa tempora vivimus, in quibus nulla parte morum evidentius eſt, corrumpere & corrumpi ſeculum vocari; qua de re poſt tot irrita legum experimenta, valde otioſum ac inutile fuerit queri. *Horatius*;

Quid triſtes querimoniæ
Si non ſupplicio culpa reciditur?
Quid leges ſine moribus
Vanæ proficiunt? quis veterem audeat
Refrenare licentiam!

53. Proinde cum deſperata ſit hac in parte ſeculi emendatio, non immerito quæritur, numquid hujus rei tanta ſit turpitudo, ut nefas ſit, poteſtates ſummas in uſum ærarii publici convertere pretia honorum, quæ alioqui certiſſime vident, à miniſtris ſuis occupatum iri; ut quibusdam in locis fieri vidimus & videmus.

54. Dicendum in theſi, rempublicam vehementer quidem hoc inſtituto dehoneſtari, & virtuti, cui ſæpe comes paupertas, aditum ad honores, quo nihil injuſtius, præcludi: in hypotheſi tamen, ſi mores adeò ſint corrupti, ut ſordibus nullo modo privatim abſtineri queat, fieri poteſt, ut nec civitas peccet, quod publico quæſtui procerum avaritiam eludat. Idque longius extra reprehenſionem collocatur, ſi publica neceſſitas hac ratione,

n.48. z) appellandi ſunt) *Nobis vero ita appellare licebit, poſtquam illam hypotheſin de ordinariâ tantum magiſtratuum poteſtate, cum ratione rejecimus.*

a] an jure) *Miſcet hic autor doctrinam politicam & Jurisprudentiam. Multa jure ſiunt, etſi non expediant. Et ipſe Autor ſuprà* n.36. ſeq, *confeſſus eſt, magiſtratus perpetuos eſſe jure tales, etſi* n.40. *monuerit, id parum expedire reipublicæ.*

tione, patriæ bono & civium levamento conſulendum dictet, ut Venetiis aliquoties factum legimus & meminimus.

55. Quin eo res deductæ ſunt, ut in plurium imperiis, ea res optanda magis, quam ſperanda videatur, prævalente ſingulorum cupiditate reputationi communis utilitatis; dum ſemper ut injuſtum prohibetur & jurisjurandi religionibus ſancitur, quod flagrantiſſime exercetur. Si eſt malum, quod reſpublica vendit officia ſua, potius quam ut à miniſtris vendantur aliena; quemadmodum id eſſe malum, non poteſt negari; pertinet ea res ad locum communem de malis neceſſariis, & de minoribus malis permittendis ad evitanda majora, quod exemplo divortii Judæis ob σκληροκαρδίαν ſuam permiſſi, & libelli traditione ſanciti, ſolet & forte poteſt defendi.

56. Quod tamen eo uſque nolim extendere, ut etiam de pecunia pro ſuffragio vel aulicorum in monarchiâ, vel regentium ſingulorum in Polyarchia, danda exigendaque lex feratur, aut actio detur; quanquam ejuſmodi conſtitutio extat Imperatoris Juſtiniani in *Tit. C. de Suffragio*; quam Eunomiæ difficulter approbare poterimus, ut, ubi nos eo perduxerit ordo, videbimus.

57. An hi, quibus datum eſt jus, honores & munera publica conferendi, ex pluribus candidatis haud ineptis omnibus, aliquem minus idoneum ex gratiâ eligere poſſint, haud etiam de nihilo quæritur. Non conſiſtit equidem in puncto aptitudinis æſtimatio: Et ſi nulla prægnans utilitatis publicæ ratio ſecus flagitet, idoneum eligendo, reipubl. officioque ſuo ſatisfacere videntur; Adeoque res pertinet ad locum, de rebus licitis præ magis laudabilibus, licitè inſtituendis.

58. Juris quoque ratio non prohibet, unum civem pluribus officiis & honoribus fungi, modo functionibus omnium par ſit implendis. Sed an expediat, honores ita cumulari, politica quæſtio, & arbitratu cujuſque civitatis rectorum terminanda fuerit.

59. Spectant etiam ad politicam hæ quæſtiones; Utrum ſenes, an juvenes, divites an pauperes oporteat eſſe magiſtratus, plebeji cum patriciis, advenæ cum indigenis admittendi. Item quanta potentia cuique magiſtratui tribuenda, perpetuum an temporarium jus illos habere præſtet, & id genus alia. Invitos etiam ad magiſtratus capiendos cogi poſſe, ubi res ita poſtulet, juris ratio dubitare non patitur; Etſi hoc uſum magis habet in muneribus proprie dictis, quam in honoribus & dignitatibus, quibus raro ſit, ut deſint homines & candidati.

CAP. VI.
DE JURISDICTIONE ET IMPERIO.

Poteſtatem magiſtratuum eſſe duplicem, jurisdictionem & imperium. n. 1. Quæ ut jure civili diſcrepent, in hac arte conjungenda videri. n. 2. Quid ſit jurisdictio & ejus homonymia, n. 3. 4. Definitionis per ſingula verba expoſitio, n. 5. 6. Diſcrimen ejus à notione & audientia, & quibus hæ competant, n. 7 8. 9. Diviſio prima jurisdictionis in ordinariam & extraordinariam, aliter ac jure civili, expoſita. n. 10. 11. Secunda diviſio in politicam & judicialem, n. 12. Improbatur diviſio in civilem & eccleſiaſticam, etſi ab uſu non

aliena. n. 13. 14. III. Diviſio, in univerſalem & particularem exponitur. n. 15. 16. Minus probatur alia in allodialem & feudalem. n. 17. Meliorem eſſe in perſonalem & realem, ſive patrimonialem. n. 18. 19. Alia, in voluntariam & contentioſam: n. 20. Hæc iterum in civilem & criminalem, quæ & merum imperium; n. 21. 22. A quo mixtum quid differat jure civili. n. 23. Guilloti & D. Schotani de jurisdictionis & imperii diſcrimine ſententia. n. 24. Cavendam eſſe meri & ſummi imperii confuſionem, n. 25. Diviſio jurisdictionis in propriam & alienam, & hujus iterum in mandatam & prorogatam, earumque expoſitio & cenſura. n. 26-34. Modi quibus finitur jurisdictio & imperium, mors, tempus, n. 35. Abdicatio, n 36. Exauctoratio, & quatenus hæc jure fieri poſſit. n. 37. 38. 39. Præſcriptionem hic non habere locum. n. 40. 41.

1. Officium magiſtratuum conſiſtere in imperando & in judicando *ſuprà* demonſtratum eſt. Unde poteſtas eorum duplex, juriſdictio & imperium, de quibus apud juris privati interpretes, agi quidem ſolet; At cum materia ſit directe publici juris, hic nihilo magis omitti poteſt; eodem à nobis ſervando temperamento, quod in aliis capitibus parallelis obſervatum eſt, ut juris publici univerſalis majorem, quam civilis Romani rationem habeamus: Etſi quod in eo traditum extat, hic nobis exempli viam, non legem præſcribere poſſit & debeat.

2. Primo omnium, quod juris Romani conditores de juriſdictione & imperio ſeorſim agere inſtituerunt, id nobis & hodiernis populorum moribus uſu venire non videtur; Sed ut hæc ſeparatio multam in arte ac interpretatione juris civilis infert difficultatem, ita conjunctionem nobis hic utiliorem & commodiorem, denique rei naturæ officioque magiſtratuum, ut nunc habetur, magis convenientem foro prævidemus. *b*)

3. Imperium igitur, ex ratione juris publici, ſic ineſt juriſdictioni, ut partem ejus faciat, adeoque juriſdictio tam latè pateat, quam jus dicentis officium, quod ut jure civili inſolentius viſum iri, non ignoramus; etſi nec deſint, qui ipſo jure civili, ſic eſſe putant, ut vidimus, in *Eunom. ad L. 3. ff. de Juriſd.* ſic univerſali jure publico nullam habet difficultatem. Separatio imperii & juriſdictionis inde Romanis ſediſſe videtur; quod olim magiſtratus creati centuriatis comitiis, imperium id eſt, poteſtatem armorum lege curiata ſeorſim accipiebant, ut docet Sigonius *de jur. Civ. Rom. c. 21.* quod à præfectura exercituum ad quotidianam magiſtratuum adminiſtrationem translatum, eodem modo ſe non habet in aliis civitatibus, nec in noſtris ullum inter juriſdictionem & jus dicentis officium diſcrimen obſervatur.

4. Deſi-

n. 2. *b*) prævidemus.] *Melius feciſſet Autor, ſi doctrinam juris Romani de jurisdictione planè ſepoſuiſſet, & vel ex moribus aliorum populorum, vel certè ex moribus patriæ fontem differentiæ oſtendiſſet. Nam jam alii JCti oſtenderunt, idem eſſe, acſi ab aſino lanam velis quærere, ſi ex jure Romano velis petere doctrinam jurisdictionis Germaniæ. vide quos. citavi in diſputat.* de jurisdictionis & magiſtratuum differentia ſecundum mores Germanorum th. 33. *quæ plura ſuppeditabit ad hanc doctrinam pertinentia.*

4. Definiatur hoc modo juriſdictio, quod ſit *de cauſis cognoſcendi, judicandi, judicatique exequendi poteſtas. c)* Separandæ ſunt ab hoc ſenſu, aliæ quædam hujus vocis ſignificationes, ut cum juriſdictio pro ſummâ poteſtate ſumitur, quemadmodum in illo Senecæ *1. de Clem. Quâ ruant urbes, quâ oriantur, mea juriſdictio eſt.* Sæpe etiam ſubjectivè ſumitur pro regione certâ, quatenus per eam jus dicitur, ut hodie frequentisſime fit; etiam Plinius ita, *lib. 5. nat. Hiſt. c. 20. Ab eâ Doris*, ait, *incipit, ſed prius terga & mediterraneas juriſdictiones indicaſſe conveniat.*

5. Per *cauſas* intelligimus hic omnia, de quibus inter homines diſceptari poteſt, non modo quæ ad jus privatum, ſed etiam ad publicum ſpectant, adeoque tam latè patet cauſa, quam magiſtratus aut jus dicentis officium. Nec enim poteſt eſſe magiſtratus, cui non jus cognoſcendi & decidendi lites ad officium ſuum pertinentes competat, ſive ad patrimonia civium privata, ſive ad ærarium, ad tributa & vectigalia morumque cenſuram, aliave rei publicæ vel privatæ negoria ſpectent.

6. *Cognoſcendi & judicandi* hic non debet reſtringi ad tribunal & ordinariam *fori* trituram, quæ eſt judicium; nec enim hi ſoli ſunt magiſtratus, aut habent juriſdictionem; ſed omnis inquirendi, audiendi, decernendi & cogendi poteſtas; quam habere magiſtratus, tam politicos vulgo dictos, quam juridiciales, hiſce verbis intelligitur.

7. Exequendi facultas juriſdictionem ſeparat à notione vel audientiâ, quæ eſt cognoſcendi & judicandi facultas, ſine exequendi poteſtate; qualis erat olim judicum Pedaneorum, & eſt hodieque, delegatorum, qui à curiis judicumque collegiis dantur, ut vel cauſam cognoſcant, partes & teſtes audiant, omniaque ad cauſam in *ſtatum viſionis*, ut loquuntur, deducendam pertinentia, peragant, deciſione dein à toto collegio facienda; vel etiam ferant ſententiam, executione à collegio toto impetrandâ.

8. Tales etiam ſunt judices collegiorum & univerſitatum, quæ in civitate certis hominum ordinibus, ut mercatoribus ab artificibus conceduntur; qui res utiles ad profesſionem ſuam pertinentes judicant, executionem vero à magiſtratibus petere debent: quemadmodum & academiarum rectores & domini, quos vocat Fridericus Imperator in *Authent. Habitâ*, qui non habent executionem rerum à ſe judicatarum, ut res ſe habet in Gymnaſiis, ac etiam in academiis, quæ totæ à certis civitatibus pendent, ut in Belgis Ultrajectina; ubi proinde rectores non ſunt magiſtratus; ſecus ac in plerisque univerſitatibus ſtudiorum, in quibus juriſdictio eſt, cum imperio penes rectores & judices.

9. Denique, rectores eccleſiarum huc etiam pertinent, quibus data eſt notio, de rebus ad fidei confesſionem & cenſuram morum pertinentibus, abſque ulla executione ſe foras exercente. Juſtinianus Imperator. Eccleſiaſticam illam notionem vocat audientiam. Quin etiam privati conſentientes, ejuſmodi notionem dare poſſunt arbitris compromiſſo electis, qui ſententiis ab ſe pronunciatis deſinunt eſſe quod fuerunt: executione ab ordinariis petendâ magiſtratibus. *d)*

 10. Satis

n.4. *c)* poteſtas) *Expoſitionem harum trium jurisdictionis partium eſſentialium dedi* ibid. § 41. ſeq.

n.9. *d)* magiſtratibus) *Autor hic varia miſcet, quæ ex principiis jurisprudentiæ univerſalis e-rant accuratius diſtinguenda. Verum eſt, poteſtatem exequendi eſſe partem eſſentialem jurisdictionis, ſed non eſt neceſſe, ut ipſe magiſtratus exequatur, ſed ſufficit, ſi modo exequatur per alios. Similia de notione & dijudicatione dicenda ſunt.* Vide d. diſſert. th. 45. *Igitur ſi magiſtratus alii per quos fieri debet executio libertatem habeant executionem de-*

10. Satis ad definitionem. Sequatur diviſio, quæ non una ſe præbet. Summa ſit hæc, quod juriſdictio ſit vel ordinaria, vel extraordinaria. Dicimus ordinariam, non quæ competit magiſtratibus qua talibus, ſed etiam quæ ex lege ſpeciali ipſis, ordine tamen perpetuo, competit. Nam quod talia jure Romano ab ordinariâ Juriſdictione ſeparantur, jure gentium hodierno nullum habet uſum.

11. Extraordinaria juriſdictio competit præfectis, judicibus extraordinem à ſumma poteſtate conſtitutis, ut olim erant dictatores, vel potius præfecti urbis, feriis latinis, imo omnes qui ſorte judices legebantur; & hodie, quoties id ex uſu reipubl. videtur; etſi quam minime frequenter id fieri ſatius eſſe, docet uſus rerum magiſter. Sæpe ſunt dominationis, aut factionum prævalentium productiones; ut ſenatus tumultuum in Belgio ſub duce Albano, & curia ſumma feralis Angliæ anno 1649. aliæque alibi locorum.

12. Utraque ſpecies & maximè ordinaria eſt vel politica, vel judicialis. Illa, quæ in rebus ad jus publicum ſpectantibus, ſine forenſi ſtrepitu; hæc, quæ in privatis de meo & tuo controverſiis & forma ſolenni in foro exercetur. Utraque tamen in cauſæ cognitionibus, in judicando & exequendo verſatur: Illa per legatos & præfectos ſummæ poteſtatis, reipubl. regimini præpoſitos; hæc penes judices, ſeu ſingulæ perſonæ ſive collegia ſint, ut hodie plerumque uſu venit, conſiſtit. In jure Romano hæc diviſio neſcitur, cum jus illud politica non tractet.

13. Tertia diviſio juriſdictionis fertur, in civilem & eccleſiaſticam: Sed hanc occupavimus & removimus, eo, quod eccleſiæ nullum competere imperium, id eſt, vim coactivam armatam, ſine qua non eſt juriſdictio, ſed notionem tantum & audientiam, intelleximus: *e*] Unde, ſi quis communem loquendi modum ſequi malit, & eccleſiaſticam notionem vocare juriſdictionem, ſervare tamen poteſt & debet, quod in rei veritate eſt inter has ſpecies diſcrimen. Enimvero ſi quis excommunicationem, ſuſpenſionem, abdicationem ſimileſque pœnas ab eccleſiis infligi ſolitas ad imperium referre velit, arbitratu ſuo loquetur: cum nihil ſint quam ſententiæ, quarum executio ſine ope civilis poteſtatis, quæ adhibet imperium, haberi non poteſt. Ita ſecundum vera eccleſiæ jura, *lib. 1. ſect. 5.* expoſitum eſt.

14. Sed pontificiæ eccleſiæ latè diffuſa potentia & independentia fecit, ut hac diviſione, forte carere non liceat: Etſi tamen & hæc ipſa in executionibus facti, & quæ ad imperium proprie dictum pertinent, brachium ſeculare, quod appellant, implorare cogatur, cum ultra depoſitionem & excommunicationem, quæ nihil ſunt, quam pronunciationes & ſententiæ, in quibus abſolvitur notio, nihil habeat eccleſia, quod ultra, per Imperium ſuum exequi poſſit. *c. cum non ab homine x. de Judic.*

15. Sed diviſio juriſdictionis in univerſalem, & particularem eſt *ſubjectivâ*, reſpectu territorii

negandi, tum is apud quem eſt notio & ſententiæ dictio, caret juriſdictione. Et huc pertinent exempla in n. 7. *At ſi magiſtratus alii non poſſint denegare executionem, nil obſtat, quo minus juriſdictio prædicetur de iis, qui exequuntur nonniſi per alios. Ita quoad exempla in* n. 8. *apud nos ſenatus Academicus habet juriſdictionem. Similiter & ex* n. 9. *Epiſcopi, quia magiſtratus civilis cogitur exequi ſententias epiſcoporum inſtar* brachii ſecularis. *Quod vero adhuc tempore Juſtiniani juriſdictio epiſcoporum vocaretur* audientia, *pertinebat ad arcana politicæ clericalis, tum temporis rem juriſdictionis obtegentis pallio audientiæ.* Confer Perez. ad Cod. de Epiſc. audient. ab init.

n.13. *e*) intelleximus) *Sed ad hanc objectionem modo reſpondimus. Et diviſionem juriſdictionis in ſecularem & eccleſiaſticam ex principiis juris patrii deduximus in* d. diſſ. §. 50. ſeq.

territorii. Univerſalis, quæ per univerſum imperium extenditur, ut eſt magiſtratuum regni vel majoris reipubl. tam politicorum quam judicialium, quales olim erant conſules, dein præfecti prætorio, & quovis in imperio magiſtratus vel curiæ totius regni.

16. Juriſdictio particularis iterum eſt, vel provincialis vel municipalis. Provincialis (voce populariter, non antiquitus latinè accepta) quæ per regionem ſive partem imperii majorem patet, qualis erat præſidum & proconſulum, & eſt hodieque præfectorum cuiuſque provinciæ poteſtas in regnis. Municipalis eſt in ſingulis civitatibus majoris imperii membris, aut etiam in pagis, ſeu ſingulis vicis, ſive plurium vicorum complexibus & territoriis. In minoribus imperiis; quæ vel provinciis vel etiam municipiis carent, hanc puta ceſſare diſtinctionem.

17. Non eſt etiam neceſſaria diviſio juriſdictionis in allodialem & feudalem, vel quam addunt aliqui, venatoriam ſive foreſtalem. Siquis in tot partitiones abire vellet, quot ſunt in jurisdictionis materia diverſitates, finem vix haberet. *f*) Allodialis tamen & feudalis diſtinctio ſatis eſt generalis & notabilis; etſi pluribus in locis apud eaſdem curias habetur, & ſicubi feuda non extent, penitus ceſſat.

18. Præteriri quoque non oportet, diviſionem juriſdictionis in perſonalem & realem ſive patrimonialem, quæ cum feudis late diffuſa in ipſam quoque allodialem invaſit. Sicut enim, ubi feuda non ſunt, hæc quoque juriſdictio patrimonialis non reperitur, ut, in Anglia & in Friſia utraque res ignoratur; ita factum videmus, ut imperatores, reges & principes, non modo prædia ſed & majores quandoque ditiones in feudum erogarent, cum juriſdictione & imperio in populos ejuſdem ditionis; Ita, ut vaſalli habeant juriſdictionem in perſonas & bona civium patrimonialem: quæ perinde poteſt alienari, & in heredes transferri, ac ipſum feudum, ſi tale ſit, ut recipiat alienationem. *g*)

19. Quæ res, ut ab officio magiſtratuum, *ſuperius* definito miniſterioque à ſumma poteſtate ſemper emanante ac ab eo dependente, vehementer aliena, ideoque à jure veterum populorum Græciæ & Latinorum penitus abhorret, ita nunc, ubi feuda non ſunt, ut diximus, æque ignoratur: ubi vero reperitur, ibi tamen ejuſmodi juriſdictio non facit magiſtratus, ut præced. *cap.* jam obſervatum eſt. *h*)

20. Transeamus ad diviſiones, quæ terminis

n.17. *f*) haberet) *Verum & hæc ſubtilitas tanti non eſt, ut tollat illam juriſdictionis diviſionem. Nam quid probibet, ut juriſdictio non poſſit ita dividi ab objecto cauſarum, quæ ſunt vel allodiales vel feudales, vel foreſtales? Sane diviſio juriſdictionis in civilem & criminalem etiam ab objecto cauſarum eſt deſumta. Poſſet etiam dici eam deſumtam eſſe à ſubjecto, i. e. à magiſtratibus qui jurisdictione gaudent. Alii enim magiſtratus ſunt, qui præponuntur cauſis allodialibus, alii, qui feudalibus, alii, qui foreſtis & venationibus.*

n.18. *g*) alienationem) *Neque hic percepit Autor vim juriſdictionis patrimonialis & antiquitates Germaniæ. Patrimonialis jurisdictio non dicitur, quod poſſit alienari (nam regulariter feuda, quæ tali juriſdictione gaudent, alienari niſi cum conſenſu domini & agnatorum nequeunt) ſed quod exerceatur in homines ruſticos, qui olim omnes, hodie etiamnum, qui homines proprii dicuntur, ſunt in patrimonio, ut ſervi. Ita ut juriſdictio patrimonialis nil ſit aliud quam poteſtas dominica in ſervos poſt introductionem juris Romani in Germaniam, & vanam perſuaſionem quaſi ſervitus in Germania ſit abrogata, alio nomine inſignita. Conf. ſuprà notata* ad lib. 2. ſect. 2. c. 1. n. 17. p. 308.

n.19. *h*) obſervatum eſt) *& jam rejectum* ibid. ad n. 38. lit. c.

Digitized by Google

minis officii magiſtratuum melius continentur & jure civili notiores ſunt. *i*) Ita juriſdictio eſt, voluntaria vel contentioſa. *k*) Prior, quæ inter volentes, ſine ſtrepitu contradictionum exercetur; quo pertinet adoptio & emancipatio liberorum, omniaque, de quibus cum partes inter ſe conſentiant, volunt tamen habere, vim rei judicatæ: Qua gratia magiſtratus adire poſſunt, volentes certo modo, quem inter ſe conſtituere, condemnari, idque dein executionis vim, invito ſcilicet altero, ab imperio magiſtratus conſequitur.

21. Contentioſa juriſdictio recte dividitur in ſuperiorem & inferiorem, hoc eſt, in criminalem & civilem. Criminalis eſt eadem, *l*) quæ à Romani juris auctoribus merum imperium vocatur, & definitur, gladii poteſtas ad animadvertendum in facinoroſos *l. 3. ff. de juriſdict.* Ratio, cur hoc imperium appelletur Merum, eſt quidem peculiaris juri Romano, propter oppoſitionem ejus, quod mixtum vocatur; ſed tamen in uſum juris univerſalis non minus propter rei proprietatem, quam juris civilis imitamentum, invaluit, ad hoc; ut à juriſdictione ſimpliciter dicta ſeparetur, nec competat magiſtratui qua tali, nec etiam vi legis, qua juriſdictio certæ perſonæ vel ordini tribuitur, ſed opus eſt ſpeciali mentione legis aut conſtitutionis, vel decreti ſummæ poteſtatis, qua juriſdictio *criminalis* aut ſuperior, ſive *Alta*, quam vocant, vel merum imperium ſpecialiter exprimatur.

22. Quia, tametſi jus vitæ & necis revera ſit diſtinctum à juriſdictione criminali; cum illud è juribus ſummæ poteſtatis ſit, comprehendens etiam jus remittendi pœnam mortis, aliamve graviorem, & aliquando ſine cauſæ cognitione, puniendi; eſt tamen hæc poteſtas, de capite civium decernendi, & ſanguinem effundendi, tanta, momentumque habens adeo prope ad ſummam poteſtatem accedens, ut nonniſi nominatim expreſſa, *m*) cuiquam data videatur, idque non immerito, ubique receptum videmus.

23. His diviſionibus perfuncti, non opus eſt, de imperio ſeorſim ut agamus. Scimus in jure latino id eſſe duplex, unum quod mixtum vocatur, & eſt poteſtas adjuncta juriſdictioni, ad effectum ejus, vi cogendi & coercendi comparata, quod ideo mixtum Romani vocarunt, quia ſic ineſt ordinariæ juriſdictioni, ut nunquam ab eâ ſeparari poſſit, & tamen ut facultas à juriſdictione ſeparata conſideretur; quæ res ut multas in jure civili ſubtilitates & controverſias parit, ita nobis ad uſum & facilitatem hujus doctrinæ admodum prodeſt, quod juriſdictio & hoc imperium, quæ ſunt in jure latino, res eædem in concreto; pro iiſdem ita ſumere licet, ut nec unum ab altero de-

n.20. *i*) notiores ſunt) *Sed hic oblitus eſt Autor moniti proprii in* n. 1. *& quod jam non exponat jus Romanum, ſed univerſale.*

k) vel contentioſa] *Mores Germanorum ignorarunt juriſdictionem voluntariam. Ignorarunt enim adoptiones & emancipationes.* vide diſſert. de quaſi emancipatione Germanorum. *Manumiſſio apud Germanos olim ſiebat coram rege vel Epiſcopo, hodiè ſit per literas domini abſque concurrentia magiſtratus. Deinde apud Germanos nec hodie valet regula juris Romani de actibus voluntariæ juriſdictionis. Ita v. g. confirmatio contractuum debet fieri coram judice competente. Teſtamenti inſinuatio varias ſolennitates requirit &c.*

n.21. *l*) eſt eadem) *Imo non eſt.* Vide d.diſſert. de juriſd.differ. ſec. mores Germ. §.52. ſeq.

n.22. *m*) expreſſa) *Rem ipſam concedo, ſed ratio hic adducta eſt longius quæſita. Propior illa eſt, quod olim ſub voce* Gerichte *apud Germanos regulariter intelligeretur juriſdictio baſſa. Alta denotabatur per vocem* Bluthann. *Unde conceſſio* aller Gerichte *nil denotabat, quam juriſdictionem inferiorem ſeu baſſam.*

cere definitionibus abſtrahi neceſſe ſit, ipſumque merum imperium idem cum juriſdictione criminali ſtatuere liceat.

24. Si quis tamen huic adſvetus diſtinctioni & proprietati vocum, in hoc ſit, ut juriſdictionem ab imperio verbis & ſenſu recepto dividere velit, huic ego commendatam velim interpretationem Guilloti & Schotani, quam ex hypotheſi juris Romani, in *poſit. ad tit. ff. de juriſd.* probare non potuimus: Juriſdictionem eſſe poteſtatem cognoſcendi & judicandi jure magiſtratus, aut ſaltem à ſumma poteſtate commiſſo, tam in criminalibus, quam in civilibus. Imperium eſſe poteſtatem exequendi judicata, mixtum in civilibus, merum in criminalibus; nam hoc in imperio mixto, jure civili procedit; ſed merum; etiam continere de cauſis cognoſcendi & judicandi facultatem, palam eſt, *ex l. 2. §. 23. ff. de O. Jur. l. 6. in pr. ff. de Off. Proconſ. l. 1. §. 4. d. Præf. urb. l. 1. in pr. d. Off. ej. cui mand.* Verum in hac diſciplinâ, quæ non eſt adſtricta terminis artis Romanæ, nihil eſt commodius illa imperii explicatione, qua fiat ut à juriſdictione non diſtinguatur, quod cur plane faciendum ſit, cauſam nullam videmus.

25. Id vero nec opus eſt admoneri, male veteres juris interpretes, præeunte Bartolo, ad imperium merum, id eſt, juriſdictionem criminalem, retuliſſe poteſtatem ferendi leges & indicendi vectigalia; quod eſt enormius, quam jus vitæ & necis, quod alii multo Bartoliſtis cultiores errant, non diſtinguere à juriſdictione criminali. Utriſque videtur impoſuiſſe *meri* vox *imperii*, quod aliquanto facilius cum jure ſummæ poteſtatis, quam juriſdictio criminalis confunditur; ut uſu venit pleriſque hiſtoriæ græco latinæ interpretibus, qui Græcas voces *αὐταρχίαν, αὐτοκράτορα ἀρχὴν*, quibus *τὸ κύριον* in republicâ ſignificatur, ſæpe per merum imperium interpretantur.

26. Solet etiam dividi juriſdictio in propriam & alienam, hæc iterum in mandatam & prorogatam. *n*) Sed qui accuratius loqui velit, has non ut ſpecies, ſed ut modos, qui accidunt juriſdictioni, conſiderabit. Proficiſcitur enim omnis jurisdictio & imperium à ſumma poteſtate, licet modus eligendi & conſtituendi perſonas juriſdictione fungentes ſit aliquando penes miniſtros & inferiores.

27. Non eſt juriſdictio, quæ cauſam habet, mandatum ipſius magiſtratus. Etſi hanc vocant mandatum vulgò juriſdictionem, quando magiſtratus alium rogat, ut is ſuis vicibus fungatur, etiam privatum. Eſt enim hic modus exercendi juriſdictionem per ſubſtitutum; Eaque tum juriſdictio non mandatarii, ſed mandantis eſt; idque more peculiari Romanorum. Vix enim eſt, ut his diebus qui juriſdictionem habet, eam alii privato demandare poſſit; Subſtitutiones quidem fiunt collegarum inter ſe, verum ut alii non magiſtratus in tribunal adſcendant & jus dicant, à ſectâ temporum abhorret, idque juri publico non paulo præ more Romano convenientius eſt.

28. Magis igitur eſt, ut omnis jurisdictio, quemadmodum & imperium, ſit propria magiſtratibus, ſine facultate mandandi; proprietate ſic intellecta, quemadmodum fert natura negotii, non ut proprium dicitur, quod eſt in patrimonio, ſed quod datum eſt ab eo, qui jus dandi habet, id eſt, proprium in hac materia; Proinde, qui jurisdictionem & imperium habet, à ſumma poteſtate, non alieno beneficio; hic propriam dicitur habere poteſtatem *l. 5. ff. de jurisdict.*

29. Quod

n.26. *n*) Prorogatam) *Nec hæc diſtinctio quadrat ad mores Germanorum, quia jurisdictionis alienæ ſpecies ignoravit Germania. Ergo apud nos nec eſt mandata jurisdictio,* vide Schilter. exerc. 5. ad ff. th. 21. *nec prorogata* Brunnem. ad l. 1. ff. de judic. n. 7. *Unde ſubtilitatibus numerorum ſequentium tutius caremus.*

29. Quod cum æquè de mero imperio, ſive de jurisdictione criminali, quam de civili prædicetur, nimis aberravit à vero hujus rei intellectu Henricus VI. Imperator, qui Bononiæ electus arbiter ſponſionis inter Azonem & Lotharium jurisperitos, decidit ſecundum eum, qui magiſtratus merum, imperium habere tantum uſu & exercitio, non proprietate contenderat. Nam aut idem de jurisdictione civili tenendum eſt, aut, ſi hæc eſt propria magiſtratibus, etiam merum Imp. iisdem æque proprium eſſe oportet; qua de re pluribus actum in *Prælect. ad tit. ff. de jurisdict.*

30. Quod attinet ad prorogatam jurisdictionem, etſi nos hanc etiam loquendi & partiendi viam, in jure Romano ſequimur, dicendum tamen quod res eſt; hanc minime ſpeciem novam facere jurisdictionis: ſed eſſe aliquid accidens jurisdictioni: *Quo, conſenſu partium jurisdictioni ſubjiciuntur, qui non erant ei ſubjecti.* Poteſtas magiſtratus eadem manet, nec privati cuiquam poſſunt tribuere jurisdictionem, verum ſe ipſos judici non ſuo, cum id è re ſua putant, ſubmittere poſſunt; hac lege, ne qua confuſio inde oriatur in republ. & præſuppoſito ſemper, eum, cui ſe in aliqua cauſa ſubmittunt, habere jurisdictionem publicam.

31. E quatuor prorogationis ſpeciebus, unam modo juris publici rationi conſentaneam eſſe arbitramur; Scil. quæ de perſona ad perſonam dicitur, cui propriè verba modo collocata conveniunt. Nam quæ de loco ad locum vocatur; qua magiſtratus unius loci, jus dicere poſſit in alio loco, non habet facultatem civilem; nec id modo voluntate privatorum fieri non poteſt, ſed nec ipſorum magiſtratuum conventione; qui non poſſunt mutare terminos à ſumma poteſtate ſibi præſcriptos.

32. Neque de tempore ad tempus, quam dicunt, magis valet: ut, ſcilicet, judex ad tempus datus, poſt tempus ei præſcriptum, judicandi poteſtatem habeat: quia tum judex eſt privatus, cui privati jurisdictionem dare non poſſunt. Arbitri jus ut habeat, ac ita ſententiam dicat, hoc equidem, ut quisque ſemper arbitris ſuam rem committere poteſt, quo minus efficiant compromiſſo, nihil impedimento eſt.

33. De cauſa ad cauſam, prorogationem plerique concedunt; ut judex ad unum genus cauſarum publicè conſtitutus, de alio genere jus dicat: Sed nec hoc facultatem habere videtur, quia vix fieri poteſt, quin oriatur inde confuſio. Quid enim? Amſtelodami nunquid privati ſuo conſenſu facere poſſunt, ut judices rerum matrimonialium de hereditate deſerta, vel de rebus pupillaribus judicent? non puto: nihilo magis, quam ut magiſtratus mere politici, de quæſtionibus juris privati, aut hi de rebus politicis judicent atque diſponant; Vel, ut judices recuperatores de criminalibus cauſis jus dicant; quorum nihil ſine confuſione publici ordinis inſtitui poſſet.

34. Sola igitur uſum habet prorogatio perſonalis, qua quis foro ſuo renunciat ſeque judici non ſuo ſubmittit. Et hæc ipſa vix alium habet uſum, quam hoc uno caſu; Si judici ſupremo patriæ ſuæ, cui nonniſi per appellationem ſubjectus erat, ſe directe primaque inſtantia ſubjiciat. Nam prorogatio, qua quis ſe judici, qui nullam habet in ipſum jurisdictionem, ſubmittit, non habet effectum, niſi in ejus territorio deprehenſus ſit; quia conſenſus privatorum non poteſt efficere, ut judex prorogatus in alieno territorio actus jurisdictionis exerceat. Atqui ut deprehenſus in aliquo loco, ibi judicio ſiſtere cogatur, id arreſto ſolo nunc ubique locorum inſtituitur. Quibus rebus fit, ut quicquid de prorogata jurisdictione fertur, ad hunc ſolum, quem diximus, uſum reſtringatur.

35. Sicut autem jurisdictio & imperium ſunt functiones mere perſonales à ſumma poteſtate collatæ, ab eaque dependentes, ita nec aliter quam eo cum reſpectu finiuntur.

Digitized by Google

tur. Bini modi, quibus finem accipiunt, ad priorem; bini ad poſteriorem ſpectant. Priores ſunt, mors & tempus præſcriptum, ſi ad vitam data non ſit poteſtas: aut ſi juriſdictio non ſit hereditaria, vel territorio adnexa, quæ non habet finem, niſi quo ipſum amitti ſolet patrimonium. Tempus in magnis imperiis usque ad ſucceſſoris adventum prorogari ſolet, ut per ſe, vel per legatos ſuos iidem magiſtratus provincias adminiſtrent, quod Romani ſervabant *l. 10. ff. de off. proconſ. l. 17. de off. præſ.*

36. Poſteriores modi ſunt, abdicatio & exauctoratio. Illa, cum magiſtratus ante tempus ſponte diſcedit ab officio, eique renunciat; quod nonniſi principis conſenſu, cum munera publica ut invitis imponuntur, ita ab invitis etiam retineantur, impetrato. Sic Papinianus præſidem provinciæ, abdicando ſe, non amittere imperium ſcribit in *l. pen ff. de off. præſ.* quemadmodum olim per populum fiebant abdicationes *l. 2. §. 24. ff. de orig. jur.*

37. Exauctoratio fit vel à Principe, vel à judice. A principe, jure ſummæ poteſtatis, quoties è republ. videtur; niſi reipubl. legibus aliter ſit cautum; ſive generaliter, ne quis officio ſuo privetur, niſi cauſâ cognita, ut in Galliâ conſtitutum fuit, tempore Ludovici XI. etſi hodie non ita ſervatum, teſte Mezeræo, in *ejus vitâ*; ſive ratione talium magiſtratuum, qui non tam Regis ſunt, quam regni, ut in imperiis non abſolutis frequenter uſu venit. Ubi dubium eſt, vel ut dubium tollatur, principes aut optimates ſolent adjicere magiſtratuum conſtitutionibus, *ad beneplacitum*. Sed imperia ſimpliciter conſtituta jus hoc, etſi non adjectum, habere, dubitari non poteſt, ex his quæ in libro 1. de jure ſummæ poteſtatis adſtructa ſunt.

38. A judice, vel fit exauctoratio, propter delictum, cauſa cognita reoque in defenſionibus ſuis audito; quod nec aliter è cauſâ delicti famoſi ab ipſo principe fieri poteſt; ſi jus ſuum ex bono & æquo metiri velit; cum alioqui plus magiſtratui adferret præjudicii, quam ſi jus patrimoniale ipſi auferret; qua de re Bodin. *de republ. 4. n. 440.*

39. Quod autem jus, princeps aut ſummi rectores habent in officiis ab ipſis immediate conferri ſolitis, hoc analogicè poteſtatibus etiam inferioribus, adverſus ea, quæ illorum collatione à ſumma poteſtate commiſſa ſunt, provocatione ſalvâ, competit atque tribuendum eſt, ut docet Sandius noſter in *Deciſ. Friſ. def. ultima.*

40. Id jam ſatis liquet, cum juriſdictio & imperium ſint facultates à ſummâ poteſtate profluentes & dependentes minimeque patrimoniales; præſcriptionem in illis acquirendis aut amittendis non habere locum; cum hæ non niſi rebus ad patrimonium cujuſque pertinentibus applicentur, & in quibus eſt aptitudo ad animum dominii ab uſurpantibus induendum, qui non poteſt eſſe in civibus ad jura ſummæ poteſtatis, cui ſe ferunt ut ſubjectos, acquirenda, quemadmodum ex eo, quod de uſucapionibus & præſcriptionibus eſt dictum *in l. 2. ſect. 4. cap. 5. n. 33. 46 & ſeqq.* intelligi poteſt.

41. Si totum magiſtratus officium præſcriptione non poteſt acquiri, ſequitur, cum ſit idem juris in parte quod ad partem, cum toto quod ad totum, ut in ſcholis ajunt; non poſſe etiam magiſtratus vel ſingulos, vel qui jus idem per modum collegii exercent, officii ſui partes augere vel latius extendere, jure præſcriptionis, quin princeps id ſemper ad antiquos fines revocare poſſit; etſi verum eſt, populos, quamdiu rectores illam uſurpationem ferunt, teneri ad parendum magiſtratibus, ex præſumptâ rectorum ſuorum voluntate, o) ut jam diximus *ad tit. ff. de Juriſdict. in fin.* quibus junge ſis ea, quæ diximus *in d. cap. 5. n. 33. & ſeqq.*

n. 41. o) voluntate) *Breviter: Poteſt juriſdictio præſcribi à magiſtratu contra alium magiſtratum, non contra principem.*

Digitized by Google

SECTIO II.
De Judiciis.

CAP. I.
QVID SIT JUDICIUM, ET DE PERSONIS JUDICIUM CONSTITUENTIBUS.

Fundamentum reipubl. eſſe judicium. n. 1.2. An, & quando ſibi ipſi jus dicere liceat, n. 3. An etiam, ſi poteſtas ſumma neget juſtitiam. n. 4. 5. Definitur judicium. n. 6. Genus exponitur, & quatenus judicium ſit publici juris. n. 7. 8. 9. De perſonis judicium conſtituentibus; n. 10. Quid judex, & an recte vir bonus dicatur; n. 11. an imperitus juris eſſe poſſit. n. 12. 13. Æquitas judicis. n. 14. 15. Differentia ab arbitro, & ætas judicis. n. 16. Princeps an & quatenus in ſuâ cauſa judex eſſe poſſit. n. 17. 18. De ſurdo, muto, cœco, n. 19. Officium judicis, n. 20. An judex ſecundum acta, an ſecundam propriam ſcientiam judicare debeat n. 21. 22. Juris ſcientia an in judice neceſſaria? n. 23. 24. 25. De actore deque reo. De procuratoribus & advocatis, quid ſint, & quodnam ſit illorum officium, latius expoſitum. De arbitris & effectu ſententiæ.

1. IUriſdictionis, de qua noviſſimè diximus, exercitium maximè conſiſtit in judicio, quod propriâ ſectione tractabimus, ita, ut tametſi caput hoc in jure privato ſat notabile ſit, heic tamen loci nihil, quam ad juris publici univerſalis diſciplinam evidenter pertinens attingamus.

2. Fundamentum quietis publicæ primum & maximum procul dubio eſt judicium: Ad hoc enim reperta eſt ſacra legum reverento, ut nihil proprio ageretur impulſu, adeoquie *vis abeſſet*, ut bene olim Theodoricus rex apud Caſſiodor *lib. 4. var. epiſt. 4.* Vim autem Cæſar philoſophus ait eſſe, quoties quis id quod deberi ſibi putat, non per judicem repoſcit, *l. 13. ff. Quod met. cauſ.* Et ſummum præceptum, non eſſe ſingulis concedendum, quod per magiſtratum publice poſſit fieri, ne occaſio ſit majoris tumultus faciendi *l. 176. ff. de reg. jur.*

3. Excepta neceſſitate, quoties ſine certo periculo, vel damno, judex non poteſt expectari. Hinc enim inculpatæ tutelæ moderamen omnibus gentium legibus, ad avertendum vitæ periculum videmus ſancitum. Et huc facit, quod debitorem fugientem prehendere, nummosque ei extorquere licet, *l. 10. §. 16. l. pen. in fin. de his quæ in fraud.* Pacto etiam ita conſtitui poteſt, ut certo caſu liceat alicui jus ſibi ipſi dicere, *p*) quo facit pactum

n. 3. *p*) jus dicere) *Sed hic multa limitationes erunt addenda, ne talia pacta tendant ad violationem quietis publica. Pacta enim non poſſunt derogare juri publico.*

pactum *executorium*, de quo juris interpretes, & Sandius noster *lib. 1. Deciſ. Friſ. tit. 12. def. 3.* Sed extra hos ſimilesque caſus, à lege judicii, minime recedendum eſt.

4. Improbanda igitur gentium quarundam vetus conſuetudo, quâ dubiæ controverſiæ pugnis ſingularibus dirimebantur. *q)* Nec ſcio, an concedi poſſit, quod Grotius habet in *lib. 1. de Jur. B. & P. cap. 3. n. 2.* ceſſare judicia ſibique ipſi poſſe quem jus dicere, *ſi judicem ſubditi non audiant, aut judex apertè cognitionem rejecerit.* Magis enim eſt, ut ad ſuperiores poteſtates eo caſu ſit recurrendum, à quibus ſi remedium non adhibeatur, ferenda ſummæ poteſtatis injuria, potius quàm ad bellum detur regreſſus, quod adeò à Grotianis principiis non abhorret, ut hoc illi excidiſſe liceat mirari. *r)*

5. Res adeò eſt ſanctiſſima judicium, quo ultimum in rebus humanis malorum evitatur, *bellum*. Proinde, quod judicis officium Chriſtiano illicitum Chriſtiani homines ſentiunt, nimis longè à prudentia Chriſtiana recedit, nec id Chriſto domino fuiſſe propoſitum demonſtravimus in *Eunom. Roman. ad rubr. ff. de judiciis.*

6. Definitur judicium cum juriſconſultis, à quibus recedendi cauſam hac parte non habemus; *legitima cauſæ diſceptatio, quæ ſit apud judicem, à parte actoris & rei, litis finiendæ gratia.*

7. In omni controverſia ſeu cauſâ, duplex eſt quæſtio, facti & juris; facti, an & quo modo aliquid geſtum ſit; juris, an rectè vel ſecus, & quid de eo ſtatuendum. Plerumque autem jus & factum in quæſtionibus judicio ventilatis miſcentur, & pari fere paſſu ambulant; ſaltem quæ facti ſunt, juris rationes ſemper habent conjunctas. Diſceptatio tam de jure quam de facto pertinet ad jus privatum, quod totum circa judicia, veluti cardinem ſuum vertitur. Sed conſtitutio & ordinatio judiciorum ad jus publicum merito refertur.

8. Quod prætores Romani non male diſcreviſſe videntur; Namque illi tanquam magiſtratus præerant quidem judiciis & auctoritatem illis præſtabant & judicata exequebantur, ſed ad merita cauſarum cognoſcenda alios judices dabant. Forte & criminalia judicia, quibus vigor diſciplinæ publicæ vindicatur, hoc reſpectu publici juris rectè dicuntur; quare & hodie publico nomine per fiſci procuratores duntaxat vindicantur.

9. Quin imo cauſas etiam non criminales dividere licet, in publicas & in privatas; ut priores ſint, quæ in controverſiis ad regimen publicum ſpectantibus, veluti ad tributa, vectigalia, commiſſa, mulctas, officia publica, de quibus apud conſiſtoria principum & collegia liberos populos regentium diſceptari ſolet, vertuntur. Privatæ, quoties in foro de contractibus, teſtamentis omnibusque

n. 4. q) dirimebantur) *Scio morem hunc veterum Germanorum, etiam poſtquam Chriſtianam religionem profitebantur, ex eo impugnari, quod in ejuſmodi duellis ſubſit tentatio numinis divini, unde poſtea jure Canonico in titulo de purgatione vulgari hic modus fuit ſublatus.* Vide Joh. Joach. Maderi diſſertationem de Duello ut Ordalei quondam ſpecie editam Helmſt. 1679. *Sed quod Autor eum modum ex doctrinâ de ceſſatione judicii velit impugnare, neſcio quomodo cohæreat. Neque enim ſolebant veteres ejuſmodi pugnas admittere quàm ubi factum eſſet occultum, ita ut vel actor actionem vel reus exceptionem ſuam non poterat probare. At vero quis in his caſibus neget, judicia ceſſare.*

r) liceat mirari) *Liceat potius mirari, quod Autor ſententiam Grotii de eo caſu intellexerit, ubi poteſtas eſt adeundi ſupremum judicem. Quin potius ſatis probabile eſt Grotium locutum eſſe de eo caſu, ubi judicis ſuperioris non eſt copia, aut ubi ſubditi non audiunt ejus ſententiam, ut in ſtatu interregni diuturni in Germaniâ &c.*

Digitized by Google

buſque rebus ad meum & tuum pertinentibus agitur.

10. Sed ad conſtitutionem judicii pertinent inprimis, perſonæ judicium conſtituentes, quæ ſunt vel principales, vel minus principales. Priores, judex, actor, reus, qui ſunt in definitione. Poſterioris generis ſunt, ſcribæ, apparitores, advocati, procuratores. De ſingulis aliquid, ut hujus inſtituti fert ratio, videndum.

11. Judex ita definiri poteſt; Vir bonus *Juris & æqui peritus, ad lites decidendas publicè conſtitutus.* Non deſunt, qui minus recte qualitatem viri boni & jurisperiti in judice definiendo, commemorari putant; eo quod multi judices & mali & imperiti reperiantur, quod eſt veriſſimum: ſed non minus eſt verum, judicem eſſe debere bonum virum & juris æquique peritum; In definitione conſiderandum, qualis eſſe debeat & eſſe præſumatur, non qualis in cute & intus in animo ſit. Cui addendum, quod vir bonus ſumitur hic civiliter, non excellenter, quales tot viri boni vix ſint, quot *Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.*

12. Vir bonus igitur quilibet judex auctoritate publicâ conſtitutus præſumitur: jurisperiti qualitas minus quam viri boni eſſentialis videtur: quia judices multi palam ſunt imperiti juris, quibus illa gratia, Adſeſſores adjunguntur, tam majores, à quibus ob nobilitatem ſtudia non exiguntur, quam pluribus in locis minores; ut etiam legibus populorum vetentur ipſi, inconſultis jurisperitis, dicere ſententias: quo pertinent collegia Scabinorum in quibusdam Germaniæ locis, & *Penſionariorum*, qui *dicuntur* in Belgio, quos alibi in publicis duntaxat, alibi in privatis adhiberi moris eſt. *s*)

13. Sed hæc inſtituta defectum juris peritiæ in judicibus, ipſa vel maxime arguunt, ut tamen peritos eſſe juris particularis, & ad certum cauſarum genus dati ſint, id hactenus ſufficiat; quomodo militares viri & mechanicorum præſides collegiorum, de rebus ad ſuas profeſſiones pertinentibus jus dicere ſolent, cum hodie, tum olim apud Romanos *l. 17. C. de Judic.* Prorſus enim juris peritia non poteſt carere Judicis officium, quod eſt ita judicare, quemadmodum legibus & moribus eſt proditum, ut Juſtinianus & res ipſa loquitur, *in pr. Inſt. de off. Jud.* Nec etiam aliud eſt commune Judicium, quod expreſſit Phocylides

Μηδέποτε κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἐάσῃς.
Indoctis nunquam ſacrum permitte Tribunal.

14. Juris ſcientiæ, addimus *Æqui* peritiam; quod ſignificat facultatem interpretandi jus ex præſumpta legislatoris voluntate, verbis licet in ſpeciem renuentibus; quod eſſe Judicis officium, docent optimi harum rerum magiſtri Juris Romani conditores *in l. 8. C. de Judic.* diſtincte ab officio Principis hac ipſa parte, quemadmodum *in ſect. 1. cap. 2. latius* expoſuimus.

15. Ad hanc autem facultatem æquitatis judicialis, duo requiruntur; intima juris ſcripti notitia, ut de eo quod legislator non expreſſum intellexerit, mens exiſtimari poſſit, & rectum exercitumque in ipſa naturali æquitate judicium; quam partem innuit

n. 12. *s*) moris eſt) *Mirandum hic iterum, quod Autor jus ex facto velit probare. Sane contradictio moralis eſt judex juris imperitus. Inde potius indicium valde ægrotantis Reipublicæ eſt, ubi judices admittuntur juris palam imperiti. Nec antea hic morbus invaſit rempublicam noſtram, quam poſtquam variis artibus in eam introductum eſſet jus peregrinum & ad mores noſtros parum quadrans, & qui ejus juris cenſerentur eſſe periti, perſuaderent principibus, ut hoc jus introduceretur in rempublicam, & mores patrii extirparentur &c. Hoc vero an facere poſſit regulam, quæ attendi debeat in ſyſtemate jurisprudentiæ univerſalis, impartialibus judicandum relinquo.*

ſuit Caligula, cum aliquando minaretur, ſe facturum, ne Juriſconſulti quicquam præter *æquum* haberent de quo reſponderent; Jure ſcripto ſcilicet, abolito, *apud Suetonium in vitâ ejus.*

16. Ultima definitionis verba, Judicem ab arbitro, qui eſt Judex compromiſſarius, à litigantibus electus, diſtinguunt, & faciunt, ut Judicis officium ſit publicum, ac etiam Magiſtratus, ut *ſuperiori ſectione cap. 4.* demonſtratum eſt: Unde & ætas publicis apta muneribus in Judice requiritur, cujus determinatio ſpecialis, eſt juris poſitivi. In univerſum xxv. fere annorum ætas minima ſolet eſſe, qua Judices admittantur, etſi nec à moribus alienum eſt, quod jus Romanum agnoſcit, à Principe dari poſſe cujuslibet ætatis judicem, modo non ſit minor annis xviii. *l. 57. ff. de re judic.* Cumque judices hodie fere ſemper à principe, vel ab eo qui jus principis habeat, dentur, ætas xviii annorum, ut qua minor eſſe non poſſit judex, intelligenda videtur.

17. Cæteræ qualitates & requiſita judicum, fere communia ſunt, cum aliis magiſtratibus: Niſi judicibus ſit proprium, quod non modo in cauſis propriis, ſed in ſuorum proximorum cauſis ſententiam dicere non poſſint, ratione manifeſtâ. Qui vero ſummam poteſtatem habent, quem illi judicem in ſuis litibus habebunt? Res loquitur, non eſſe, cui ſubjiciantur: Ideoque non poteſt aliter fieri, quin judices ſint in propriis cauſis, ut juriſconſulti obſervant ad *l. 41. de Hered. inſt.* ut in iſta lege præivit exemplo Tiberius: Idq; ita boni Principes ſemper exercuerunt, ut ſe legibus alligatos ultro profiterentur *l. 4. C. de LL.* Imò etiam minus ſibi, quam privatis indulgerent, ut eſt ſpecimen in *§. ult Inſt. quib. mod. teſtam. infirm.*

18. Quin ut plenius omnis præjudicii ſpecies, quæ non poteſt abeſſe, ubi quis ipſemet judex & adverſarius eſt, amoveatur, hodierni principes & ſummæ poteſtates rectè conſulunt, quod ſuas cauſas apud ſupremas curias agi & judicari permittunt, earumque ſe judicatis ſubmittunt: Scilicet, in negotiis, quæ tanquam membra communis ſocietatis, non ut rectores civitatis cum aliis habent controverſa; Sed quatenus ſæpe dubium eſt, cujus generis ſint ea, de quibus quæritur, hac parte rurſus ipſos oportet eſſe judices, quia res non capit alium exitum: ſic tamen, ut in dubio rem potius ordinariis delegare judicibus, quam ſuo arbitrio vindicare debeant; quo minus cives & exteri à contractibus cum principibus ineundis abſterreantur.

19. Exigit præterea judicis definitio, ut ad tantam rem neceſſaria exiſtimatio illæſa atque ut naturales facultates adſint; neque enim ſurdus aut mutus judex eſſe poteſt; cæcus non facile dabitur, datus tamen quominus remaneat, nihil obſtare videtur, *l. 6 ff. de Jud.* qui a cæcitas, animi perſpicaciam adjuvat potius quam obtundit; fœminas ratio communis arcet à cunctis muneribus publicis.

20. Officium judicis in genere eſt, ita judicare, quemadmodum legibus & moribus eſt proditum, tam ſecundum id, quod partes expreſſerunt, quam ut ex bono & æquo cujusque negotii natura fert; quia in re non modicam eſſe latitudinem & differentiam, ut quædam negotia liberiorem hac parte judici poteſtatem, alia magis coarctatam præbeant, uſu rerum conſtat; idque Romani diſcretione judiciorum, quæ ſtricti juris & bonæ fidei dixere, ſine offenſa juſtitiæ determinarunt, ut probavimus in *Eunom. Rom. ad l. 7. ff. de negot. geſt.* Inductio autem illius diverſitatis & officii judicis ſecundum ſingulas judicii partes, hujus quidem inſtituti terminos excedit.

21. Non poteſt tamen omitti nobilis & vetus quæſtio, ſi judici aliter de facto conſtet, quam ex actis & probatis liqueat, utrum juxtà ſuam ſcientiam, an ſecundum fidem teſtium & inſtrumentorum jus dicere debeat. Imponere neceſſitatem pronunciandi, quod falſum & iniquum eſſe novit, id verò durum videtur,

videtur, neque committendum. Rurſus, permittere, ut teſtes omni exceptione majores præ ſua ſolius ſcientia ſpernat, exemplo pravum & noxium foret. Siquidem hoc prætextu; quatenus judices, etſi debeant eſſe boni, ſæpe malos vel ambiguos eſſe contingit; infinitæ tegerentur iniquitates.

22. Plane, qui ſummam habet poteſtatem, aut qui datus eſt ita, ut judicati rationem nullam redditurus (quanquam ita vix poteſt) merito tutoque ſcientiam ſuam præfert. Sed quorum ſententiæ retractari poſſunt, his id nullo modo indulgendum; quia judicati rationem aliis ex conſcientia ſua reddere nequeunt, neque ſuperior, qui errorem ejus corrigit, aliter de eo quam ex actis arbitrari poteſt. Standum igitur media opinione; faciendum, ut judex ea cauſa ſe exoneret officio ſuo, ac inter teſtes potius auxilio veritatis adſit. Egimus hac de re latius in *Prælect. ad Tit. Inſt. de Off. Jud. etiam Eunom. Rom. ad l. 6. §. 1. de off. præſ. t)*

23. Quam autem juſti & injuſti diſcrimen acre judicium & ingenii intentionem requirat, quam non ſine multa præceptionum memoria & ſubtili applicatione conſiſtat, Romanum jus luculenter docet.

24. Nec tamen hoc in plerisque, à naturalis juris conſecutione, & eo quod cunctis civitatibus conveniat recedere, ſatis hi probant, qui licet oberectatores Romanæ prudentiæ, optimum illud *eſſe juris naturalis interpretem fatentur, Selden, de mar. clauſ. c. 5. in fin.*

25. Nulla igitur ratione *Hobbes* doctrinam artis legalis in advocatis neceſſariam, in judice prope ſupervacuam exiſtimat, Angliæ potius ſuæ, quam ingenii humani morem negotiorumque perplexam varietatem, ut videtur, conſiderans. *u)*

26. Secundum judicem, actor & reus judicium principaliter conſtituunt. Actor eſt, qui ad judicium provocat, reus qui provocatur: Aut ſi res ſint ejusmodi, in quibus uterque provocat, is qui primus id occupat, actoris partes obtinet. Reus à re dictus eſt & rei, quos inter res eſt, ſive *quorum de re agitur,* ut Cicero *lib. 2. de Orat.* ſive is agat, ſive cum illo agatur: Hinc duo rei jurisconſultis vocantur; tam qui in ſolidum ſinguli creditores, quam debitores facti ſunt: Verum ut is, *unde petitur,* quomodo antiqui frequentius loquuntur, reus appelletur, uſu receptum eſt, tam in civilibus, quam in criminalibus cauſis.

27. E perſonis minus principalibus, ſcribæ & apparitores cæterique miniſtri, nihil hic habent ſingulare: Sed procuratores & advocati, ab hoc loco abeſſe non poſſunt. Procuratores proprie nihil ſunt aliud, quam mandatarii, tam ad negotia, quam ad lites. Et quidem ubi quisque ſuam cauſam per ſe, in judicio peragere poteſt, ibi & procuratorem quemlibet dare poteſt, ac ita ſe res apud Romanos habuit. *w)* Sed quia res & uſus pleroſque populos adduxit ad ordinem & trituram fori, cui vulgus impar confuſionem inferret, ubique receptum eſt, ut procurato-

---

n. 22. *t)* de off. Præſ.) Adde Ziegl. Dicaſtic. concluſ. 34. 35.

n. 25. *u)* conſiderans) *Ita quidem eſt. Continentur in jure Romano ſæpius optima interpretationes juris naturalis. Sed tamen etiam ſæpius continentur capita ad ſtatum reipublicæ Romanæ ſolum ſpectantia, nec apta ſtatui aut moribus univerſarum gentium. Unde non neceſſaria eſt ſcientia juris Romani judici, niſi ubi, & quatenus id eſt receptum. Conſentiunt autem hodie etiam amaſii juris Romani in exceſſu peccantes, jus Romanum in Germania eſſe ſaltem receptum, ut jus ſubſidiarium.*

n. 27. *w)* Romanos habuit) *Non ſemper tamen ſed jure ſaltem noviore, olim enim apud Germanos id non licuit, niſi certis cauſis exceptis. At nec apud Athenienſes, nec olim apud Francos, Gelros, Flandros, ſcilicet, quod facilius & citius quæri veritas poſſit per ipſas partes*

curatores in judiciis habeantur publici, in jure Romano incogniti, de quibus hic ideo paucis agendum.

28. Ejusmodi procurator publicus, *eſt vir bonus, ordinis judicialis peritus, auctoritate publicâ, ad lites, ex mandato partium adminiſtrandas conſtitutus.* Quod vir bonus dicitur, id civiliter accipiendum, & quia talis eſſe debet officii ratione; quod ut publicum eſt, ita arcet malos & infames, quales ſi quis privatim rebus aut litibus ſuis extra judicium præficere velit, non prohibetur, ut indicat Juſtinianus Cæſar in *§. ult. Inſt. de Except.*

29. Ordinis judicialis *peritum* diximus; quoniam hæc præcipua ratio eſt, cur promiſcuum alienas cauſas procurandi officium, in publicum, ut videmus, ſit mutatum; ne judicia, imperitorum hominum ſtrepitu & diſcurſu turbarentur. Idque ex *auctoritate publica*; & quidem prævio examine, atque jurejurando, ut merito paſſim obſervatur: Addito tamen; *ex mandato partium.* Publice enim ad univerſum officii genus admittuntur; In ſingulis cauſis non minus quam privati procuratores, ſpecialis egent mandati; ideoque mandatore mortuo, non poſſunt in judicio pergere, niſi novo ab herede mandato inſtructi.

30. Poſtremum in definitione eſt, *ad lites adminiſtrandas.* In hoc enim diſcrepat ab advocato procuratoris officium; quod ille quidem ad patrocinium voce vel ſcripto præſtandum, hic ad urgendam, ad exitumq; moderandam litem adhibeatur; plus enim quam miniſter eſſe non videtur publicus procurator, ne quidem poſt litem conteſtatam, quod aliter de procuratore privato conſtat; Idque nec aliter hodie ſe habere, verum imprudenter fieri, quod hanc regulam vulgo ad procuratores, qui ſunt hodie, publicos producunt, in *Prælect. ad tit. ff. de procurat. n. XI.* demonſtratum eſt. *x)*

31. De officio procuratorum, quo pluribus hic agamus, inſtituti ratio non patitur: Niſi addere placeat; In dicaſteriis inferioribus, & in nonnullis quoque ſuperioribus, procuratores etiam habere jus poſtulandi, id eſt, advocatorum munere fungendi; quatenus patrocinii peragendi fiduciam habent. In nonnullis etiam locis poſtulare, id eſt, pro advocatis fungi neceſſe iis eſt; ubi advocati à procuratoribus diſtincti non habentur, ſed conjuncta ſunt hæc officia; Quod ut ad compendium & ſumptus judiciorum coarctan-

---

præſentes, quàm per procuratores. Nec aliam rationem mutati hujus juris affert Juſtinianus, quam quod illi mores priſtini non minimam incommoditatem haberent. Confer Paul. Voetium ad princ. Inſt. de iis, per quos agere poſſumus. *Unde merebatur hæc quæſtio non omitti, quid magis expediat reipublicæ? Sane ubi judicia publicè & in conſpectu totius populi habentur, & jus certum ac expeditum eſt, ut olim apud antiquos Germanos, præſtat, partes ipſas negotia ſua tractare. At ubi in ſcriptis res agitur & ubi receptum eſt jus incertum & intricatum ac proceſſus in æternum durans, ibi parum intereſt, an adhibeantur procuratores nec ne. Ut adeo uſus procuratorum indicium videatur præbere reipublicæ ægrotantis.*

n. 30. x) demonſtratum eſt) *Extat quidem diſertè* in Rec. Imperii de anno 1654. §. 99. *procuratores poſt litem conteſtatam eſſe dominos litis. Sed oſtendit Schilterus* Exerc. 10. ad Pandect. th. 43. ſeq. *moribus Germaniæ ceſſare omnes effectus, qui jure Romano fluebant ex dominio litis procuratorio. Unde nihil reſtat, quam ut dicamus, concipientem illius Receſſus nonniſi ex nimio amore juris Romani, iſtud prædicatum inconſideratè & impertinenter Receſſui inſeruiſſe. Adeoque hactenus etiam emendandus eſt Autor, quod non ſolum procuratores publici, ſed nec privati in Germaniâ ſint litis domini poſt litem conteſtatam.*

Digitized by Google

coarctandos plurimum facit, ita prudenter à quibusdam populis receptum eſt: Ut tamen crebrius, uti perſonis, ita partibus agendi diſtincta, licet conjuncta maneant officia; De advocatis igitur pauca ſubjiciantur.

32. Advocatus eſt, *Vir bonus, juris peritus, à litigantibus rogatus, ut voce vel ſcripto cauſam ſuam Judici exponat, probet atque ex arte defendat, ad hoc officium publicâ auctoritate admiſſus. Virum bonum* eſſe oportere, ſacrum juſtitiæ ſacerdotium, quod juriſconſultis adſcribitur, indicat, ut & ſumma officii advocatorii, à Valente & Valentiniano præſcripti, ut patrocinentur, integre, fideliter & modeſte *l. 6. C. de Poſtul.*

33. *Juriſperitum* æque eſſe oportet advocatum, ſi præſtabit, quod Leo & Anthemius Imperatores de Advocatis prædicant, *ut glorioſæ vocis confiſi munimine, laborantium ſpem, vitam & poſteros defendant l. 14. C. de Advocat. diverſ. iudic.* Quod ne fieret, inde ab aliquot ſeculis in plerisque foris proviſum eſt, ne quis admittatur, niſi illuſtris alicujus Academiæ teſtimonio juriſperiti elogium adeptus. Leo Imperator jurejurando profeſſorum id olim adfirmandum mandavit in *l. 11. C. de Advoc. diverſ. iudicior.* Quod an hujus ſeculi corruptioni hac in parte, pravæque academiarum æmulationi, quâ hæc elogia fere promiſcua & venalia ſunt, emendandæ ſufficeret, haud facile dixerim: Forſitan utilius fuerit, etſi inutilius Academiis, ſi, quod Leo fieri præcipit, in *l. 11. C. de advoc. diverſ. iudic.* examen apud ipſum Rectorem, ſive fori præſides fiat, quod nunc in Scotiâ faciunt; vel, ſicut apud Regiomontanos, in academiis honorati, rurſus apud forum diſputationem publicam ſubire cogerentur. *y*)

34. Definitio habet; A *litigantibus rogatus.* Advocatus ita dictus eſt, quod à litigantibus advocabatur in conſilium, eaque procuratoris ab advocato notiſſima differentia eſt, quod hic mandato conſtituitur, advocatus vero precibus aditur; ille dominum, hic magis clientem habet: Utrumque participant honoris aut miniſterii imitamentum, qui ſimul advocati & procuratores ſunt; ut in multis eſſe locis, indicavimus.

35. *Cauſam ſuam Judici exponat.* Hoc olim erat patroni, erga clientem ſuum, cujuslibet officium, donec ad oratores, qui per excellentiam exinde patroni ſunt dicti, qualis Cicero, Hortenſius & nobiliſſimi atque facundiſſimi quique Romuli nepotum, tranſiit; quo tempore advocati erant privati reorum amici, ad opem conſiliumque advocati, ut ſenes apud Terentium & Plautum quandoque ſe advocatos amicis in foro adeſſe debere prædicant, à quibus omnibus ſeorſim, conſulebantur juriſconſulti: Donec eloquentia forenſi privatorumque opera advocatorum detritâ, patronorum & advocatorum munia à juriſperitis occupata ſunt; qui ſic habent triplex, ut olim erat, officium, patronorum, advocatorum, jureconſultorum, quibus in multis, ut dixi, foris accedunt partes procuratorum. Quod etſi in eum modum compendii cauſa ſit inſtitutum, ſatis tamen adhuc in ipſo compendio plerique reperiunt diſpendii.

36. *Ad hoc officium publicâ auctoritate admiſſus;* Ita receptum eſt; cum olim quicunque fiduciam eloquentiæ & ſtudiorum habebat, advocati & patroni partes obire poſſet. Sed habetur adhuc in definitione; *voce vel ſcripto.* Romanos vivâ voce cauſas egiſſe notum

n. 33. *y*) cogerentur) *Verum eſt, nec diſſimulare poſſumus amplius nævos Academiarum, quia nobis tacentibus lapides clamant. Sed alia quæſtio eſt, utrum hi nævi emendentur per conſilium Autoris. Sane & fori præſides ſunt homines & amori, odio, ac æmulationi ſubjacent. Et experientia teſtatur academicos intra muros peccari & extra. Nec diſputationes publicæ huic morbo medelam parant. Poterit enim, (& fit ſæpius) Advocatus imperitus vel inepte, vel impudenter reſpondendo diſputationem publicam apud forum ſubire.*

notum eſt; idem hodieque multis uſitatum eſt populis; ſed ineptiæ & confuſio rabularum, z] pluribus locis hac parte miniſterium vocis in deſvetudinem, ut nonniſi ſcripto cauſæ diſceptentur, adduxerunt; etſi præſtantius & nobilius eſt vetus inſtitutum; modo, quod in gravioribus cauſis fieri ſolet, præcipua cauſarum merita literis comprehenſa, judicibus adſtruendæ memoriæ exhibeantur.

37. Officium advocati tribus hiſce præceptis continetur, *ut integrè, modeſtè, prudenter ſuis partibus fungatur. Integrè*, ne prævaricetur, neve cauſam ſciens malam ſuſcipiat, vel talem deprehenſam deſerat; etſi in quibusdam foris nihil ab advocatis exigitur, quàm ut tali caſu nihil dicant, aut ſcribant, quam quod à clientibus nominatim rogabuntur, ut dicant vel ſcribant; quomodo in Friſiorum curia advocati jurejurando adiguntur; quod an ſalvâ viri boni teſſerâ usquequaque liceat, eſt *ἀναθεώρησις*. *Modeſtia* advocatorum quid ſit, tàm erga judices, quã adverſarios, ipſa res loquitur.

38. *Prudentia* advocati eſt vel theoretica, vel practica. Theoria tres videtur habere partes, *a)* Notitiam juris Romani, municipalis & doctoralis. Prima in academiis acquiritur, ut non ſola, quæ pars juris hodieque in uſu manet, ſed univerſa diſcatur jurisprudentia: majori tamen intentione curâque in iis quæ obſervantur, adhibitâ jus municipale, nonniſi poſt commune jus perceptum, partim in academiâ, partim in foro adjungendum; quo etiam feudale jus referendum, quæ parvo negotio ab his qui Romanum jus fideliter didicerunt, memoriâ judicioq; comprehendi poſſunt.

39. Doctoralem ſcientiam vocamus eam, quæ ex interpretum lectione tàm veterum, quam recentiorum colligitur. *b)* Sed cum hæc pars ſtudii juridici verè ſit infinita, modus ei ponendus eſt, preſſeque ſe advocatus utriusque juris, civilis & municipalis notitiæ dedat oportet; ex interpretibus quantum ſatis eſt, in dubiis cauſis, ad auctoritatem *c)* poſitionibus ſuis addendam petat: Sed fundamentum & ſumma doctrinæ ſit, LEX & RATIO.

n.36. *z*) tabularum) *Hæc non videtur genuina aut certè non primaria cauſa proceſſus in ſcriptis introducti. Nam ineptiæ & confuſio rabularum in proceſſu, qui ſit vivâ voce melius poſſunt per prudentiam judicis coerceri. At in proceſſu, qui ſit in ſcriptis, rabulæ majorem licentiam nanciſcuntur ineptias ſuas proferendi & omnia confundendi. Verior itaque ratio proceſſus in ſcriptis introducti videtur eſſe, quod judices ipſi nonniſi rariſſimè ſententiam conficiant, ſed cogantur acta tranſmittere ad collegia JCtorum. Videndum etiam, annon origo hujus proceſſus in ſcriptis proveniat ex jure Canonico & debeatur arcanis politicis Cleri pontificii.*

n.38. *a*) habere partes) *Ego mallem has tres partes ita efferre, ut Advocatus primo calleat ſcientiam philoſophiæ moralis & juris naturæ ac gentium, tanquam fundamentorum potiſſimorum totius jurisprudentiæ & artis interpretandi. Secundo, ut ſciat principia juris patrii haurienda ex antiquitatibus Germanicis. Tertiò ut cum notitiâ juris municipalis (quod plerumque mixturam continet juris naturæ, patrii, Romani & Canonici, conjungat ſcientiam Juris utriusq; Romani & Canonici utpote quæ in Germania recepta ſunt, ut jus ſubſidiarium.*

n.39. *b*) colligitur] *Hæc vero ſcientia, cum ſit ſcientia opinionum incertarum, contradicentium, & infinitè variantium, indigna eſt, ut titulum ſcientiæ doctrinalis mereatur. Occupata enim eſt circa ſceleton jurisprudentiæ, ut latius oſtenſum fuit in oratione* de corpore & anima jurisprudentiæ.

c) auctoritatem) *Sed & hoc indicium eſt ægrotantis jurisprudentiæ, quod auctoritas juris magis quæratur in auctoritatibus gloſſatorum & ſyſtematicorum, quàm in legibus ipſis & ratione.*

RATIO. Jus Canonicum in iis locis & rebus, in quibus uſum habet; ut apud Proteſtantes habet rariorem, *d)* partem theoriæ facere, intelligimus.

40. Prudentia, quam practicam diximus, etiam duplex eſt; una conſiſtit in applicatione legum ad ſingulas facti ſpecies; Altera, in uſu fori, quod attinet ad morem procedendi & artem formulariam, vulgo ſtylum Curiæ appellant. Cicero trimembre fecit officium juris-conſulti pragmaticum; *Reſpondendi*, quid juris ſit in ſingulis factorum ſpeciebus; in quo, eſt ars applicandi. *Cavendi*, id eſt, ſuggerendi hominibus in omni genere contractuum & negotiorum, quo partes ſibi idoneis cautionibus adverſus fraudes & incertos eventus proſpicere queant. *Scribendi*, id eſt, præſcribendi formulas actionum & negotiorum.

41. Hæ ſunt perſonæ Judicium conſtituentes. Sed propter moras & ſumptus judiciorum, haud rarò in arbitros compromittitur, *qui ſunt privati homines, quos partes eligunt, ut litem inſtar judicum definiant.* Horum omnis poteſtas *compromiſſo* continetur, quod tamen de rebus ad jus publicum pertinentibus, in quibus crimen aut infamia ſimiliſve cauſa vertitur, concipi non poteſt, ſed tantum de his, quæ in dominio & arbitrio ſunt privatorum, *l. 32. §. 6. de Arbitr.*

42. Sententia arbitrorum non parit actionem rei judicatæ, *e)* quoniam hæc publicam ſupponit auctoritatem *l. 1. C. d. Arbitr.* Imo partes, pendente cognitione, arbitrum deſerere atque ad judicem adire poſſunt, *l. 30. ff. d. Arbitr.*

43. Utroque tamen caſu, ſi vel deſtituant eum, vel pronuntiato ſtare nolint, exigi poſſunt, pœnam compromiſſo præfinitam, *d. l. 30. in fin.* Unde colligi poteſt; quo pacto hæc inter ſe conſiſtant; ſtandum eſſe partibus, arbitrorum ſententia, ſive æqua, ſive iniqua ſit, & tamen nullam ex arbitrorum *Laudo*, ſic vulgo ſententiam compromiſſoriam vocant, actionem dari.

44. Provocatio ab arbitro nulla poteſt fieri; cum, quia partes ſuo conſenſu huic beneficio renuntiaſſe videntur; tum, quia nulla inter arbitrum, qui privatus, & judicem, ſubordinatio inferioris ac ſuperioris, quæ in appellatione requiritur, intercedit. *f)*

45. Re-

d) rariorem) *Non puto, ſed quia jus Canonicum integro ſeculo antè quam jus Juſtinianeum in foro eſt introductum, nec poſt reformationem apud Proteſtantes fuit abrogatum, & inſuper per introductionem oſtendi poteſt, jus Canonicum plurima capita juris civilis repetere, in iis capitibus autem, ubi à jure Juſtinianeo diſcrepat, plerumque doctrinam juris Canonici receptam eſſe in foris, etiam proteſtantium, ideò potius aſſerendum, uſum juris Canonici in foris proteſtantium eſſe frequentiſſimum. Utrum prudenter id factum fuerit, hic non diſputo.*

n. 42. *e)* rei judicatæ) *Ita quidem docetur in jure Romano. Sed hanc doctrinam arbitror eſſe juris merè poſitivi ſeu civilis. Nam quid vetat, ut abſtrahendo à lege poſitivâ partes poſſint compromittere cum effectu, ut ſtent ſententiæ arbitri ſive æqua fuerit, ſive iniqua? Et cur hoc compromiſſum non poſſit eundem effectum habere, quàm pactum de jurejurando extraiudiciali, ubi Judex, etiam fatente Jure Romano, non diſpicit, utrum debeatur, ſed ſolum, an iuratum fuerit nec ne. Ut de tranſactionis effectu taceam, cum quâ ipſe autor compromiſſum in arbitrum comparat n. 45.*

n. 44. *f)* intercedit) *Mallem potius aliam rationem hujus aſſerti dare, eamque duplicem. Unam intuitu juris naturalis, quia compromiſſum eſt inſtar tranſactionis. At contrà hanc non dari debet beneficium appellationis. Alteram ex jure Romano, quia ſententia arbitri non tranſit in rem judicatam.*

45. Reductio, quæ ſit hodie paſſim, nec cum juris publici ratione, nec cum natura compromiſſi ſatis convenire videtur. Non prius, quia cum appellatio per juris publici rationem hic non habeat uſum, reductio, quæ prorſus hodie ad appellationis ſimilitudinem exercetur, nihilo magis ei convenire poteſt. Natura autem compromiſſi fert, ut ſecundum id, quod arbiter dixerit, partes tranſegiſſe videantur; Tranſactio autem à nullo ſuperiore retractari poteſt.

46. Verum, ut è ſilentio certi temporis, præſumptio, quod partes acquieſcant, ac inde actio quaſi judicati naſcatur, id habet rationem & uſu ſervatur. *l. pen. C. de Arbitr.*

47. Hoc eſt ſingulare, quod cum promiſſio tranſeat ad heredes eoſque directe obſtringat, compromiſſum, quod eſt promiſſum duplex & reciprocum heredes, qui ex cauſâ, de qua compromiſſum fuit, omnino tenentur, non obligat, (ſed morte compromittentium, ante *laudum homologatum*, ut barbare loquuntur, id eſt, ſententiam approbatam, finitur *l. 27. ff. de Recept. qui Arb.* nequidem jure Canonico, *cap. ult. x. de Arbitr.* Cum tamen in judiciis, ubi nulla conventio vertitur, è tacito conſenſu heredes validius teneantur, quam ex ipſa cauſâ, priusquam in judicium deduceretur, ut juriſconſulti docent *ad tit. Inſt. §. 1. de perpet. & temp. act.*

48. Cur expreſſæ conventionis minor ſit vis, quam taciti conſenſus, ratio eſſe videtur, quod compromiſſum fiat ex fiducia perſonali, quam habent compromittentes de judicio & ſinceritate arbitrorum, de qua forſitan heredes haud æquè ſint perſvaſi; cujuſmodi ratione, mandatum, & ſocietas, contra naturam aliorum contractuum, ad heredes quoque non tranſeunt. Sed infra judices ſubjectio eſt neceſſaria, non arbitraria, quæ proinde non eſt tam fragilis. g)

CAP. II.

JUDICIORUM SPECIES ET INITIA EXHIBENS; UBI DE IN JUS VOCATIONE ET DE ARRESTO.

Diviſio Judiciorum in Civilia & Criminalia. n. 1. Privata & Publica, alio ſenſu, quam jure Rom. n. 2. 3. In petitoria & Poſſeſſoria, n. 4. & cæteræ

n. 48. g] tam fragilis) *Neque hic rem acu tetigiſſe videtur autor. Nam primo heredes etiam obligantur ex compromiſſo, ſi expreſſè eorum ibi mentio facta fuerit* d. l. 27. ff de recept. arbitr. d. cap. ult. de arbitr. *Ergo fruſtrà ſupponitur in objectione, quaſi conventionis expreſſa minor ſit vis quàm tacita, quin potius ubi expreſſa adeſt conventio de heredibus, ibi obligantur. Secundo ſententia judicialis obligat partes non ex conſenſu tacito, qui eſt veri conſenſus ſpecies ſed ex præſumto & planè impropriè dicto. Ut oſtendi* in inſtit. Juriſpr. div. lib. 2. c. 7. n. 24. ſeq. *Et ipſe autor videtur id agnoviſſe hic in verbis:* infrà Judices ſubjectio eſt *neceſſaria*, non *arbitraria. Merebatur etiam in hâc doctrina expendi quæſtio: cur in cauſis privatorum hodie ſint rariſſima exempla compromiſſorum in arbitros, cum tamen apud Romanos fuerint frequentiſſima? In promtu cauſa eſt, quia apud Romanos proceſſus Judiciales erant celerioris expeditiones. Hodie vero proceſſus ſunt immortales. Reorum vero eſt fugere celerem cauſæ deciſionem.*

ræ breviter expoſitæ diviſiones. n. 5. 6. Partes judicii in ſumma eſſe tres, n. 7. quarum prima in jus vocatio; cujus neceſſitas n. 8. et modus exponitur. n. 9. Quinam eximantur omnino & ſecundum quid. n. 10. 11. 12. Uſus & ratio in jus vocationis requiſitoriæ & edictalis. n. 13. 14. Arreſti etymologia, n. 15. definitio, diviſio, n. 16. & uſus. n. 17. Quo jure nitatur, & an rectius à veteribus neglectum, quam hodie exercitum ſit. n. 18. 19. Forma Arreſti quatuor partibus expoſita. An neglectâ intimatione valeat, ex parte ſaltem. n. 20. Quando ceſſet Arreſtum; an etiam in res aut pecunias Principum exterorum. n. 21. 22. Differentiæ in jus vocationis, è jure gentium hodierno magis, quam exemplo Juris Romani. n. 23. In jus vocatio generalis quotuplex, n. 24. & an præjudicet ignorantibus. n. 25. Effectus in jus vocationis; utrum hodierno jure Gentium, qui ſe non ſiſtunt, condemnentur, rectius, an exemplo Romanorum melius inauditis ſemper defenſio pateat: Inter criminales & civiles cauſas videri diſtinguendum. n. 26. De reliquis in Jus vocationis effectis. n. 27-30.

1. DEfinitionem *Judicii*, quâ perſonæ id conſtituentes, ſunt comprehenſæ, ſequitur diviſio, in varias ſpecies & primo quidem in civilia & criminalia: quorum illis ad pecuniarium actoris commodum, his ad publicam animadverſionem, hoc eſt, ad mortem vel cruciatum corporis, aut exilium vel mulctam fiſco applicandam agitur.

2. Horum alia diviſio in privata vel publica, juris eſt Romani, non univerſalis: Namque hodie, de cunctis, ut dictum, criminibus publicæ accuſationes inſtituuntur. Veteres *publica* dicebant, de quibus leges nominatim erant latæ, & in quibus cuilibet è populo poteſtas experiundi dabatur, eaque certo ſolennique ordine moris erat inſtitui, quæ omnia fuiſſe Romanis *arbitraria*, nec proinde juris communis, ſatis apparet.

3. Eſt tamen ratio, qua diviſio in publicum & privatum, juris univerſalis diſciplinæ accommodari poſſet; ſi publica dicerentur, quæ directè lædunt Rempubl. privata, quæ ſingulos in corpore, honore boniſve lædunt. Quo ſenſu crimina majeſtatis, peculatus, repetundarum, reſiduorum & ambitus, publica. Homicidii, adulterii, falſi, plagii & ſimilia, privata forent.

4. Civilibus judiciis frequens, etiam in publicis controverſiis, eſt diviſio, in petitoria & poſſeſſoria. Petitoria, in quibus agitur de jure pleno & perfecto, ut aliquid nobis detur ex obligatione, *b*] vel reſtituatur ex jure dominii, aliove in re conſtituto jure: Poſſeſſoria, in quibus agitur ad detentionem rei adipiſcendam, retinendam, vel recuperandam. E quibus retinendæ poſſeſſionis remedia creberrimi uſus ſunt, ut res in *ſtatu*, quo nunc eſt, relinquatur, quia commodum poſſeſſionis inter diverſos principes populoſque longe majoris momenti & uſus eſt, quam in jure privato. Ut adeo maxima pars controverſiarum, quæ belli, pacis, & induciarum materiam præbent,

n. 4. *b*) ex obligatione) *Imo vero petitorium judicium propriè eſt in cauſis realibus & ubi de dominio agitur.*

bent, in poſſeſſorio magis quam in petitorio verſetur. i)

5. Quarta Judiciorum differentia ſit, quod vel generalia ſint, vel ſpecialia: Generalia, more juridico, non dialectico, dicuntur, in quibus de multis rebus ſimul tractatur; Specialia, quæ de ſingulis & certis rebus agunt. Utraque ſunt vel in rem vel in perſonam. In rem, quibus ex jure, quod in re conſtitutum eſt, agitur, adverſus quemlibet rei poſſeſſorem, ut res vel jus in re nobis reſtituatur. In perſonam judicia diriguntur, quando agitur adverſus eos, qui nobis obligati ſunt ad dandum vel faciendum, eorumve heredes, non contra tertium, qui ipſe non contraxit nobiſcum, neque damnum nobis dedit.

6. Quinta vel VI. diviſio eſt, in principalia & præparatoria judicia; Et hæc: quæ aditum parant ad aliud gravius judicium; cujuſmodi cum alia, tum maxime poſſeſſoria ſunt, quæ viam ad petitoria ſternunt; etſi poſſeſſoria tanti ſæpe ſunt præjudicii, ut petitorium abſorbeant.

7. Sequitur ultima judiciorum partitio, quæ majoris eſt uſus, in ordinaria & extraordinaria. Priora dicuntur, in quibus ſervatur ordo ſolennis procedendi, & plena cauſæ cognitio adhibetur. Extraordinaria diverſos habent gradus ſeu ſpecies: Nam in jure non eſt inſolens, gradus, quod logici negabant, variare ſpeciem. Quam diverſitatem, antequam explicemus, partes ordinarii judicii commemorandæ videntur; quæ in ſummâ vel eſſentiales, vel accidentales ſunt. Prioris generis præcipuas eſſe, in jus vocationem, litis conteſtationem, cognitionem & ſententiam videbimus.

8. Prima pars judicii eſt in jus vocatio, quam merito juris naturalis, ne quis inauditus condemnetur, imo divini juris eſſe tradunt, inde à primo Dei citantis Adamum exemplo: neque tantum in ordinariis, de quibus hic agimus, ſed etiam in extraordinariis, maximeque ſummariis requiritur; etiam in politicis, in quibus aliquis ordo judiciali ſimilis ſervatur, ut ſi quis abſque in jus vocatione damnatus ſit, ipſo jure nullum ſit judicatum vel decretum.

9. Modus in jus vocandi eſt optimus per apparitorem, ſeu viatorem publicum; etſi in locis, ubi tota juris dicendi ratio ſummaria eſt, nihil vetet, reum ab ipſo actore vocari: Sed ut hoc fiat per vim, obtorto collo, ut olim Romæ fieri ſolitum fuiſſe videtur, excuſari facilius, quam defendi poteſt; quâ de re actum à nobis in *Eunom. Rom. ad l. 18. & 21. ff. d. in jus voc.* Nihil eſt potius, quam ut per miniſtros publicos, ea res, ut fit, adminiſtretur.

10. Ne quis autem ſe actioneſque ſuas judicio eximere præſumat, quam paucisſimos excipi ab in jus vocatione, reipubl. intereſt: adeo, ut ne magiſtratus quidem, etſi majores, eximendi videantur: etſi aliter Romanis viſum & uſitatum fuit: eo quod ibi maxima juriſdictio penes ſingulas erat perſonas; veluti, conſules, aut Prætores, qui cum neminem haberent ſuperiorem, niſi populum, ad tribunal nullum vocari poterant. Aliter & rectius hodiè juriſdictio ſumma ab integris exercetur collegiis,

i) in petitorio verſetur] *Nec hæc capio. Cur enim non poſſit bellum oriri de debitis perſonalibus aut de vindicatione territorii, cujus poſſeſſio non vocatur in dubium? Exempla ipſa teſtantur contrarium. Et videtur autor oblitus eſſe eorum, quibus Grotius incipit ſuos libros de J.B.& P.* Controverſiæ, *inquit*, eorum, quos nulla juris civilis tenet communio, &c. aut ad belli aut ad pacis tempora pertinent. *Et in* libro 2. *ubi de cauſis belli juſtificis agit, æquè & magis explicat negotia illa, quæ Autor refert ad petitorium, quam quæ ad poſſeſſorium pertinent. Inter privatos etiam frequentisſimæ ſunt actiones reales & perſonales, ubi de poſſesſione planè non controvertitur.*

quibus ſingula membra ſubjiciuntur; etiam, ſi qui ſint magiſtratus adhuc, perſonæ ſingulares, imo nec ipſi Principes & liberorum populorum Optimates in jus vocari gravantur, ea quà diximus ratione modoque.

11. Ad domum quod nemini jure Romano in jus vocatio inferri poterat. *d. l. 18. & l. 21. ff. de in jus voc.* cum illo more minus bene morato, invitos etiam obtorto collo ducendi & rapiendi niteretur, id merito nuſquam hodie receptum eſt. Sed quod illo jure vetitum fuit, in jus vocari privatos, dum juſta mortuo faciunt, dum funus proſequuntur, dum uxores ducunt, qui ſacris interſunt, qui in jure conſiſtunt: *l. 2. & ſequ. ff. de in jus voc.* cum hæ exceptiones momentaneæ ſint, ac humanitatis ratione nitantur, hodieque merito obſervantur.

12. Nec eſt ratio, cur modeſtia veterum, non permittentium patronos & parentes aliaſque venerabiles perſonas, ſine venia prætoris in jus vocari; ne forte famoſis impeterentur actionibus; *k*) hodie nobis inepta vel negligenda videatur. Multo minus, ut, ubi adhuc venia prætoris exigitur, ferendi tamen ſint liberi, & qui liberorum loco ſunt, famoſis utentes formulis, ut quibuſdam in foris hodiernis præpoſtere fieri conſtat.

13. In jus vocari neminem poſſe; niſi quatenus perſonam ſtandi in judicio è legibus acceperit, quæ non eſt hujus loci res, facile conſtat. Verum quando qui in ius vocandus eſt, foris agit, ut ejus copia haberi non ppſſit, tum vel per requiſitionem magiſtratuum ejus loci, in quo degit, vel per edictum vocandus eſt: Et hoc quidem modo fit, ſi reus incerto loco vagetur, aut magiſtratus requiſitioni non pareat; eo, quod juriſdictionem judicis, ad quem vocetur, non putet eſſe fundatam. Ejus enim rei examen ad judicem requiſitum pertinet, ne cives ſuos temere evocari patiatur; in quo ſtultè negligentes ſunt plurium locorum magiſtratus. Quod ſi de juriſdictione ſuâ judex requirens aliud ſentiat, vocationi per edictum, quæ & ſemper immediatè fieri poteſt, locus ac uſus ſupereſt.

14. Quando autem Judex in homines alieno in territorio agentes habeat juriſdictionem, etſi ex his, quæ in *capite ſequenti* habebimus, pendet, hic tamen obiter præſumendum, at inferius explicandum erit. Fit autem hoc; ſi judicium apud tribunal vocantis jam fuerit inchoatum; ſi res de qua diſputatur, in territorio vocantis ſita ſit; Item, ſi contraxerit ibidem, & bona in eodem territorio poſſideat. Submiſſio vero, quam prorogationem vocant, non ſufficere ad in jus vocationem ejus, qui in alieno agit territorio, ex his quæ in *Tit. de Juriſdictione & imperio* dicta ſunt, intelligi poteſt.

15. Sed arreſtum veteribus & Romanis incognitum, nunc in jure gentium, *l*) tam frequentem & nobilem, reſpectu in jus vocationis, uſum habet, ut in hac univerſali diſciplina tacite nullo modo præteriri poſſit. Arreſtum in duplicem uſurpatur ſenſum, pro decretis inretractabilibus & pro jure ſiſtendi. Priore modo, judicare per arreſtum dicuntur judices, à quibus provocari non poteſt; Altera hujus loci eſt ſignificatio. Vocis originem quidam è græciſmo

n.12. *k*) actionibus) *Sed hac ratio primaria non erat, ſed quia in jus vocatio apud Romanos fiebat privatâ autoritate. Quâ ratione ceſſante ceſſat etiam venia impetratio. Famoſa vero formula poſſunt rejici à judice absque venia impetratione, uti rejici debent libelli inepti.*

n.15. *l*) Jure gentium) *non naturali, ſed poſitivo per* n. 17. *& quidem Gentium non omnium, ſed paucarum ſaltem.* Conf. n. 19. *Ergo tota quæſtio de arreſtis eſt ab hâc diſciplinâ juris univerſalis aliena, ſed reſervanda erat juri civili.*

ciſmo repetunt, qvaſi *Ἄῤῥετον*, vel *ἄῤῥητον*, *placitum*, *irrevocabile*; Sed verius eſt, celticam eſſe vocem è latino corruptam. *Reſter* à *reſiſtere* dicunt illi, pro remanere. Hinc veteres Galli, *Adreſter*, facere ut aliquis *reſiſtat*, remaneat, & *Arreſtum*, actus *ſiſtendi*, ne ſe loco moveat res aut homo: Unde & ſententia irrevocabilis, *Arreſtum*, quaſi res in loco fixa & immota, dicitur.

16. Sed arreſtum, pro jure ſiſtendi figendique certo loco finiri poteſt ita; *Detentio perſonæ aut rerum debitoris, facta per Creditorem, auctoritate Magiſtratus, cum in jus vocatione conjuncta.* eſtque vel perſonale, quo perſona, vel reale, quo res in loco detinetur. Prius, ſi debitor in fugâ ſit, vel fugæ ſuſpectus, habet ſummam rationem, ut tum detineatur, per magiſtratum; cum & è fuga retrahi & pecunia illi ab ipſo creditore excuti poſſit, jure Romano *l. 10. §. 16. d. His quæ in fraud. Cred.* quæ docet, tam in res, quam in perſonas hoc caſu arreſtum eſſe licitum & juſtum.

17. Verum hodierno jure Gentium poſitivo: naturale enim non eſt, ut mox videbimus; receptum eſt, ut creditores quilibet, ſuos debitores advenas & peregrinos in patria ſua inventos, ob ſolam commoditatem illos in foro ſuo, non reorum, & ad moleſtiam peregere ſequendi lites, evitandam, convenire & ad ſolutionem compellere poſſint, quod etiam in res & jura debitorum uſurpatur ubique fere gentium; ut ſi creditores reſciſcant, debitores ſuos alibi degentes, habere aliquas res, aut jura, vel pecunias ſibi debitas, in alieno territorio, judicis imperio illa detineri curare poſſint; cum hoc effectu, ne reſtituantur, aut ſolvantur debitori, priuſquam ſibi ſatisfactum ſit, & debitor ad judicem, cujus imperio factum eſt arreſtum, è ſua ſede venire cogatur.

18. Si quis roget, quo jure cives alieni imperii fortuito apud nos reperti, ſine cauſa fori mutandi prævia, per vim ad forum apud nos eligendum cogantur, nihil proferri poſſe video, *m)* quam philoſophiæ Hobbeſianæ principium; quod in ſtatu naturali, qualis eſt liberorum populorum inter ſe, quiſque tantum juris habeat, quantum vult ac poteſt, & quod unuſquiſque jus, ſecundum utilitatem ſuam, cujus & ipſe judex ſit, metiatur.

19. Antiqui populi ad æquitatem & utilitatem univerſam potius, quam cujuſque privatam reſpicientes, hoc jus, prehendendi ſiſtendique perſonas & res peregrinantium, captandum non putarunt, ut regulam juris naturæ, per quam actor ſequitur forum rei perverterent: idque Friſii noſtri vetuſtatis imitamento ſervant; utique inter ſe: nec aliter adverſus peregrinos uterentur; niſi horum conſuetudinem Friſios ita apud ſe tractantium, per modum retorſionis imitari cogerentur, qua de re Sandius *lib. 1. deciſ. tit. 17 def. 3.*

20. Forma arreſti quatuor partibus abſolvitur, petitione cum in jus vocatione imperio

n. 18. *m)* poſſe video) *Nolo quidem abuſus, qui in praxi de arreſtis ſunt frequentiſſimi, defendere. Interim tamen nollem ejus verum uſum impugnare, quaſi ortum debeat philoſophiæ Hobbianæ, de quâ certus ſum autores arreſtorum ne quidem per ſomnium cogitaſſe. Ipſe autor* cap. ſeq. n. 22. *approbat illam regulam.* Ubi te invenio, ibi te judico: *& putat intereſſe generis humani, ut ea regula in praxin deducatur. Scio quidem, quod ibi agas de foro criminum in ſpecie. Sed ratio tamen eſt generalis, certè talis eſſe debet. Ut non opus ſit, eâ in ratione refugium quærere, quod illi, qui debita liquida (de his enim ſolet concedi arreſtum, unde ejus requiſiti autor debuiſſet etiam mentionem facere* n. 20.) *præfractè non ſolvunt, eo ipſo graviter delinquant, atque adeo forum deprehenſionis hoc caſu æque poſſit locum habere, uti in quæſtione de delictis & eorum foro.*

imperio judicis, intimatione facta debitori, & confirmatione judiciali; quorum ſi vel unum ſit omiſſum, *merito arreſtum* pro vitioſo habetur; etſi non deſunt, qui putant, intimatione neglectâ, poſſeſſorem rei præcluſæ nihilominus teneri; Quod ut dijudicetur, eſt enim hujus artis, facti ſpeciem imaginareſis. (In arreſto reali tantum habere locum intimationem, quia in perſonali debitor ipſe adeſt, res loquitur.) Creditor intelligit pecuniam debitoris ſui peregrini eſſe penes Tertium, civem ſuum. Rogat judicem, ut is velit tertio imperare, ne pecuniam illam ſolvat peregrino, antequam ſibi ſit ſatisfactum: Judex id imperat; Creditor ſimul tertium in jus vocat, ut ſi velit, opponat ſe: At peregrinum, ad quem res pertinet, certiorem non facit, pecuniam ipſius à ſe eſſe præcluſam, quæ eſt intimatio. Tertius ſe non opponit, confirmatur in judicio arreſtum. Tertius tamen ſolvit, pecuniam peregrino. Creditor tertium dsnuo compellat, ut ſibi ſolvat; Is opponit, tu peregrino non intimaſti. Ergo licuit illi ſolvere. Creditor, hoc nihil ad te; parendum fuit imperio judicis tui. Ratio ſpecioſa, non valet tamen; Verius eſt, tertium non tenori, quia intimatio ad formam arreſti neceſſariam pertinet, *n*) nec enim hoc idcirco receptum eſt, ut pecuniam alterius ſine fine detineamus: ſed ut noſtrum, quod nobis debetur, facilius per judicem conſequamur: cum abſque intimatione non poſſit ad judicem iri, nihilque in tali arreſto fit, quam alterius impedimentum & injuria.

21. Hæc utcumque privati juris uſum contineant, publici tamen rationibus conſtant, in iiſque etiam crebro verſantur. Hinc enim quæri poteſt ac ſolet, an principum, populorumve liberorum, res pecuniæque arreſto detineri poſſint, quod fieri non poſſe judicavit ſuprema Friſiorum curia, cum privati quidam arreſtum curiæ inſinuaſſent quæſtori Friſiæ, ne ſolveret pecuniam imperatori Romano Germanico, priuſquam ſibi ſatisfactum eſſet, de obligatione, qua Cæſar ad aliquot imperialium millia tenebatur *die* VII. *Novembris* CIƆIƆC.LXXXI. Forte ratio magis fuit Politica, quam juridica. Nam monarchæ in contractibus utuntur jure privatorum, & quo jure nituntur repreſſaliæ, eodem id genus arreſta fundari poſſent. Si quis dicat, intimationem non poſſe fieri; poteſt reſponderi, hanc eſſe tantum *certificationem*, non actum jurisdictionis, quæ in peregrinos nunquam exerceri poteſt *o*)

22. De legatis principum etiam ſæpe dubitatum eſt, an arreſto ſubjecti ſint; qua de re

n. 20. n) neceſſariam pertinet) *Sed hæc ratio apertè petit id quod erat in quæſtione initio paragraphi propoſita, nec dubium ſolvit, quod parendum ſit tertio imperio judicis. Debebat tertius intimare debitori prohibitionem ſolvendi ſibi eſſe factam, ut debitor in judicium ſponte veniat & detentionem pecuniæ tolli caret. Hoc ſi tertius non faciat, colluſio ejus cum debitore non debet nocere impetranti arreſtum.*

n. 21. o) exerceri poteſt) *Sed his obſtant verba ipſius Autoris* cap. I. n. 17. Qui ſummam poteſtatem habent, quem illi judicem in ſuis litibus habebunt? Res loquitur, non eſſe, cui ſubjiciantur. Ideoque non poteſt aliter, quin judices fiant in propriis cauſis. &c. *Et haud dubiè dum illa ſcribebat Autor, ſciebat, monarchas in contractibus uti jure privatorum. Ergo de repreſſaliis non ante cogitari poteſt, quam creditor Imperatorem convenerit coram conſiliariis ejus, & ipſi juſtitia fuerit denegata. Deinde fallitur autor, dum intimationem non putat eſſe actum jurisdictionis, eſt enim ſpecies citationis, ut intimatus veniat, & ſe coram illo judice defendat. Denique arreſtum ſane, vel autore fatente eſt actus jurisdictionis.*

Digitized by Google

de re dabitur inferior agendi locus. Sed cadavera non eſſe arreſto obnoxia, tametſi nec hoc ubique ſervatur, merito religionis cauſâ lege Romanâ conſtitutum, juris univerſalis habendum eſt. *Nov. 60. c. 1. & Nov. 116. c. 5.* quemadmodum & ſtudioſis privilegium ab arreſtis indultum legimus, in *Auth. Habitâ C. Ne fil. pro patre.*

23. Diviſio in jus vocationis, jure Romano nulla eſſe videtur. At ſecundum hanc artem poteſt dici, quod ſit vel dilatoria, vel peremptoria, quæ jure civili eſt differentia citationis poſt litem conteſtatam; ſcilicet peremptoria eſt, per quam defenſio perimitur; unde, quid dilatoria ſit, intelligitur. Jure Romano, inquam, hæc diviſio ad in jus vocationem non pertinet, quia nemo unquam inauditus illo jure condemnatur: Sed eſt hæc res jam ſine dubio juris gentium univerſalis, ut contumax etiam non auditus condemnetur; quod etiam utilitate publica non minus, quam Romanum æquitate commendatur.

24. Eſt etiam moris hodierni differentia in generalem & ſpecialem citationem, quam nec ab in jus vocatione diſtinguunt hodie. Generalem bifariam inprimis accipiunt; primò ad omnes judicii partes & actus, quod in foris late patentis juriſdictionis, magis quam in minoribus territoriis obtinet. *p)*

25. Rurſus citatio, ſive in jus vocatio generalis dicitur, quando omnes alicujus cauſæ conſortes, vel omnes, quorum intereſt, aut qui ſua intereſſe putent, non expreſſis ſingulorum nominibus, vocantur. Sed eſt difficile dictu, hujuſmodi in jus vocationem generalem, præjudicate cauſam ignorantiæ habentibus: ut, ſi venditores immobilium rerum, prius edicto *q)* vocent omnes, qui jus in ea re ſibi vindicaturi ſint; Utilitas inſtituti in hoc conſiſtit, quod ſi dein emergant, qui jus hypothecæ, vel fideicommiſſi in rem venditam habeant, excludantur; alioqui talis citatio incaſſum emiſſa foret: Sed ut hac viâ, jus abſentium & ignorantium extinguatur, non habet rationem. Et tamen ſi non fiat, hujuſmodi citationis uſus admodum coarctatur & fere nullus eſt. Proinde forte melius conſultum ſit, ejuſmodi citationes generales non concedi, uti nec apud nos omnino exercentur.

26. Effectus in jus vocationis eſt, quod reus ſiſtens ſe, cauſam diſceptare cogitur. Si non veniat, pro contumace habetur, & fit miſſio in poſſeſſionem bonorum ejus, donec eo damno multatus adſit & cauſam ſuſcipiat. Ulterius jure Romano, quod jam diximus, contra eos, qui vadimonium deſeruerunt, & qui ſe nunquam ſtitere, non proceditur. At moribus hodiernis, ad ſententiam uſque res perducitur, ut Romanis quoque viſum eſt faciendum, adverſus eos, qui Eremodicium contraxerant, hoc eſt, qui cauſam ſemel in judicio ſuſceptam deſeruiſſent: Quominus tamen hoc ipſa in jus vocatione ſpreta, fiat, nihil obſtare, diximus antea. Sed cum magni res illa ſit præjudicii, bene conſultum eſt in foris hodiernis, quod contumaces non ſimplici vice, verum ubi ſpretis aliquot citationibus, obdurato contra jus publicum animo eſſe creduntur: Quod ipſum tamen, an in criminalibus obtinere debeat, ob maximum rei momentum, haud immerito dubites: Aut potius non dubites, hac parte jus civile præferre, quod & in Friſia noſtra ſervamus; ne quis omnino inauditus & abſens condemnetur, excepto crimine majeſtatis,

n. 24. *p)* obtinet) *Ita generalis obtinet in Camera Imperii, non in minoribus Germaniæ territoriis.*

n. 25. *q)* Edicto) *Sed hic apertè confundit Autor citationem edictalem & generalem ad totam cauſam, quæ ſane ſunt diverſiſſima.*

ſtatis, quod moram animadverſionis non ferat. *Tit. ff. de requir. abſ. dam.*

27. Reliqui effectus in jus vocationis ſunt, quod perpetuat juriſdictionem, etſi reus deinde fori privilegium adeptus ſit; quod in caſu duplicis fori operatur præventionem, (quæ in criminalibus *apprehenſione, non vocatione* committitur) quod rem facit litigioſam, ac ideò inalienabilem, quod denique interrumpit uſucapionem & præſcriptionem; quæ præſumpta ſcilicet dereliictione, vel negligentia, quæ per citationem evaneſcit, nititur, & ſi quid amplius in uſu gentium obtinet, de quo dicta non repetemus, *in Prælect. ad. tit. ff. de in jus vocando.*

28. Pendet horum effectuum ratio, quod ad duos quidem priores attinet, à juris publici diſciplina, ne juriſdictio magiſtratuum eludatur; quod fieret, ſi quis poſt in jus vocationem, ad certum judicem factam, alio ſe conferens, aut alii ſe ſubmittens, poteſtatem ejus, ad quem ſemel jure vocatus eſt, impune contemnere poſſet; cum potius, etſi, non adfectata ſed neceſſaria ſit migratio, certiſſimè receptum ſit, ut citatus, de lite eodem loco perſequendâ, judicatoque ſolvendo cavere cogatur.

29. Eadem in ſumma ratio eſt, quod in jus vocatio præventionem operatur inter duos judices, habentes communem juriſdictionem, in eandem perſonam. Cum enim ejus, ad quem primum vocatus eſt, fundata ſit juriſdictio, illa per citationem poſteriorem ſubverti aut eludi non poteſt. Scilicet, inter ipſos judices, ſive magiſtratus hæc quæſtio vertitur; nam inter partes litigantes hac parte, controverſia litis pendentis potius moveretur, cujus reſpectu an poſt in jus vocationem ad unum judicem factam, reus ad alterum, cui æquè ſubjectus eſt, vocari poſſit, ibique litem conteſtari cogatur, dubitandi non deeſt ratio. *r)*

30. Et certum eſt, nullum vel judici, vel actori, poſt in jus vocationem, præjudicium creari poſſe. Quare, ſi judicis ea mutatione, juriſdictio coarctetur, is, quantum ad ipſum attinet, ſi poteſt, illud impediendi jus habet; verum hoc ad litigantem non pertinet. Huic igitur, ſi impenſæ per in jus vocationem priorem factæ, & ſi quid præterea ipſius interſit, reſtituantur, nihil quo ſe opponat, habere videtur. Ut taceam, litem proprie non pendere videri, niſi poſt litem conteſtatam: Hoc enim à juris privati diſceptatione propius abeſt, ideoque petatur licet è *d. Prælect. loco n. 19.*

CAP. III.

UBI QVISQVE AGERE ET CONVENIRI DEBEAT.

Quæſtionem de Foro judiciali, à rationibus hujus artis pendere. n. 1. Summa de

n. 29. *r)* eſt ratio) *Sæpe ſolet confundi exceptio præventionis & litis pendentis, nec autor ſatis perſpicuè differentiam explicat. Exceptio litis pendentis eſt in cauſis civilibus, ubi unus idemque reus ab eodem actore in alio foro competente convenitur ſuper eadem cauſa, quæ jam incepit ventilari in alio foro. Exceptio præventionis eſt in judiciis duplicibus ubi uterque poteſt fieri actor & reus, ad dijudicandum, quis pro actore quis pro reo habendus ſit, ſive uterque agnoſcat eundem judicem, ſive diverſos. Similis eſt ratio actionis injuriarum mutuarum. In inquiſitionibus criminum etiam exceptio præventionis eſt inter judicem delicti commiſſi & deprehenſionis.*

de Foro regula & ejus ratio, eadem, quæ in tota regnat hac Arte: Id eſt, quatenus exequendi judicati facultas detur. n. 2. 3. Differentia Fori ſumma, domicilii, rei ſitæ, rei geſtæ. n. 4. Domicilium quid & quotuplex, n. 5. & quæ cauſæ ad quamque ſpeciem pertineant, ex publici juris ratione expoſitum. n. 6-10. Regulariter extra forum municipii ſui, neminem ſiſtere ſe cogi; nec ejus uxorem & liberos alibi, quam ipſe degit. n. 11. Poſſe tamen in diverſis locis habere domicilium. n. 12. Originis locum non tribuere Forum, ſecus ac jure Rom. n. 13. Rei ſitæ locum, in quibus cauſis Forum faciat; n. 14. 15. 16. an, & ſi reus ibi non reperiatur. n. 17. Ad locum rei geſtæ ſpectare contractus, & res certis in locis geſtas, haud aliter, quam ſi reus ibi reperiatur. n. 18. 19. Perſonarum remiſsiones ibi non habere locum. n. 20. Delicti locus an cauſa fori dictincta ſit, quatenus id recte ſit traditum. n. 21. 22. 23. Tranſitus ad extraordinarii cauſas fori. n. 24. De privilegio tam dignitatis, n. 25. 26. ubi de militibus, n. 27. Clericis, 28-31. Studioſis, quam miſerationis reſpectu. n. 33. 34. De prorogatione, remiſsive. n. 35. De connexione rerum; n. 36. 37. Reconventione, quatenus ad hanc artem ſpectent. n. 38. 39. De querelà denegatæ Juſtitiæ, n. 40. & de arreſtis remiſsive. n. 41. Exceptio fori incompetentis ubi & quomodo alleganda. n. 42. 43.

Quo recte in Jus vocatio fiat, nihil prius eſt, quam, ut, ubi quis agere, vel conveniri debeat, intelligatur. Quod in juris privati diſciplina curate traditum, ad hanc tamen artem vel maxime, ſuo modo pertinet, nec alio quam Juris publici univerſalis reſpectu, & ſecundum ejus rationes à nobis tractabitur.

2. Ubi quis agere debeat, ex eo pendet, ubi quiſque conveniendus ſit; nam regula Juris Naturæ & Gentium non minus quam Juris Civilis eſt, *Actor ſequitur forum Rei*; cujus ratio non tantum eſt, quod hi, unde petitur, favorabiliores ſint, quam petitores; ſed quia res alium non capit uſum aut exitum. Intentio enim petitoris cum ſit, ut reus condemnetur; & ad dandum, vel faciendum, vel ad reſtituendum cogatur, hoc ab alio quam proprio ipſius magiſtratu fieri non poteſt. Nam ad hunc ſcopum exequendi rem judicatam; nec judicium, ubi hæc facultas jus dicenti deſit, reddatur eluſorium; omnem hanc doctrinam eſſe dirigendam, è ſequentibus patebit. Adeo, ut nec ſubmiſsio expreſſa, ſive prorogatio forum per ſe faciat, niſi illa cogendi facultas adſit, ut è dictis *præced. capite*, & è ſequentibus colligi datur & dabitur.

3. Quoniam autem actor, is eſt, à quo nihil præſtandum exigitur, ſed ob temeritatem actionis inſtitutæ, mereri poſſit, ut in impenſas condemnetur, ideo ſi non ſatis in facultatibus habeat, illic, ubi res agitur, ne judicium reddat eluſorium, merito ad agendum non admittitur, niſi prius cautionem pro litium expenſis idoneam præſtiterit, quemadmodum & reus, ſi peregrinus aut peregre iturus ſit, fundata in eum juriſdictione, non dimittitur; niſi cautione de judicato ſolvendo, præſtitâ, integram reliquerit executionis facultatem.

4. Sed iſte cogendi & exequendi finis ita judiciorum ordini præpoſitus eſt, ut tamen aliæ rationes æquitatis & negotiorum naturæ, legiſlatori in conſpectu ſint. Ita compertum eſt, ad tria potiſſimum loca, redigi poſſe fori *competentis* ut ajunt, doctrinam; Ad locum *Domicilii*, *Rei ſitæ*, *Rei geſtæ*, modo reus in hoc poſteriore loco ſic haberi poſſit, ut ad præſtandum, jure cogi queat; cum alioquin hiſtoria rei geſtæ nihil ad hanc rem pertineat.

5. Prima & generalis cauſa fori eſt *Domicilium*, ubi quis larem rerumque ſuarum ac fortunarum ſummam conſtituit, & ubi finis exequendi facillime obtineri poteſt. Ergo Domicilii ratione, ſubjectus eſt quiſque vel imperio totius reipubl. vel ſpeciali juriſdictioni. Et huic vel ratione provinciæ, vel certi alicujus loci. Ad ſedem imperii totius reipubl. vocari poſſunt omnes, illi imperio ſubjecti, in cauſis quidem ad regimen reipubl. ſpectantibus ſemper, & quoties id imperantes exigunt extra ordinem.

6. Sed in privatis & judicialibus cauſis, non aliter, quam ſi aliquis ſenatus, aut curia ſit, cui per omne imperium res judicandi facultas ſit data, vel directe primaque, ut ajunt, inſtantia, vel per viam appellationis. Prioris generis fere ſunt cauſæ religionis, pacis publicæ, repreſſaliorum, quæſtionum matrimonialium, devirginationum, legis diffamari & ſimiles, ut in quaque republ. viſum eſt. Etiam cauſæ criminales; etſi hæ in quibuſdam locis ad ſingula municipia ſpectant. In majoribus etiam imperiis, quod eſt curiæ totius reipubl. id ſæpe tribui ſolet ſingularum provinciarum præſidibus aut curiis ſupremis.

7. Reliqua, de quibus non ſunt leges ſpeciales, ad ſingulorum municipiorum tribunalia ſpectant; niſi quod eminentiores indigenæ, juxta eos, qui non habent fixum certo loco domicilium, ad generale reipubl. vel provinciæ tribunal vocari poſſunt aut debent: Nam ſi in ipſorum favorem id indultum ſit, alio inviti vocari non poſſunt; quod ſecus eſt, ſi potius in favorem plebis conſtitutum ſit, ut potentiores ad judicium provinciale, ubi minus ſpectata ſit eorum dignitas, citari queant; quemadmodum cum alibi, tum in patria noſtrâ juris eſt, ut nobiles & quicunque ſupra municipes & agricolas eminent, ad ſupremum & commune provinciæ tribunal vocari poſſint, in gratiam tenuiorum; quia quanto quiſque ſpectatior eſt in loco ſuo, tanto durior adverſarius ibi civibus & agricolis habendus eſt.

8. Verum ſtricte & proprie, domicilium habet reſpectum ad municipium cujuſque vel pagum, in quo degit; hac voce, non tam pro una tantum cohabitatione vicove, ſed etiam pro majore territorio acceptâ, ut eſt latina ſignificatio, apud Tacitum de Germanis, & Cæſarem de Gallis in pagos diviſis. Quiſque ad ejus loci, in quo lares ſuos fixit, tribunal vocari poteſt, inde vero evocari, niſi cauſis lege proditis, non poteſt.

9. Proinde, qui ad tempus in quibusdam locis agunt, fixo alibi domicilio & ſede fortunarum ſuarum, an hi apud diætas ſuas temporarias conveniri non poſſunt? Si poſſe dicas, fruſtra domicilium eſſe cauſam fori ſtatuas: Si non poterunt, videndum, ne res arguat contra: cum peregrini etiam in locis, ubi reperiuntur, conveniri ſoleant, & forum eligere cogantur, ubique gentium; juxta regulam decantatam; *Ubi te invenio, ibi te judicio.*

10. Diſtinguendum reor, inter ejuſdem Reipublicæ diverſa Tribunalia, & diverſorum Imperiorum: In his habet locum, ut nunc eſt uſus populorum, regula citata, quemadmodum ex his, quæ de arreſto *in cap. præced.* dicta ſunt, intelleximus. Sed in eadem Republ. non habet rationem conſuetudo, ut diverſi municipii civis, alibi repertus, extra forum domicilii ſui conveniatur; etſi in quibusdam populis, ubi ſingulæ

gulæ civitates habent conformationem, inſtar Reipublicæ ſubordinatæ, ſicut in Hollandia, novimus aliter obſervari; ſed jure poſitivo arbitrario, non jure gentium mero & recto: quod cum alibi, tum vim vigoremque ſuum obtinet in Friſia, ubi certi & noti juris eſt, quod ordo & ſumma judiciorum regula dictat; neminem extra forum domicilii, licet alibi repertum, conveniri, nec arreſto ad eligendum alibi forum poſſe compelli: Quicquid civitas una Friſiorum prima, ſibi juris in alias, facto, contradictorie nunquam agnito, ſibi quandoque arrogaverit.

11. Porro, domicilium ita eſt ſedes fortunæ lariumque, ut paterfamilias cum uxore liberisque in eo verſetur; domus enim non eſt ſine familia; unde Græci per οἶκον, domum, æque familiam ac ædes intelligunt. Ideo conjuges & liberi, quanquam alibi forte agentes, apud maritos ſuos parentesque domicilium habere judicantur, ac ita, cum jure Romano, tum moribus obtinet. Quod adeo verum eſt, ut tametſi mulier à viro diſceſſerit ſeorſumque habitet, tamen ex mariti domicilio forum ſortiatur, quia non poteſt ſua procaciâ mutare jus publicum.

12. Sicut autem eoſdem homines diverſis aliquando municipiis pariter ſubjectos eſſe diximus, *in lib. 2. ſect. 2. cap. 1. & c. 3. n. 16.* Ita ſi quis in duobus locis, ita ſeſe inſtruxerit, ut ſedem fortunarum ſuarum utrobique collocaſſe videatur, non eſt dubium, quin utriusque loci forum ſequatur: Imo licet illa minus plena fuerit inſtructio, ſi tamen alieni loci civis aut municeps, alibi domicilium elegerit, & jus civitatis aut municipale quæſiverit, quominus ibidem ex ſua voluntate univerſaque ſubmiſſione forum ſortiatur, dubium non eſt.

13. Sed quod Romanis viſum eſt, locum originis etiam tribuere forum, ut incola tam ex loco domicilii, quam ejus, unde ortus erat, *l. 29. ff. ad Municip.* forum haberet, fuit admodum illis ſpeciale, nec rationi juris gentium, aut juris publici univerſalis conſentaneum: ſed longe ſatius eſt, quod ubique receptum videmus, ut domicilium, non origo, jus fori & ſubjectionis adferat, quemadmodum *in lib. 2. ſect. 1. c. 2. n. 10. ſeqq.* occupatum eſt probari; Quibus hic ratio peculiaris accedit, quod locus originis nihil facit ad coactionis facultatem, quam maxime in hoc capite ſpectari, inde ab initio demonſtravimus.

14. Sequitur altera fori cauſa, locus *Rei ſitæ*, quem priusquam explicemus, tenendum, domicilii forum eſſe generale, quod in omnibus judiciis in rem & in perſonam, civilibus ac criminalibus, juxta locum rei ſitæ, vel rei geſtæ forum præſtat, ita ut hæc duo priori ſubordinentur ac adjungantur, in cauſis ſuæ relationis. Niſi quod, ubi de miſſione in poſſesſionem agitur, res loquatur, hanc rem nonniſi in loco rei ſitæ confieri poſſe. Domi alioqui ſuæ conventus quis habeat recuſandi cauſam? nec usquam expeditior illum cogendi ad judicatum faciendum ratio eſſe poteſt.

15. Cæterum, cauſæ ad locum rei ſitæ relationem habentes ſunt actiones in rem; quæ non contra certas perſonas nobis obligatas, aut earum heredes, ſed in rem ipſam, & quemlibet ejus poſſeſſorem diriguntur, ut imperatores ſtatuerunt *in l. un. C. Ubi in rem act.* Quod & moribus in jus univerſale tranſiit: Etſi veteres juris interpretes haud temere viſi ſint hoc reſtringere ad res immobiles, quæ proprie in certo loco ſunt conſtitutæ, ut textus ille deſignat; cum mobilia ſint potius ſequelæ perſonalis, nec ad ſtabilem ſitus locum ſe referre videantur.

16. Attamen, heic aliam potius rationem ſequimur, quam in foro ſtabiliendo maximè conſiderari diximus aliquoties; an in promptu ſit, effectum & vim dare in jus vocationi, cogendis partibus ad obſequium juriſdictionis: quæ facultas æque locum habet

bet in mobilibus, illic, ubi detinentur, quam in rebus ſoli. Unde, quod in caſu arreſti, de rebus etiam mobilibus agi debet, hodieque paſſim agitur, ubi res detinentur, hoc ad exemplum in rem actionum, quarum naturam arreſta, ſicut hodie recepta ſunt, in negotiis quibus applicantur, induunt, receptum eſt.

17. Nec opus eſt, ut reus in loco rei ſitæ reperiatur: Sed cum juris diſceptationem effugere non poſſit, ubi in rem ejus & præſentem poſſeſſionem movetur controverſia, ſiſtere ſe atque tueri debet, modo litis motæ certior fiat, atque citetur, quod vel per requiſitionem ſui judicis, vel per edictum fieri poteſt, ac ſolet. Cum enim actor præſentaneam agendi & exequendi, per ſuum judicem, habeat facultatem, non eſt, quod foris adverſarium quærat. Quod cum ubique gentium, moribus & jure receptum ſit, facile eſt animadvertere, non tam ejus unde petitur favorem, quam cogendi facultatem eſſe cauſam regulæ, quod *Actor ſequitur forum rei.*

18. Tertia fori cauſa loco rei geſtæ adſcribitur; juxta domicilium, quod hic etiam concurrere, denuo inculcandum eſt. Locum autem contractus non hunc ſemper, in quo hiſtoria rei geſtæ uſu venit, ſed magis quem contrahentes reſpexerunt, idque præ ſe tulerunt, accipiendum eſſe, ratio dictat, quæ eſt in tacito partium conſenſu; quod ibi maxime de jure rei ab ſe geſtæ, ubi cum inter ſe obligarentur, verſati ſunt, agi voluerint.

19. Quid autem? An ſola partium intentio fori cauſam præbere poteſt, quando ne conventione quidem expreſſa juriſdictionem mutari poſſe, vidimus in *ſect. præced. cap. ult. n. 34.* ubi de prorogatione, ſive ſubmiſſione, probavimus, eam non aliter habere effectum mutandæ juriſdictionis, quam ſi reus in territorio judicis, cui ſe ſubmiſit, reperiatur. Scilicet, ita ſe res omnino etiam quod ad locum contractus attinet, habet, ut, ubi quis contraxit, ibi conveniri poſſit, ſi reperiatur illic, aut bona duntaxat ibidem ſita habeat, in quæ miſſio, ſi reus in loco contractus ſe non ſiſtat, fieri queat.

20. Quod autem nonnullis viſum eſt, ſi reus in loco, ubi contraxit, ſiſtere ſe nolit, eum illuc à magiſtratu ſuo requiſito eſſe remittendum, adeo non habet rationem, ut verius ſit, judicem requiſitum non teneri, ne quidem ex humanitate, civem ſuum, qui contraxit, aut ſe alii judici ſubmiſit, alio in jus vocandum permittere, vel imperare, ut eo ſe conferat; quia plus habet rationis, ſi ipſe juri in ſuum civem dicundo paratum ſe profiteatur, quam ut illum foras evocari patiatur.

21. Ad rei geſtæ locum retulimus etiam delictum; etſi, an æque juris id univerſalis ſit, quam juris Romani eſſe creditur, merito dubites. De jure Romano hac parte diximus in *Prælect. ad tit. ff. de Judic. n. 57.* eoque ſatis conſtat, reos criminum alibi repertos, ad locum maleficii perpetrati eſſe remittendos *Nov. 134. c. 5.* quod diverſis ejuſdem Imperii locis habet facultatem: non æque in diverſis Imperiis; cum inter ea ceſſet obligandi vis, quâ judices reum à ſe captum in locum admiſſi delicti remittere debeant.

22. Unde ſic ubique receptum eſſe videmus, ut criminum rei, quocunque loco reperiuntur, s) ibi ſupplicio adfici poſſint, nec uſquam validius obtineat iſta regula; *Ubi te invenio, ibi te judico.* Id enim fieri, intereſt humani generis, ut auctoritatibus & exemplis probat, in uſum popularis ſen-

tentiæ

n. 22. s) reperiuntur) *Quam ſententiam rectius Autor ex jure naturæ deducit, quàm ex jure Romano communiter Doctores id facere ſolent, ut ſimul in loco ex prælectionibus modo citato latius deducit Autor, & nos* ibidem in novis additionibus p. 200.

tentiæ, Sandius noſter *lib. 1. tit. 1. def. 6.* Etſi verum eſt, utilitatem exhibendi ſupplicia, in locis maleficiorum admiſſorum facere, ut mos remittendi reos criminum alibi captos, ad judicem loci, paſſim ita receptus ſit, ut rogantibus haud temere negetur, quo facit ratio *l. 28. §. pen. ff. de Pæn. Ut & conſpectu deterreantur alii ab iisdem facinoribus, & ſolatio ſit cognatis & adfinibus interemptorum; eodem loco pœnâ redditâ, in quo latrones homicidia feciſſent.*

23. Ex his apparet, quo ſenſu locus delicti cauſam fori tribuat, quatenus illi prærogativa remiſſionis debetur, in eodem quidem Imperio ex neceſſitate, ſi Leges Reipubl. ita ferant, (nec enim ubique tales extant, quomodo in Hollandia non tenentur ſingulæ civitates, quod ſciam, illa neceſſitate) in diverſis autem Imperiis, ut dictum, ex humanitate; tam prægnante tamen officii ratione, ut à jure parum abeſſe videatur.

24. Atque hæ ſunt cauſæ fori ordinariæ. Dantur etiam extraordinariæ, quibus forum alicui non competens, fit, ut vulgo loquuntur, *competens*, quarum, ut ad hanc artem pertinent, hæ ſunt ſpecies, Privilegium, Prorogatio, Connexio rerum, Reconventio, Denegata Juſtitia, Arreſtum. de ſingulis aliquid ad hujus diſciplinæ modum.

25. Privilegium datur vel dignitatis, vel miſerationis cauſa. Priore reſpectu illuſtres perſonæ ubique fere ſunt privilegiatæ, ut nonniſi ad ſupremum, vel certum eminens Judicium vocari poſſint: Cujusmodi quod jure Romano datum eſt, non magis hic opus ſit exponi, è titulo *C. ubi Senat. vel Clariſſ.* quam aliarum gentium mores, quorum magna varietas eſt, recenſeri poſſunt. Sua cuique patriæ inſtituta facile conſtent, idemque de fiſcalibus cauſis intelligendum.

26. In modicis Rebuspublicis, ubi non ſunt illuſtres, eorum loco nobiles & civium excellentiores aliquando funguntur. Etſi verum eſt, eorum jus ſingulare fori, eſſe quidem privilegium ſemper, quatenus hac voce jus ſingulare ſignificatur; non eſſe tamen privilegium, ut hoc jus in favorem alicujus conſtitutum denotat: Magis enim eſſe, uti, quod nobiles & civium eminentiores ad ſuprema tribunalia vocari poſſunt, id in favorem tenuioris fortunæ hominum, & æqualitatis quam dignitatis cauſa inſtitutum videatur, antea diximus: Niſi hoc modo ſervetur, ut nobiles & eminentiores ad ſuos judices, quibus in ordinariis, cauſis ſubjecti forent, in jus vocari nequeant; Id enim à dignitatis ratione minus alienum & privilegio propius eſſet.

27. Ad cauſam dignitatis ſpectat etiam privilegium militum, quibus ubique videmus indultum, ne alibi, quam apud magiſtros ſuos, quos proprie magiſtratus non eſſe, probavimus antea, conveniantur; quod à Romano jure fluxit in omnium gentium mores, ſuffragante ratione, de qua noti Satyrici verſus, non ſatyrici

Legibus antiquis caſtrorum, & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra,
Et procul à ſignis: juſtiſſima centurionum
Cognitio eſt igitur de milite.

Non immerito tamen hæc multis exceptio placuit, quod in delictis non militaribus, & communem civitatis quietem turbantibus, milites etiam à civili magiſtratu coerceri atque puniri poſſunt; quo reſpectu ita fere ſervatur, ut juriſdictio communis habeatur: In qua prævenientis potior ſit conditio, ut ab eo qui prior reum apprehendit, cognitio & animadverſio exerceatur: Etſi non deſunt reſpubl. in quibus, militia ſeparatum fere ordinem conſtituens, ad ſuos magiſtros ita pertinere judicatur, ut capti à magiſtratibus milites, ad ipſos remittendi ſint.

28 Pontificum Romanorum potentia fecit, ut & Clerici ordinario & ſeculari, quod vocant foro, ſubducti proprium habeant forum eccleſiæ, de quo notæ ſunt juris Canonici conſtitutiones, & uſus per omnem Euro-

Digitized by Google

Europam, quatenus adhuc adorat Papam: etſi jam à Græcis imperatoribus hujus rei initium factum eſt, in *l. 13. C. de Epiſcop. Andient.* & *l. 33. C. de Epiſcop. & Cler.* idque longius provectum à Juſtiniano in *Nov. 83. N. 123. C. 21.* ubi tamen, ſi jus ab epiſcopis non dicatur, res ad judices privatos defertur, quemadmodum & communia clericorum delicta iiſdem relinquuntur, eccleſiaſtica vero epiſcopis.

29. Pontifices forum eccleſiæ tam proprium clericis ſuis eſſe voluerunt, idque ſine diſtinctione civilium & criminalium cauſarum, ut ne quidem in ſingulis cauſis, eis foro ſuo renuntiare permiſerint *c. 8. x. de judic. Cap. ſi diligenti*, *cap. ſignificaſti x. de For. comp.* quod alioquin omnibus in univerſum privilegiatis, etiam in fori cauſâ, proculdubio licet. *l. 51. C. de Epiſc. & Cler.* niſi alterius & maxime ſuperioris interſit.

30. Non poteſt negari, quin artificioſiſſima ſit ſtructura magnæ illius civitatis, quam è tot gentibus, ambitioni flagrantiſſimæ regum & principum ſubtractam, imperio monarchico, exquiſita independentia, pontifices ſtabiliverunt. Digna res ingenio eruditæ calliditatis, qua principibus & populis ſuperſtitione rerumque bonarum ignorantia involutis ſuperbe ac inſolenter illuſerunt. Et ſi verum eſt, quod olim Cicero ad Luccejum ſcripſit, eum, qui ſemel verecundiæ fines exceſſit, oportere gnaviter eſſe impudentem, ne quidem id reprehendi poteſt, quod renuntiationes fori, quibus ordinis ipſorum dignitas & ſynceritas, ſi res crebro ad executionem veniret, notabiliter dehoneſtata fuiſſet, interdicendas putarunt.

31. De jure ſi quæras, externo, dubium non eſt, quin jus illud optimum ſit, patientia & conſenſu populorum atque regnantium: Jus vetus & authenticum eſt quidem, *ὅτι πᾶσα ψυχὴ ὑπερεχούσαις ἐξουσίαις ὑποτάσσεσθαι, omnem animam majoribus ſubjectam oportet eſſe poteſtatibus*, *ad Rom. 13. v. 1.* Sed hoc nihil impedit, quominus ipſorum conſenſu populorum, ſacer ordo ſeorſim potius, & cum honoris aliquo hac parte reſpectu, quam ut τοῦ πολλοῦ δήμου, nullo avulgo diſcrimine *t)* cenſeatur. Hæc junge ſis, iis quæ dicta ſunt in *lib. 2. ſect. 3. cap. 7.*

32. De privilegio ſtudioſorum, quod dedit iis Fridericus Barbaroſſa in celebri *Authent. Habita C. ne fil. pro patre*, quod ſatis ad hanc rem ſit, diximus in *d. lib. 2. c. 3. n. 7. & ſeqq.* ad cujus Authenticæ conſtitutionis exemplum formata eſt academia, cui nos ætatem & ſtudia noſtra conſecravimus, ab illuſtribus Friſiæ ordinibus, Franekerana: purius & decentius quam aliæ plures, qua de re diximus *in Prælect. ad Tit. ff. de Judic. n. 3.* ubi & in *ſequentibus* plura ad hanc rem pertinentia, nec ab hac arte aliena collocavimus; ſed modus eſt habendus, ne moles, operis, ſi qua futura ſit, gratiam corrumpat.

33. Altera cauſa privilegii forenſis eſt *Miſeratio*; quo reſpectu conſultum eſt pupillis, viduabus, diuturno morbo fatigatis, debilibus, aliiſque fortunæ injuria miſerabilibus perſonis, quibus hoc datur favoris, ut adverſarios ſuos ad comitatum principis, vel ad ſupremam curiam, prima inſtantia vocare, ſed ipſi illuc ita vocari non poſſint; ut nec ſumptibus vexentur, & validum adverſus potentiam adverſariorum ſuorum habeant remedium; quod ita conſtitutum jure Romano in *l. un. C. Quand. imp. int. jud.* durat ubique fere gentium & rationem habet univerſalem.

34. Quo autem jure, quod de pupillis ſancitum eſt, ad puberes & omnes, qui ſub curato

n.31. *t)* à valgo diſcrimine) *Sed hac ratio non poſtulabat totalem exemtionem à magiſtratu politico. Nam & apud Proteſtantes, ubi Clerus ſubeſt tamen Poteſtati Politicæ, habent Conſiſtoria Eccleſiaſtica, ut fora privilegiata, quo à Vulgo ſecernantur.*

curatoribus agunr; & quod de viduabus, hoc ad virgines productum ſir, aliaque hujus capitis memorabilia, repetere non ſuſtinemus, è prædicto *ad Tit. ff. de Judiciis loco n. 60.*

35. Hæc igitur de Privilegio fori dicta ſunto: De *Prorogatione*, quæ fit per ſubmiſſionem alicujus, ſub alienâ juriſdictione, quaque foro quis extraordinario ſubjicitur, etiam occupatum eſt agi quod ſatis huic arti ſit, *in ſect. 1. huj. libri cap. 6. n. 34.*

36. Tertiam fori extraordinarii cauſam diximus eſſe *connexionem rerum*, quia fit, ut litis alicujus conſortes, ne continentia cauſæ dividatur, ad alienum judicem ire cogantur: quod fit quidem bifariam; vel ut ad tribunal, cui nec mediate nec immediate ſubjecti ſunt, vocentur; vel ad tale, cui nonniſi per viam provocationis ſubjiciuntur. Prius tum maximè fit, quando ſitus rerum facit, ut lis apud certum judicem, tam diverſi, quam ejusdem imperii, quæ ad plures alibi degentes pertiner, inchoata, nonniſi omnibus inſtantiis in unam conflatis, abſolvi poſſit. Veluti, cum ad hereditatem aliasve res communes dividendas, plures è variis locis ſocii convocantur; aut unius debitoris, qui ſolvendo non eſt, Creditores, ad ejus bona diſtrahenda conveniunt. Quod denique, poſſeſſionis & proprietatis quæſtio, ſuper eâdem re, ab eodem judice decidi ſolet, etſi aliter ratio Juris ordinarii ferret, huc referendum eſt.

37. Alter caſus habet terminos ejusdem Imperii; Quoties cauſa, licet ad ſitum rei non habeat reſpectum, conrra plures ejuſdem conſortes, variis ſub judiciis inferioribus degentes, movetur. Quia non expedit, ſingulos reos apud ſuos judices conveniri, & tot lites, quot ſunt homines, diverſas agi, datur ubique facultas actori, omnes ad idem tribunal, omnibus, etſi mediatè commune, hoc eſt, ad ſupremam vocandi curiam. Quod cum ita reale & inevitabile non ſit, quam eſt rerum communium ſitus & *individuitas*, ſed magis arbitrariæ utilitatis, ideo in diverſæ Reipubl. cives non valet; nec hos propterea magiſtratus ſui prudentiores, evocari patiuntur; qui propter res alibi ſitas & actiones in ipſam rem conceptas id nullo modo recuſare ſolent.

38. Quarta cauſa fori extraordinarii & *incompetentis*, eſt *reconventio*, quæ dicitur; per quam is unde petitur, actorem peregrinum apud ſuum judicem, de quavis alia re, viciſſim convenire poteſt. Cujus rei tanta commoditas & rationis evidentia eſt, ut nusquam gentium recepta non ſit; an tamen usque adeo, quo Juſtinianus Imperator ejus uſum intendit, hodie valeat, ut, ſi reus ſui judicis tædio, pendente lite, quæ movetur ei ab alio municipe, eundem apud ſuum, domi ſuæ judicem, ſi maxime velit, convenire nequeat, ut eſt in *Nov. XCVI. cap. 2. u)* non habeo dicere.

39. Sed hoc requiſitum reconventionis eſt hujus loci, quod ita demum fieri poſſit & debeat, ut nullam in ordine civitatis Judiciorum confuſionem pariat; Unde nec in criminalibus invicem cauſis, nec in extraordinariis ſummariiſque judiciis, ordinariorum reconventiones judiciorum admittendæ videntur. Plura, quæ ad hanc rem & præcedentem pertinent, *ad Tit. ff. quib. cauſ. ad eund. jud. eatur*, petenda relinquemus.

40. Quinta cauſa, per quam non competens alicui forum, fiat ordinarium, & hujus maximè loci, eſt, *denegata* querela *juſtitiæ*, facta ſcilicet à judicibus inferioribus: Quæ cauſam præbet extra ordinem, vocandi ad-

n. 38. u) Novell. 96. cap. 2.) *Sed forte Novella intelligenda eſt de caſu judiciorum duplicium, & ubi quæſtio eſt de exceptione præventionis: Atque adeò in his caſibus ob evidentiam rationis etiam hodiè idem obtinere jam notavimus* ad n. 29. lit. r.

di adverſarium ad ſupremum, cui alioquin immediate non erat ſubjectus, tribunal. Denegatam autem dicimus juſtitiam, non, quando male adminiſtratur: Id enim per appellandi remedium reſcinditur; ſed quando judex inferior officium recuſavit ſuum, nec omnino juris publici copiam facere voluit: Id demum eſt, denegare Juſtitiam.

41. De *Arreſto*, cui ultimum fori non proprii cauſam adſcripſimus, actum *in cap. 2. hujus ſectionis*, in quo demonſtratum eſt, non modo eum, qui repertus eſt in alieno territorio, per arreſtum cogi poſſe, ut ibi Forum eligat; quod ut hodie mores ſeculi ſunt, parum abeſt, quin ordinem fori competentis non excedat; ſed etiam peregrinus, ſi quando res aut debitum ejus in alieno territorio ſitum ſit, arreſti jure ipſemet è ſua patria, ad locum illius arreſti (ni rem debitumve ſuum amittere velit,) tranſire, ſeque ibi judicio ſiſtere compellatur.

42. Cæterum, in Jus vocatus ad Judicem *incompetentem*, ut loquuntur, cui vel jure communi, vel privilegio ſubjectus non eſt, tamen ſiſtere ſe debet, ut Romanis olim placuit, ratione, ut videtur, univerſali; ne auctoritatem Magiſtratus, ſive ut illi loquuntur, Majeſtatem Prætoris ſpreviſſe videatur, quâ de re eſt *Tit. in ff. In jus vocati ut eant:* Non tam utique, ut ibi cauſam diſceptet, quàm rationes, quæ ad fori declinationem ſerviunt, allegat.

43. Ex ratione tamen juris publici, non opus eſt, exceptionis judicio, quo ſæpe fit, ut rejecta exceptione, aliquis ſine cauſa judici non ſuo fiat obnoxius, & impenſis oneretur; ſufficit allegare ſuas rationes voce ſcriptove, modeſteque proteſtari, vocationem eſſe ipſo jure nullam, eàque non teneri vocatum. Sed an tutum ſit, hac proteſtatione defungi, politica & facti quæſtio fuerit, potentia an impotentia judicis, domicilio & patrimonio rei conventi, aliiſque rationibus æſtimanda.

CAP. IV.
DE ORDINE JUDICIORUM.

Initio Judicii, tempus deliberandi eſſe concedendum. n. 1. Exceptiones dilatoriæ n. 2. De litis conteſtatione, & uſu ac proprietate Exceptionum à Romano jure diſcrepante. n. 3. Diſceptatio cauſæ, n. 4. Interventiones, n. 5. Probatio quid & quotuplex. n. 7. Teſtes quinam penitus prohibeantur, n. 8. 9. quinam in certis cauſis, n. 10. 11. 12. & quinam admiſſi minorem fidem mereantur. n. 13. Invitos plerumque judiciali teſtimonio fungi, quibusdam exceptis, n. 14. quo numero n. 15. & modo interrogandi, ubi de jurejurando. n. 16. Atteſtationes ſcriptas non habere vim probandi; Extra judicium, neminem cogi ad teſtimonium perhibendum. n. 17. De inſtrumentis & eorum differentiis. Publica quænam, n. 18. ubi de notariis & protocollis & exemplis authentica vi muniendis. n. 19. Inſtrumenta privata fidem an aliquam habeant, ubi de comperatione literarum, n. 20. de rationibus artificum & mercatorum, n. 21. 22. Præſumptio quid,

& eſ-

Digitized by Google

& effectus earum varius, pro variis illarum ſpeciebus. An adeo confertim & valide cumulari poſſint, ut plenam faciant probationem. n. 23. 24. 25. Ordo procedendi in criminalibus, ubi de quæſtione per tormenta, n. 26 - 57.

POſt in jus vocationem, è veſtigio reum ad litem urgere conteſtandam, etſi magis eſt, ut hic rigor, hodiernis moribus obtineat, incivile videtur. Romani rectius edi jubebant actionem & inſtrumenta probationis, ut ex iis rei copiam deliberandi haberent; cedere, an contendere ſatius foret, in quem uſum Juſtinianus ſpatium xx. dierum indulſit, quo elapſo, reſpondere cogerentur, *in Authent. Offeratur C. de Lit. conteſt.* quod etſi jure univerſali non ſit receptum, *officio* tamen judicis, aliquod deliberandi, tempus indulgeri poſſe atque debere, non eſt dubitandum. w)

2. Si reus cedendum haud putet, reſponſum meditatur, quod pertinet ad litem vel ſufflaminandam, vel conteſtandam. Prius, ſi vel forum neget eſſe legitimum aut ſibi tutum, vel judex ſit ſuſpectus, aut Procurator non ſit jure datus, aliâve causâ, quomodo adhuc eſt, non teneatur ad litem conteſtandam: cujusmodi rationes vocantur, exceptiones, in foro potius, & in hac arte univerſali, quam jure Romano, quas antequam lis inchoetur, judicis interlocutione rejici oportet.

3. Litis autem conteſtatio committitur, quando quis ad Actoris intentionem ita reſpondet, ut vel neget, ſe ullo modo, vel ſaltem adhuc, eſſe condemnandum. Qui negat omnino, hic vel ait, ſe nullo modo teneri, nec obligatum eſſe penitus; vel, etſi obligatio civilis ſubeſt, aliqua tamen æquitatis ratione, non eſſe faciendum, ut condemnetur in totum vel in tantum; veluti coactum ſe, vel dolo inductum eſſe ad contrahendum, vel pactum eſſe, ne petatur; eo denique pertinent omnes, quæ in jure vocantur, exceptiones peremptoriæ. Qui autem adhuc ſe cum effectu, vel eo, quo convenitur, modo teneri negat, habere dicitur exceptionem dilatoriam jure Romano: Moribus enim hodiernis, qui magis ad hanc artem ſpectant, exceptiones ſolummodo vocantur, quibus impeditur litis ingreſſus, & opponuntur defenſionibus, cujusmodi remedia ſunt hoc articulo commemorata.

4. Poſt litis conteſtationem, quæ apud Romanos veteres teſtato fiebat, unde nomen; ſequitur ulterior diſceptatio, per replicationes, duplicationes, triplicando, quadruplicando, quintuplicando, ſextuplicando: Etſi ad ambages præcidendas, quadruplicatio terminus eſſe ſolet; in multis etiam foris, non male, prohibitum eſt, ultra duplicationem procedere; ad amputandas repetitiones otioſas & ſupervacuas ca-

 villa-

n. 1. w) dubitandum) *Diſtinguerem inter cauſas levioris momenti, & quas expedis de ſimplici & plano expedire, & graviores, item inter cauſas liquidas, & quæ dubiæ diſceptationis ſunt. Priores non videntur requirere deliberandi ſpatium in reo. Poſteriores, uti ſpatium deliberandi omnino requirunt, ita mores noſtri quoad quæſtionem æquitatis non debebant opponi juri Romano, & hoc illis præferri. Apud Romanos enim in jus vocatio fiebat autoritate privata ſine dictione cauſæ: ergo æquitas omnino poſtulabat edi actionem. At apud nos citatio in actionibus gravioris momenti & ordinariis ſolet libellus ſimul ad reum transmitti, & terminus præfigi, qui in ſe contineat jam debitum deliberandi ſpatium.*

villationes.

5. Interea fiunt etiam ſæpius interventiones, quando alius reum ſuſcipit defendendum & litem in ſe transfert; quod nec actor, ſi caveatur ipſi, recuſare poteſt; item reconventiones, de quibus in *cap. præced.* actum, & quæ duplex judicium faciunt, ſive duas, ut loquuntur, inſtantias; quomodo appellantur cauſæ aliis junctæ, de quibus actione propria diſceptari poteſt.

6. Si partes de facto notabiliter, ut juris inde varietas oriri poſſit, diſcrepent, fiunt ab illis, & fieri debent, ut plurimum ad judicis interlocutionem, probationes per teſtes & inſtrumenta. Reprobationes quas vocant, ad probata partis adverſæ ultro citroque refutanda; & quicquid amplius ad juris & facti declarationem requiritur, id in acta redigi, adverſario ventilandum & judici ad ſcopum victoriæ obtinendum proponi ſolet & debet.

7. Probationis ſcholaſtica & antiqua diviſio eſt, in artificialem & inartificialem. Artificialis fit per rationes & argumenta è rerum natura & circumſtantiis petita. Inartificialis, quæ dicitur, per teſtes & inſtrumenta: & hæc ſpecies nomine probationis maximè demonſtratur. Alterum genus diſceptatione verbali magis perpetratur, ad quam nihil opus eſt interlocutione judicis, nec egent expoſitione noſtra. *x*) De teſtibus & inſtrumentis, cum uſus eorum æquè in publicis ac in privatis obtineat, paucis agendum.

8. Cum probatio ſit legitima fides, de re geſta judici facta, res loquitur, debere teſtes eſſe perſonas, quarum dicta fidem ejuſmodi legitimam facere poſſint; ejuſmodi qualitas aliis quidem omnino deeſt, in aliis imbecillior eſt. Omnino deeſt, vel in omnibus, vel in certo genere cauſarum. In omnibus, fidei faciendæ inhabiles ſunt, ut res loquitur, dementes, & furioſi; cum quibus prodigi, quibus bonis interdictum eſt, comparantur. Impubetes etiam, non obſtantibus exemplis in contrarium, cujuſmodi illuſtre præbet in *Vita Marcelli* Plutarchus. Cum ille Capitolinum ſtupri filio ſuo illati accuſaſſet, deficientibus omnino teſtibus; ita Plutarchus, *καὶ μάρτυρος οὐδενὸς τῶν λόγων γεγονότος, ἔδοξε μεταπέμψασθαι τὸν παῖδα, τῇ βουλῇ. Παραγενομένου δὲ ἰδόντες τὸ ἐρύθημα καὶ δάκρυον; καὶ μεμιγμένον ἀπαύστῳ θυμουμένῳ τὸ αἰδήμιον, οὐδενὸς ἄλλου δεηθέντες τεκμηρίου κατεψηφίσαντο καὶ χρήμασιν ἐζημίωσαν τὸν καπιτολῖνον. Cum nullus eſſet teſtis eorum quæ dicebantur, viſum eſt Senatui, puerum eſſe arceſſendum. Quo ingreſſo, cum ruborem ejus & lacrymas & verecundiam infeſta iracundia mixtam, nullo alio opus eſſe rati indicio, Capitolinum in mulctam pecuniariam condemnarunt.* Bene de pecunia: Nam ſi pœna capitalis irroganda fuiſſet, credo, magis hæſitaſſent.

9. Prohibentur adhuc ſurdi mutique ſimul, & inteſtabiles, quibus ob magnitudinem infamiæ teſtimonio interdictum, ut lenones & ſcorta publica; quibus quod jure Romano hæretici & perduellium liberi accenſentur, non habet rationem juris univer-ſalis

n. 7. *x*) expoſitione noſtra) *Imo vero probatio artificialis majore explicatione opus habet, quam probatio inartificialis. De hac enim pleni ſunt mille pragmaticorum libri. At artificialem ferè ignorant Judices pariter & Advocati noſtri. Quod vel ex exemplo patet, quod afferre ſolent; probationem artificialem eſſe:* Peperit, ergo non eſt virgo. *Egregium artificium. Falſum inſuper eſt, artificialem eſſe rem levioris momenti, nec fieri per teſtes & inſtrumenta. Reſtauratio probationum artificialium petenda ex Veterum inſtitutionibus oratoriis & declamationibus, item Orationibus Iſocratis, Demoſthenis, Ciceronis &c.* Vide pluribus dicta in ſpecimine juriſpr. judic. cap. 6. *Adde omnino Autorem* infra n. 25.

ſalis nec æquitatem.

10. In quibuſdam cauſis, prohibentur, ſurdi, cœci, in iis ſcilicet, quibus viſu vel auditu opus eſt; Muti ſi, quod perceperunt, ſcribere nequeant. Mulieres uſu gentium poſitivo, non ex jure naturæ derivato, in teſtamentis; cum ratio in his nihilo magis illas, quàm à judiciis excludat. Minores annis xx. in criminalibus jure Romano prohibentur, quod hactenus receptum eſt, ſi veritas aliter haberi poſſit: In criminibus difficilioris probationis, magis eſt ut admittantur, maxime ſi conteſtes habeant conſentientes.

11. Huc etiam pertinet, quod nemo teſtis eſſe poteſt in cauſa penitus, aut ex parte propriâ, in quâ lucri vel damni ipſius ratio vertitur, quos inter conſortes criminum; haud perinde qui læſi ſunt, ubi publicè contra maleficos proceditur; tales enim admitti ſolent & debent; niſi cum ad id, quod ſna intereſt, agunt. Nec quidem in articulo mortis facta declaratio, de proprio facto valet, etſi Theſeus apud Euripid. *Hippol. v. 319.* vim ejus cum jurejurando comparat.

Ποῖοι γὰρ ὅρκοι κρείττονες, τίνες λόγοι
Τῆς δ᾽ ἂν γένοιτ᾽ ἄν, ὥστε σ᾽ αἰτίας φυγεῖν.
Quodnam potius eſſet jusjurandum, quæ rationes
Hoc meliores chirographo, quod te coarguat?

Relicto ſcilicet, à Phædra & ſuſpenſione ſui obſignato.

12. Denique, nec patroni vel Advocati & Procuratores in eâdem cauſa, ne quidem diverſa inſtantia pro ſuis mandatoribus aut clientibus admittuntur: Etiam domeſtici teſtes prohiberi dicuntur, qui tamen non tecto ſed neceſſitudine æſtimantur, ſi talis hæc ſit, ut imperium in medio ſit, veluti inter parentes & liberos, virum & uxorem. Inter fratres, quamdiu ſunt in eadem domo, non videtur eſſe diſpar ratio: Separati, imperio non tenentur; Ideoque frequenter admittuntur, ut & cognati ulteriores, tametſi non ſint omni exceptione majores. Denique, amicitia & inimicitia gravis aut intima prohibet. An & ſubjectio infra Magiſtratum aut Principem? non videtur, ſi nulla teſtis utilitas privata vertatur; nec quidem ut juramentum ſubjectionis, quod aliqui volunt, remittatur, cum hoc à teſtimonii in judicio præſtandi cauſa prorſus alienum ſit, neceſſe videtur.

13. Quænam ſint cauſæ, propter quas minorem aliqui fidem mereantur, judicantis officio magis, quam certis regulis comprehenſum videtur. Enimvero qui ſupra non ſimpliciter, ſed in quibuſdam rebus prohibiti ſunt, hi in exquiſitis magni momenti cauſis, quarum notitia per alios haberi non poteſt, admitti ſolent, non tam ſi per ſe conſiſtant, quam ſi per alios teſtes validaſque præſumptiones adjuventur. Item cognati ulteriores, amicitia inimicitiave noti tralatitia; Infames inſigniti, denique viles & ſordidiores, *χαμαιπετεῖς καὶ ἐπιδίφριοι*, abjecti humique repentes, quos vocat Juſtinianus *in Nov. 90. c. 1.* Denique, prohibiti abſolute cum raro producantur, ita fere uſu venit, ut plerique partibus recuſati teſtes admittantur, ſalvo jure reprobandi, id eſt, fidem cum bonis rationibus diminuendi.

14. Teſtimonii perhibendi publicum eſt officium, ad quod etiam invitos compelli, Reipubl. intereſt, ut tamen excipiantur perſonæ proxima neceſſitudine conjunctæ his, contra quos producuntur; quod tamen quo usque extendatur, juris eſt poſitivi & arbitrarii; Ad quintum usque gradum incluſive, ut ajunt, Romanis id extendere viſum *l. 4. & 5. de Teſtib.* Quod in criminalibus ſummam habet rationem: In civilibus, propinquos ad quintum usque gradum eximere neceſſitati, copiam veri adverſus perſonas conjunctas faciendi, non caret notabili incommodo. Ideoque à Græcis & Baſilicis *lib. 21. tit. 1. ad d. l. 4.* & in quibuſdam tribunalibus, hæc remiſſio ad maleſi-

Digitized by Google

maleficia famoſasque duntaxat actiones, non ſine magnâ cauſâ reſtringi ſolet. A patronis olim adverſus clientes ſuos non exigebatur teſtimonium, auctore Gellio *lib. 5. c. 15.* quod ad Patronos cauſarum extendi ſolet: Modo veritas aliter conſtare queat. Nam ſi ab Advocati conſcientia, momentum omnis cauſæ penderet, ferendum non eſſet, ut reus hunc ſibi patronum deligendo, probationis copiam adverſario interciperet.

15. De numero teſtium habemus hoc dictum ſacris & profanis ſcriptoribus uſuque populorum approbatum, unius teſtimonio non eſſe credendum. Ex ore duorum vel trium omne conſtare verum. Et quidem duo, ſi omni exceptione majores ſint, audiuntur; niſi quod pro negotii natura atque momento & qualitate perſonarum, judex aliquando plures requirere poſſe videatur. Plures vero ſingulares, qui aliis aliiſque locis & temporibus ſuper eodem facto loquuntur, non facile ad fidem faciendam conjunguntur; niſi valde conſertim & conſtanter *omnibus in unum vel finem conſpirantibus & concordantibus*, ut ait lex 16. *C. de pœn.* Uni igitur, licet omni exceptione majori non habetur fides; nec tamen numerus omnimodo prævalet; nec reſpici oporter ad multitudinem, ſed ad ſynceram teſtimoniorum fidem, quæ ex auctoritate quoque & dignitate perſonarum & rationibus colligitur, ut quibus potius lux veritatis adfuerit, animum advertamus, ut eſt in *l. 21. de Teſtib.*

16. Debent autem jurati eſſe teſtes; injuratis non creditur, quod ut jure civili cautum *l. 9. l. 18. C. h. t.* ita ubique receptum eſt. *y)* Unde Mennonitæ, quos vocant, ſaltem qui Deum teſtem invocare nolunt, qua de re diximus in *l. 2. ſect. 6. c. 3. n. 12.* re infectâ dimittuntur; alicubi etiam male mulctantur. Sed male, cum religionis cauſam, licet erroneam, habeant. Cogitandum potius, an non temperamentum aliquod inter invocationem numinis, ad fidem faciendam & adſeverationem ſimplicem præter id quod vulgo adfertur, ut fallaciæ comperti tanquam perjuri puniantur, inveniri poſſit; quod ipſos in præſenti animos adficiat. Si Mennonitæ, quibus & Sociniani hac parte plures accedunt, adduci poſſent, ut formulam Quakeris in Anglia præſcriptam ſequerentur; *Adſirmo vere, ut in conſpectu Dei* quemadmodum Londino ſcriptum) fuit, in novellis Harlemenſibus *die 2. Maj. 1689.* exiſtimarem, ejuſmodi adſertionem juramenti loco in judiciis, haberi poſſe, ejuſque vim & virtutem ſatis exhibere, ſecundum ea quæ diximus *in d. cap. 3. n. 22.*

17. Quæ præterea, ad doctrinam de teſtibus ſpectant, πραγματικώτερα ſunt, quam ut huic inſtituto conveniant: niſi quod duæ res adjici merentur. Una, ſcriptas atteſtationes, licet ὁλογράφως, vel à teſtibus dictatas aut ſubſcriptas, non facere fidem in judicio; quia nimis crebro compertum eſt, illas diſſolutè nimis & ambitioſe, nullo judicis examine, nullis adverſarii interrogationibus cohibitas vel adtemperatas dari. Altera ſit admonitio, neminem cogi extra judicium, vel ut reum, vel ut teſtem ad interrogata privatorum reſpondere; non modo, ſi per homines publicos interrogentur, ſed ne quidem, ſi quis ad judicem, cui ſubjectus eſt, aliter, quam ſi magiſtratus aut judex

---

n. 16. *y)* receptum eſt) *Ubi ſcilicet arcana politica Papalis recepta ſunt ſub ſpecie inſignis, quamvis reverâ larvatæ, pietatis. Neque enim Jus Naturæ aut Gentium requirit teſtimonium juratum. Neque apud populum Judaicum in republica à Deo per Moſen ordinatâ teſtimonium juratum fuit regulariter in uſu. Nec apud Romanos ante Conſtantinum Magnum. Plura ad hanc quæſtionem pertinentia vide* in diſſertat. noſtrâ de fide juridica cap. 2. §. 61.

Judex aliquem ex officio interrogandum putet; Auctoritati enim publicæ obſequendum, quæ ceſſat in prioribus, quando perſonæ publicæ, aut ipſi Judices *officium* ſingulis, rogati impertiuntur, *mercenarium* quod vocant. Planè, quominus ex magnâ causâ teſtes in perpetuam rei memoriam, præſentibus iis quorum intereſt, magiſtratibus ante litis conteſtationem examinentur, ratio non vetat. Modus autem illam rem adminiſtrandi, & cætera teſtium Examen ſpectantia juridiciale, petenda ſunt è Prælect. *ad Tit. ff. de Teſtibus.*

18. Eadem remiſſione utemur in capite de probatione per ſcripturam, ubi pauca ad hoc inſtitutum neceſſaria delibaverimus. Scripturæ quibus Judici intentionis noſtræ fit fides, inſtrumenta vocantur, *eximie*, tametſi teſtes etiam, Judices & cauſas *inſtruunt*; unde nomen *l. 1. ff. de Fid. inſtrum.* Sunt autem inſtrumenta publica vel privata. Publica vel ſtricte & proprie, vel latius & impropriè accipiuntur. Strictè publica ſunt, quæ habent Reipubl. auctoramentum, ut ſunt tabulæ cenſuales, apochæ publicarum functionum, quæ dicuntur in Codice Juſtinianæo, id eſt, tributorum & vectigalium. Acta judiciorum, vel extrajudicialium negotiorum apud officium celebrata. Denique, negotia privatim contracta, inque ſcripturam redacta, dein recognita in judicio, publicoque munita ſigillo recte eodem ſtrictiore ſenſu publica cenſentur. Laxius & impropriè inſtrumenta publica vocantur, quæ à perſonis publice ad hoc conſtitutis, ſcripta vel confirmata ſunt, quibus accenſentur relationes ſcriptæ perſonarum, quæ in publicis occupatæ officiis, de rebus à ſe geſtis vel executioni datis teſtimonia perhibent. Tales etiam erant olim argentarii & tabelliones; qui chartas puras agere dicuntur *in l. 3. C. de Tabular.* quorum à verè publicis in hoc elucet differentia, quod hæc ſine teſtibus non probant, qui in vere publicis non deſiderantur *l. 19. in pr. C. de Teſtam.*

19. Tabelliones hodie vocantur Notarii; qui non magis quam procuratores, in jure publico cuperent eſſe *ἀσύμβολοι*. Eſt igitur Notarius, *Vir bonus, Acta ſecundum leges concipere peritus, eamque ad rem publicè conſtitutus.* Virum bonum eſſe debere, matura negotii & gentium leges requirunt. De peritia ſecundum leges ſcribendi ut recte judicetur, examinandi ſunt, priusquam admittantur, ut fit. *Publice conſtituuntur*, & ab his qui ſummam habent poteſtatem; Refertur enim jus creandi tabelliones ad minora jura majeſtatis; quia privatis hominibus publicam tribuere poteſtatem & auctoritatem, magiſtratus officium excedit, ut in loco ſuo dictum eſt: Ad modum exercendi officium illorum pertinet inprimis inſtitutum habendi Protocolla, quaſi *πρῶτα κόλλα*, quæ Juſtinianus appellat in *Nov. XV.* licet alio ſenſu. Nam ibi ſignificant chartas, in quarum capite habentur inſcriptiones quædam auctoritatis publicæ. Juxta uſum hodiernum, nihil aliud eſſe debeant, quam memoriales ſcripturæ tabellionum, quibus in codice aliquo ſumma geſtorum collocatur; ſed uſus earum fere talis eſt, ut ipſa authentica inſtrumenta in illis conſcribantur & conſignentur; unde nonniſi exempla partibus eduntur; quæ fide manuque tabellionis munita vim probandi in judiciis obtinent, ſemperque recurſum ad authentica præbent. Cujus rei fructus Reipubl. ſaluberrimus inde conſtat, quod ubi talia protocolla non exercentur à tabellionibus, maximi quæque momenti negotia pereunt his quorum intereſt; quando fortuitis caſibus, qui regnant in rebus humanis; inſtrumenta amitti contingit, quemadmodum hujus rei in utramque partem experentia enixe conſtat.

20. Cæterum, è deſcriptione & diverſitate publicorum, quid privata ſint inſtrumenta, facile colligitur. Idcirco differentiam effectus inter has ſpecies collocemus, quæ

eſt

Digitized by Google

eſt hæc, quod publica ſola probant; niſi quod pluribus in locis haud immerito ſervatur, ut tribus munita teſtibus, probandi vim habeant. Reliqua chirographa & ſcripturæ, nec in publico, nec à perſonis publicis confectæ, nec trium habentes ſubſcriptionem teſtium, nonniſi adverſus eum, à quo ſcripta ſunt, rectè proferuntur. Quo, ſuam eſſe, negante manum, comparatio literarum fieri ſolet, idque jure Romano cautum eſt, è tali inſtrumento, quod per ſe vim probandi habeat, aut ſane, de quo non dubitètur, quin ſit ejus, de quo ambigitur, manus; Ut tamen hæc comparatio nonniſi veriſimile præbeat argumentum, tam ex ejuſdem Romani, quam univerſi juris ratione, cum, quia aliter ſcribimus alio tempore, tum, quia *nunquam defuerunt homines, qui ad imitationem alienarum literarum ſemetipſos maxime exercerent*, z) ut ait Juſtinianus in *Præfat. Nov.* LXXIII.

21. Ab hac regula de privatis ſcripturis una ex exceptio, late patens, in mercatoribus & artificibus promiſcuis, quorum memoriæ rationales, ſive codices rationum habent vim probandi, accedente jurejurando, quod emplaſtrum æris alieni vocabat olim Laberius, vel morte ſcriptoris, ut univerſali fere per omnem Europam conſuetudine receptum eſt; Inſtitutum à jure civili a) alieniſſimum, quo pernitioſum judicatur, ei credere ſcripturæ, qua unuſquiſque ſibi adnotatione privata debitorem conſtituat *l. 7. C. de probat.* Sed poſtquam vetus nomina contrahendi modus, qui collatis rationibus fiebat, in deſuetudinem abiit; nec in mercatura, quæ confertim exercetur, chirographa identidem commutari poſſunt, publica neceſſitas hunc morem ſane quam periculoſum invexit; non neglectis tamen requiſitis, de quibus à nobis actum in *Prælect. ad Tit. ff. de Fid. Inſtrum. n. 19.* unde & reliqua ad uſum probationis per inſtrumenta ſpectantia petantur.

22. Addemus tamen; Authentica ſola probare, non exempla, niſi recognita & pro Authenticis habita, conſenſu partium, quæ privatim ita conſtituere poſſunt; Nec quidem ſi publice collatio fiat, aliter, quam vocatis ad confirmationem iis, quorum intereſt, fieri poſſe videtur: Non magis quam prima confectio & celebratio negotii apud officium publicum aliter quam prævio partium conſenſu fieri poteſt: qua de re plura notabilia, ſed hujus excedentia modum inſtituti *in d. loco* protulimus.

23. Probationibus exactis, aut tempore, quod legibus aut judicis arbitrio ad eam rem conſtitutum eſt, elapſo, teſtimonia ſcripturæque probatoriæ publicantur. Et tum partibus copia fit, adverſariorum probationes, dicta teſtium, argumenta ſcripturarum,

n. 20. z) exercerent) *Huc pertinet elegans caſus, qui diu in ſupremo imperii judicio ventilatus fuit. Conveniebantur heredes ex chirographo patris de magnâ pecuniæ ſummâ. Res valde dubia erat & multa argumenta artificialia afferebantur, reorum patrem eum chirographum non ſcripſiſſe, etſi literæ eſſent ſimiles literis à manu paternâ ſcriptis, quod nec negabant Rei. Ergo fatentes rei convenientiam literarum, offerebant ſe ad juramentum diffeſſionis. Actor contra nolebat admittere eos & petebat inſtitui comparationem literarum. Impetrabat etiam. Reſpondi, hanc impetrationem eſſe nullam & reſcindendam, quia per comparationem literarum non poterat plus probari quam literarum convenientia, quæ non erat in quæſtione.*

n. 21. a) Jure Civili) *Non tamen à Jure naturæ obſervatis iis requiſitis, ad quæ ipſe Autor ſtatim provocat. Quæ verò in contrarium à quibusdam afferri ſolent non pertinent ad uſum hujus probationis, ſed ad abuſum, & ineptam extenſionem hujus doctrinæ ad caſus diſſimiles.*

ſarum, rationibus aliiſve teſtibus aut inſtrumentis refutandi, alterique eadem tuendi & ſalvandi, ut loquuntur. Præſumptiones etiam utrimque urgentur, & quam proxime poteſt, probationum evidentiæ admoventur. Exigit hic locus, ut de præſumptionibus, paucis agatur.

24. Eſt autem præſumptio nihil aliud quam *Anticipatio quædam judicii de rebus incertis, ex eo quod plerumque fit, elicita.* Dicitur anticipatio, quia proprie, aliquid in anteceſſum pro vero habere, probabiliter, id eſt, præſumere: Idemque ad præterita, nobis adhuc incognita quæ habentur, ac ſi nondum eſſent, transfertur. Cujuſmodi collectionibus exercita mens hominis, ad ejuſmodi facultatem conjiciendi res futuras pervenire poteſt, ut haud facile decipiatur; qua divinandi arte ſe ad amicos Cicero jactat eximiè *lib. 6. ad Famil. 6. & alibi*, quemadmodum & Plutarchus ei talem præſumendi artem adſcribit *in Vita Ciceronis.* Quæ tamen non impediunt, quominus materia præſumptionum in rebus incertis conſiſtat: Niſi quod lex aliquando in quibuſdam factorum ſpeciebus ſtabiliat præſumptiones, quas in univerſum habet pro certis. Sic qui adulterii prius accuſati turpes amores deinde nuptiis conglutinarunt, pro adulteris habentur *l. 34. C. Ad L. Jul. de Adult.* & id genus alia, contra quæ ne probatio quidem admittitur in contrarium; Etſi communiter diutius pro veris non habentur, quam probetur contrarium: Quomodo qui occidit cum gladio, cenſetur habuiſſe animum occidendi; qui clave, vel cucuma in rixa, non videtur illo uſus animo *l. 1. §. 3. ff. ad L. Cornel. de Sicar.*

25. In univerſum præſumptiones, quarum infinitæ ſunt ſpecies, dividuntur in leviores & fortiores. Illæ ſuſpicionem ſolummodo movent & judicem quadantenus inclinant, ſed per ſe nullum juris effectum habent, fortiores onus probandi transferunt in adverſarium: Sed eſt magna quæſtio, an poſſit eſſe tantus præſumptionum cumulus & concurſus, ut judici fas ſit ex animi ſui ſententia, probatum ſibi & plenam fidem eſſe factam, ſtatuere. Videtur hoc modo ſtatuendum; Quando circumſtantiæ factum immediate præcedentes & conſequentes ita reum premunt, ut tametſi corpus ipſum facti non extet probatum, ſic tamen undique concluſum & coarctatum eſt, ut ab alio quam à reo perpetratum eſſe nequeat; certitudine tamen morali, non phyſicà, quæ ſcilicet ejuſmodi ſit, ut contrarium plane ſit impoſſibile. Facti ſpecies, quibus hæc res illuſtrari poſſit, hujus inſtituti ratio non patitur exponi. Unum eſt apud Sandium, à graviſſima Friſiorum curia probatum, exemplum; Alia duo dedimus in *prælect. ad tit. de probat. n. 3.* Lector addere poteſt, ſi placet, librum, qui continet hiſtoriam jugulati comitis Eſſexii in carcere Londinenſi *die* XIII. *Julii* CIↃ IↃCLXXXIII. ubi præſumtiones ingenti numero accumulatæ, factum, quod ipſum nemo vidit, manus alienas ei fuiſſe illatas, dubium tamen eſſe non patiuntur: Utique ſi facta, è quibus colliguntur præſumptiones, ita, ut narrantur, evenerint, qua de re habitæ inquiſitiones nunquam publici juris factæ ſunt. Idem ſuper facto illuſtris cujusdam ſuppoſitionis & partus ὑποβολιμαίου exiſtimet, qui legit quindecim ea de re præſumptiones, in quadam declaratione adſtructas; quarum facta ſi probata fuiſſent, rem vix aliter ſe habere paterentur, ut ſpecimen artificialis probationis efficere poſſe viderentur.

26. Probationes & præſumptiones, cum juris rationibus, applicitæ facto tempore legitimo, cujus ſpatia pro more cujuſque fori variant, exhibita judici, cauſam *Viſioni* & deciſioni maturam exhibent, ut dein ſequatur ſententia, de qua locum peculiarem habebimus. Addemus aliquid de ordine judiciorum criminalium, prout hic uſu veniat.

27. Dictum eſt alias, morem antiquum, admit-

Digitized by Google

admittendi quoslibet ad accuſandos criminum reos, hodie vix uſquam ſervari; vel quod rarius expediunt commiſſa negotia plures, & quod pleraque ſic impunita manerent delicta, nemine fere ſatagente, quod omnibus injungitur; vel quod Chriſtiani populi promiſcuam ſanguinis exigendi licentiam privatorum officio minus convenire putent. Ergo conſtitutus eſt procurator publicus accuſator *b*) ut tamen privati non prohibeantur: Ac ideo, ſi velint, non eſſe excludendos ab accuſandi officio, cenſent haud temere Viri prudentes, interque eos Ant. Matthæus *de Crimin. ad lib. 48. ff. tit. 20. c. 2. n. 2.* inprimis, ſi procuratores publici partibus ſuis deſint, ut aliquando talis, ſi quis ſuorum propinquorum deferretur, non ſine ratione dicebat, non teneri ſe in ſanguinem ſævire proprium

28 Delato crimine, ſi tale ſit, ut è vinculis cauſa dicenda videatur, reus è continenti comprehenditur; Si reus vi reſiſtat, aut fugiat, an occidi poſſit, quæritur; & quidem de fuga, negandum eſt. Si vim opponat, videtur bellum eſſe; proinde hoc agendum, ut quovis modo capiatur, in quo tumultu reus cadens, jure cæſus videbitur.

29. Si crimen non ſit ejuſmodi, ut certo pœnam corporalem aut relegationis duntaxat infligi oporteat, reus in jus vocatur, ubi tum primo diſceptatur, includendus ſit carceri, an fidejuſſoribus committendus. Olim ſuit & media via, cuſtodia militaris, in qua fuit Paulus Apoſtolus apud ſe, militi alligatus; aut magiſtratuum domi cuſtodiebantur. Menſtruum ſpatium, quod jure Romano recentiori, criminum reis, antequam plane carceri darentur, ad mœſtos penates ſuos componendos, indulgebatur, *l. 2. C. de Cuſtod. & exhib. reor.* hodie nuſquam ſervatur.

30. Carcere clauſus celeriter examinandus judicanduſque, ne mala manſio pœnæ loco *c*) cedat, nec omnino excedendum juris Romani biennium ſine gravi cauſâ. *l. properand. 13. C. de Jud.* Damnandus vero hauddubie nemo, niſi confeſſus aut indubitatis probationibus evidenter convictus; qua in re non modo admittendi teſtes & inſtrumenta, ſed & artificialia argumenta ex circumſtantiis

---

n. 27. *b*) publicus Accuſator] *Conſtitutio hæc publici accuſatoris novioris ævi eſt. Nam adhuc Conſtitutio criminalis Carolina, publicum accuſatorem ignorat, & tamen de accuſatoris officio multa ſtatuit. Porro & cauſæ, cur accuſationis uſus deſierit, quas autor hic tradit, genuinæ non ſunt, ſed vera ratio eſt, quod Clerus ex arcanis Politicæ ſuæ in Papatu introduxerit proceſſum inquiſitorium, qui ſub ſpecie & larvâ pietatis impoſuit poſtea Laicis, ut & in foris Politicis reciperetur. Poſtea tamen principes Evangelici, ſentientes forte abuſus, à proceſſu inquiſitorio vix ac ne vix quidem ſeparabiles, conſtituerunt accuſatores publicos. Non fert præſens inſtitutum, ut dicta ulterius demonſtrentur. Fiet id, Deo dante in diſſertatione peculiari de origine proceſſus inquiſitorii. Et docet prætereà experientia, quod ubi accuſatores publici, qui Fiſcales vocantur, ſunt recepti, non tamen obſervetur exactè proceſſus merè accuſatorius antiquus, ſed novus quaſi emerſerit proceſſus accuſatorio - inquiſitorius. An vero hoc modo abuſus proceſſus inquiſitorii ſint planè ſublati, aut commodè tolli poſſint, alia quæſtio eſt.*

n. 30. *c*) pœnæ loco) *At quod carcer ſit mala manſio etiam ad abuſus pertinet. Sanè enim carcer debebat jure naturæ & Romano eſſe cuſtodia reorum, non pœna, non mala manſio. Sed iterum inventum Politicæ Papalis eſt, quod hodie carcer pœna ſit, & quod iidem carceres, etiam apud Proteſtantes, & apud hos ſæpè manſiones peſſimæ, adhibeantur ad cuſtodiam reorum, eorumque pœnam.*

ſtantiis facti deſumpta, *quæ modo tam claræ ſint, ut nullum dubitandi locum relinquant, l. ult. C. de probat. l. 1. §. 4. ff. de Quæſt.* Nam ex indiciis & præſumptionibus licet urgentisſimis, neminem unquam damnandum eſſe, ratio ſalutis humanæ flagitat omnino; valetque hactenus regula; præſtare ſontem dimitti, quam innocentem damnari.

31. Cognitio cauſæ fit bifariam, ordinario modo, & extra ordinem. Modus ordinarius à civili proceſſu nihil admodum differt; Poſtulatio accuſatoris, rei contradictio, replicatio, probatio, reprobatio, & cætera judiciis conſueta. Sed extraordinarius, *d)* per inquiſitionem, modus fieri dicitur, quando ſummariè adverſus reum proceditur, examinatione ſecundum articulos *facti* inſtitutâ; teſtibus etiam reo coram auditis, denique tormentis, ſi res ferat, applicitis. Et hoc modo inſtituitur, cum reus in vinculis habetur; Sed ubi fidejuſſoribus committitur, ordinariâ fere via proceditur: Niſi quod nonnullis in locis, qui cauſas è vinculis dicunt, ſi in principio inquiſitionis, ſponte non confiteantur, his ordinaria cauſæ cognitio & diſceptatio permittitur; quâ finitâ, reus abſolvitur aut condemnatur peremptoriè, vel ad quæſtionem.

32. De hac omitti non poteſt quæſtio, ſitne licitum torquere, reos non plene convictos. *e)* Quâ de re mirari licet meritò,

n. 31. *d)* extraordinarius) *Sed praxis oſtendit, apud nos inquiſitorium proceſſum ferè ordinarium factum eſſe. Neque apud nos teſtes in inquiſitorio examinantur coram reo, niſi forte Autor examen reorum cum confrontatione confundat, quod tamen determinare nequeo, quia mores proceſſus inquiſitorii in Belgio mihi non ſunt cogniti.*

n. 32. *e)* non plene convictos) *Simplicius fortè inſtitueretur quæſtio: An licita ſit Tortura? Nam rei plenè convicti haud dubie non torquentur. Sed hæc quæſtio duas iterum involvit quæſtiones haud quaquam confundendas. I. An tortura deceat Reſpublicas Chriſtianas? II. An ſi Chriſtianis ſit indecens adhibere torturam, ſuadendum ſit magiſtratibus Chriſtianis ut torturam exterminent. Primam quæſtionem nego, quia haud dubiè tormentorum inventum, quatenus eſt modus regularis, adhibendus perſonis quibuscunque liberis, in Republica Romana debetur tyrannidi imperatorum quorundam Romanorum, in Republicâ Chriſtianâ arcanis Cleri Pontificii & eorum proceſſui inquiſitorio, maximè contrà homines innocentes per calumniam ut hæreticos & magos diffamatos. Sed tamen propterea non affirmo quæſtionem ſecundam; etſi anno 1705. ſub meo Præſidio diſſertatio inauguralis habita fuerit de tortura ex foris Chriſtianorum proſcribenda, quam Dn. Autor ex doctrinâ Celebrium JCtorum Belgicorum, quorum Auditor fuerat, & videlicet ex principiis Antonii Matthæi & VViſſenbachii ab Autore hic citatorum, aliorumq; hauſerat. Mea tum in Epiſtolâ, præmiſſâ diſſertationi, fuit opinio:* Benè facit Medicus, ut ſtatum hominis ægrotantis ac ſigna morbi accuratè ſecernat à ſignis ſanitatis. Tum & cognito morbo ſerio optat, ut ille expellatur. Sed quantum id permittit prudentia Medica. Neque enim abſque gravi periculo ægrotantis indiſtinctè poterit adhibere medicamenta morbo adverſa, ſed varia conſideranda ſunt Medico, puta, ut radices morbi ſimul tollantur, ut conſtitutio corporis, ætas, conſuetudo, & annon malum nimis altas radices egerit, ut totum tolli nequeat, & ſimilia, expendantur. Sic & Politicus ac JCtus in quæſtione de torturâ, antequam conſulat, torturam eſſe eradicandam, conſiderabit, an & reliqui nævi, quibus laborant Chriſtianorum Reſpublicæ, ſimul tolli queant, aut annon torturâ ſublatâ & reliquis nævis intactis, graviora damna ſint metuenda. Conſiderabit,

Digitized by Google

gentium temporumque fere omnium, præter Hebræos, uſum eſſe affirmativum; pro negativa pleroſque viros doctos eſſe, non modo Theologos, ſed etiam Juris-conſultos non paucos, interque eos utrumque Præceptorem noſtrum Ant. Matthæum *ad h. t. c. 3.* & VViſſenbachium *h. t. n. 13.* Quominus ad omnes illorum rationes, quæ plures & prægnantes ſunt, ordine reſpondere neceſſe ſit, dicemus; ſolam neceſſitatem uſum quæſtionis per tormenta defendere, quod alioqui ſcelerum impunitas Reipubl. intoleranda foret, extra quam fieri non poſſet, ut tanto gentium humaniſſimarum conſenſu recepta foret. *f)*

33. Accedit ὁμολογία πόλεως, fœdus civitatis & conſenſio de legibus ſervandis, etſi duris in ſingulos; qua de re ſignate egimus *in ſect. praced. c. 3. n. 35. & ſeqq.* eoque pertinent appoſitè verba Macrobii *in ſomn. Scip. in fin. Civitas*, inquit, *eſt Univerſitas, qua in Legum conſentit obſequium.* Pone, cives Romanos aut Athenienſes in comitiis aut eccleſia deliberaſſe, placeretne tormenta recipi, concurrentibus requiſitis ad ea neceſſariis, quæ ſtatim collocabimus; an impunita relinqui ſcelera, quæ non penitus & plenè probarentur. Comparatis omnibus, intellexere, plus imminere mali ex hac infinita delictorum impunitate *g)* Reipubl. quam è perverſa quæſtionis applicatione. Prætulerunt igitur hujus uſum, & pariter, ſi cui inde aliquid incommodi aut doloris eveniret, hoc ferendum eſſe conſtituerunt. Huic legi poſtea cives aggregati æque ac aliis antea receptis adſentiri intelliguntur. Nec aliter in tacito civium, qui eſt in ſingulorum & paucorum regimine, conſenſu, res ſeſe habet, ut toties antea demonſtratum eſt. Denique, ſi requiſita juris, quæ in quæſtione per tormenta legibus prodita ſunt, obſerventur, difficulter fieri poteſt, ut per eam innocentes affligantur. *h)*

34. Requiſita tormentorum quatuor eſſe videntur, I. ut grave ſit crimen, *i)* quo reſpectu,

an illæ Reſpublicæ, quæ torturâ non utuntur, ſint feliciores, vel annon iiſdem, ac fortè majoribus abuſibus ſint obnoxiæ. Ita v. g. notum eſt, iis, qui accuratiorem habent notitiam proceſſus Anglicani, quales, quantæque ſoleant eſſe querelæ de corruptione teſtium, quorum teſtimoniis reus oneratus, etiam ſine confeſſione condemnari ſolet. &c. *Quodſi Autoris ſententiam cum hâc noſtrâ conferas, videtur in utriusque quaſtionis deciſione nobiſcum convenire. Niſi quod nonnulla adhuc hinc inde ſint monenda*

f) recepta foret] *Conſentio, ſi autor intelligat neceſſitatem non abſolutam ſed hypotheticam, reſpectu videlicet Reipublica valdè agrotantis. Nam iſta ratio*, quod alioqui ſcelerum impunitas intoleranda foret *ad ejusmodi Reſpublicas quadrat, non ad omnes ſapienter inſtitutas. Sanè enim hac ratio non movit Divinum numen, ut torturam reciperet in Hebraorum Remp. Deinde fallitur autor, quod putet hanc rationem fuiſſe à gentibus humaniſſimis alias intentam in introductione tortura. Potius ratio primaria fuit nimia veneratio Cleri Pontificii & autoritas Juris Canonici.*

n. 33. *g)* impunitate) *Hac ſub iisdem limitationibus ſunt intelligenda, non abſolutè. Nam notum eſt, nec Athenienſes nec Romanos olim, ubi planè nulla delicta morte naturali puniebantur, ubi aqua & ignis interdictio eſſet pœna graviſſima, torturam uſurpaſſe, non obſtante ratione ab Autore hic adducta.*

h) innocentes affligantur] *Sed notata ad n. ſequentem, facilè oſtendent contrarium.*

n. 34. *i)* grave ſit crimen) *Sed hoc pratextu valde abuſus eſt Clerus Pontificius torquendi innocentes, dum effinxerunt quadam crimina, qua gravia dixerunt, de quibus tamen*

Digitized by Google

ſpectu, ratio non patitur, ut reus torqueatur, ob crimen, cujus pœna non ſit futura gravior, quàm tormenta, quibus eliciendа ſit confeſsio; proinde, ſi pœna non ſit ultra relegationem, non eſt utendum tormentis, ut rectè ſtatuunt Ant. Matthæus *ad h. t. n. 3. à pr. Carpzov. Qu. 117. n. 8. & ſeqq.* Requiſitum II. eſt, ut veritas aliter nullo modo inveſtigari poſsit, *k)* Hoc enim facile evincunt rationes eorum, qui tormentis omnino abſtinendum putant; Eaque ſine dubio mens eſt primorum hujus inſtituti auctorum. Unde mores eorum, qui vel confeſſos in jure, vel tabulis & teſtibus convictos adhuc, ut confeſsionem eliciant, torquent, redarguuntur. III. requiſitum eſt, ut indicia adverſus accuſatum adſint veriſimillima, *l)* nihil ut præter confeſsionem deeſſe videatur. In cujus moderationis & requiſiti ſequentis exceſſu revera conſiſtit omne malum, quod torturæ communiter imputatur. Eſt autem ſequens & IV requiſitum, ne modus tormentorum ſit inhumanus. Quis autem hujus rei terminus, aut quæ nota ſit, haud facile dictu eſt. *m)*

35. Plane, facilius eſt dicere, qualia non eſſe debeant, quam certi præſcribere quicquam. Recte æſtimantibus hæc vitia abeſſe debent, ne ſint modi *deformes* & *barbari*, ut ſi mulieres ab uberibus, viri à pudendis ſuſpendantur; ſi mures aut glires corpori nudo ſub vaſe imponantur & igne ſuper impoſito ad rodendum adigantur, aliique modi infandi, de quibus Damhouderus *prax. crim. c. 37. n. 18.* II. Ne ſint crudeles, ut candentes atque *ſtridentes flammis laminæ*, ut Prudent. *in Hymn. Vincent.* aliaque ingenioſa ſævitiæ inſtrumenta, de quibus Carpzov. *Quæſt. 117. n. 38.* III. Ne ſint nimis diuturna; velut, ſi per integros dies in tormentis habeantur: Id enim morte acerbius; *Quippe, qui ſe ultro morti offerant, facilius reperiuntur, quam qui dolorem diu patienter ferant*, ait apud Cæſarem Critognatus Arvernus; quod gnarum Ludovico regi, quando reformatos non ſuppliciis, ſed vexationibus tormentiſque finem vix habentibus ad defectionem adegit. IV. Ne corpus in futurum & perpetuum inutile reddant, mutilatione vel dislocatione graviori. V. Ne incidant in aliquod ſupplicii ordinarii genus. Qua ratione verberatio virgarum, quam laudat in hunc uſum Damhouderus *d. cap. 37. in fin. edit. gall.* & cui cætera requiſita non male conveniunt, non poteſt admitti.

36. Sed illa quinque requiſita convenire videntur in inſtrumenta, quæ apud nos in uſu ſunt; habentur autem tria. I. Forcipes, quibus reorum pollices comprimuntur. II. His ſimile inſtrumentum, quo tibiæ contorquentur. III. Equuleus, id eſt, ſcamnum, in quo reorum pedes & brachia retorta extenduntur, idque diverſis gradibus, citra dislo-

jure dubitatur an planè ſint crimina. Pertinent huc diſſertationes noſtræ de crimine hæreſeos, & de crimine Magiæ.

k) inveſtigari poſsit) *Sed & hoc requiſito abuſi ſunt clerus Pontificius ad torquendos innocentes in crimine hæreſeos & magiæ &c.*

l) veriſimillima) *Neque hoc liberat innocentes ab abuſu torturæ. In Magia etiam indicia in Conſtit. Criminali recenſita eſſe inſufficientia docui* in d. diſſert. de crim. magiæ. *In crimine hæreſeos vero non eſt mirandum, quod hæretici poſſint torqueri ex indiciis leviſſimis, cum ſub prætextu gravitatis etiam beneficia juris communis & humanitatis denegentur hæreticis. Vide diſſert. noſtram* de jure Principis circa hæreticos §. 64.

m) dictum eſt] *Ergo & ſub hoc prætextu poſſunt innocentes torqueri tormentis inhumanis, præſertim cum autor fateatur* n. 37. *tormenta conſueta ferè eludi à furibus & ſceleratis aliis excellentibus.*

dislocationem tamen. His Romana inſtrumenta longe duriora fuerunt; Eculeus, qui fuit cataſta lignea cochleata, cui brachia retorta pedeſque rei fidiculis alligabantur. Tum intento cochleis eculeo, in altumque erecto, reus quaſi ex cruce pendebat, oſſium compage diſſoluta, terga lateribusque per ungulas ferreas & laminas candentes verberatis laceratisque *l. 7. C. de Malef. & Mathem.* Prudent. *d. Hymn.* Sigon. *de Judic. pop. Rom. c. 17.* Si quis roget, utra præſtent, noſtratia præferre non dubitem. Etenim quæſtiones per ſe odioſas acerbitate modi & ſævitia intendere non oportet. Etſi quanto acriora torquendi inſtrumenta ſint, tanto facilius elici veritatem, dubium non eſt: ſed hoc non eſt agendum, ut reus non poſſit non fateri, licet inſons.

37. Tametſi verum ſit, noſtræ quæſtionis tormenta, ut plurimum, etiam à feminis ſuſtineri; ut ad quæſtionem damnari, ſi non mollior ſit reus, parum abſit, quin tantundem atque abſolvi, *n*) eſſe videatur. Quanquam & artes quædam eſſe credantur, quibus dolor eludi queat. Apud curiam noſtram tortum memini quendam facinoroſum, non plene convictum, qui primum dolorem tulerat, poſtea novis indiciis iterum equuleo impoſitus, cum maxime intenderentur fidiculæ, in ſomnum incidebat, ut ſonore ſterteret; remiſſione facta, excitabatur, intentis iterum ſtertebat, quod ad finem uſque durabat, *anno 1680.* Alias Tylenſes in Gelria ſimilem hiſtoriam de Baggermanno quodam ſicario retulerunt. Cujuſmodi, artibus impediendis, non eſt de nihilo, quod alicui moris eſt, ut tempore matutino jejuni torqueantur, cum apud nos fiat poſt cœnam, nec quod ſciam, valde curetur, ut vacuo ſint ventriculo, ſecus ac monet Carpzov. *quæſt. 126. n. 5. & ſeqq.*

38. Quæſtione peractâ, ſi reus in infitiis perſtiterit, repeti poteſt quæſtio per tormenta, *quando evidentioribus argumentis oppreſſus eſt, maximeque, ſi in tormenta corpus animumque duraverit l. 18. §. 1. D. de quæſt.* Quod communiter de argumentis poſt prima tormenta ſupervenientibus intelligunt. Idque noſtri ſervant eo libentius, quod repetita tormenta nullo modo ferri poſſe videntur. Alibi tamen ſecus obſervatur, & hi ad tertiam quæſtionem, ubi reus bis ſuſtinuerit, ita procedunt, ſi nova provenerint indicia; qua negativè tolerata, ſequitur abſolutio, A. Matth. *Tit. de quæſt. c. 4. n. 14.* Noſtri ad ſecunda tranſeunt, ſi nova reperta fuerint indicia; qua tolerata, nunquam, ut puto, ad tertiam procedunt, niſi aliter in atrociſſimis quandoque fieri queat, ut Carpzov. *quæſt. 125. n. 55.* Sed quæſtionis eſt, utrum poſt tormenta reus ſit abſolvendus à crimine, an ab inſtantia duntaxat, ut deinde repeti poſſit ex cauſa. Rationes pro & contra ponderat D. Matthæus in *d. cap. 4. n. 16.* & concludit pro abſolutione à crimine, quæ totalis eſt. Sed diſtinguendum videtur ita, quemadmodum prudentiores ſervant judices: Ut ex genere naturaque indiciorum & quatenus judici ſedit perſuaſio de reatu, modo à crimine, modo ab inſtantia duntaxat, rei abſolvantur.

39. Si reus in tormentis confiteri ſe velle dicat, liberatur ab inſtrumentis doloris, & confeſſio ſedentis ejus ad ſingulos facti articulos ordine ſcribitur, eique fides ita habetur, ſi nihil in eâ ſuſpectum & à veri ſpecie alienum reperiatur *l. 1. pr. & §. 4. l. 10. §. pen. eod.* Moribus, ubique fere receptum eſt, ut reo dein poſt 24. horas aut ultra confeſſio prælegatur, ejuſque *ratificatio*, ut ajunt, exigatur. Matthæ. *d. c. 4. n. 11.* Carpzov. *qu. 126. n. 26.* Hoc inſtitutum ut jure civili ignotum, ita nec apud plures curias ſervatur, ſed tacens deinceps pro conſentiente habetur. Quod ſi revocet confeſſionem

n. 37. *n*) atque abſolvi) *Huc pertinet hiſtorica relatio* von der geſtohlnen güldenen Taffel.

Digitized by Google

nem, tormentis denuo ſubjicitur, & ſi tunc iterum factam confeſſionem revocet, tertium torqueri poteſt; dein abſolvendus eſt A. Matth. *d. cap. 4. n. 12.*

40. Sed perplexa res eſt, ſi reus hujuſce juris aut moris conſcius, ad effugienda tormenta ſtatim fateatur crimen & poſtridie revocet. D. Matthæus ad hunc caſum ait ita; *Ne eludat hoc commento tormenta, nihilominus torquendus eſt n. 13.* Quomodo, ſi fateatur, nihilominus torquebitur? Non poteſt; At tormenta repetentur ſecunda vice: Bene eſt. Tum vero facit idem, confitetur & poſtridie revocat. Quid tum? Repetetur quæſtio tertium? intelligit reus, idem ſi faciat, abſolutionem ſecuturam: Certo igitur idem faciet. Quid ergo, condemnandus, an tertium tormentis adhibendus, id eſt, abſolvendus erit? Accidit ille caſus apud curiam noſtram in reo, qui Pagum Friſiæ Collumanum, è quo incolæ, metu hoſtium Groningam obſidentium *anno 1672.* aufugerant, incendiſſe credebatur, ut aliquot domus conſumerentur. Callidus & juris homo non ignarus, ita ut dictum, in quæſtione inſtituerat, ea via ſibi parans abſolutionem. Bis confeſſus in tormentis, bis revocaverat. Argumenta erant fortiſſimæ præſumptionis, nec judices de facto dubitabant, confeſſiones ejus cum circumſtantiis, de quibus conſtiterat, optimè conveniebant. Viſum eſt prudentiſſimis dominis eſſe condemnandum hominem, qui viam alioqui paratam quæſtionibus eludendis & promiſcuam invenerat. Sic etiam Scabinos Lipſienſes ſolitos reſpondere, ſcribit Carpzov. *Qu. 126. n. 55.* Ipſe tamen ad pœnam eo caſu inclinat extraordinariam. Plane, ſi multorum gravium virorum judicium ex præſumtionibus & indiciis acquieſcat in credendo reatu, probatione licet non perfecta, hanc ſententiam ſequi licebit. Si minor ſit evidentia, tutius ſit, reum extra ordinem puniri, quo caſu locum habeat *argum. l. 5. d. Pœn.*

41. Jure civili ſunt, quos torquere non licet, quales ſunt milites *l. 8. C. d. Quæſt.* digniores, niſi in crimine atrociſſimo *l. 11. 16. ſeqq. C. eod.* nec ſervus in caput domini *l. 1. §. 16. h.* excepto crimine majeſtatis, annonæ, monetæ, & adulterii *l. 53. d. jud. l. 1. l. 7. & 15. C. d. t.* Nec is, qui de ſe confeſſus eſt crimen, in alios torquendus eſt *l. 16. §. 1. h.* ſecus, ſi convictus *l. 29. in fin. d. Pœn.* Excuſantur & decuriones, *l. 11. l. 16. C. h.* horumque liberi, *d. l. 11.* impubes, *l. 10. l. 15. hic.* prægnantes, *l. 3. de Pœn.* Dignitas hodie non uſquequaque liberat à tormentis, *o*) ut Carpzov. & exempla paſſim obvia probant *Qu. 118.* ubi & de reliquis prolixe.

42. His conſentiunt, quæ in priori editione hac de re collocata fuerunt, quæ non erit abſonum in re tanti momenti rurſus audire. Sic ibi fuit;

43. Sed graviſſima quæſtio hæc eſt, an ſi probationes ad ſententiam non ſufficiant, quæſtionem de reis per tormenta habere liceat: Uſus temporum fert ita; multi tamen ſapientes viri in alia omnia.

44. Multum mihi intereſſe videtur, abſtracte ita quæſitum ponatur; an hoc modo, ſitne Lex ipſa ſatis Juſta de tormentis.

45. Priori modò largiendum videtur, non poſſe juſtum cenſeri, ut is, de cujus crimine dubitatur, nec confeſſus, nec convictus, malum atrox patiatur, maxime cum & inſontes hoc præambulo cruciatu ad confitendum aliquando adacti memorentur.

47. Leges tamen de tormentis probandas exiſtimo, modo adſint duo requiſita & una cautio.

47 Primum, ut crimen ſit grave, quod ſine

n. 41. *o*) liberat à tormentis) *Origo rei iterum à Clero Pontificio, ut videlicet nemo innocentium in quâcunque dignitate conſtitutus evaderet tormenta inquiſitoris hæreticæ pravitatis & magiæ.*

Digitized by Google

ſine magno reipublicæ detrimento non poteſt ignoſci.

48. Secundo, ut adſint tam prægnantes præſumptiones, ſola ut rei confeſsio deeſſe videatur; ut judex, licet ad damnandum progredi nequeat, prope tamen certus ſit animi, fontem eſſe reum. *Vid. l. 1. §. 1. ff. de Quæſt.*

49. Cautio eſt, ne confeſsiones extortæ pro exploratis facinoribus habeantur, ſed ni cum judiciis & veſtigiis facti omnibusque circumſtantiis conveniant, fidem ne mereantur.

50. His ſuppoſitis, legem de quæſtione per tormenta non eſſe improbandam, ea nobis ratio eſt, qua & alias uſi ſumus; quod lex ſit communis reipubl. ſponſio, cui ſponte cives ſe ſubmittere intelliguntur, quam proinde nemo injuſtitiæ adverſus ſe, aut alium quemvis arguere poteſt.

51. Pone igitur deliberationem civitati propoſitam fuiſſe, utrum facinora, de quibus magna præſumptio, non tamen erat liquida probatio, diſſimulari vellet, an inquiri per tormenta.

52. Si hoc; metuendum erat, ne non inſontes aliquando affligerentur. Si illud, infinita delicta, quæ plerumque ſine arbitris committuntur, impunita manerent, multoque magis crebreſcerent: maxime, cum ne jusjurandum quidem ob periculum perjurii reis imponi poſſit.

53. Et hoc quidem conſequens nullo modo impediri, prioris conſequentiæ incommodum fere totum evitari poterat, ſi requiſita modo poſita cuſtodirentur.

54. Aut igitur tota civitas perpetuo ingenti incommodo & diſcrimine laborare debebat; aut tale quid recipiendum, unde rariſsime, nec niſi exquiſitis caſibus, immerito civis affligeretur.

55. Prius cum ſine dubio gravius, alterumque neceſſarium eſſet; pone cunctos cives decreviſſe, recipiendum id, in quo minus eſſet malum, & adhibenda tormenta, cautiſsime tamen; ſeque ſingulos huic ſubjeciſſe periculo, ut, ſi quem prægnantibus indiciis (quod tamen vix unquam ſine aliqua culpâ, ſaltem imprudentia accidit) id ipſum quilibet, etſi nec nocens, pateretur.

56. Malum hoc triſte, non turpe erat, ad quod ſua ſe quemque voluntate boni publici causâ obligare poſſe dictum eſt alias.

57. Genus tormenti oportet ejuſmodi ſit, quod tranſitorium, licet acrem habeat dolorem, neque membris mutilandis, ſit comparatum, denique ab ordinariis puniendi modis abhorreat. Qua cauſa, quod non nemo (Damhouderus prax. Crim. *tit. de Quæſt. cap. 7. in fin.*) Virgas commendat, ut efficaciſsimas, nec corpori in futurum noxias, id iis in locis ubi faſces pœna ſunt, admitti non debet; alioqui multis aliis βασανιστικοῖς torquendi modis virgæ præſtarent.

CAP. V.

DE POENIS DELICTORUM.

Pœna quid, n. 1. ejus fines & differentiæ. n. 2. 3. Jus puniendi quibus competat. n. 4. 5. Qui & quæ punienda. n. 6. 7. An & quatenus ignoſcere maleficis licitum. n. 8. 9. 10. Quomodo ceſſent pœnæ, & quis modus earum. n. 11. Tranſitus ad ſpecies Criminum & eorum partitio. n. 12. De crimine majeſtatis, n. 13-20. Peculatus, n. 21. Repetundarum. n. 22. 23. Ambitus, n. 24. 25. Annonæ, n. 26. Reſiduorum, Concusſionis, Aggeris rupti. n. 27. Blaſphemiæ n. 28. & Hæreſeos. n. 29-32. De homicidio, n. 33. Parrici-

Digitized by Google

Parricidio. n. 34. Adulterio, n. 35. 36. Stupro, n. 37. Polygamia, n. 38. Inceſtu, n. 39. Venere infandâ, ubi & de maſtupratione, n. 40-43. de Vi n. 44. Raptu, n. 45. Falſo, n. 46. Calumnia, n. 47. Magia, n. 48. Plagio, n. 49. Abigeatu, n. 50. Stellionatu n. 51.

1. Damnatis *Pœna* infligitur, quæ eſt *delicti coercitio*, definitionem aliam vide ſis in *lib. 2. ſect. 6. c. 1. n. 6.* de qua ſumma regula eſt, quod pro quantitate peccati, gravior eſſe debeat, ut tamen crebreſcentibus delictis ex uſu poſſit aſperari. Nec tamen ad diſtributivam, quæ dicitur, ſive attributricem *p*) juſtitiam pœnæ referuntur, verum ad expletricem, quia tam puniens perfectum jus puniendi habere, quam qui plectitur, pœnam perfecte mereri debet, & quia non eſt aliena à contractus vel ſaltem obligationis natura, qua de re diximus in *d. lib. 2. ſect. 6. c. 1. n. 15. n. 20. & ſeqq.*

2. Pœna triplex à fine *q*) triplici non male ſtatuitur à Tauro Philoſopho, *Νουθεσία*, *Τιμωρία*, *Παράδειγμα*. *A. Gell. lib. 5. c. 14. Grot. lib. 2. §. 7.* qua de re tamen vide ſis quæ diximus *in lib. 2. ſect. 6. d. c. 1. n. 11.* Primam ſpeciem latine dixeris, *admonitionem*, quæ dirigitur ad emendationem peccantis, ideoque capitalis eſſe non poteſt, nam quod Seneca dixit, *interdum ut pereant, intereſſe pereuntium*, huc applicari non poteſt, & philoſophicum magis quam juridicum eſt. *lib. 1. de Irâ C. 5. in fin.* *Τιμωρίαν* dixeris *ſatisfactionem*, cum, ut Gellius ait ibidem, dignitas auctoritasve ejus, in quem eſt peccatum, tuenda eſt, ne prætermiſſa animadverſio contemptum ejus pariat & honorem levet; nec tantum dignitatis ſed & cujuſvis juris tuendi cauſâ intelligitur. *Παράδειγμα* eſt *exemplum*, cum ideo pœnæ exiguntur, ut unius ſupplicium metus ſit multorum, aliique ſimilia cæteroquin auſuri deterreantur.

3. Forſitan & quartus erit finis, *cautionis*, ne idem qui deliquit nobis aliiſve rurſus nocere queat; etſi hoc alii ad *τιμωρίαν* referant; ego vero ad *νουθεσίαν* malim; eſt enim medium hoc emendationis. Sed hi omnes uſus in pleriſque non capitalibus, quæ publice exiguntur, pœnis concurrunt, ut eſt fuſtium, virgarum, flagellorum, vinculorum caſtigatio, verberatio. Ad emendationem magis, quanquam & ad reliquos fines, pertinet damnatio ad opus publicum, relegatio, interdictio fori aut negotiationis ſimiliſque juris alicujus. Ad *ſatisfactionem* maxime pertinent pœnæ pecuniariæ, his qui læſi ſunt applicatæ, *παλινῳδία* in injuriis, & reliqua pœnarum genera pro cujuſque qualitate, ut hæc ratio magis aut minus illis quadrat. Ad *exemplum*, pœnæ capitales inprimis referuntur, maxime tales; quibus & minus ſontes quandoque involvuntur, veluti decimationes. Sed & hæ capitales ſuos gradus habent. Summus olim, crux erat, hodie vivicrematio, dein reliquæ mortium ſpecies; quamvis & omne mortis genus recte ſummum ſupplicium dicatur.

n. 1. *p*) Attributricem) *Neque diſtinctionem Ariſtotelis in Juſtitiam commutativam & diſtributivam, neque Grotii in expletricem & attributricem uſum habere in jurisprudentia jam monſtravi* in Inſtit. Jurispr. div. l. 1. c. 1.

n. 2. *q*) à fine) *Repetenda ad hoc caput ſunt annotata noſtra ad* libri 2. ſect. 6. cap. 1. *ubi jam monuimus* ex Inſtit. Jurispr. div. l. 3. c. 7. *unicum pœna propriè dicta eſſe finem, ſcilicet emendationem communem omnium. Unde jam facile reſponderi poteſt ad ea quæ hic autor n. 2. & 3. poſuit de fine triplici & quadruplici, ut in diſcurſu oſtendemus.*

4. Ex omnibus cauſis & finibus memoratis, pœnas etiam Chriſtianis eſſe licitas r) manifeſtè & ratio exigit & diſciplina Servatoris Mundi permittit: modo in executione opera detur, ut damnatus ſpatium pœnitendi & peccata ſua deteſtandi juſtum habeat. Quanquam autem jure naturæ pœna à quolibet qui paria non deliquerit, exigi poſſit, s) ut rectè Grotius docet *d. lib. 2. c. 20. §. 3.* tamen nec civitatis conſtitutio, neque divinæ legis ſanctitas facile id cuiquam privato conceſſerint. Sed hunc locum executi ſumus in *d. ſect. 6. lib. 2. c. 1. n. 7. & ſeqq.* Sane hoc inde tamen non ſequitur, accuſationes publicas, ut Grotius *ibid. §. 10. ſub. fin. & §. 1.* cenſet, abhorrere ab officio hominis Chriſtiani, niſi quod temeritas hic maximè abominanda.

5. Quandoque etiam publica autoritate jus puniendi privatis permittitur, non modo ad emendationem, ut parentibus & propinquis, ſed & ad ſatisfactionem & exemplum, ut patri in filia adultera *l. 20. ff. ad L. Jul. de adult.* atque olim indiſtinctè, etiam maritis in uxores & dominis in ſervos; quæ leges quare conſcientiis ſecuritatem præſtare nequeant, ſi vitioſi abſint affectus, nulla ratio conſtare videtur.

6. Cæterum, puniuntur non quilibet actus vitioſi, ſed qui humanam lædunt ſocietatem, quam quo magis violant, eò vindictam graviorem eſſe oportet: hoc quoque latius expoſitum vide ſis in *d. c. 1. ſect. 6. lib. 2. n. 18. & 19.* Spectari tamen debent cauſæ, quæ impulerunt, quæ retrahere debuerunt, aptitudo perſonæ delinquentis ad judicandum de illis, locus & tempus perpetrati delicti, qualitas & quantitas facinoris, denique eventus qui ſubſecutus eſt, quæ omnia latius exequi non eſt hujus loci *Vid. Grot. d. cap. 20. §. 29. & ſeqq.* Denique, cogitationis pœnam neminem pati, rectè docent JCti *l. 18. ff. de pœn.* quoniam actus interni Deo ſoli ſubjiciuntur; at qui in effectum deduci cœperunt, pœnis & ſolent, ac etiam debent adfici.

7. Id autem ex omni hac diſputatione facile intelligitur, non alium quam ipſum delinquentem eſſe puniendum, neque ad poſteros quicquam pœnæ propagandum, quod leges tam divinæ quam humanæ inculcant, ut probavimus in *lib. 1. ſect. 2. c. 6. n. 39. 48. & ſeqq.* Quanquam incommoda pœnæ parentibus inflictæ liberos premere poſſunt, quemadmodum ex publicatione bonorum egeſtas eorum conſequitur; quæ tamen hoc nomine quaſi perſonam delinquentis egrederetur, non poteſt reprehendi.

8. Cæterum, non modo jus habent qui civitati præſunt, delicta puniendi, ſed & auctoritate ſummi legiſlatoris ad hoc tenentur, ne delectari peccatis, ſaltem haud improbare ea videantur, qua de re preſſius actum in *d. c. 1. ſect. 6. l. 2. n. 9. & ſeqq.* ubi tamen adjecimus, non videri tam abſolutè neceſſarium hoc eſſe præceptum, ut nunquam ſummis poteſtatibus ignoſcere liceat delinquentibus. Magiſtratibus equidem, qui ſunt miniſtri legum, non licere ab illarum præſcripto recedere certum eſt, quia ſupremum jus & ſupra leges, ad leges ſe ponendas & negligendas requiritur. Ipſis autem principibus & liberis populis, an per divinæ voluntatis conſcientiam & Juſtitiæ rigorem nunquam non crimina punire neceſſe ſit, eſt quod ambigitur. Inter jura quidem Majeſtatis hanc eſſe facultatem, non dubitatur, & vidimus in *loco.* Sed jus vitæ neciſque ſolummodo eſt externum;

hujus

---

n. 4. r] licitas) *Gravior quæſtio eſt de pœnis capitalibus. Mallem diſtinguere duas quæſtiones, ut in capite præcedente de tortura feci, & ſimiliter ad utrumque reſpondere.*

s) exigi poſſit) *Et hoc jam ſupra negatum fuit* ad d. c. 1. ſect. 6. lib. 2.

Digitized by Google

hujus loci quæſtio ad obligationem conſcientiæ t) pertinet.

9. De criminibus equidem mere civilibus, non dubitatur, quin locum habeat facilitas *legis ad Beſtias ff. de Pœnis.* De levioribus etiam ferri poteſt, ut ob publicam lætitiam, aut principalem feſtivitatem generali abolitione coloni carcerum dimittantur. Nam privatæ abolitiones, quæ frequentatæ ſunt jure Romano, cum accuſatio-

n. 8. t) conſcientiæ) *Utinam autor hic recordatus fuiſſet egregiæ doctrinæ & cautelarum, quas suprà* l. 3. ſect. 1. c. 3. *poſuit de obligatione conſcientiæ in genere. Nam conſcientia poteſt eſſe erronea. Et quoad præcepta juris naturalis ipſe etiam diſtinxit, inter jus naturæ præceptivum & ſuaſorium. Sed hic eorum omnium oblitus putat ſufficere ad definiendam controverſiam, ſi ſaltem aſſerat, crimina jure naturali & divino prohibita non admittere jus aggratiandi. Eſt quidem hæc communis doctrina, ſed omni ratione deſtituta. Nam quod jus naturæ attinet, falſum eſt, jus naturæ ullam pœnam delictorum determinare, ne quidem homicidii, ſed omnis determinatio relinquitur prudentiæ imperantium, an, quando, & quomodo pœna debeat dictari delinquentibus. Jus divinum quod attinet, id vel ſumitur pro divino univerſali, & eſt juris naturæ ſynonymum, vel pro Moſaico & principes Chriſtianos non obligat. Videtur aliquo modo ſenſiſſe Autor ſcrupulos ſuæ deciſioni obſtantes, inde tentat in* n. 10. *ſuam doctrinam, quam jam ſuperius* l. c. *inculcaverat, variis rationibus emollire, ut ferè in re ipſa à nobis vel parum vel plane non diſſentiat. Id tamen non obſervavit, per illas limitationes tolli uſum diſtinctionis hic* n. 10. & 11. *adhibitæ (cujus intuitu potiſſimum quæſtio proponitur) Nam & in criminibus merè civilibus Princeps illa dictamina prudentiæ* n. 10. *latius inculcata debet adhibere. Ergo diſtinctio illa nullum in hac quæſtione habet uſum. Adde quæ ſuprà jam notavimus* ad l. 2. ſect. 6. c. 1. & ad lib. 3. ſect. 1. cap. 3. *& noſtram diſſertationem* de jure aggratiandi Principis Evangelici in cauſis homicidii. *Ubi in cap. 1. poſita ſunt monita generaliora de ritè formandâ quæſtione & ejus probatione. Cap. 2. probavimus, quod Principi competat jus aggratiandi etiam in cauſa homicidii. Cap. 3. oſtendimus, originem ſententiæ negativæ deberi arcanis Politicæ Cleri Papalis. Cap. 4. reſponſum fuit ad argumenta præcipua diſſentientium, (1) quod jus naturæ dictet homicidis pœnam capitalem, (2) quod jus naturæ dictet pœnam deberi delinquentibus (3) quod Deus Gen. IX. 6. tulerit legem univerſalem de homicida capitaliter puniendo. (4) aut quod in lege Moſaica certè hæc pœna ſit præcepta, denique (5) quod Johannes in Apocalypſi neceſſitatem pœnæ capitalis disertis verbis inculcet. In Cap. 5. adducta ſunt exempla & autoritates virorum doctorum pro noſtrâ ſententia. Subjunximus pro illuſtrandâ noſtrâ ſententiâ D. Johannis Henichii conſilium Theologicum homicidæ datum & reſponſum facultatis Juridicæ Halenſis menſe Julio 1703. datum. Recordor equidem diſſertationi huic mox, quæ libertas eſt & indulgentia Academiæ noſtræ, eſſe publicè contradictum. Sed cum res in terminis meræ contradictionis manſerit, & ad rationes diſſertationis noſtræ ne verbulo quidem fuerit reſponſum, ſed rationes diſſentientium ſimpliciter ſaltem & quidem ſine curâ & ordine fuerint repetitæ, non opus eſſe duximus, his aliquid publicè regerere, nec adhuc opus eſſe arbitramur, cum ad illa omnia jam fuerit in ipſa diſſertatione noſtrâ reſponſum; Neque adeo nobis invitis imponendus erit labor plusquam Herculeus, Augiæ ſtabulum expurgandi, & confuſiones perpetuas rerum diſtinctiſſimarum, ac fallacias adverſus officium boni diſputatoris ferè in ſingulis lineis commiſſas oſtendendi. Unicum ſaltem addere fortè non erit injucundum, nec*

ſationibus privatorum ſepultæ ſunt. Perinde ac tranſactiones, quibus rei capitalium criminum apud Romanos, accuſatores ſuos impune corrumpebant; quanquam & hodie cum his qui læſi ſunt, paciſci nemo prohibetur: ſed procurator fiſci, qui ſolus accuſat, grande nefas tranſigendo committeret.

10. Sed de criminibus jure naturæ divinoque prohibitis, præcipua difficultas eſt. Rationem negantium, licitas eſſe remiſſiones in terminis veræ prohibitionis divinæ vel naturalis; quando ſingulares errores aut imprudentiæ miſerationem non injungunt, aut permittunt, habuimus in *prædict. c. 1. n. 9. & ſeqq.* Sed eſt poſitio, quæ non videtur habere periculum, ſi abſque magno reipubl. periculo aut perturbatione, ſupplicium exigi nequeat, abſtinere licere vindictâ criminum, quæ tamen non probentur aut honorentur; quo pertinent *ἀμνηστίας* decreta, quibus magnorum ſæpe criminum pœnæ veniâ publica donatæ ſunt: Idemq; ſit, quoties ob multitudinem delinquentium non eſt tutum, meritis uti ſeveritatis exemplis; adde, ob potentiam delinquentis, ut hac causâ Joabo, quamdiu vixit, ignovit David; etſi cum tuto potuit, ei parci noluit; eâ re ſatis indicans, ſe non probandi criminis causâ, ſed ratione ſecuritatis publicæ ei putaſſe parcendum. Idem ob inſigne aliquod reipubl. bonum licere, patet inde, quod ad detegenda ſcelera ſceleratoſque, nonnullis impunitas promitti & præſtari ſolet, ac poteſt. Unde ratio dictare videtur, hanc eſſe Dei voluntatem & officium imperantium, quibus ad tuitionem publicæ quietis gladium Deus commiſit, ut omnino maleficia puniantur, ad ſalutem & quietem generis humani, id eſt, ſingularum civitatum procurandam. Quarum utilitas ſi vere dictet aut ſuadeat, ignoſci peccantibus, id eorum, qui regendis civitatibus præſunt, arbitrio videri commiſſum. Neque divinæ juſtitiæ immotam ſeveritatem, quæ dicitur, non poſſe non punire peccata, quæ nec ejuſmodi ſubſidiariæ utilitatis remediis indiget, ad rectores civitatum transferri fas aut rectum eſt.

11. Morte reorum crimina pœnaſque deleri, cum ad heredes nunquam tranſeant, per ſe clarum eſt. Et mortem ſupplicio irrogatam convenit humanitati, eſſe momento tranſitoriam, Crux antiqua, vivicomburium, laniatio & contuſio articulatim facta, per famem enecatio, ſimileſque parum memores legum Chriſtianarum eſſe videntur. Terror quidem ex apparatu & ſpecies major ex circumſtantiis quæri poteſt. Sed in actu, quo tranſitus ad æternitatem committitur, non erat magnitudine doloris animus lacerandus, & tantum non adigendus ad deſperationem. *u*) Modi quoque cuſtodiendi reos criminum à pœnis, diverſi eſſe debe-

à tractatione quæſtionis ab autore propoſita, neque à vindicatione modeſtâ honoris facultatis noſtræ, (quæ civilius aut modeſtius in ſcripto illo tractari poterat & debebat,) alienum. Audivi ſæpius, adverſus jus Principum aggratiandi in cauſis homicidii afferri ſolere. Agi de re conſcientiæ, agi de ſanguine hominis ad imaginem Dei creati &c. Recte quidem hæc omnia, ſed quid inde? An rei, de quorum aggratiatione agitur, porci ſunt aut boves? Annon illi, qui pro jure principis vota dant, eodem modo pro ſua ſententia urgere poſſunt, eſſe rem conſcientiæ, agi, etiam intuitu rei, de ſanguine hominis ad imaginem Dei conditi. Unde facile patet, has vel ſimiles exclamationes, ſi rationibus aliis deſtituantur, eſſe ſaltem pallia æquitatis aut pietatis cerebrina.

n. 11. *u*] ad deſperationem) *Inquirendum adeo in originem talium pœnarum. Niſi me omnia fallunt, pleræque, ſi non omnes originem debent in rebus publicis Chriſtianis crudelitati Cleri Papalis, aut certe conſiliis ejus & approbationi, De fame tamen videndum*

debuerent, ideoque carcer maxime perpetuus, non immerito ab Romanis & veteribus fere cunctis fuit improbatus ad uſum pœnalem. *l. 8. §. 9. l. 35. ff. de pœn.* Etſi ratio illa tam peremptoria non eſt, ut uſus temporum, qui carceres, etiam perpetuos, receperunt, damnandus *w*) aut valide improbandus videatur.

12. Porro tametſi diviſionem judiciorum in publica & privata nuper eſſe juris univerſi negavimus, tamen alio ſenſu non alienam eſſe partitionem illam ab inſtituto noſtro, commonefecimus: Ut publica ſint, quæ immediate lædunt rempublicam; privata, quæ directe ſingulos violant, civitatem per conſequentiam. Prioris generis eſt crimen majeſtatis, peculatus, repetundarum, ambitus, annonæ, concuſſionis & reſiduorum. Poſterioris ſunt, adulterium, ſtuprum, homicidium, parricidium, vis tam publica, quam privata, raptus, falſum, magia, plagium, abigeatus, furtum, rapina, injuria, ſtellionatus &c.

13. Crimen MAJESTATIS admittitur à ſubditis contra ſummam poteſtatem; eſtque duplex, majeſtatis in ſpecie, vel perduellionis *l. ult. ff. ad L. Jul. Majeſt.* Hoc dicitur, *x*) cum quis animo hoſtili adverſus rempubl. aliquid machinatur, ut hi, qui ſeditiones in urbe vel exercitu movent, qui armatos habent, qui hoſtes adjuvant, aut conſilia literaſve cum illis communicant, etiam qui magiſtratus præcipuos publica de cauſa occidunt, maxime qui vitæ principum inſidiantur, & alii plures *l. 1. & ſeqq. ad tit. ff.*

 14. Ma-

an inter pœnas ejusmodi crudeliores referenda ſit, cum ex Tacito aliisque ſcriptoribus Romanis conſtet, multos Romanos, ubi à Tyrannis ipſis optio data fuiſſet mortem eligendi, fame & abſtinentiâ cibi interiiſſe. Sed aſſentior tamen Autori. Aliud enim eſt abſtinentia cibi electâ, & à Stoicis quidem, quales plerumque erant, de quibus loquitur Tacitus; aliud dolore famis afficere homines cibi cupidos, eumque dolorem appoſitione cibi & cibantium, atque odore & viſu deſiderium augere.

w) damnandus) *Nobis idem hic videtur eſſe ſtatuendum, ut in capite præcedente de tortura. Non equidem abrogandi ſunt carceres perpetui, ſed tamen ratione introductionis non magnoperè commendari poſſunt. Et horum origo videtur deberi Clero Pontificio. Illis opus erat hâc pœnâ, quia pœnas capitales ignorat Eccleſia, & utebantur ſæpius ad occultandas crudelitates, clam in ejusmodi incarceratos exercitas.*

n. 13. *x*) dicitur) *Autor hic usque ad finem capitis non tam præcepta juris univerſalis tradit, quam doctrinam juris Romani de criminibus & pœnis explicat, ejusque differentias ſubinde à moribus hodiernis in Germania oſtendit, easque inter ſe comparat. Et de pœnis equidem parum intererit ſtudioſo juris univerſalis hic diſceptare, cum jam notaverimus, pœnæ determinationem nullam venire ex jure naturali, ſed omnem relinqui arbitrio principis, quæ pro diverſitate morum, aliarumque circumſtantiarum infinitis modis variat. Unde tota hæc diſceptatio magis ad jus civile, quam univerſale pertinet. De criminibus tamen ipſis nonnulla fortè notari poterunt ad jus univerſale propius pertinentia. v. g. de crimine læſæ majeſtatis illa obſervatio non erit injucunda, quod crimen læſæ majeſtatis ſub Tiberiis, Neronibus & ſimilibus Principibus valdè fuerit & ſæpè per calumniam extenſum ad actiones planè adiaphoras & innoxias, aut quæ certè tantam vindictam non merebantur. Unde videndum erat, annon hujus tyrannidis reliquiæ quædam remanſerint in jure Romano, & incautè ex nimiâ ejus juris veneratione in fora noſtra ſint introductæ. Vide omnino Zieglerum* de juribus Majeſtatis lib. 1. cap. 2. § 8. 13. ſeq.

14. Majeſtatis in ſpecie crimen vocatur, cum quis jura ſummæ poteſtatis ſibi, at ſine hoſtili intentione uſurpat, ut is qui privatim carceres habet, vectigalia colligit &c. Pœna majeſtatis ſimpliciter læſæ eſt capitalis, genere mortis leniore aut terribiliore, pro meritis admiſſorum: qua parte quod vivicomburium in privatos monetæ percuſſores ſtatuitur, etſi probi ſint nummi, id nullo modo habet æquitatem. vid. *l. 2. C. de falſ. monet.*

15. Perduellionis apud pleraſque gentes pœna non modo perſonas delinquentium, ſed & liberorum & propinquorum feriebat, cujus rigoris veſtigium in jure Romano ſupereſt *l. Quisquis 5. C. ad L. Jul. Majeſt.* Sed hoc quidem præter rationem juſtitiæ humanæ atque divinæ; *y*) non ſufficiente ad approba-

---

n. 15. *y*) atque divinæ] *Ita quidem eſt verba* l. 5. C. ad L. Jul. Majeſt. *ſatis ſunt terribilia, ſed ſi propius ejus ſententiam conſideres, res ipſa non ita terribilis eſt, ſed poterit referri ad apparatum ſaltem terribilem, quem Autor ipſe* n. 11. *admittit. Rem latius deduximus* in notis ad Strauchium diſſ. 29. th. 4. p. 440. ſeq. *Unde lubet locum huc integrum transſcribere: Communis querela eſt de injuſtitiâ* l. 5 C. ad l. Jul. majeſt. *quod in ea pœna tam gravis dictetur liberis perduellium nihil peccantibus. Ubi illud quidem certum eſſe arbitror, morem iſtorum populorum, apud quos perduellium liberi capite plectuntur, etiam Romanis olim uſitatum, ſed poſtea iterum abrogatum*, vid. Limn. ad A. B. c. 24. §. 1. obſ. 12. & 13. *juri naturali planè repugnare, &, quod parentheſin, quæ eſt* in §. 1. d. l. 5. *concernit*, neſcio, *inquit rectè Grotius* de J. B. l. 2. c. 21. §. 13. ſ. 2. quis chriſtiano Imperatori Arcadio auſus eſt hoc dictare, debuiſſe paterno perire ſupplicio, in quibus paterni criminis exempla metuuntur. *Rationibus verò, quæ pro moris hujus defenſione afferri poſſunt ac ſolent, omninò ſatisfit à Dn. Puſend.* d. J. N. & G. lib. 3. c. 8. §. ult. *cui adde Limn.* d. l. obſ. 14. & 15. *Ant. Matth.* de crim. læſ. majeſtat. c. 3. n. 10. p. 318. *&, qui in confirmanda ejus injuſtitia plurima collegit, Eichelium* de jure parentum & liber. Part. 2. §. 14. *Et quamvis nonnulla exempla ex ſacris literis pro coloranda ejus licentia afferri ſoleant, reſpondet tamen ad eadem Grotius* d. l. §. 14. *cum quo* eadem docet, *verba ſunt Limnæi* d. obſ. 15. n. 2. magno verborum apparatu Johannes Eichelius d. l. §. 15. ita, ut credo, à Grotio edoctus, quamvis ejus nullam faciat mentionem. *Sed cum his Grotii reſponſionibus conjungenda ſunt cenſura Oſiandri & Magnifici Dn. Ziegleri, quos vide* ad d. Grotii locum. *Cum autem Arcadius* in d. l. 5. *pœna capitali liberos reorum majeſtatis non afficiat, videntur utique rationes præcedentes, quamvis id communiter fieri ſoleat, non congrue ad injuſtitiam* d. l. 5. *demonſtrandam afferri, cujus quidem verba fateor ſatis eſſe dura parumque cohærentia, dum ſpeciali lenitate vitam ipſis donari glorietur Imperator, & in verbis tamen mox ſequentibus velit, eorum conditionem eſſe talem, ut ipſis & mors ſit ſolatium & vita ſupplicium. Sed cum in legum expoſitione non tàm ad verba, quam ad ſenſum legis retroſpicere debeamus, & producta modò verba, ut mox apparebit, figurâ non careant, non verebor aſſerere, diſpoſitionem* d. l. 5. §. 1. *ſi rem ipſam ſpectes, cum dictamine rectæ rationis adeò non pugnare. Nam commune iſtud axioma, quod* d. l. 5. §. 1. *objici ſolet, quod pœna non debeat notare, niſi eos, qui deliquerint, aut quocunque modo delicti reatum contraxerint, uti non inficiandum eſt, ita accuratiores Juriſprudentiæ naturalis Doctores idem rectè explicant de pœna propriiſſime dicta, ejusque analogato nobiliſſimo, quæ nimirum conſiſtit in poſitione alicujus mali, & deſcribi ſolet, quod ſit malum paſſionis inflictum ob malum actionis. Jam ſi diſpoſitionem* d. l. 5. §. 1. *ex-*

Digitized by Google

probationem, quod dicitur; fore, uti caſitas liberorum parentes amiciores reipubl. faciat, & ſi quæ ſimiles ſint ratiunculæ. Solam quoque ſcientiam in hoc aliiſque atrociſſimis criminibus ſupplicio volunt eſſe obnoxiam; non male quidem, modo non ordinaria pœna: quæ tamen locum habere poteſt, ſi non tam ſilentium ſit quam conſcientia.

16. Natura majeſtatis ſponte ſuggerit, hoc

---

mines, patebit, eandem nihil ejusmodi imponere liberis perduellium. Imò etiamſi præfatum axioma ad illud pœnæ genus extendere velis, quod proximum à pœna propriiſſime dictâ locum obtinet, & in privatione boni præſentis conſiſtit (quanquam, an id rectè fiat, hic inquerere nolo) tamen nec hujus veſtigia in lege Arcadii apparent, ſed quicquid ibi filiis reorum majeſtatis denegatur, conſiſtit in denegatione boni futuri, quæ pœna quidem, ſed ſecundum ductum Jurisprudentiæ naturalis impropriiſſimè dicta, & de quâ commemorata regula omninò non agit, nomine venire ſolet. Initio quippe à materna vel avita omnium etiam proximorum hæreditate ac ſucceſſione jubentur eſſe alieni & ex teſtamentis extraneorum nihil capere. (*Paternam hæreditatem omittit Imperator, quia de hac res plana eſt, cum eam fiſcus auferat, & in eò filii pœnam ſentire non poſſint, quia bona illa illorum futura non erant, niſi à parentibus ad ultimum ſpiritum eſſent conſervata. Grot.* d. c. 21. §. 1. ſect. 2.) *At per hoc non dolor aliquis corpori filiorum infligitur, aut bonum aliquod præſens aufertur, ſed futurum ſaltem, & ad quod illi ſolam ſpem in futurum eadem adipiſcendi habebant. Etſi vero Dn. Henninges* ad Grotii d. l. §. 13. p. m. 923. ſeq. *urgeat: naturali ratione & ipſa æquitate hæc filiis deferri, ita ut niſi in pœnam vel boni publici causâ excludi ab iis non poſſint, hic verò & pœnam & utilitatem publicam deficere, cum incertus ſit metus paterni criminis in liberis & contraria exempla non deſint, liberorum merita erga remp. paterna delicta exceſſiſſe; denique libertatis naturalis particulam eſſe, capere aliquid ex teſtamento alieno, quod ex facto alieno in pœnam juſtè auferri nequeat; tamen hæc talia ſunt, ut ad eadem facilis ſit reſponſio. Scimus, hæreditatem, vel certè legitimam liberis ab adſcendentibus jure quodam ſtricto deberi ob debitum alimentorum. An vero hoc jus liberorum perfectum etiam dicendum ſit in ordine ad remp. alia quæſtio eſt. Quod ſi tamen & hoc concedamus, non tamen propterea hujus rei ablatio à republ. facta aut pœnæ nomine inſignienda erit, aut ſine jure facta dicenda eſt. Pœna non eſt, quia multi naſcuntur, quibus, præter corpus, nullum patrimonium, quos propterea à naturâ punitos eſſe, nemo accurate dixerit. Deinde reſpubl. vi dominii eminentis, ad utilitatem publicam ſubditis non ſolum bona futura, ſed & præſentia juſtè aufert. At, inquiunt, utilitas publica hic non ſubeſt, quia metus qui affertur, eſt incertus. Nego conſequentiam. Eſto enim, metum paterni criminis non adeò apodicticè verum eſſe, eſt tamen probabilis, cum plura omninò exempla hiſtoria nobis referant perduellionis à liberis continuatæ, quàm ejusdem per merita liberorum expiatæ. At probabilis metus ad exercitium eminentis dominii ſufficit. Quis enim negabit v. g. ſuburbia ex metu probabili hoſtis imminentis à Principe jure deſtrui, item in fortificatione oppidi alicujus, etiam ob metum vagum hoſtis cujuscunque futuri factâ, bona privatorum, quæ huic fortificationi alias obfutura eſſent, absque injuria illis auferri? Quod vero de libertate naturali capiendi aliquid ex teſtamento alieno affertur, ad ea argumenta ſpectat, quæ communiter contra venationem hodiè ſubditis ablatam urgeri ſolent, atque adeò reſponſione novâ non indiget, ſed per ea, quæ habet Grotius L. 2.*

hoc crimen non committi, quam adverſus eos, qui vere ſummam habent poteſtatem; Proinde machinationes ſubditorum contra eos, qui ſuperiorem habent, non ſunt perduelliones, niſi analogicè & quandoque verè, quatenus ad perturbationem ſuperioris

c. 2. §. 5. *ſponte cadit.* *Quod ſequitur in* d. l. 5. §. 1. ſint perpetuo egentes & pauperes *id non novi aliquid diſponere, ſed priora tantum explicare videtur. Neque enim mens Arcadii eſt, quod liberis perduellium bona propria, ſi qua jam habent, auferri debeant, ſed quod, ſi nulla poſſideant, ipſis omnis ſpes per acceſſionem aliorum bonorum ex teſtamentis quorumvis diteſcendi ademta eſſe debeat. Atque adeo de his verbis idem eſto judicium, quod de prioribus. Porrò quando Arcadius dicit:* infamiam paternam liberos perduellium ſemper comitari debere, *illud non ita accipiendum videtur, quod infames ipſos velit eſſe liberos Arcadius: alias enim dixiſſet: infamiam propriam eos comitari debere.* (*conf. Limn,* ad A. B. c. 24. §. 1. obſ. 22.) *ſed illud ſaltem innuit: Ob infamiam paternam effectus quosdam perſonarum infamium, ſcil. uti ſe mox explicat, quod ad nullos prorſus honores, ad nulla Sacramenta pervenire debeant, filiis perduellium communicari, quod tolerabile eſſe ſatis defendit Grotius* L. II. c. XXI. §. 16, *cui quod addam, nihil habeo. Unde corruit objectio modo citati Commentatoris* d. l. p. 925. *de infamia non niſi ex delicto proprio irroganda. Quod verò addit idem, injuſtè liberis perduellium ſepulturam denegari, in eo illi aſſentior. Sed nec hanc denegat Arcadius* d. l. 5. §. 1. *Dicit equidem Ulpianus* l. 1. §. 3. ff. de ſuis & legit. hered. *filium perduellis jus ſepulchorum non habere: Verum Ulpianum jam non defendimus, alias inquirendum foret, an per hanc phraſin JCtus intelligat, filium perduellis ſepeliri non debere? Quod ego ſtatim affirmare non auſim. Denique quod ſubjungit Imperator* d. l. 5. §. 1. ſint poſtremò tales, ut his perpetua egeſtate ſorde.:tibus ſit & mors ſolatium & vita ſupplicium, *id, ut ab initio monitum, figura non caret, majoremque terrorem affert, ſi verba ſpectes, quam ſi rem ipſam. Nam uti rectè monet Limn.* ad A. B. cap. 24. §. 1. obſ. 25. *hanc miſeriam facilè effugere poterunt filii perduellium, ſi in remotas ſe conferant regiones, vel ſaltem in alienum territorium: Ibi enim ſecundum Neronis dictum, quod artem quavis alat terra, non ſolum egeſtatem & pauperiem evitare poterunt, ſed & ad honores publicos adſpirare, cum lex Imperatoris, qua ab honoribus arcentur, tanquam merè civilis, extra territorium nullâ efficaciâ gaudeat, & nihil frequentius eſſe hiſtoria omnis Seculi demonſtrent, quàm ut viri, modò aliàs ſtrenui ſint, ſivè bellicâ fortitudine præditi, ſive gubernatione reipubl. clari, etiamſi à Principibus, quibus fidem dederant, deponantur, & haud bonâ cum pace dimittantur, ab aliis tamen facilè iterum recipi & in priſtinum dignitatis gradum, ſi non in majorem, evehi ſoleant. De juſtitia* d. l. 5. §. 1. *ſatis. An verò eadem ab ipſo Arcadio* in L. 22. C. de Pœn. *iterum abrogata ſit? Dd. diſſentiunt. Putat id cum aliis Limn.* d. l. obſ. 15. n. 4. *Sed contrarium demonſtrat Ant. Matthæi* de crim. læſ. majeſt, c. 3. n. 31. p. 320. *Mores Seculi quod attinet, diſpoſitionem Arcadianam in Italiâ, Galliâ, Hiſpaniâ, & Belgio amplius non obſervari tradit Matthæus* d. l. *In Germania etſi in* A. B. d. c. 24. *lex Anaſtaſii ferè de verbo ad verbum ſit repetita, tamen, quà filios, teſtatur Mylerus citatus Limnæo* d. l. 11. *eam hodiè in praxi ex conſuetudine generali non obſervari. Adde Schneidew.* ad §. publica. Inſt. de publ. jud. n. 5. *Et notat Dn. Henninges* d. l. p. 925. *glorioſiſſimum Imperatorem modernum filiis perduellium ſuorum Hungarorum integram famam reliquiſſe.*

ris imperii tendunt, quod ſocietatibus Indicis apud Belgas applicandum videtur, & applicitum fuit aliquando. Id ſane conſtat, verba non mutare ſpecies rerum; Sed etſi quibuſdam majeſtatis appellatio non tribuatur, ſi tamen vere ſummam poteſtatem habeant, contra tales hoc crimen in proprio ſenſu committi.

17. Quæſitum eſt, an querelæ de prava civitatis adminiſtratione, referri poſſint ad crimen læſæ majeſtatis, ſaltem in ſpecie dictæ; z) quod viſum ordinibus Friſiæ, cum hinc ante decennium nonnulli cives querelam ejuſmodi ad ordines generales detuliſſent, edicto *d. 14. Februar. 1678.* à curia tamen ſuprema, poſtulante procuratore generali, re judicata non eſt firmatum. Querelæ quidem in genere, petitioque reformationis non poteſt huc referri: Sed eſt jus civium, ſupplicare in eum finem, ut recte judicatum in Angliâ nuper, cum reges noviſſimi petitiones ſibi oblatas, hujus pene criminis nota inſigniras velle viſi fuiſſent. In noſtra republica ejuſmodi petitiones vocantur, *Querelæ dolentium* reipubl. cauſa, cujuſmodi plures olim fuere, quarum una inſignis, principe Philippo Auſtriaco II. anno 1554. de qua plures egregiæ conſtitutiones emanarunt, quarum ſpecimina videre licet, in *lib. 3. Statut. tit. 2. art. 4. 14. 15. 19. 22. 25. 45. 52. 56. Tit. 3. & alibi.*

18. Dicendum tamen eſt; fieri poſſe, ut ejuſmodi querelæ ab hoc crimine non ſint alienæ. Primò, ſi fiant ad exteras poteſtates; quia cum jus ſupremæ provocationis, ſit jus majeſtatis, ſi quis ad exteros querelas & petitiones reformatorias deferat, a) jus majeſtatis, cui ipſe ſubjectus eſt, manifeſto lædit, etſi forſitan ad amicos & fœderatos fiat: Quomodo in prædicto caſu majeſtatis rei declarati ſunt, qui preces ſuas ad ordines generales Belgicarum provinciarum detulerant, etſi de talibus negotiis, quarum primo conſtituendarum cauſâ ordines generales arbitri, atque ut ajunt, mediatores, fuerant. Quanto fœderis arctitudo magis ad ſpeciem unitatis imperii accedit, tanto metus & periculum, ne ſub prætextu fœderis amicitiæque, pars aliqua imperii invadatur, propius exiſtimatur. b) Præterea, ſi prætextu querelæ ſeditio & res novæ à factioſis hominibus quærantur, c) quod ſæpius uſu venire, docet experientia non eſt dubium, quin hæc res non modo ad majeſtatis in ſpecie dictum crimen, ſed etiam ad perduellionem attinere poſſit. Egimus

n. 17. z) in ſpecie dictæ) *Autor vacillat; Nos quæſtionem ſimpliciter negandam cenſemus. Nolo afferre, quod Autor ſuprà ubi de tyrannide egit defendit, etiam optimates ubi tyrannicè agunt, i. e. ubi evidenter prava eſt reipublicæ adminiſtratio, à populo poſſe deponi, imò & puniri. Ergo multo magis querelæ erunt licitæ. Sed iſtam quidem doctrinam de tyrannorum pœnâ & depoſitione ſuprà rejecimus tanquam obſcuram & non applicabilem. Interim juris naturæ eſt, ut læſi conquerantur de pravâ adminiſtratione. Et ipſa Belgarum libertas originem debet ejuſmodi querelis.*

n. 18. a) deferat) *Aliud erit dicendum, ſi interceſſiones ſaltem, aut, ſi exteri alio modo juſtè poſſint implorari. Ut hoc tempore Sileſii implorarunt interceſſionem & auxilium potentiſſimi Regis Sveciæ adverſus injurias Cleri Pontificii.*

b) exiſtimatur) *Sed hæ rationes tamen tanti non ſunt viſæ Curiæ Supremæ, ut ſententiam Ordinum Friſiæ confirmarent, ut ipſe Autor notavit* n. præced. *Et facile ad eas ex dictis reſponderi poteſt.*

c) quærantur) *modo & id verè fiat, & modo non illi, contrà quos querelæ tales inſtituuntur utantur hoc prætextu eludendi querelas juſtiſſimas, quod ſæpè uſu venire pariter docet experientia.*

Digitized by Google

gimus hac de re latius in *Juriſpr. Hod. part. 2. lib. 3. c. 16.*

19. Addendum & hoc ad differentiam hujus criminis, quod ſit perduellionis vel majeſtatis tam propriè quam analogicè dictæ, ut *ſuperius* indicatum eſt. Majeſtatem analogicè dictam intelligimus eorum, qui ſuperiorem quidem agnoſcunt, ſed regalia & conformatam per ſe habent rempublicam, at ſubordinatam; cujuſmodi creduntur eſſe principes & liberæ civitates Germaniæ, quibus *ſuperioritas* non majeſtas adſcribitur. Quanquam ſi, quod res eſt, loquendum ſit, illa *ſuperioritas* principum Germaniæ, ſi ab effectis, recte argumentamur, quod in civilibus infallibile, nihil eſt aliud quam *ſumma* poteſtas: Hæc autem majeſtas vocatur. At quia ſolus imperator hac voce per excellentiam utitur; qui nec regibus extra imperium, illud adſcribit, principes ſummam poteſtatem ſuam alio nomine circumdant, invidiæque ſubducunt. Sed nominibus ſepoſitis, nihil erraverit, qui legem Juliam, ſeu crimen *ſupra* definitum, quando aliquis læſit ſummam poteſtatem cui ſubjectus eſt, etiam Germaniæ principibus directe & propriè convenire dicat.

20. Forte magis appoſitum majeſtatis analogice dictæ exemplum eſt in ſocietatibus Indicis, quæ jura ſummæ poteſtatis in ditionibus ſibi ſubjectis accipiunt ab ordinibus Belgicarum provinciarum, quæ ſub alio ſole exerceant. Heic, utpote domi, ſunt privati omnique jure privatorum utuntur; ſed in ditionibus ſuis omnia jura principatus exercent, dependenter ab ordinibus, à quibus illorum acta poſſunt infirmari. Si quis hoſtilia contra eos in locis ſui privilegii committat, an hic majeſtatis teneatur, Belgicorum juriſconſultorum ſententiis, ſuperioribus annis agitatum eſt, in cauſa Kœymani cujuſdam; qui adverſus ſocietatem Indiæ occidentalis, cui ſerviebat, hoſtilia machinatus erat in Africa, cum duce barbarorum, cui nomen belgicum à noſtratibus erat inditum. Publicatæ ſunt typis ſententiæ, quarum aliæ majeſtatis, reſpectu ordinum, aliæ tantum atrocis injuriæ crimen admiſſum ſtatuebant. Verius fuit, eſſe crimen hujus loci, analogicè ſumptum; eademque analogia puniendum, quod etiam ſequuti ſunt judices Amſtelodamenſes, homine condemnato in gravem mulctam & ad opus publicum longi temporis. *d)* Quod autem externi contra aliam poteſtatem moliuntur, id hoſtile judicandum, qua de re videbimus, ubi de *reformatione* locus occurret

21. Sequitur PECULATUS, qui nihil eſt aliud, quam furtum publicum, cujus mille modi formæque; proinde & variæ pœnæ. Non abs re autem videtur, quod jure Romano, magiſtratus, quibus cuſtodia publicæ rei commiſſa, capite cum ſuis adminiſtris hac cauſà plectuntur, *l. 3. ff. ad L. Jul. pecul.* quod utinam mores & tempora ferrent! Furtum pecuniæ ad civitates non liberas pertinentis analogicè peculatus dicitur; proinde eandem in pœnis analogiam ſervari oportet. *l. 4. §. f. ff. d. tit.*

22. *Repetundarum* tenentur, qui in magiſtratu, poteſtate, curatione, legatione aliove munere publico poſiti pecunias acceperunt, quo magis aut quo minus officio ſuo fungerentur. *L. 1. & ſeqq. ff. ad L. Jul. repet.* Pœna ſecundum merita cujuſque corruptelæ diverſa eſt, ut aliquando capitalis eſſe queat. *l. 7. §. ult. eod.* Haud infimum inter hos locum tenent, qui honores & munera reipublicæ vendunt, quibus proinde non minor quam ordinaria Romanorum pœna deportationis conveniret. *e)*

23. Sed

n. 20. *d)* longi temporis) *Sed ex pœnâ hâc parum probabit Autor deciſionem ſuæ ſententiæ. Nam talis pœna poterat etiam dictari in caſu atrocis injuriæ.*

n. 22. *e)* conveniret) *Reſpicit Autor fortè ad ea, quæ latius ſuprà diſſeruit,* lib. 3. ſect. 1. cap.

Google

23. Sed excipiuntur ab hoc crimine Xenia; Id eſt, eſculenta & potulenta, quæ magiſtratibus & officia publica gerentibus ſemper accipere licuit, ſub moderatâ ratione decori, ὐδὲ πάντα, ὐδὲ πάντοτε, ὐδὲ παρὰ πάντων; nec omnia, nec ab omnibus, nec omni tempore. *f) l. 6. ſ. 3. ff. de off. Præ. ubi diximus in Eunom.*

24. Sequitur AMBITUS, de quo miretur aliquis, accuſationem dari, quod fuit præcipuum Romanæ libertatis palladium: Et quidni offerre ſe liceat honoribus, quod eſt ambire eos, à quorum ſuffragiis honores pendent? Ita fuit olim; ſed re mutatâ, manſit idem nomen, ut diximus ad *Tit. ff. ad. L. Jul. de Amb.* hoc enim loco de ambitu tenentur, qui corruptis ſuffragiis, honores petunt; unde patet, cum hi qui Reipubl. præſunt, precio munera publica diſtribuunt, concurrere ibi utrumque repetundarum & ambitus crimen; illud in vendentem, hoc in emptorem.

25. Illud crimen hodie ceſſat in urbe, tradunt ICti Romani *l. 1. in pr. ff. ad l. Jul. amb.* poſtquam collatio honorum ad principem ſpectare cœpit; neque enim de facto ſummæ poteſtatis acquiri poteſt; Sed in plurium Imperiis, etſi à Collegio ſummæ poteſtatis honores proficiſcantur, viget tamen hoc crimen, non contra univerſum Collegium, ſed in ſingulos, qui ſubjecti ſunt. Denique res eo pervenerunt, ut, quod olim in urbe ceſſavit crimen, hodie merito dici poſſit in Orbe ceſſare. *g)*

26. Crimen *Annonæ* committitur ab his, qui malis coitionibus hoc agunt, ut annona fiat carior: Quod cum ad univerſæ civitatis ſalutem pertineat, mirari licet, cur Romani adverſus dardanarios tam levi pœna defungantur, [maxime cum Romæ ea res, frumento trans mare advehendo, crebris ſubjecta periculis & ſeditionibus fuerit] multa ſaltem xx. aureorum, aut interdictâ negotiatione, vel ad ſummum relegatione, aut in vilioribus opere publico, in pœnam ſtatutis; *l. 2. ſ. ult. ad L. Jul. ann.* Nec eſt dubium, quin res & ratio graviorem poſtulet animadverſionem, *h)* nec immerito aliæ gentes, ut diximus ad *Tit. ff. ad l. Jul. de Ann.* pœnam capitis inſigniori in hoc genere improbitati præſcripſerunt.

27. Crimen *Reſiduorum* eſt affine peculatui; committitur enim ab his, qui pecuniam in publicos uſus ſibi commiſſam intervertunt, ſibique retinent; qui jure Romano ſic puniuntur, ut tertiâ parte plus quam debent, ſolvere cogantur; ruſſus profecto nimis defunctoriè, ſiquidem quod tam parum à peculatu differt, *i)* nihil ſupplicii gravitate ab eo diſtare debuit, *ſ. d. l. 8. ſ. 5. ff.*

5. n. 50. ſeq. *Sed tamen, ſi eò reſpexit, durior videtur hæc ejus ſententia. Diſtinguendum enim omninò eſt, an tales nundinationes fiant clanculum legibus prohibentibus an publicè, & lege ita permittente.*

n. 23. *f*] nec omni tempore) *Ita pridem extat* in d. l. 5. *Sed intuitu jurisprudentiæ univerſalis hoc eſt exponere rem obſcuram per æquè obſcurum.*

n. 25. *g*) in Orbe ceſſare) *Videtur paucis dicendum: Ambitum magis pro crimine ſolere haberi in liberis Rebuspublicis, quam in Monarchiis.*

n. 26. *h*) animadverſionem) *Res dependet à variatione circumſtantiarum. Pro mitiori pœnâ illud afferri poteſt, quod naturaliter nemo ad emendum vel vendendum cogi poſſit. Ergo duriores pœnæ vix locum ſibi vindicare poterunt, niſi præcedente lege civili pœnali.*

n. 27. *i*] à peculatu differt) *In eo tamen eſt differentia haud parvi momenti, quod in crimine peculatus ſubſit ablatio clandeſtina & in rationibus occultata, in crimine de reſiduis vero fateatur debitor, ſe reſiduum debere.*

ad l. Jul. Pecul. Denique, *Concuſſio* vocatur, cum quis obtentu poteſtatis, quam habet, terrore injecto, pecunias aliis extorquet, quod pro negotii modo variè, ſed haud procul à repetundarum exemplo, puniendum *l. 1. & 2. ff. de Concuſſion.* Eſt & publicum crimen *rupti* violative aggeris, quo fluminis aut oceani inundatio ſiſtitur, quod graviter & plerumque capite vindicandum, *l. un. C. de Nil. aggerib. non rump.*

28. Ex his de cæteris, quæ Rempubl. immediate ſpectent, facile judicabitur, ſicut ad publica referri quoque ſolet *Blaſphemia*, quam capite puniri vult Juſtinianus, convenienter Juri divino *Nov.* LXXVII. Sed moribus hodiernis, pœna eſt arbitraria, ut tamen ad capitalem adſcendere poſſit; utique, ſi blaſphemiæ inſolenter ac intemperanter, cum invectivis in ſanctiſſima myſteria, proferantur; quâ ratione Genevenſes Servetum, auctore Calvino, capitis condemnarunt, & vivum, hoc tamen præter illius ſententiam, combuſſerunt; idemque diu poſtea decreverunt adverſus Nicolaum Antonium Ludimagiſtrum, eo *quod impugnaſſet*, ut habet ſententia, SS. Trinitatem, renegaſſet Dominum Jeſum, eumque devoviſſet & Judaiſmum amplexus eſſet. die *16. Aprilis 1632.* referentibus Sponio & Læti. Non omnes tamen, qui Sacram Triadem & Deitatem Chriſti, vel æternam generationem filii Dei, aut emiſſionem Spiritus Sancti, aliaque ſanctiſſima univerſi Chriſtianiſmi principia negant, pro blaſphemis habendi, ſed pro hæreticis potius; ut viſum Ampliſſimæ Friſiorum Curiæ, ad quam miſſus erat à Summis Magiſtratibus homo Socinianus, cum elogio blaſphemi, qui examinatus iſta negaverat, in ſimplicitate cordis ſui aliter credens, ut adfirmabat. Dimiſſus eſt indemnis & impune *k*) *d. 18. Decembr. 1680.*

29. An igitur HÆRESIS non eſt crimen? Non videtur ita viro Cl. Antonio Matthæo *De Crimin. l. 48. T. 10. n. 7. ſ. De Hæreſi*, inquit, *nihil adjicio. Tametſi enim Pontificiorum moribus graviſſimum Crimen eſt, multaque in inquirendo & vindicando ſingularia obſervantur, tamen cum libertate armis partâ, horribilis illa Inquiſitio à noſtris provinciis exulet, religionemque orthodoxam docendam, non imperandam credimus, enarratio crudelis judicii ſupervacua futura eſt. l*)

30. Quid autem eſt Hæreſis? Videtur ita finiri poſſe, *Propria de rebus divinis & pertinaciter propugnata, fidei catholicæ repugnans ſententia.* Propria, nam *Αἵρεσις, hæreſis*, nihil eſt aliud quam electio, pro rationis cujuſque modulo facta, quando quis non contentus fide catholica, eligit ſibi fidem peculiarem. *Pertinaciter propagata*, nam lex non punit animi ſententias *l. 18. d. Pœn.*

31. Repugnans *fidei catholicæ.* Quid eſt catholica fides? *Univerſalis.* Hanc aliter Theologus, aliter juriſconſultus accipit; & hic quidem receptam atque dominantem in republ. intelligit, *m*) à qua diſcrepantes & prohibitas vocat hæreticas, ſi tamen ipſius animi judicium! conſentiat. De conſenſu autem reipubl. conſtare debet ex confeſſionibus & conciliis auctoritate publica factis, quæ in imperio Rom. quatuor fuerunt, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum & Calcedonenſe, quæ dicuntur Oecumenica; quia Romani ſuum imperium vocant *orbem terrarum.* Permiſſas pro hæreticis non habet religiones; Toleratæ equidem tales haberi poſſunt, ceſſante pœna.

32. Quænam autem eſt hereſeos pœna? Jure

n. 28. *k*) indemnis & impune) *Repete ex ſupra dictis* notata ad lib. 1. ſect. 5. cap. 3. n. 21. lit. t. p. 190. & ad cap. 4. n. 25. 26. lit. x. y. p. 199.

n. 29. *l*) futura eſt) *Repete iterum dicta* ſuprà ad dictæ ſect. cap. 3. n. 63. lit. l. p. 195.

n. 31. *m*) intelligit) *Adde diſſert. noſtram:* an hæreſis ſit crimen, & de jure principis circa hæreticos ſ. 9.-36.

Jure civili, loca cultus publicantur *l. 2. l. 5. l. 8. §. 3. C. de Hæret.* Improbiorum bona publicabantur, quos inter & Donatiſtæ, qui tamen ſchiſmatici potius, quam hæretici fuerunt. *d. l. 5.* Manichæi vero etiam exilio & ultimo ſupplicio ſubjiciuntur. *l. 5. in pr. C. eod.* Moribus proteſtantium, in hæreticos nulla corporalis poena *n*) conſtituta eſt, tametſi in Anglia ſatis extent ſeveræ.

33. Sequuntur crimina, quæ privatam læſionem, ſed & publicam, manifeſta conſecutione præferunt, primo, *homicidium*, quod jure divino *o*) ſanguine vindicandum, utique voluntarium, non invitum. Hoc autem duplex eſt; per vim & per ignorantiam; Invitum per vim dicimus hic (nota tamen improprietatem termini) cum quis defendendi corporis ſui vitæque cauſa invaſorem occidit: Per ignorantiam, quod abſq; propoſito occidendi, caſu perpetratur. Cujuſmodi eſt, cum quis animum quidem habet occidendi; ſed in actu licito ſe verſari exiſtimat, ut ſi quis Patrem in bello ignotum interficiat. Denique, extra ordinem adnimadverſio locum habet, quoties ad culpam propius, quam ad dolum cauſa cædis perpetratæ accedit. Sed hujus rei tractatus tam varios habet anfractus & conſiderationes, juris prudentiæ plenas, ut eas hic nullo modo exequi liceat; Egimus plena manu in *prælect. ad tit. ff. ad l. Corn. de Sicar.*

34. Sequitur *parricidium*, quod proprie ſumitur, pro cæde alicujus, qui in recta ſanguinis linea nobis eſt conjunctus; reliquorum cædes propinquorum magis eſt, ut homicidia atrociora ſint *§. 6. Inſt. de publ. jud.* Poenæ gravitas non tam quærenda (ut *ſuperius* dictum & de majeſtatis quoque ac ſimilibus intelligendum eſt) intentione cruciatus, quam in ſpecie terribili apparatus, quod egregie & ingenioſe à Romanis obſervatum, *p*) parricidas virgis ſanguineis verberatos culeoque incluſos cum cane, vipera & ſimia, in maria vel in flumine ſuffocari voluerunt. Huc etiam referri poteſt expoſitio infantium; Liberos recens natos exponere jure veteri erat impunitum, ut apparet ex *l. 29. d. Manum. Teſtam. l. 16. C. de nupt.* juxta notiſſimum Græciæ morem, quo exempla comica referri *poſſint.* Poterat pater exponere vel *tollere* liberos, id eſt, alendos ſuſcipere *l. 6. §. 2 d. jur. Patron.* ſublatos exponere, nefas & quaſi homicidium erat *l. 4. d. Agnoſc. & alend. lib.* Dein, expoſitio plane prohibita, ejuſque loco ſurrogata eſt venditio *ſanguinolentorum*, id eſt, recens natorum *l. 2. C. de patr. qui liber. diſtr.* Poena eſt extraordinaria *d. l. 2. & l. pen. C. de Patr. pot.*

n.32. *n*] corporalis poena) *Sed tamen ſecundum judicium ampliſſimæ Friſiorum curiæ debebat nulla pœna dictari, (ſed hæreticus ſolâ emigratione dimitti)* per n. 28. *Et omnino iſta non cohærent. Adverſus Pontificios diſputamus & urgemus, quod ob diſſenſum in religione nemo debeat ſub prætextu hæreſeos puniri & metu pœnæ ad fidem cogi. Et tamen poſtea, cum à Pontificiis nobis opponitur: Atqui vos ipſi hæreticos punitis & metu pœnæ ad fidem cogitis, reſpondemus, ita quidem eſt, ſed tamen non punimus pœna corporali. Quaſi pœnæ non corporales haud eſſent pœnæ, & nullam coactionem involverent. Certè non cohærent iſta cum doctrina acutiſſimi JCti, Antonii Matthæi relata n. 29.*

n.33. *o*) jure divino) *Scilicet Moſaico, non univerſali per dicta* ad n. 8. lit. r.

n.34. *p*) obſervatum) *Aliter pœnam hanc parricidarum. (quæ per interpretes etiam ad pœnas infanticidii fuit extenſa, non adeo convenienter, ut ex illis quæ Autor hic docet, pateſcit) conſiderarunt JCti in Electoratu Saxonico, qui ad interceſſionem, ut ajunt Electricis diu hanc pœnam in cauſa parricidii non dictarunt, quia viſum fuit, reos in culeo morſu beſtiarum ad deſperationem adigi.*

35. *Adulterium* eſt corruptio mulieris alii nuptæ. Nam vir conjugatus rem cum alia ſoluta habens matrimonii quidem æque fidem violat, ſed non idem admittit delictum, quod uxor alii ſe ſubſternens; quia hæc præter thorum violatum, efficit, ut maritus, cujus non eſt, pater cenſeatur, *l. 6. §. 1. ff. ad l. Jul. adult.* Unde omnium populorum exiſtimatione contumelioſior eſt viro quam mulieri conjugis evagatio. In muliere igitur adulterium, in virgine viduaque ſtuprum committitur, gravius quidem à conjugato quam à cælibe, tamen ſtuprum; idque non Romano tantum ſed & divino juri conſentaneum videtur. *q*) *Levit. 20. v. 13. Deut. 22. verſ. 22.*

36. Quare *Juſtinianum* ego quidem cucurbitas pingere, quam νομοθετῆτας maluiſſem quando capitis pœnam à *Conſtantino Magno* utriuſque ſexus adulteris inflictam, mulieribus remiſit, eas virgis admonitas monaſterio includi præcipiens, etiam venia bonis viris data, poſt biennalem pœnitentiam eas reducendi; ſcilicet, *quis earum non miſereatur!* ait optimus Cæſar, obnoxius, ut volunt Theodoræ, *Nov. 134. cap. 10. l. ult. C. Qui potior. in pign.* Et tamen hoc diſcrimen apud Saxones, graviſſimam gentem, adhuc obſervari, *r*] teſtis eſt Carpzovius *Qu. 53. Criminal. n. 27. & 33.* Cæterum, recentiores legiſlatores quur antiquum jus Romanum, quo relegatio tantum in adulteros ſancita erat, contenti mulctis pecuniariis, facilitate ſuperare, quam & novum Conſtantini & divinum, & veterum Germanorum aliorumque gravium populorum, quibus hoc capitale fuit, leges imitari maluerint, nullâ idoneâ ratione probari poteſt. *ſ*) De ſingulis actum latius in Prælect. ad *Tit. ff. de del. Jul. Adulter.*

37. Sequitur ſtuprum, quod eſt corruptio virginis viduæque honeſtæ; Nam meretricia voluptas, etſi impunita, ut viſum Romanis, exemplo ebrietatis ſimiliumque vitiorum, eſſe non debet; æſtimatione tamen criminis diſtingui meretur. Perſecutio ſtupri moribus hodiernis non malè exerceri videtur in hanc ſententiam, ut ducat vitiatam, vel dotet. Nam ſi amor furtivis nuptiis conglutinetur, hoc ferendum: Sin, æquum eſt, defloratæ pecuniarium ſolamen tribuatur. Quod tamen nihil vetat, quominus inſignitior fraus, publicâ multâ vel coercitione corporali adficiatur *l. 1. §. ult. ff. de Extraord. Crimin.* Meretricia libido ſimiliter mulctanda pecuniis, aut relegatione, ſi nimis impudens & frequens, etſi uſum relegatio non reperiat.

38. Qui in adulterio nihil quam violationem fidei conjugalis vident, polygamiam ejus ſpeciem faciunt. Sed ex Romani & divini Juris ſententia ſuperius expoſita, muliere duobus nupta, committitur adulterium, quia res habetur à poſteriore viro, cum fœmina alii nupta: Sed vir duas uxores ſibi jungens quarum neutra nupta eſt alii, non admittit adulterium; ſed proprii generis delictum; cujus jure civili non eſt major pœna, quam ſtupri, jure divino nulla. Sed mores hodierni graviorem adulterio pœnam digamia

n. 35. *q*) videtur) *Contraria vero ſententia, & definitio criminis adulterii, quod ſit violatio fidei conjugalis, hauddubiè oritur ex doctrinâ Cleri Pontificii de ſacramento matrimonii.*

n. 36. *r*] adhuc obſervari) *Errat Autor. Nam ſententiæ, quas adducit Carpzovius lata ſunt circa finem ſeculi 16. In ſequente vero quæſtione 54. docet Carpzovius, quod hæc indecens mitigatio pœnæ intuitu uxorum adulterarum in Electoratu Saxonico ſit abrogata.*

ſ) probari poteſt) *Imo vero, ſi nulla alia ratio adeſſet, hæc ſufficeret, quod omnis pœnæ determinatio ſit in arbitrio legiſlatoris, nec pœna adulterii capitalis præcepta ſit jure naturali, aut divino univerſali, ſed ſaltem Moſaico forenſi.*

digamis impoſuerunt, utique corporalem. Quinam rectius? Laudemus in polygamiâ, per quam res ſanctiſſima indigne violatur, moris hodierni ſeveritatem, t) non minus quam in adulterio nimiam remiſſionem vituperamus.

39. Non ſunt etiam populi recentiores tam faciles advertendi in inceſtuoſos, omniſque veneris nefandæ ſpecies, quas ad rigorem juris divini, pœnis capitalibus perſequuntur, u) ut hac de re actum à nobis ad *tit. Inſt. de publ. jud. n. 71 & tit. ff. Ad l. jul. de adult. n. 9.* Rurſus in Lenones, nefandum illud artificium exercentes, capitale ſupplicium, quod Juſtiniani lex inflixit *nov. 14. §. 1.* hodie, non niſi extra ordinem, pecunia vel relegatione duntaxat animadvertitur.

40. Placet de adfini maleficio pluſculum adjicere, quam diximus *l. 2. ſect. 6. c. 1, n. 18.* Neque enim quod diximus illic, dictum volumus eo, quod minus id flagitioſum putemus, quam id eſſe volunt. D. Matthæus aut Carpzovius, qui ad Sodomiticum genus improprie, refert Maſtuprationem, *Qu. 76. n. 10.* Sed de pœna capitali aut corporali vix eſt, ut eorum ſequi liceat ſententiam.

41. Quippe venus monſtroſa proprie non eſt; hæc enim requirit agentem & patientem *l. cum vir nubit 31. C. h. t.* Iſta autem, quæ terminatur in cujuſque perſona, nec cum alio ſubjecto communicatur, nuſquam puniri legitur, aut jure civili, aut legibus hodiernis, ut fatetur Carpzov. *d. Qu. n. 13.* Quod autem de pœna filii Judæ, Onanis memoratur *Geneſ. 31.* à ſimplici maſtupratione plurimum diſcrepat. Ille juſſus erat à Deo prolem ex fratris vidua gignere; ſed iniens illam foras ejecit *τὴν γονὴν*: Hoc enim facinus admiſſum fuit in feminam, non in viro ſolo terminatum erat; factum fuit ad perdendam prolem, cui deſtinatum emiſſumque ſemen erat; continebat fœdiſſimam rei ſanctæ, matrimonii *κατάχρησιν* & deformationem; cujus Athenis reum ſe quoque fecit Piſiſtratus, ducta ſecundis nuptiis filia Megacis inimici ſui reconciliati, ex qua ſobolem tollere nolebat, *οὐ βουλόμενος οἱ γενέσθαι ἐκ τῆς νεογάμου γυναικὸς τέκνα*, ut ſcribit Herodotus in *Clio.* Acceſſit in facto Onanis, contemptus divini imperii inſolentiſſimus, qui per ſe mortem merebatur.

42. Iuſtat D. Matthæus, *cum ſicario, qui hominem vel unum occidit, moriendum ſit, quid in eos ſtatuendum, qui nefariis ſuis libidinibus tot homines occidunt, tantum ſeminis profundunt, quos ſi rerum natura pateretur, ſæpius mori æquum foret.* Nimis hoc argumentum à perditione ſeminis intenditur, w) ut adeo in maritos ſcilicet, qui uxores prægnantes ineunt, hac ratione capitis ſupplicium conveniret. Nuſquam niſi exercitium veneris inter duos contra naturam, pro venere monſtroſa punitur. Alioqui & impudicæ

n. 38. t] hodierni ſeveritatem) *Quomodo vero Autor hanc ſeveritatem laudare poteſt, cum ipſe modo notaverit, jure divino nullam plane pœnam huic polygamiæ eſſe dictatam, cum tamen divinum numen optimè ſciverit, matrimonium eſſe rem ſanctiſſimam. Præterea ſeveritas morum hodiernorum nititur quidem conſtitutione Carolina, ſed origo tamen hujus ſeveritatis ultima deſcendit ex hypotheſi Juris Pontificii, quod matrimonium ſit ſacramentum.*

n. 39. u) perſequuntur) *Senſus eſt corruptus. Nam autor* ad Inſt. loc. cit. *taxat mores hodiernos, quod inceſtum non puniant pœnâ capitali, cum tamen legem divinam ſequi debeant. Sed reſpondemus. Lex illa divina eſt ſaltem Moſaica forenſis. Deinde falſum eſt, quod lege illa forenſi omnis inceſtus ibi prohibiti ſpecies puniantur pœna capitali.*

n. 42. w) intenditur] *Scilicet falſum eſt, quod perditio ſeminis ſit homicidium propriè dictum. Neque enim in ſemine homo eſt, ſed ſpes hominis, ut JCti Romani loquuntur.*

Digitized by Google

pudicæ cogitationes eo provectæ ut *ἰκμάδας τῆς γονῆς* eliciant, eodem modo puniendæ forent, & quis eſſet finis? Prudenter igitur legislatores hoc mutum flagitii genus ſilentio tranſmittunt, cui etiam coercendo nulla ſufficeret vindictæ vigilantia. Nec tamen hæc impunitas in infinitum patet: Puniendi extra ordinem, ſevereque, non tantum mariti, qui fraudandi matrimonii cauſa id agunt, ſed etiam cinædi, qui adoleſcentes talia docent iiſque præeunt; etiam qui nimis impudenter & aliis coram, ſe polluere ſuſtinent, more Diogenis, qui in foro medio *τὰ τῆς Ἀφροδίτης ἔνθαδε ποιεῖν*, ut Laertius *in ejus Vita* narrat, qui vel hac cauſa merito canis appellatus fuerit. Secretæ vero libidines, quæ cum aliis ſe non communicant, extra legis pœnam in execratione ſint.

43. Etſi non ſit dubium, quin maſtupratio, quamlibet ſecreta, peccatum ſit gravius quam ſimplex ſtuprum, quia ſine dubio eſt contra uſum naturæ, quo *amor quæritur, nec videtur, ut ait d. l. cum vir nubit. 31. C. h. t.* pollutio corporis animique deformis; maxime, ſi non obrepat indulgentibus ſibi in concupiſcentiis, ſed opera detur ut fiat, & in conſuetudinem vertat. Hæc qui legent adoleſcentes, nefas cognitum aut ignotum abhorrere diſcant, & remedia quæ in promtu ſunt, adhibeant; poſt preces piaſque meditationes, *ἀκορίαν τροφῆς, ἀοκνίαν πόνων*, *parſimoniam victus*, *adſiduitatem laboris*, maxime matutini, juxta Pythagoricum illud, *Δειλοὶ, πανδειλοὶ, κυάμων ἀπὸ χεῖρας ἔχεσθαι.*

44. Sequitur VIS, quæ fertur *Vis* duplex, publica & privata; Illa tamen non eſt publicum noſtro ſenſu crimen. Nam ſi in Remp. committatur, majeſtatis eſt; ſed publica vis dicitur quælibet atrocior, maxime quæ fit armis, & hinc privata intelligitur. Publicæ pœna plerumque capitalis eſt, privatæ ſecundum merita ſingularium alia atque alia eſſe debet.

45. Ad publicam vim pertinet RAPTUS virginis viduæve honeſtæ, quem meritò jus Romanum graviſſime perſequitur, capitali pœnâ *l. un. C. de Rapt. virg.* Quod tamen eadem Lex non diſtinguit inter volentes invitaſque mulieres, id vero nimium rigoris præferre videtur, nec hodiernis moribus ſervatur. Stuprum gravat quidem raptus crimen, ſed hoc tamen ſine illo conſiſtit & capite rectè punitur, ut & ſtuprum violentum ſine raptu *d. l. un.*

46. *Falſi* crimen eſt ficta veritatis imitatio vel ſuppreſſio, in fraudem alterius facta, cujus plurimæ ſunt ſpecies, aliæ aliis graviores, leviores; perinde variè puniuntur, haud abſurde in illo membro præ aliis, quo maxime falſũ committitur ſc. linguâ perforatâ, *x)* quod & in perjuros & blaſphemos rectè ſtatuitur, *Vid. l. 1. l. 2. l. 9. l. 13. § 1. & l. 32. §. 1. ad L. Cornel. de Falſ.*

47. Huic affinis eſt *Calumnia*, ſive delatio falſi criminis, cujus pœna rectiſſime jure Romano talionis tradita fuit, hoc eſt, eadem quam merebatur crimen, quod calumniator intendebat, *l. 7. in pr. ff. de Accuſat.*

48. *Magia* quandoque pro veneficio ſumitur, at tunc ad homicidium pertinet; ſed propriè eſt crimen eorum, qui ope diabolica, præſtigiis artibusque vetitis graſſantur; idque plerumque diſpendio hominum, tam corporum quam animorum, aliquando quaſi pro hominum ſalute. Illos jus civile gladio punit, hos impune dimittit Conſtantinus Chriſticolarum Cæſarum primus; Alii hoc gravius plectendos cenſent, ob periculum animarum *l. 3. 5. 7. C. de Maleſ. & Mathemat.*

l. 4. C.

n. 46. *x)* linguâ perforata) *Sed videndum annon pœna hæc pertineat ad cruciatus intolerabiles Chriſtianos parum decentes, quas ipſe Autor damnavit* n. 11. & 34. *Videtur & origo hujus crudelitatis deberi Clero Pontificio. Nam textus adducti ab Autore de linguæ perforatione non loquuntur.*

l. 4. C. eod. Neutri, ut videtur, bene; puniendi quidem, ſed lenius, quam qui nocendi cauſam habent; quia Legiſlator maxime læſionem ſocietatis communis ſpectat. Magia, quæ non deſinit in noxiam hominibus illatam, punienda non videtur; non quod nulla ſit, ut volunt, qui vel malos genios eſſe, vel in res naturales operari negant, manifeſto ſacræ Scripturæ ludibrio, *y)* ſed quia legiſlator crimina mente non metitur, ſed manu, ut alias dictum.

49. *Plagium* vocatur furtum hominis, cujus pœna usque ad capitalem extendi poteſt, haud minus quam raptus ſine ſtupro *l. ult. ff. & C. de Plag. Deuteronom. 24. n. 7.* Uſus hujus criminis eſt minus frequens hodie quam fuit olim, cum ſervitutis uſus faceret operæ pretium in auferendis hominibus; eamque hominum venationem tanquam *negotiationis* lucri exercendi ſpeciem improbare, non videtur Ariſtoteles *lib. 1. Polit. c. 4. z)* Non male, ſi fieret in validos vagantes, ſecem & purgamenta generis humani; peſſimè, ſi fieret in alios innocentes.

50. *Abigeatus, a)* eſt furtum majus pecudum ex agro vel ſtabulo abductarum; nam modicum, veluti ovium paucarum magis eſt furtum *l. ult. ff. de Abig.* Quanquam verò pœna FURTI ſimplicis (de quo proprium locum hic non perſequemur) exemplo juris divini, Romani & aliarum gentium intra mortem ſubſiſtere debet, tamen in abigeos, maximè qui ut artificium illud exercuere, non abs re videri poteſt acerbius animadverti: eâdem ratione, quâ Scythæ olim apud Juſtin. *lib. 2. à pr.* nullum furto crimen gravius puniebant, quia nullis domibus res ſuas continentes, nihil ſalvum cuſtodire poſſent, ſi non facilitas perpetrandi, acerbitate pœnæ, & ſpes impunitatis metu gravioris ſupplicii compenſaretur. Tutius tamen eſt, exemplo Juris Divini, mitius in abigeos conſulere; Quin nec jure Romano eos capitali ſupplicio conſumi probavimus *ad Tit. ff. de Abig.* Pluribus de FURTO & INJURIA heic ſuperſedemus & ad juris privati lectiones remittemus.

51. *Stellionatus* poſtremo dicitur omne crimen, quod ſpeciali nomine caret, à Stellione verſuto animali, quod ſe in omnes formas vertere dicitur; Ideoque ſpecierum enumerationem hoc delictum quaſi clauſula generali obſignat. Vide, ſis *Tit. ff. de Stellion.*

n. 47. *y)* ludibrio) *Non tamen ludibrio habent Sacram Scripturam, qui negant, dæmones cum veneficis pacta facere, cum iis concumbere, eas in beſtias mutare, eas per aera ad conſentum ſagarum portare &c.* Vide differt. noſtr. de crimine Magiæ. *Et mathematicè, ut ſic loquar, falſitatem communis aſſerti & veritatem noſtræ ſententiæ probavit Johannes VVebſter Phyſicus Anglicanus* in ſcripto Anglico, publicato Londini cum cenſura Societatis Regiæ 1697. in folio, cui titulus: the displaying of ſuppoſed VVitchcraft. *De talibus magis aut veneficis nihil extat neque in ſacra ſcriptura, neque in Jure Civili & Canonico. Et alibi fortè latius probabitur, illum diabolum, cui iſti effectus imputantur non eſſe antiquiorem ſancto inquiſitionis officio, ut vel ex libro ſeptimo Decretalium probari poteſt.*

n. 49. *z)* l. 1. Polit. c. 4] *Hic equidem eâ de re nihil invenio. In c. 5. quidem Ariſtoteles mentionem facit hominum, qui ex latrocinio vivunt. Sed fortè intelligit latrocinium gentis in gentem, (de quo vide* diſſertationem patris in obſervationibus Hallenſibus) *non plagium.*

n. 50. *a) Adde diſſert. noſtr. Lipſienſem* de crimine abigeatus.

CAP. VI.

DE RE JUDICATA.

Quid ſententia. n. 1. quomodo formetur; n. 2. ubi de numerandis ſuffragiis exacte diſſeritur, & contra Grotium. n. 3-6. Cujus nomine ſententia feratur. n. 7. De effectu ejus, an emendari poſſit, & à quo: n. 8. 9. Executio ſententiæ. n. 10. 11. 12. De modis, partim executionis n. 13. 14. 15. quibus ſententia retractatur; n. 16. Querela nullitatis. n. 17. 18. 19. Appellatione. n. 20-27. Supplicatione, Reviſione n. 28. Reſtitutione in integrum, n. 29. Relationibus & jure Principis hac in parte. n. 30. 31.

1. POſt varias cognitiones & interlocutiones, ubi res ad maturitatem judicandi perducta fuerit, judex ferre *debet Sententiam*, quæ eſt *ultima Judicis, ſuper cauſa jam cognita, pronuntiatio, abſolutionem vel condemnationem continens*, & ſic fit res judicata. Quanquam ea voce per excellentiam quandoque utimur ubi res in eo ſtatu fuerit, ut nullo modo retractari poſſit; quomodo Canoniſtæ rem judicatam, nonniſi poſt decem à ſententiâ latâ dies, intra quos appellari poteſt, intelligunt *c. 15. X. de Sent. & re jud.* quemadmodum & ſententia per excellentiam in hac definitione accipitur, cum & alias interlocutiones eâ voce deſignari ſoleant; modo cauſa cognita enuntiatæ ſint: Nam quæ aliter proferuntur, neque ſententiæ ſunt, nec ita appellantur, nec effectum rei judicatæ habent, quo pertinet *Tit. C. Comminationes, ſive pœnales, quas vocant, Juſſiones, Epiſtolas, Programmata, Subſcriptiones auctoritatem rei judicatæ non habere.*

2. In formanda ſententiâ, minor eſt difficultas, ubi ſinguli officio publico funguntur, ut veteres Magiſtratus Romani, quam ubi plures adhibentur: Etſi hodiè quidem non utimur regula Juris Romani, quod uno è judicibus abſente, reliqui judicare non poſſint *l. 24. ff. de Re Judic.* utcunque ratio, quæ præfertur à Romanis Juriſconſultis æquè moribus hodiernis conveniat, *quia potuit abſentis præſentia reliquos in conſenſum trahere l. 17. §. ult. d. Recept. qui Arbitr.* Nec enim eſt dubium, quin valeant acta à præſentibus, quibusdam licet abſentibus, ut fit in Collegiis Decurionum *l. 3. & ſequ. ff. Quod cujusque univerſitat.* Niſi forte aliud ſit in Judicibus datis extra ordinem, quales erant Judices pedanei, Arbitri, & hodie *Reviſores*, qui dicuntur, & quicunque plures cum ſint, non faciunt tamen Collegium, quod habet juriſdictionem per modum univerſitatis, ut ibi etiamnum valeat illa vetus regula; ſecus atque in curiis & ſenatibus, quorum jus à præſentibus, qui reperiuntur; niſi quid ſecus peculiariter receptum ſit; exercetur. Adeo, ut tametſi pars magna judicum aliquando excuſetur, ut uſu veniſſe conſtat, à minori quoque parte Jus Collegii uſurpetur: Etſi in caſu fortuitæ abſentiæ, quandoque major adhiberi ſolet accuratio, ut abſentes etiam conſulantur, ſi major pars & eorum, qui jus habent dicendæ ſententiæ non conſenſerint; quod tamen voluntariæ cautionis ergo magis, quam juris neceſſarii cauſa inſtituitur.

3. Abſolutio vel condemnatio prærogativâ numeri ſuffragiorum, non valore rationum, conficitur. Paribus forte ſententiis regula Juris univerſalis eſt, *abſolvi reum*; non modo, quod hic Actore ſit favorabilior;

ſed

ſed hac imprimis ratione; quod ſtatus negotii mutari nequeat, nihilque novi fieri poſſit, ſi in neutram partem, mutandi cauſa prævaleat: Ideoque, ſi judices votis ſint pares, Actor vincere non poteſt, quia victoria nonniſi à viribus ſuperiore proficiſci poteſt: Et quia publica juris ratio non fert, ut lites ſine exitu pendeant, hinc rei abſolutio fit neceſſaria. *b*)

4. Si non ſit oppoſitio inter duas judicum partes, ſimpliciter adfirmantes aut negantes, ſed in tres pluresve partes abeant, quæri ſolet, quæ quibus conjungendæ ſint. Veluti quidam judices reum abſolvunt, quidam morte puniri volunt, alii relegant. Vel ſic: Tres judices capite puniunt, duo pecunia, duo exilio. Hac de re Grotius; *Diſtinguendum*, ait, *hic inter ſententias, quæ totis rebus differunt, & inter eas, quarum altera partem alterius continet; ut hæ conjungendæ ſunt in eo, quo conveniunt, illæ non item. Sic, qui in vinginti damnat, & qui in decem, conjunguntur in decem, adverſus ſententiam abſolventem. At qui morte reum puniunt, & qui relegant, non conjunguntur, quia diverſa hæc ſunt, & in morte non eſt relegatio. Sed nec abſolventes cum relegantibus conjunguntur &c. Nam qui relegat non abſolvit lib. 2. de jure B. & P. c. 5. n. 19.* Cum his fere conſentit Plinius *lib. 8. Epiſt. 14.* aliique à Grotio laudati.

5. Apparet illos ſententiæ ſuæ fundamentum ponere, in adfectione rerum ſive materiæ judiciorum. Sed cum vis & poteſtas ſuffragiorum ab intentione judicantium pendeat, videndum, ne non potius ſequenda ſit præſumptio voluntatis illorum, juncta hac regula, ſemper in dubio inclinandum in mitiorem partem. Non poſſumus exemplo carere. Tres judices capite puniunt, duo pecunia, totidem exſilio. Cujacius reum capite puniendum ſtatuit *lib. 11. obſ. c. 16. quia diverſarum ſententiarum coitio non eſt*, inquit, *adverſus eam, in quâ plures ſunt diſſentientes.* Ego dicerem, exilio reum eſſe mulctandum, quia dubitari non poteſt, quin damnantes in pecuniam, malint, ſi hoc obtinere nequeant, exilium rei, quam capitis ſupplicium: Ac ita vidi ſervatum in ſuprema Friſiorum curia, exemplis in eam rem adductis, quæ collocata ſunt in *Prælect. ad tit. ff. de Re Judic. n. 18.*

6. Proinde & abſolventes cum relegantibus conjungendi videntur, adverſus gladio ferientes; quia ſine dubio malunt reum, quem innoxium putant, exſulare quam perire. *Sed qui abſolvit, non relegat*, ait Grotius; quod eſt verum; ſed hoc non eſt τὸ κρινόμενον, igitur de præſumpta voluntate eorum qui diverſum dixerunt. Sic Curia Friſiorum non dubitavit, conjungere eum, qui torqueri volebat reum, cum virgis cædentibus, contra ſeveriorem ſententiam; etſi torquens non magis cædebat virgis, quam abſolvens relegabat; idque præſumto, quin etiam expreſſo torquentis adſenſu, abſque mutatione tamen ſententiæ ſuæ, ut qui fateretur, eſſe colligendum, ſe potius velle cædi reum virgis, quam duriore ſubigi ſupplicio; plura diximus in *Ennom. Rom. ad l. 23 §. 3. d. Recept. qui arbitr. c*)

7. Fertur ſententia nomine ſummæ poteſtatis. Antiquitus reges ipſos audiviſſe cauſas & jus dixiſſe, eaque gratia primum eſſe conſti-

n. 3. *b*) ſit neceſſaria) *Adde de hâc quæſtione Grotium* l. 2. c. 5. n. 18. *Bæcleri* diſſertationem de calculo Minervæ. *Ærodii* pand. rer. judic. lib. 5. tit. 22. cap. 6.

n. 6. *c*) Recept. qui arbitr.) *Etſi non diſſentiam ab autore, neſcio tamen an ex ejus obſervatione omnes caſus de computatione ſententiarum diverſarum definiri poſſint. Unde hoc thema requirit peculiarem diſſertationem.* Conf. *Ærod.* d l. c. 7. *Inprimis, cum pragmatici Dd. ſæpè hic graviter ſoleant impingere, ut patet ex excerptis Becmanianis* ad d. §. 19. Grotii.

conſtitutos, ſatis conſtat. Cicero, fruendæ juſtitiæ cauſa reperies olim bene moratos reges conſtitutos *lib. 2. offic. c. 2.* Heſiod. *Theognon. ℣. 88.*

> *Τούνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκα λαοῖς*
> *Βλαπτομένοις ἀγόρηφι μετάτροπα ἔργα τελῶσι.*
> *Hac una reges ſapientes lege creantur,*
> *Dicere jus populis injuſtaque tollere facta.*

De rebus ſaltem majoris momenti ut adirentur, & de cauſis denegatæ juſtitiæ cognòſcerent ipſi, diutius ſervatum, ad ſummam populorum utilitatem pertinet: donec eò perventum eſt, ut reges & principes ſolum jus publicum ſibi ſuisque conſiliariis reſervarint, rebus judicandis ad curias judicum delegatis.

8. Effectus ſententiæ conſideratur vel in ſe, vel ratione actionis & executionis. In ſe, quod inrevocabilis atque incorrigibilis, *neque augeri littera una, neque minui poſſit*, ut Apulejus. Hactenus bene Pilatus, *ὃ γέγραφα γέγραφα Joh. 19. ℣. 22.* Ne quidem principali reſcripto ſententia, nulla provocatione ſuſpenſa retractari poteſt *l. 3. C. quæ Sent. reſcind. non poſſent*: quod tamen de civilibus non de criminalibus cauſis, accipiendum. Etſi pleræque rationes non mutandi rem judicatam utrique cauſarum generi conveniant, veluti, publica utilitas, quod judex officio ſuo defunctus ſit, & quod bis peccandi facultas illos negligentiores redderet: Hoc tamen intereſt, quod in civilibus per ſententiam victori jus quæſitum eſt, quod neque per judicem, neque per ipſum principem adimi poſſit *d. l. 3.* cum in criminalibus nulli quam reipubl. jus ſit comparatum, cujus arbitrium & moderamen penes principem eſſe conſtat.

9. Si quis igitur, poſt latam ſententiam, error à judice vel judicum Curia commiſſus detegatur (ante promulgationem in poteſtate judicantium eſt ſententia) principem conſulere ejuſque auctoritatem implorare, nec inutili pudore, quando alius non datur exitus, retardari debent. Utique ſi nolint imitari, quod abominandum, curiam ex Gallicis unam, à *Michaele Montano* in *Guſtibus ſuis*, ſine nomine demonſtratam, niſi quod ſuæ habitationis, quæ fuit in Aquitania, vicinam appellat, à qua cum duo latrocinii erant damnati, ſed poſt latam ſententiam, ex actis vicini tribunalis, ubi veri latrones deprehenſi erant, liquido conſtaret illorum innocentia, ſuſpenſi tamen ſunt miſeri (*les pauvres diables* inquit) tanquam victimæ formulis juſtitiæ conſecratæ. Sunt tamen curiæ, quæ jus principis in juſtitia adminiſtranda exercentes, inconſulto eo, qui ſummam reipubl. poteſtatem habet, ſententiam criminalem non æque civilem ante ejus executionem, mutare poſſent, ut exemplo illuſtravimus in *Prælect. ad tit. ff. de re Judic. n. 44.*

10. Lata ſententia executioni danda eſt ab eo, qui tulit eam, modo habeat jurisdictionem, cui ineſt imperium, ſaltem minus, quod mixtum juriſconſulti vocant, hoc eſt jurisdictionem ſimpliciter dictam, ut à nobis deſcripta eſt in *ſect. præced. tit. ult.* Qui vero notionem habent, de qua in *eod. tit.* dictum eſt, non habent exequendi poteſtatem; ſed hanc petere debent, ipſi, aut victores à magiſtratibus. Quod etiam hodie faciendum eſt ab his, qui partes jurisdictionis habent mandatas, de quibus *ibi* ſimiliter actum; etſi ex ratione juris civilis verius eſt, eos, qui mandatam accepere jurisdictionem, ipſos exequendi habere poteſtatem, ut probatum ad *d. tit. ff. de re Judic. n. 51.*

11. Quod ſi condemnatus alibi degat, aut res, in quam facienda eſt executio, in alieno territorio ſita ſit, judex ejus loci requiſitus non recuſat executionem, nec ſi in eodem imperio ſit, recuſare poteſt, quin à ſuperiore ad hoc juſtitiæ miniſterium compellitur. At ſi requiſitus judex ſub eodem

imperio

Digitized by Google

imperio ſummo non agat, in ipſius arbitrio eſt, exequi velit ſententiam, an ſecus. Non ſolent tamen negare, debita humanitate requiſiti; quin juri gentium, ſi negarent, adverſari viderentur; ſub hac tamen exceptione; niſi juriſdictioni ſuæ præjudicium inde creetur; quâ de re cum inferior agendi locus occurrat, hic præmonebimus, ut hanc exceptionem res ipſa & ratio ſumma flagitat, ita uſum ejus plerumque curiis inter ſe collidendi occaſionem præbere, dum quod requiſitus ſibi præjudicio fore præſumit, hi, quibus negatur executio, ſecus interpretantur, ac inde cauſam, requiſiti, viciſſim negandi executionem, ubi nullum quoque vertitur præjudicium, occupant.

12. Condemnatis antiquo jure Romano & lege XII. tabularum, menſtruum ſpatium, quod recentiori jure mutatum eſt in quadrimeſtre, quo judicati ſolutionem conficiant, tam fuit laudabile; quam quod bodie nullum in hunc finem datur legitimum tempus, dum executiones arbitrariis dilationibus multo ſæpe diutius eluduntur, inhumanum & iniquum eſt. Si quis inter antiquum & recentiorem populi Romani morem, viam hac parte mediam eligeret, forte nihil erraret.

13. Sed modi, quibus executio adminiſtratur, varii ſunt. Primus eſt, manus militaris, quæ dicitur in jure, quando rem, ſive corpus certum reſtituere juſſo, neque parenti res aufertur *l. 68. ff. de R. Vind.* non quod milites è numeris cohortium illuc adhibeantur, ſed miniſtri Magiſtratuum armati illa voce deſignantur: Pluribus enim haud immerito locis prohibitum eſt, milites proprie dictos executionibus adhibere judicialibus; non tantum, ne milites à cohortibus ſuis officioque publico avocentur, quam ne belli ſpecies judiciis adſundatur, & vis dominationis, judicati auctoritatem corrumpat.

14. Etſi reliqui exequendi modi ſæpe nec ſine manu armata fiant, hoc tamen nomine, modus, qui ſola manu militari fit, hoc eſt, ablatio rei controverſæ deſignatur. Etſi pignorum capio & diſtractio, miſſio in poſſeſſionem, conjectio in carcerem, ſine armato miniſterio plerumque fieri non poſſit; ſi condemnatus ipſe res, è quibus judicato ſatis fiat, adſignare gravetur; quod arbitrium civilitas hodierni moris ei rectè meritoque defert.

15. Carcer extremus executionis modus eſt, ſi condemnatus nullo alio modo parere in animum inducat, aut nihil ſit, quo aliunde victori ſatisfiat: quæ tamen extremitas contra certas perſonas, quæ in ſolidum excuti nequeunt, & habent beneficium, ne teneantur ultra quam facere poſſunt, quos inter qui bonis ceſſerunt, inſtitui nequit.

16. Sed de his & quæ plura de ſententiis & re judicata, dici queant, alibi latius actum. Agendum hic paucis, de his quæ rei judicatæ derogant: Etſi enim ſententia lata revocari non poteſt, ab eodem judice, nec etiam in præjudicium victoris ab ipſo principe, quod diximus; ſunt tamen remedia quædam jure prodita, & ubique gentium uſitata, quibus ſententiæ retractari poſſint; ſummâ ratione, quia nullius hominis aut curiæ tam omni erroris exceptione major eſt prudentia, quæ non aliquando labi & emendationis indigere videatur. Hinc ſententiæ reſcindi moris & juris eſt, per querelam nullitatis, appellationem, reſtitutionem in integrum, ſupplicationem ſive reviſionem, & ſi qua ſimilia ſunt remedia; ab inferioribus & ſupremis judicum, actiſque magiſtratuum inſtitui ſolita. Nam àb ipſis ſummarum poteſtatum decretis nullam ad alium eſſe provocationem, res & ſummitatis natura ſatis indicat. De ſingulis aliquid.

17. Querela nullitatis habet locum, quando ſententia eſt ipſo jure nulla, quod variis cauſis uſu venit I. ſi lata ſit contra leges & mores civitatis ſententia, ut ſi judicatum

Digitized by Google

catum ſit, minorem annis quatuordecim poſſe facere teſtamentum, mulierem ex fidejuſſione, filium familias ex mutuo teneri, in locis, ubi jus civile viget *l. 1. §. 2. ff. Quæ ſent. ſine appell. reſcind. l. 2. C. Quando provoc. neceſſe non eſt.* II. Secundo, ſi prius inter eaſdem partes aut eorum anteceſſores, ſententia lata ſit, in iiſdem terminis contraria III. ſi lata ſit à judice, cujus non erat jurisdictio directe, vel ex prorogatione *l. 5. & 6. C. eod.* IV. Si commiſſus ſit error calculi *l. 1. §. 1. d. tit. ff. Quæ ſent. ſine app. reſcind.* V. ſi talis ſit condemnatio, cui per rerum naturam pareri non poteſt *l. ult. eod. tit.* Quæ cauſæ jure Romano proditæ, ſunt etiam juris univerſalis. Plures & ſpeciales hic prætervehemur.

18. Tales ſententiæ jure Romano nunquam tranſeunt in rem judicatam, & ſine provocatione rediguntur ad ſtatum nullitatis; ita, ut actor repulſus perinde veteri actione poſſit agere, ac ſi judicatum non fuiſſet; & reus executionem judicati per exceptionem doli mali refutat, ut demonſtratum à nobis eſt *ad pr. Tit. de Appellat.* Quod nec aliter ex arte juris univerſali habere ſe poteſt. Sed quia judices, à quibus latæ ſunt contra jus ſententiæ, plerumque adficiuntur ita, ut Euripides ait, Τὰ *ὀρθοῦσθαι γνώμας ἀλγεῖ*, *emendari ſententiam, dolet*, uſus ita fert, ut querela nullitatis ad ſuperiorem, perinde ac appellatio, deferatur; Qua ſpecie nonnulli in opinionem ſuducti ſunt, querelam nullitatis à remedio appellationis hodie non eſſe diſtinctam; In quo illos decipi *in Prælect. ad Tit. ff. Quæ Sent. ſin. appell. reſcind. ſub fin.* demonſtravimus. *d)*

19. Appellatio eſt, querela non acquieſcentis iniquæ ſententiæ vel decreto judicis inferioris. De nullitate etiam eſt querela, ſed Τῦ *μὴ ὄντος*, *non entis*, civiliter; hinc ſententia vel decretum exiſtit equidem, ſed iniquitate laborat, contra jus partis, non contra leges. Diſcrimen exemplo cognoſcitur; Pronuntiatum eſt, minorem annis XIV. jure feciſſe teſtamentum; non eſt ſententia, juridice; Rurſus; pronuntiatum eſt, majorem annis XIV. fuiſſe teſtatorem, qui vere minor fuit. Eſt ſententia, ſed reſcindi poteſt, cum, quod nullum eſt, *τῶν μὴ ὄντων*, ut loquitur Demoſthenes, reſcindi non poſſit.

20. Diviſio appellationis eſt in judicialem & extrajudicialem. Judicialis eſt à ſententiis, tam interlocutoriis, quam definitivis; etſi à prioribus jure Romano non datur appellatio, ſed mores qui magis ſunt hujus artis, ex jure Canonico aliter ubique receperunt. Extrajudicialis eſt, de decretis, veluti à nominationibus ad munera publica factis *l. 1. ff. de vacat & excuſ. mun.* de indictionibus gravioris tributi *Nov. 128. c. 7.* & à quolibet alio gravamine, decreto magiſtratus alicui oblato & inflicto *c. 1. & cum Romana 3. de Appellat. in 6.* quale erat, quod Feſtus parabat Paulo, ut Hieroſolymis judicaretur: Unde Cæſarem appellavit, ut in actis Apoſtolicis legimus.

21. In cauſis criminalibus & maximè, capitalibus, appellationem æque ac in civilibus, habere locum, ratio & momentum rei & errandi periculum in his non minus quam in illis, & miſerorum ſalutis ratio exigunt juriſque Romani auctoribus dictarunt: Quo magis mirandum eſt, hodiernis moribus, in multis populis, ſecus eſſe receptum. Id enim de Germania teſtatur Mynſinger. *cent. 2. obſ. 98. n. 2. & cent. 4. obſ. 41. Gail. 1. obſ. 128. & lib. 1. de pace publ. cap. ult. in fin. n. 36.* De conſuetudine Hiſpaniæ Scach. de Judic. *lib. 1. c. 27. n. 62. 63. 83. 93. & 95.* In Italia, non dari appellationem in criminalibus, te-

ſtis

n. 18 *d)* demonſtravimus) *Ubi contrà Grænewegium diſputat. Scilicet differentia practica eſt ratione durationis, & quod nullitas poſſit etiam poſt decendium proponi. Nam differentia, de qua agit n. ſeq. eſt merè theoretica.*

Digitized by Google

ſtis eſt Julius Clarus *§. fin. Qu. 99. n. 3.* De Belgicis nationibus idem ſcribit Groeneweg. *ad l. 2. Quor. appell. non recip.* ſaltem ubi per inquiſitionem proceditur. *e)* Nam in ordinario proceſſu appellationem admittunt Hollandi, teſte Bortio *in tract. de appell. in Crimin.* Sed Galli jure Romano hac in parte utuntur, teſte Rebuffo, comment. ad conſt. *Reg. tom.* 3. *tract. de Appell. art. 7. gl. 2. n. 22.*

22. Ratio, quæ hanc à jure civili diſcrepantiam introduxit, quod rei criminum ſemper appellarent, & ſumtibus moraque ſuppliciorum graves Reipubl. forent, non eſt tanti, quanti liberæ plenæque defenſionis facultas, & veritas dicti,

Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa eſt.

Nec deſunt qui hanc humanitatis rationem putant eſſe tam validam, ut nec Statutis ſpecialibus appellandi facultas in criminalibus prohiberi poſſit, ut nec ipſi, addunt, diabolo ſit neganda, Covarruv. *part. 2. Quæſt. 23. n. 3.* Dan. Moller. *lib. 4. Semeſtr. c. 33.*

23. Nec tamen repudiandi ſunt caſus, quibus etiam in capitalibus rectè negetur appellandi facultas, ut negatur in Jure Romano, ducibus latronum, *Auctoribus* ſeditionum, item homicidis, veneficis, maleficis, adulteris & qui violentiæ manifeſtis argumentis ſuperati, teſtibus convicti & propria voce confeſſi ſunt; omnibus hiſce requiſitis concurrentibus, non eſt iniquum, *f)* appellationis moram præcidi; ſecus, ſi non ultro, ſed metu tormentorum confeſſi fuerint, conſtitutum eſt *in l. 2. C. Quor. appell. non recip.* Quæ hactenus in Jus univerſale recipi merentur, ut & reliqui caſus, quorum executio moram non patitur, ut eſt exactio tributorum & debitorum fiſcalium. *l. 4. C. Quor. Appell. non recip.* Quæſtiones de annona, de aperiendo teſtamento & miſſione in poſſeſſionem *l. 6. l. ult. C. eod.* Quin omnes poſſeſſoriæ lites ex ratione juris Romani, huc pertinent *l. un. C. ſi de moment. poſſ.* Quod hodiernis populorum moribus aliter obſervatur, ut expoſitum eſt *in prælect. ad tit. ff. de Appell. recip. vel non.* ubi & alii

---

n. 21. e) proceditur) *Unde vides, & hanc iniquitatem deberi arcanis Cleri Papalis, quia ipſis debetur, ut diximus, totius proceſſus inquiſitorius. Nota eſt eâ de quæſtione controverſia inter Carpzovium, & Oldecopium. Et quamvis mores noſtri ad tollendam illam duritiem prætendere ſoleant, nil opus eſſe appellatione in criminalibus, cum ſententiæ non ſoleant tranſire in rem judicatam, & defenſiones reis toties quoties concedantur, ac inſuper ſententiæ non ferantur ab ipſis Judicibus à quibus appellari ſolet, ſed à collegiis juridicis; vereor tamen, ut illa querelas juſtiores partis adverſæ elidere cum effectu poſſint, inprimis, ſi quis noverit, quantum nocere poſſit reis judex in ſolâ directione proceſſus & actorum, quod damnum tamen evitatur per appellationem.*

n. 23. f) non eſt iniquum) *Modo non lateat anguis in herba. Si enim ad convictionem & confeſſionem qui iſta inculcant primario reſpicerent, quid opus eſſet diſtinctione inter crimina, cum in omnibus cauſis criminalibus in confeſſum & convictum nullæ aliæ ſint partes judicis, quam ut condemnet, adeoque nulla cauſa appellandi juſta hic ſubeſſe poſſit, (niſi ubi fortè quæritur de nimio pœnæ rigore) Cur ergo crimina quædam, quæ autor hic memorat dicuntur excepta? Agnoſcis iterum artes Cleri Pontificii, quibus debetur ferè tota doctrina de criminibus exceptis, etiamſi ea jam fuerit quodammodo recepta jure Juſtinianeo. Si quis novit proceſſum ſanctæ inquiſitionis, & quibus artibus falſis teſtibus ſoleant in his criminibus rei condemnari, aut confeſſio à reis elici, is facilè ſentiet iniquitatem hujus aſſerti, etiamſi illa, quæ Autor ponit, requiſita concurrant.*

Digitized by Google

alii caſus excepti, quos inter, ſi miniſter officii ſui ratione à Magiſtratu, cui ſervit, condemnatus ſit, extra damnum famæ & patrimonii *l. 3. d. T. Quor. appell. non recip.*

24. Inſtitutum appellandi non minus reipubl. neceſſarium, quam minus frequentes appellationum ſpecies & gradus inutiles, litibus producendis & intricandis opportunum, quin publice privatimque noxium eſt. Quinam autem ſint gradus appellationum, à ſtatu & ordine cujuſque reipubl. pendet. Optime habet, ubi unus tantum eſt gradus, ſicut in noſtra patria; vel ſi plures ſint, temperamentum juris civilis obtineat, ut tertio provocans non audiatur; quod tamen eſt juris poſitivi, & hodie non ſervatur, cum ea cujuſque magiſtratus facultas videatur, in quâ ſibi præjudicium fieri nullus patitur. Ac ideo per omnes magiſtratuum gradus cauſæ peraguntur, donec ad ſummam poteſtatem, vel ad judicem, à quo non datur appellatio, quales exinde, poſtquam ſummæ poteſtates ipſæ res judicare deſierunt, in pleriſque imperiis habentur, deventum fuerit.

25. Sed cum juris tam publici quam privati controverſiæ ventilentur, & ſingulis diverſi magiſtratus ut collegia in quaque civitate conſtituta ſint, hinc ſæpe dubitatur, ad quos ſuperiores appellatio inſtituenda ſit; ut de ipſo genere cauſarum frequenter ambigitur, ad utram, juris publici, an privati ſpeciem pertineat. Quod in pleriſque rebuſpublicis, præſertim ariſtocraticis & liberioribus nunquam ſatis deciſum, nec ſcio, an unquam plene decidendum ſperari poſſit; ut in noſtra quidem republica, etiam poſt leges hac de re latas ea res in continua fluctuatione verſetur, & facti magis quam juris habeatur. Nec ſufficit, quod vulgo dicitur, quæſtiones de meo & tuo inter cives eſſe juris privati; quæ ad regimen civitatis pertineut, eas eſſe juris publici; Nam inter reges & principes inque eorum conſiſtoriis, denique in omnibus conciliis quæſtiones de meo & de tuo, & quidem inter privatos, omni die ventilantur. Quicquid tamen in univerſum dici poteſt, harum rerum conjunctione abſolvitur; ut quæſtiones mei & tui, quatenus in illis nullum præjudicium publicum vertitur, ad juris privati judices referatur. Sed quatenus eædem res ad reipublicæ adminiſtrationem ſpectent, ita judices ejuſdem generis requirunt. Quod ſi dubitetur, ad utrum judicem res pertineat, appellans alternative ad politicum vel judicialem provocare poteſt, ut vel re melius explorata alterutrum eligat, vel ipſi magiſtratus aut collegia inter ſe comparent & rem conſtituant.

26. Superiorem, qui appelletur, eſſe oportet, tam certum eſt, ut, ſi per errorem inferior aditus fuerit, appellatio nullius momenti ſit, quod jure Romano conſtitutum, univerſali rationi conſentaneum eſt, *l. 1. §. 3. ff. de appellat.* Debet etiam immediate ſuperior eſſe, qui appellatur, ne jura magiſtratuum & ordo publicus intervertantur; idque eſt quod vulgo dicitur, appellationem non eſſe faciendam *per ſaltum l. 21. §. 1. ff. de appel. l. 4. C. de Juriſdict.*

27. Tempus appellationis interponendæ eſt, decem dierum ſpatium. De temporibus introducendæ & proſequendæ appellationis, de libellis dimiſſoriis, à judice, à quo appellatur, ad ſuperiorem datis, quos Apoſtolos vocant, & de effectu appellationis, qui eſt in ſumma, quod pendente appellatione, nihil ſit innovandum, parumper in univerſum tradi poteſt: Quia juris poſitivi & arbitrarii ſecundum mores cujuſque reipubl. diſcreta ſunt. In ſummâ, etſi diverſo modo ſervatur, habendum eſt; quod in quibuſdam negotiis, vel minoris momenti vel quæ moram non ferunt, executio, non obſtante provocatione, fiat, ut tamen nova cauſæ cognitio ad ſuperiorem devolvatur. Idque eſt, quod ajunt communiter, appellationes aliquando habere vim devolutivam cognitionis, etſi non habeat executio-

Digitized by Google

cutionis vim ſuſpenſivam. Et hæc quidem à præſenti inſtituto abeſſe non poterant; reliqua è juris privati inſtitutione petenda relinquemus.

28. Eſt adhuc aliud juris remedium Romanis poſterioribus cognitum, quod *Supplicatio* dicitur, quâ ſententiâ Præfecti Prætorio à Principe retractatur. Qui, cum vice Sacra, id eſt, Cæſaris Augusti judicaret, adulatione temporum, novi differentia verbi, dignitatem Præfecturæ mutavit. Et cum appellatio fiat ob iniquitatem ſententiæ, ſupplicatio mollius ob *Errorem* inſtitui dicitur, ut ad tit. *ff. de off. præf. præt. & Cod. de ſentent. præf. Præt.* traditur. Hæc etiam non ſuſpendit executionem, ſi poſt decem à ſententia lata dies inſtituta fuerit; nec quidem ſi antea fiat, modo victor caveat de reſtituendo judicato, ſi retractetur *Nov. 119. c. 5.* Hoc autem remedium etſi cum præfectura prætorii ſepultum fuerit *g*) ex ejus tamen cineribus aliud prodiit, quod *reviſio* dicitur, quæ fit à ſententiis judicum, vel curiarum, à quibus appellari non poteſt: habet autem proprietates eaſdem, quæ ſunt in ſupplicatione; niſi quod plerumque reviſio non fit ad principem; ſed ad idem collegium, vel ſolum, vel cum aliis conjunctum, ut in quaque republ. viſum fuit. Eſt etiam, ubi ad Principem vel ordines ſupremos inſtituitur, cujusmodi eſt ea, quæ reviſio magna dicitur in Friſiâ, quales proxime ad ſupplicationes Romanas accedunt.

29. Poteſt etiam retractari ſententia per reſtitutionem in integrum, quæ eſt amiſſæ cauſæ redintegratio, & à ſuperiori poteſtate, vel etiam ab eâdem, quæ tulit ſententiam, impetrari poteſt; nam quisque Magiſtratus contra ſua & anteceſſoris ſui judicata reſtituere poteſt *l. 16. §. ult. l. 18. l. 42. ff. de Minor.* cujus petitæ vis eadem eſt, quæ appellationis, ut lite ſuper eâ pendente, nihil innovetur *l. un. C. in integr. reſtit. pet. ne quid novi fiat.* Etſi jus Canonicum permittens executionem, ſub cautione de reſtituendo, ſi contra judicatum fuerit, moribus in diſciplinam magis abiit univerſalem; eo quod ita fere uſu venit, ut ad reſtitutionis remedium condemnati non tam fiduciâ cauſæ, quam ad eludendam rem judicatam, poſt fatalia appellationis amiſſa, quia reſtitutio cis quadriennium datur, ſe conferre ſolent. Id ſane tenendum, cauſam reſtitutioni non præbere metum, dolum, abſentiam, minorem ætatem aliamve rationem, quæ in ipſo negotio, de quo litigatum fuit, evenerit & in diſceptatione Judicii ventilata fuerit; ſed dolum vel juſtam gravemque ignorantiæ cauſam in proceſſu judiciali commiſſam eſſe proferendam. Reliquæ in ipſo negotio principali uſum habentes, cum ad corpus & merita cauſæ pertineant, appellatione vel ſupplicatione retractandæ ſunt; quibus omiſſis, fruſtra per in integrum reſtitutionem in controverſiam revocantur.

30. Et hæc quidem remedia à Magiſtratibus imploranda ſunt. Reſpectu Principis ſimilem appellationi effectum habet *relatio*, quæ eſt duplex: Una, cum Judex cauſam plane inſtructam mittit ad principem, ut is eam cognoſcat & decidat, quo caſu non poteſt appellari *l. 34. C. h. t.* Altera, cum judex relatis cauſæ meritis ad principem, illum de jure conſulit, ut juxta conſultationem ferat ſententiam *l. 1. & 2.* cujus generis ſunt conſultationes Plinianæ *in lib. 10. Epiſt.* A tali, quoniam partibus fit non auditis, recte appellatur *l. 1. §. 2. h. t.* Sed hanc eſſe periculoſam, præjudicium qualiscunque ſententiæ principalis opponi alterutri non audito, res loquitur; Idcirco Juſtinianus ipſe cenſuit illam eſſe prohibendam *in Nov. 125.* Neque moribus, ut puto,

 exer-

n. 28. *g*) ſepultum fuerit] *In Germania tamen noſtra non eſt infrequens in judiciis ſuperioribus à quibus appellare non licet.*

exercetur: Nec quidem illa prior; quando jam pridem reges & principes ordinesque liberorum populorum rem judiciariam curiis Judicum ita permiſerunt, ut ipſi amplius illis inquietari nolint.

31. Quidam etiam curiis civilem & criminalem jurisdictionem, *privativè* detuliſſe leguntur; hoc eſt, ſicut ille terminus in ſcholis uſurpatur, ut ſe ipſos omni facultate circa civilem & criminalem jurisdictionem *privaverint*; adeo ut nec cauſas avocare non deciſas, neque definitas reſcindere, vel executiones impedire poſſint; denique, nec veniam criminum, niſi certâ formâ legibus præſcripta, nec eâ ſine Curiæ conciſu, ſervatâ, delinquentibus impertiri poſſint: Ut jurisdictio & imperium independenter & jure ſummæ poteſtatis à tali curia e erceatur; quomodo in Friſiâ conſtitutum eſſe, publico & erudito ſcripto, hinc ante triginta annos adſtructum & comprobatum, etſi nec contra non diſputatum eſt. *b)*

SECTIO III.

De Copiis aliisque Juribus Reipublicæ.

CAP. I.

DE ÆRARIO ET VECTIGALIBUS.

Tranſitus, & neceſſitas Ærarii, in Civitate. n. 1. Cur, & qui olim populi hoc ſubſidio carere potuerint. n 2. 3. Unde creverit illa neceſſitas hodie n. 4. 5. Partitio modorum, quibus ærarium conficitur, in ordinarios & extraordinarios. n. 6. Inter illos primo de reditibus bonorum immobilium, ubi & de legibus Agrariis. n. 7-10. Quibus ex cauſis reipubl. agri conſtituantur. n. 11. De muneribus publicis Ærarii levamento ſervientibus, n. 12. ubi de onere milites hoſpitio excipiendi. Origo ejus rei & exceſſus enormis. n. 12-15. De vectigalibus, eorumque uſus differentia veteris & novi. n. 16. 17. De conductoribus eorum publicanis, n. 18-22. an his carere liceat reip. n. 23. 24. Vectigalia quis inſtituere poſſit, n. 25-28. de pœnis ſolventium vectigal & commiſſorum. n. 29-32. Quæ ſint illicita, ubi de vectigali trapezitico, decimæ & aliis minus commodis. n. 33-36. Immunitas à vectigalibus n. 37. 40. item. n. 43. De extraordinariis contributionibus, n. 41. ubi de cenſu, n. 42. 44. de publicatione bonorum n. 45. 46. de ſpoliis hoſtium n. 47. 48.

1. Civi-

---

n. 31. *b)* diſputatum eſt) *Id certum eſt talem translationem* privativam *eſſe rariſſimam & inauditu juris univerſalis pariter ac doctrinæ Politicæ planè irregularem.*

1. CIvitas, legibus, ſenatu, magiſtratibus & judiciis ordinata, copiis eget, id eſt, facultatibus ad ſecuritatem & dignitatem publicam neceſſariis. Proinde ſine Ærario, ſive pecuniis publicis, neque in ſe conſiſtere, neque adverſus exteros ſe tueri poteſt. Nam quies gentium ſine exercitu, exercitus ſine ſtipendiis, ſtipendia ſine tributis nullo modo haberi poſſunt, eſt dictum Taciti. Quanquam fatendum eſt, illam imperii magis Romani, quam cujuslibet gentis aut civitatis inſtituto convenire ſententiam. *i*) Nec enim omnes exercitu egent mercenario, nec adeo tributis ad exercitum alendum neceſſariis.

2. Si enim rebus & finibus ſuis contenti populi, nihil aliud agerent, quam ut quietem ſuam adverſus exteros tuerentur, & hac gratia ſe ipſos in armis exercitos & pro aris focisque paratos ad decertandum exhiberent, mercenariis militibus, qui majorem uſum, quam ut libertatem ipſorum, à quibus aluntur, opprimant, habent nullum, facile carerent; quemadmodum pleroſque veterum illis caruiſſe conſtat; ne hoc voti potius quam uſus civilis eſſe putemus.

3. Placet duobus uti exemplis. Quamdiu Lacedæmonii ſe domi ad illud exemplum continebant, ſine mercenariis militibus, & ſine tributis, imo ſine auri & argenti uſu, per quingentos annos id conſecuti ſunt, ut ne hoſtis ullus pedem in terra Laconica poneret. Sed poſtquam longinquis bellis operam dare, aliorumque libertatem opprimere cœperunt, exercitus perpetuos alere coacti, ſe ipſos pecuniæ inopia exhauſtos, exteris mancipare coacti libertatem amiſerunt. Alterum eſt Friſiæ patriæ noſtræ exemplum, quæ vetuſtiſſimam libertatem inde à Romanis temporibus, maxime poſt Caroli Magni ætatem, ſine mercenariis & ſine ullis tributis, contra maximas exterorum invaſiones facile defendit; donec bellis civilibus attrita & in domus Burgundicæ ditionem redacta, modicis adſperſa potius quam onerata vectigalibus, deinde recuperatâ libertate, fœdere cum aliis nationibus inito, longinquis bellis, immenſiſque tributorum oneribus inplicita fuit.

4. Nec aliud in pleráque uſu venit Europâ, cum diſſoluto Romanorum Imperio, quæque gens milite contenta domeſtico & feudali, modicis onerata tributis agebat; donec ſuperiori & hoc inprimis ſeculo, Principes exercitus alere mercenarios, atque per, & propter hos immenſis populos oneribus & pecuniarum exactionibus opprimere cœperunt. Idque malum perpetuos habendi exercitus & tributa ſine fine recipiendi, ad ipſas nationes liberas, in ſtatu belli conſtitutas, *k*) perrupit; imo reliquis, quam

n.1. *i*] convenire ſententiam) *Scilicet intelligendus hic eſt Autor de modis conſtituendi ærarii quos* n. 6. *vocat extraordinarios. Nam ordinarii ibi recenſiti, i. e. reditus dominici & ſimiles, ferè fuerunt uſitati in omnibus rebuspublicis, quamvis non eodem rigore.*

n.4. *k*) in ſtatu belli conſtitutas) *Regulariter illa onera, de quibus hic Autor tractat, videntur in Rebuspublicis Monarchicis abſolutis eſſe ordinaria, in liberis extraordinaria. Sed tamen nec in omnibus, ut de Lacedæmoniis notavit Autor* n. 3. *Quæ ergo diverſitatis ratio eſt in rebuspublicis liberis, ut modo ſine ejusmodi oneribus ſubſiſtere commodè queant, modo vix posſint. Illa certè de Lacedæmoniis adducta* ibidem *obſervatio, quod oneribus hiſce extraordinariis opus habuerint, poſtquam aliorum libertatem opprimere cœperunt, atque ſic Monarchiarum nævos imitati fuerint, ad Senatum populumque Germaniæ inferioris abſque apertâ ejus injuriâ applicari nequit. Ergo ſic fortè dicendum erit. Quamdiu vicinis liberis Rebuspublicis ſtatus ſunt potentia non multum ſuperiores,*

verè ſit aurea libertas, exemplum præbuit. Diſcrimen hujus & ſuperioris ſeculi pateat hoc exemplo; Ordines Friſiæ à Carolo V. & Philippo II. *ſtipulati* ſunt, ne plus XIV. millibus florenorum, quæ nunc, habita ratione pretii, quod dein crevit, auri & argenti, forent circiter XXX. millia, præter domania ſua, exigeret, & hodie tempore belli plus tricies centenis florenorum millibus in rem communem, ultra *domania* non parum etiam aucta, conferunt.

5. Plane, ut nunc ſe res habent in orbe terrarum, non modo belli, ſed & omnis imperii nervus eſt pecunia publica: Nam Lycurgi inſtitutum, qui ut inter privatos nullum niſi ferrei nummi uſum permiſit, ita operam dedit, ne reipublicæ vires auro vel argento pacis aut belli temporibus indigerent, illius hac parte ratio inquam & omnis ordo civitatis admirationi potius quam imitationi poſteritatis expoſita eſt. Et Friſiorum vetus inſtitutum, qui æque ſine Ærario rempubl. continuerunt, in Anarchiam & diſſolutionem pacis publicæ deſiit. *l*) Imo res vere *nunc* æſtimanti, nullum præſtantius optimi ſtatus civitatis & imperii ſignum atque argumentum haberi poteſt, quam ærarii communis provida conſtitutio & diligens adminiſtratio.

6. Primo igitur de conſtituendo, tum de adminiſtrando videamus ærario. Cujus quidem conficiendi modos ſeptem Bodinus enumerat & exequitur in *lib. 6. de republ. c. 2.* nos ad duo genera reducemus. Ut modi & fontes, è quibus ærarium conſtituitur, ſint vel ordinarii vel extraordinarii. *m*) Ordinarios vocamus, qui fere ſemper in omni republ. tam pacis quam belli tempore in uſu ſunt. Extraordinarii ſunt, indictiones & collectiones, uſu & neceſſitate publica, præſertim belli tempeſtate ſic exigente, fieri ſolitæ, & quælibet caſualia lucra. Prioris generis ſunt, reditus dominici, maximè ex agris publicis, munera & vectigalia. Poſterioris ſunt, contributiones, tam è civibus, quam à ſociis, etiam ab hoſtibus, & ex iiſdem ſpolia, donationes à ſociis & amicis profectæ, penſitationes pro conceſſis juribus ac privilegiis, & id genus alia, quæ in univerſum definiri non poſſunt, inque diverſis

ut olim Reſpublicæ vicinæ Lacedæmoniis in Græciâ, tunc ſine mercenariis militibus & ſine ærario libertatem defendere poterunt, inprimis, ſi cives moribus communibus civitatis ad bellū à tenerâ juventute præparentur, ut pariter fiebat apud Lacedæmonios, & olim apud Germanos. At ubi potentiores vicini ſunt, ubi mores patrii magis ad pacem, quàm ad bellum inclinant, quales ſunt omnes Reſpublicæ, quæ commerciis florent, ibi neceſſe eſt, ut ad defenſionem ſui etiam utantur milite mercenario, & ſic ærario opus habent. Atque ita haud dubiè affecta eſt Reſpublica Belgarum.

n.5. *l*) deſiit) *Sic & de veteribus Germanis obſervatum eſt ſcriptoribus Romanis*, quod, dum ſinguli pugnant, omnes victi fuerint. *Et hoc eſt, quod ſupra obſervavimus, ubi de præſtantia rerumpublicarum egimus, ſingulas reſpublicas habere ſua commoda pariter, & incommoda.*

n.6. *m*) vel extraordinarii) *Uſum fortè hæc diſtinctio haberet aliquem intuitu rerumpublicarum liberarum, nec omnium tamen, ut modo diximus. At reſpectu Monarchiarum, & Rerumpublicarum hodiernarum, uti autor modo in fine numeri præcedentis obſervavit, omnes modi ærarii augendi ferè facti ſunt ordinarii. Et revera autor in hoc ipſo capite ſi non ſeptem illos Bodini modos repetit, certe tamen ſex modis diſtinctè conſiderat (1) ex bonis immobilibus, (2) munera, (3) vectigalia, (4) Cenſum, (5) publicationem bonorum, (6) ſpolia hoſtium. Etſi unum eorum pro diverſitate Rerumpublicarum magis ſit in uſu, quam alterum.*

diverſis civitatibus & imperiis aliter aliterque ſe habent.

7. Magnum reipubl fundamentum eſt, in fructibus rerum ſoli, tam ad certitudinem redituum annuorum, quam quod ingens præſidium fidei publicæ continent, in ſubitis neceſſitatibus, ad mutuas impetrandum pecunias. Ita Romulus urbe condita, ſic inſtituit, ut ager Romanus in tres æquas divideretur partes, quarum una pro ſacerdotibus & ſacrorum ſumptibus, ſecunda reipubl. oneribus ſerviret; tertia in cives divideretur, teſte Dionyſio *lib. 2.* Diodorus autem Siculus in *lib. 1.* Ægyptios perinde tripartito diviſiſſe agrum publicum, eodem uſu, niſi quod tertia militibus, in uſum feudali non abſimilem adſignaretur, cum reliqui agricolæ coloniæve ſervi eſſent, inde à tempore & inſtituto Joſephi, proculdubio *Geneſ. 41.* Poloni victores agri Sarmatici & vicini nobiles, haud multo ſecus habent agricolarum vulgus.

8. Verum ad ſacros uſus pleriſque populis Chriſtianorum, longe major quam tertia pars agrorum ceſſit; quod, cum bona ſacris deſtinata fere libera ab oneribus habeantur, reipubl. noxium, ac ideo multorum ſcitis populorum cautum fuit, τὰς Ἐκκλησίας ἐν ἀκινήτοις μὴ πλουτόνεσθαι, *eccleſias rebus immobilibus non augeri*, qua de re vide ſis Robertum *2. rer. judic. 2.* Bodin 5. de *Rep. 2.* Nec juris ratio, ſepoſito, quod pontificii juris auctores, de exemptione clericorum à jurisdictione & poteſtate civili introduxerunt, refragatur huic temperamento, adverſus immenſa redituum ſacrorum augmenta, non infimam luxus & corruptæ religionis cauſam. Quo jure Proteſtantes in publicos uſus illa bona transtulerint, alibi dictum, nec hujus eſt loci. *n*)

9. Non immerito igitur olim, qui auctores ſe præberent agros publicos alienandi & in plebem diſtribuendi, ſalutis publicæ adverſarii & mali cives habiti ſunt, *o*) quod argumentum fuit tot agrariarum in Romana civitate contentionum; & in noſtra Republ. merito prudentes & patriæ amantes crediti ſunt, qui agrorum publicorum venditionem novis tributorum & vectigalium, quæ tamen nec deinceps evitari potuerunt, inſtitutis prævèniendam putarent, qua de re dix. *in Hiſtor. Civ. ad ann. 1637. Reb. Belg. cap. 3.*

10. Quia vero publicis agris tam exacta non poteſt adhiberi cura, quam quisque paterfamilias ſuis applicare ſolet, plerumque in emphyteuſin, vel ſaltem in longum & longiſſimum tempus, non maximis concedi & elocari ſolent vectigalibus. Quod lucrum quibuslibet civibus & maxime tenuioribus permittendum, etſi à potentioribus ſæpe, malis artibus occupatur; Unde Gracchanæ ſeditiones apud Plutarchum *in Vità Gracchorum*, qui non immerito patres avaritiæ & factionis maleficæ arguebant, quod agros publicos ære modico ſibi addicendos

 cendos

n. 8. *n*) hujus eſt loci) *At vero ſuprà, ubi Autor hoc thema tractavit, vel ex ratione præſentis numeri oſtendimus, principes proteſtantes juſtè illum nævum Politicum correxiſſe translatione bonorum ſacrorum in uſus publicos. Et mirum, ni Autor ſenſerit deciſioni ſuæ ſuperius poſitæ dicta in hoc numero obſtare. Alia quæſtio eſt, annon Principes proteſtantes quidam illa translatione in alterum extremum prolapſi fuerint, ne quidem tertiam agrorum partem uſibus ſacris relinquentes. De quà egi* in diſſertatione de officio principis Evangelici circa augenda ſalaria Miniſtrorum Eccleſiæ.

n. 9. *o*) habiti ſunt) *Sed hæc obſervatio parum cohæret cum alterà mox ſequente in fine* n. ſeq. *Et revera, ſi quis Livium & Dionyſium Halicarnaſſeum attentius legat, patebit, [illegible] am factam iis, qui apud Romanos pro legibus agrariis pugnabant. Vide quæ inde excerpſimus* lib. 1. de nævis Jurisprud. Antejuſtin.

cendos, & per ſervos colonos exerceri curarent, ingenuâ plebe nullum è victoriis ita percipiente fructum.

11. Separantur autem agri publici, vel I. ab initio Reipubl. conſtitutæ, ut de Romulo intelleximus, vel II. ex hoſtibus debellatis, in quorum terras coloniæ mittebantur frequentes, cum diſtributione agrorum in novos cives, & bona pars in publicos uſus locabatur. III. Incrementa terrarum ex alluvionibus maris aut fluminum, à Republ. in hunc uſum occupantur, qua de re ſuperius actum eſt *in lib. 2. ſect. 4. c. 4.* IV. Fit idem per bonorum ob delicta publicationes, per devolutiones bonorum vacantium; ne de emptionibus aliisque modis acquirendi loquamur.

12. Ordinariis præſtationibus accenſentur etiam munera, quibus etſi ærarium proprie non impletur, allevatur tamen. De muneribus actum eſt *in ſect. 1. c. 5. n. 5. & 6.* Sed ibi quatenus ad officia pertinent. Hic conſiderantur ut onera civibus in utilitatem publicam impoſita, ſeorſim ab his, quæ ad privata patrimonia pertinent, ut tutelæ & curationes. Sed ad ærarii ſublevationem ſpectant ea, quæ Arcadius Chariſius enumerat *in l. 18. d. Muner. & Honor.* tam mere perſonalia, quam patrimonialia & mixta. Perſonalium exemplo ſit, quæſtura, ſive cura kalendarii, & curſus vehicularis, quæ noſtris moribus lucroſæ adminiſtrationes, conſequenter & honores ſunt, olim gratis, & oneris, non honoris vel lucri cauſa, magno ærarii levamento, gerebantur. Multa ibi recenſentur ejusdem generis, quæ cum longe ſecus ſe nunc habeant, non eſt, quod hic enumerentur, cum perſonale vix hodie quicquam pro Republ. ſine lucro adminiſtretur; ſatagentibus ipſis civitatum rectoribus, ne quis publico gratis ſerviat.

13. Sed munera patrimonialia non ſunt inter ea, quæ noſtris temporibus oblivioni data ſunt; talia, ſcilicet, quæ damno patrimonii & ſumptibus adminiſtrantis expediuntur: etſi verum eſt, ſeculum noſtrum magis delectari pecuniariis exactionibus, quam muneribus proprie dictis: Niſi quod unum crevit in immenſum & intolerandum, munus excipiendi perſonali hoſpitio milites, quod omnia apud Arcadium Chariſium extantia munera, nunc obſoleta, patrimonialia, mixta facile adæquet, imo ſuperet, non modo labore moleſtiaque, ſed etiam ſumptu, & ærarii levamento non modico, etſi majore privatorum damno & incommodo, incomparabiliter.

14. Malum veteribus incognitum, *p*) & quod gratulor etiam patriæ noſtræ, *q*) ad exempla veterum inprimis factæ; quanquam pecuniariis oneribus omnes qui unquam fuere populos, pridem ſuperavimus. Verum hoc munus excipiendi hoſpitio milites, ſi eſſet tantum, quod dicitur *Hoſpitium*, ne quidem munus videretur: Sed ſanctius eſt hoc nomen hoſpitii, quam ut deformi inſtituto, *r*) noſtri ſæculi militiæ, quo ſumptibus amicorum, ſociorum civium exercitus ſuos, hybernorum prætextu, alunt principes, conveniat. Cui merito magis applicet aliquis dicta Suidæ in publicanorum violentiam, cum tribuit illis *πεπαῤῥησιασμένην βίαν, ἀνεπιτίμητον ἁρπαγὴν, ἀναίσχυντον πλεονεξίαν, πραγματείαν λόγον μὴ ἔχουσαν, ἀναιδῆ*

n. 14. *p*) incognitum] *Scilicet ubi nulli fuerunt milites mercenarii. Nam ubi hi ſunt in uſu, & bellum per plures annos durat, hoc malum videtur eſſe neceſſarium.*

q] Patriæ noſtræ] *An etiam ut olim fuit? an & hodierna? Et an de ſtatu pacis loquitur ſolum, an etiam de ſtatu belli? Mallem ut mentem ſuam diſtinctius explicaſſet, & quid faciant cum militibus tempore hyemis.*

r) deformi inſtituto] *Diſtingue inter abuſum & uſum. Quæ Autor affert, ad abuſum pertinent. Ipſe vero uſui opponit.*

ἀναιδῆ ἐμπορίαν. Quorum efficaciam verborum difficulter aliquis ita vertat, ut horum temporum hybernis, quemadmodum à Germanis, Gallis, Hiſpanis aliisque exercentur, eorumque immanitati reſpondeant.

15. Quid igitur Suidas? *Vis, cum jure quidlibet imperandi, prohibendi. Rapina, quam nemo reprehendere auſit. Impudentiſſima avaritia. Negotiatio, cujus ratio non redditur. Commercium pudore vacuum.* Nam & commercii ſpecies in hoc genus ingreditur: Sed Græcorum vim verborum hæc verſio non exprimit. Origo hujus mali initio ſuperioris ſeculi fuit ab Hiſpanis in Italiâ, quibus cum ſtipendia à Regibus ſuis non ſolverentur, ſolutionem ſibi ipſis ex hoſpitiis confecerunt. Quod exemplum in alias gentes, inprimis, ex quo Principes certatim ſibi ſtatos exercitus comparaverunt, eſt propagatum, & populos magis quam ipſa belli vis, cum amicis æquè ac inimicis incumbat, atterit.

16. Etſi autem munera inter modos ærarii conſtituendi ordinarios retulimus, omnia tamen & ſingula non ſemper uſu venire conſtat. Ordinariis etiam accenſuimus *vectigalia*, quæ propriè ſunt præſtationes impoſitæ rebus, quæ invehuntur aut evehuntur, portoria dicta, quæ à veteribus nonniſi de rebus exoticis, & quibus pauperiores facilius carere poterant, exigebantur. Ita Martianus in *lib. ſingulari de delator*, enumerat *ſpecies pertinentes ad vectigal*, Cinnamomum, piper, coſtum, nardi, ſtachys, caſſiam, ſmyrnam, amomum, zingiber, cardamomum, aromata, ebur, gemmas, margaritas, veſtes babylonicas, ſericas, purpuram, lanam, fucum, leones, pardos, pantheras & id genus alia plebi minus gravia. *l. 16. §. 7. ff. de Public. & vectig.*

17. Nam de rebus neceſſarii uſus, maxime victus causâ paratis, vectigalia ſolvi, moris apud veteres non fuit. Laus hujus inventionis noſtro ſeculo debetur, Italiæ Principibus primum, dein ad aulam Gallicam, inde ad Germanos principes nihilo ſequius progreſſa, ne liberos quidem populos fugit. Ut nihil fere ſit relictum, humanis uſibus inſerviens, liberum & vectigalis expers. Adeo, ut qua vectigalium causâ majores noſtri, bella civilia & extrema quæque ſuſtinuerunt, hæc cum hodiernis comparata, quiſquiliæ videantur. *s)*

18. Scilicet, appellatio vectigalium cum uſu rei latius ad quaslibet *impoſitiones*, quæ publice locari ſolent, extenditur: quorum magna varietas, pro ſtatu cujusque reipublicæ & ingenio rectorum ſpeciali enumeratione non indiget. Sed conductores eorum *Publicani* vocantur. Et hi rurſus in mancipes & prædes, auctore *Feſto*, diſtinguuntur. Mancipes erant, qui immediate à fiſco vectigalia conducebant, & quaſi manu capiebant. Prædes erant, ſponſores mancipum, qui cum id onus non ſuſciperent, niſi ipſa vectigalia participarent, hinc eorum appellatio cum mancipibus ſæpe communis erat: Socii reliqui in partem quæſtus vel jacturæ à mancipibus recipiebantur. Hæc eodem modo noſtris temporibus adminiſtrantur.

19. Quemadmodum & hæ obſervationes utriuſque juris communes ſunt; Collectio pecuniarum publicanis nullo modo permittenda, nec proinde collectores vectigalium conductorum participes eſſe debent. Neque permittenda publicanis dilatio ſolutionis, prætextu compenſationis alterius debiti, ſed hoc à republ. ſeorſim petere debent

n. 17. s] videantur) *Ergo Autori videtur minus placere modus iſte vel vectigalium vel contributionis, quem Acciſam vocamus. Cum tamen experientia teſtetur, illum modum valde prodeſſe Reipublicæ. Ad objectiones iterum reſponderi poterit diſtinctione uſus ab abuſu, & quod nihil ſit in rebus politicis, quod omnibus incommodis careat.*

bent *l. 1. C. de Compenſat.* Quando tamen conſtat, eos nihil eſſe fraudatos, & ob defectum ſolutionis excutiuntur, tum liquidi compenſationem negari, non patitur æquitas.

20. Vigor etiam publicæ utilitatis poſtulat, ut reliquatores publicanorum corporaliter plectantur, niſi perſpicue docere queant, nec cupiditate, neque negligentia ſua, verum fato accidiſſe, quominus ſolvere poſſint. Eſt & hoc rationi conſentaneum, ut qui maximos fructus ex redemptione vectigalium conſecuti ſunt, ſi poſtea minime tanti locari queant, iidem ea prioribus ſuſcipere compellantur penſionibus, ut Romanis uſitatum erat, hodie non perinde ſervatur, *l. 11. §. ult. eod.* Debitores autem fiſci vel reipubl. vectigalia conducere prohibentur, niſi forte tales obtulerint fidejuſſores, qui & reliquis eorum ſatisfacere parati ſint, *l. 9. §. 2. & 3. eod.* Denique, ſi penſionibus facta ſit locatio, priorius non ſolutis, pellere licet conductores, tempore licet conductionis nec dum impleto. *l. 10. §. 1. eod.*

21. Cæterum, ut publicanis ſecundum ſtatuta, paratum & rigidum jus dicatur, publice intereſt, nec minus ut audacia temeritaſque eorum in captandis vexandiſque civibus, pœnis competentibus coerceatur. Utroque tamen caſu ſententia declaratoria requiritur, nec minus, cum quæritur, an res celatæ debeant committi: ut tamen uſque quaque ſummaria cognitio adhibeatur.

22. Erant autem publicanorum nomen & officium, cum ob rem ipſam, quia nulla res æque populis inviſa eſt, quam vectigalia; tum ob exactiones illorum violentas & injuſtas, odioſiſſimum, maximè populis libertatem amantibus, quales Judæi, ut in hiſtoria evangelica paſſim occurrit: quod tamen de redemptoribus vectigalium particularibus intelligendum potius, quam de publicanis principibus, Romæ equeſtris ordinis & potentis in civitate factionis erant, ut ex Ciceronis *epiſtolis* & aliunde conſtat. Qui ſcilicet totarum vectigalia Provinciarum conducta, rurſus aliis ſublocabant, cujusmodi redemptor pontis eſt, *in l. 60. §. pen. ff. Locati*, & tales in vexanda plebe conſpiciebantur, τελῶναι dicti in Evangelio, de quibus & Ulpiani verba *in l. 12. ff. de publ.* accipienda potiſſimum, *Quantæ audaciæ, quantæ temeritatis ſint publicanorum factiones, nemo eſt, qui neſciat*, inquit.

23. Hæc ratio & ſumptus immenſi in illos redemptores, qui omnes ex ſudore & ſanguine plebis vivunt & locupletantur, faciendi, multos in opinionem adduxerunt, illorum inſtitutum eſſe Reipubl. noxium, multoque ſatius eſſe, conductiones omnes abrogari, reditusque publicos certis contributionibus publicè colligendis comprehendi. Sed uſus omnium rerum & temporum docet, nihil ſine meo & tuo recte adminiſtrari, & miniſteria colligendi ab iis, quorum propriè non intereſt, infidelitatis & negligentiæ eſſe plena. Præter, quod Reipubl. tum carendum eſſet, omni illa varietate vectigalium, quæ ob incertitudinem præſtationum, ſtatas collectiones non recipiunt. Denique, rem exhauriendis pecunia populis repertam, ſine omni injuria & inæqualitate, ad exactitudinem libellæ redigere velle, ex iis eſt, quæ fieri non poſſunt. Nec uſquam forte verius ſit Ariſtidæ dictum Plutarcho *in vita ejus* memoratum, Rempublicam τυχεῖν ἀδικίας δεῖσθαι, multa *egere injuſtitia. t)*

24. Quæ tamen idcirco non debet eſſe

effre-

n. 23. *t*) egere injuſtitia) *Ex hic durius loquitur Autor ac par erat, pro more ſcilicet populorum libertatem amantium, ut ipſe obſervaverat ab initio* n. præced. *Scilicet habent omnes modi ſua incommoda. Nam incommoda contributionum ipſe hic annotavit. Ergo neſcio, annon commodius pro excuſandis incommodis publicanorum, afferre potuiſſet*

effrenis & infinita, ne fiat *ἁρπαγὴ πεπαῤῥησιασμένη*, *Rapacitas dominans & inſultans.* Romano jure, ſi quid conductores vectigalium illicite exegerint, in duplum; ſi per vim, in quadruplum tenentur, inſuper & extra ordinem plectuntur: Alterum enim utilitas privatorum, alterum vigor publicæ diſciplinæ poſtulat, ait Paulus in *l. 9. §. 5. ff. de Publican. & Vect.* Ad quadrupli luitionem videtur etiam ſpectaſſe Matthæus è publicano factus Chriſti diſcipulus, ut ipſe teſtis eſt in Evangelio.

25. Sequitur, ut videamus, à quo vectigalia inſtitui poſſint, quæ juſta ſint aliiſque juſtiora, de commiſſis & immunitatibus, quarum ſervationes ſunt communes etiam tributis, quæ colliguntur ex agris & domibus, neque locari ſolent, qualia ſtrictius proprie accepta vectigalibus opponuntur. Jus inſtituendi vectigalia inter jura Majeſtatis referri jam diximus *in lib. 1. ſect. 3. c. 6. n. 70. & ſeqq.* Non Præſides aut Præfecti provinciarum, non curiæ civitatum ſine ejus, qui ſummam poteſtatem habet, conſenſu, ea conſtituere, reformare, iis addere vel diminuere poſſunt *l. 10. in pr. d. t. ff. de Publ. & Vectigal.* Imo in pleriſque locis ne reges quidem & ſummi principes hoc jus ſoli & per ſe habent. Quippe, cum pecuniæ cuncta pareant, populi, quibus non eſt animus, infinitæ principum poteſtati atque libidini ſe dedere, dederunt operam, ut monarchæ ſui, ſine populi procerumve conſenſu vectigalia imponere ne poſſint; quin conſenſum pecuniarium ab aliis boni publici poſtulatis ſuſpendere ſolent.

26. Sed inſtitutum illud hoc tempore militari potentiâ ſubactum, præterquam in Angliâ & Hiſpaniâ, vix uſquam in ſolido manſiſſe videtur uſu. Loquimur de regnis & principatibus vere ſumma poteſtate præditis, ſive majeſtatem, ſive ſuperioritatem territorialem, quâ nuncupatione principes Germaniæ gaudent, appellemus. Nam quod ad regem Poloniæ ipſumque Imperatorem Romanum in Germania attinet non hereditaria, in illis ſolis vim ſummæ poteſtatis haud multo magis, quam in ducibus Venetorum aut Genuenſium, reſidere, ſæpe demonſtravimus.

27. Sed quod in Imperio ſimpliciter delato, hæc facultas imponendi tributa & vectigalia, quod jam *in d. cap. 6. ſect. 3. l. 1.* diximus, contineatur, præter ea quæ *dicto loco* protulimus, patet inde, quod de optimatibus in Ariſtocratia quales ſunt Venetorum Senatus, ordines Hollandiæ, Friſiæ, non dubitatur, quin hoc jus libere & efficaciter exerceant: Etſi nec plus, neque minus juris, quam reges ſimpliciter conſtituti habent, illis competere certum & *in lib. 1. ſect. 2. c. 4.* demonſtratum eſt.

28. Sed populi non habentes ſummam poteſtatem, neque regalia, non habere jus inſtituendi vectigalia, ſine juſſu, conſenſu & auctoritate ſuperioris, ultro patet. Quod tamen non impedit, quominus tales populi & quælibet univerſitates, omnium & ſingulorum conſenſu collectas & contributiones facere poſſint in uſus civitati, vel univerſitati neceſſarios. Sed Rectores univerſitatum jus imperandi contributiones, civibus ſuis non habent; nec etiam major pars ſuffragiis ſuis partem minorem ad hoc obligare poteſt; cum hoc etiam ſit Imperii, quod in talibus non eſt penes univerſitates, ut jam diximus *in lib. 2. ſect. 3. c. 6.*

29. Leges vectigalium ingratæ moleſtæque civibus & exteris, egent ſanctione, id eſt, pœnali conſtitutione, quam maxime: & hanc, quanto flagrantior eſt fraudandi cupiditas & impunitatis ſpes major, tanto magis intendi oportet. Eſt autem duplex

illud Taciti. Habet aliquid iniquitatis omne magnum exemplum, quod rurſus utilitate publica compenſatur.

Digitized by Google

pœna, commiſſi & mulctæ. Commiſſum eſt publicatio rerum, quibus crimen fraudati vectigalis commiſſum eſt: Ita enim conciſo loquendi modo vocabulum *Commiſſi* accipitur apud JCtos *l. 14. d. Publican.* & res committi dicitur, quæ ob commiſſum in publicum redigitur *l. 17. §. ult. ff. ad SC. Vellej.* Prædia commiſſa *l. 37. d. Negot. geſt.* Quintilianus; *Quod quis profeſſus non eſt, apud publicanos, pro commiſſo tenetur. Declam. 341.* Unde liquet, proprie *commiſſum*, eſſe fraudationem vectigalis, & transferri ad ſignificationem redigendi res in fiſcum, quod ut plurimum ita ſolet intendi, ut etiam navis, & plauſtra, & quæcunque in ea continentur, licita cum illicitis, publicentur *l. 2. §. 11. ff. de Publican.*

30. Et quo magis homines ab hoc amabili crimine deterreantur, etiam mulctæ pro inſtituto cujusque civitatis ſat graves commiſſis adduntur; haud facile accepta erroris aut ignorantiæ excuſatione: Etſi valde probabilis error non recuſet æquitatis interpretationem, ut levi animadverſione, veluti duplo vectigalis, defungi liceat *l. ult. §. 10. h. t.* Factum quoque ſervorum domino ignoranti nocere non debet, niſi rebus illis, in quibus fraudati ſunt, præpoſiti fuerint. Minori quoque ætati veniam erroris, etſi non æque probabilis, æquitas vult eſſe concedendam, *d. l. 16. §. 9.*

31. Si quis vero res ſuas profeſſus vectigal non ſolverit, nec commiſſum, nec alia pœna habet locum; quia publicanus ſibi imputabit, quod vectigal non exegerit, *d. l. 16. §. 9.* Denique, ſi propter neceſſitatem adverſæ tempeſtatis, onus fuerit expoſitum, non debere hoc commiſſo vindicari, æquitas manifeſta dictat.

32. Perſecutio mercium, quæ in commiſſum ceciderunt, datur etiam adverſus heredem; non quod ille propter defuncti delictum puniatur, ſed quia merces, quæ ipſo jure à defuncto amiſſæ fuerant, apud heredem remanere non poterant. Si qua præterea pœna lege ſtatuta ſit, ea ceſſat adverſus heredem, *l. 14. d. tit. de Publ. l. 8. l. ult. eod.* Neque pactiones publicanorum in ejusmodi finem, cum ſingulis initæ, facile permittendæ; ſaltem Reipub. non præjudicant, quominus, publicano non ſolvente ærario, debitum vectigal exigatur.

33 Pertinet etiam ad Juris tractatum de vectigalibus inhoneſtis illicitisque obſervatio; ſunt autem ſpecies vectigalium inhoneſtorum vix aliæ, quam quæ ex rebus inhoneſtis colliguntur, veluti è lupanaribus, quia vix eſt, ut non hoc ipſo probari videantur. Nec quidem ſatis illic defenditur, ubi magiſtratus indomitas hominum libidines cohibere non poſſunt, quin perniciosius erumperent, niſi ad meretriciam licentiam conniverent: Procul enim à conniventia diſtat permiſſio; *Quæ exacto vectigali magis approbatio videtur. u)* Sed indecoræ collectiones, ut Veſpaſiani ex lotio, differunt hoc ſenſu ab inhoneſtis.

34. At verè hujus generis putamus vectigal, quod magiſtratus decerpunt ex fœnore trapezitico; cum enim hoc, ut hodie exercetur, ſit injuſtum, non poteſt vectigal magiſtratuum, quo auctoritas inſtituto illi præſtatur, injuſtitiæ abſolvi, quâ de re dictum aliquid *in lib. 2. ſect. 2. c. 5. n. 31.* & latius *in Prælect. ad Tit. ff. de Uſur. w)* Perinde,

---

n. 33. *u*) approbatio videtur) *Nam qui vectigalia lupanaribus imponunt, cum vectigalia ſint modus acquirendi, non intendunt extirpationem libidinum, ſed potius, ne diminutionem patiatur iſte modus acquirendi, earum augmentum. Si enim per modum pœnæ imponeretur, deberent ſubinde augeri mulctæ. At ubi per modum vectigalium, ferè ſunt conſtantes.*

n. 34. *w*] ad Tit. ff. de Uſuris) *Nota controverſia inter Voetium & Schookium. Sam*

de, quod exigitur à mimis & comœdis ſimilibusque, inter illicita referendum videtur, quatenus vix ullæ hodie comœdiæ ſine turpitudine exercentur. Simile de ſimilibus eſto judicium: Nam de iis quæ cum neceſſitate morali pugnant, minime difficilis aut obſcura conſtitutio eſt.

35. A genere illicitorum differunt mordacia & importuna vectigalia, quæ magis in leges prudentiæ, quam honeſtatis impingunt, quale fuit Albanum *x)* vectigal decimæ, illud famoſum Belgio Hiſpanienſi, quo de ſingulis rebus venditis nummus decimus identidem exigebatur; quod in populo mercaturæ dedito incivile, turbandisque commerciis inſanum erat. Apparet, non tam bonum ærarii, quam belli fuiſſe rationibus Albanum. Si in plures aliasque ſpecies paulatim diviſiſſet exactiones, ad eandem facile ſummam perveniſſet, ut in continenti & diu poſtea Belgæ, ne decimam darent, omnia dederunt.

36. Ad hoc idem genus pleraque vectigalia, quæ de minutis rebus ab ipſa multitudine exiguntur, cujuſmodi fuit Neapolitanum anno MDCXLVII. frugibus impoſitum, unde ſeditio atrox & bellum, duce Thomaſo Aniello. Nec ab hoc genere ſegregem, quod in quâdam gente libera & ſtrenua, exigitur ab omnibus iter facientibus, ad quartam vecturæ, non mercium ſed hominum partem, quod non à nautis vel aurigis, ſed ipſis viatoribus, tam inciviliter, ſæpe tam violenter & imperioſe exigitur, non fine conviciis & verberibus; ne quid amplius dicam; ut mihi quidem eâ maxime cauſâ excogitatum videatur, ut ne dubitetur, libertatis ſpeciem ad extremam ſervitutis lineam eſſe deductam, Atque ut civibus nihil eſſe oneris aut indignitatis, quod privati reipublicæ cauſæ ferre non debeant, efficacisſime & palpabiliter inculcetur. Etſi, an majus illud prudentiæ civilis, quam inopiæ melioris tituli, & quam exhauſta ſint ærarii conditorum ingenia & inventiones, ſignum ſit, dicere non habeo.

37. Immunitas à vectigalibus haud facile, & à cenſu vix unquam concedenda cuiquam, idque in omni civitate fere ſervatur. Conceſſa tamen à principe ad heredes, aut poſteros non pertinet, niſi diſerte privilegio ſint comprehenſi, *l.1. §.1. ff. de jur. immun.* Et mentione poſterorum ſimpliciter facta, rationem habet, id quod lege Romana ſancitum, poſteros feminei ſexus non intelligi, ſed maſculinos duntaxat, *d. l.1. §. ult.* Collegiis vero data immunitas, veluti Academiis, perpetua, quandiu durat collegium, eſſe intelligitur *l.pen. §. pen. cod.*

38. Quia vim majorem non habet immunitas quam privilegium, ideo lege contraria tolli & aboleri poteſt; niſi per contractum promiſſa & obſignata ſit; quo caſu jus quæſitum auferri non poteſt, niſi id quod intereſt in vicem præſtetur.

39. Immunes autem fere ſunt perpetuo, res fiſci, res exercitibus paratæ, & præſidum provinciarum *d.l. 4. §. pen. & ult. cod.* Studiorum quoque honori datum ſæpius, ut Academiæ, ibique tam docentes quam diſcentes ab oneribus vectigalium liberarentur. His etiam, qui loca paluſtria aut eluvione maris vadoſa aliterve inculta emendant & frugifera faciunt, urbesve deſertas frequentant, merito immunitate, ſaltem ad tempus ſublevantur, *l.3. C. de Alluv. & palud.*

40. Debent autem perſonæ immunes, ad evitandas fraudes, profiteri, quid in uſus ſuos accipiant; idque ut libello manu ſuâ ſubſcripto teſtentur, haud de nihilo lex Romana poſtulat, *l. 4. §. pen. & ult. ff. de Public.* quod in noſtra Academia, ſimiliter obſer-

quæ autor contra fœnus trapeziticum affert in allegato loco n. 5. ad illa facile reſpondari poterit ex novis additionibus ibid. ad. n. *3.*

n. 35. *x)* Albanum) *i. e. à duce Hiſpanico de Alba impoſitum.*

obſervatum fuit, quamdiu immunitas ibi Profeſſoribus & Studioſis, à majoribus indulta vixit; extincta funeſto hujus ſeculi anno LXXII revixit, ad breve, ſed abortu vel in ipſa nativitate *ſecunda periit* anno Academiæ Jubilæo, præſentis ſeculi LXXXV; quod obiter exciderit nobis. *y*)

41. Hæc de ordinariis ærarii conſtituendi modis. Unde, quid juris eſſe queat de extraordinariis, facile colligitur. Quæ ſint illa, ſuperius obiter diximus; præcipui ſunt, cenſus, publicatio bonorum & ſpolia, vel contributiones hoſtium & ſociorum.

42. Quod ad cenſum attinet, olim quidem apud Romanos, hoc tributi genus ordinarium fuit: ſed odium revelandi patrimonia, & quia divites, qui rerum potiuntur, hac methodo plurimum præſtant, hoc ſeculo vectigal illud extraordinarium fecerunt; niſi quod ſævitia & duratio bellorum & immanitas ſumptuum publicorum, rem paulatim ad ordinariam *z*) præſtationem adducunt. Porro Servium Tullium diviſiſſe populum in claſſes & centurias, ſecundum quas ſuffragia ferrentur, milites ordinarentur, tributa fierent, notum eſt: hic cenſus fuit, ac eſt publica civium bonorumque deſcriptio, eſtque tam rerum quam perſonarum, juxta quam præſtationes tributariæ exiguntur *l. 3. pr. l. 4. pr. & ſſ. ſeqq. ff. de Cenſ.*

43. Immunitas conceſſa perſonis, neque tertio, neque ſocio, neque heredi prodeſt, niſi mentione ejus expreſſe facta, poſteris autem conceſſa ad fœminas non pertinet *l. 3. §. 1. h. l. 1. §. ult. d. jur. immun.* Quin etſi fundus ea lege ſit venditus, ut venditor cenſum præſtet, fiſcus tamen convenit emptorem *l. 2. C. Sin. cenſ. vel. reliqu. Leon. lib. 1. emend. 8.* Imo & emptor de reliquis, hoc eſt, tributis non ſolutis, quæ ante venditionem ceſſerant, adhuc tenetur *d. l. 2.* quod non modo reſpectu fiſci intelligendum, ſed ne actio quidem ex empto de ejusmodi pacto danda videtur *l. 1. & ult. eod.* Idem eſt, ſi con-

n. 40. *y*) exciderit nobis) *Immunitatem à vectigalibus uti de jure nemo tanquam debitum poſtulare poteſt, ita in ſpecie, quod Academiarum immunitatem à vectigalibus concernit, ejus origo non eſt optima. Acceperunt enim eam haud dubiè tanquam corpora ad eccleſiam pertinentia. Sed immunitas corporum Eccleſiaſticorum damno eſt reipublicæ non diſſitente id ipſo Autore* n. 8. *Interim ſi rationes Politicas conſideres, eæ valde ſuadent immunitatem Academiarum. Nam cives Academici plerumque ſunt exteri, non perpetuam commorationem in Academia ſtatuentes, ſed arbitrariam, & vero nullum eſt dubium, intereſſe Reipublicæ, ut legitimis modis alliciantur cives Academici, cum, quo major eſt bonorum ex patria allatorum conſumtio, eò plus lucri accedat Reipublicæ, in qua ſunt Academiæ. Adeoque lucrum quod ex hac conſumtione ſentiunt cives compenſat quaſi & uno compenſando longe excedit damnum quod alias cives ſentiunt, ex privilegiis immunitatis aliis conceſſis. Nullum vero eſt dubium, conceſſa immunitate cæteris paribus magis allici ſtudioſos, quam ubi immunitate non gaudent. At vero, ſi ſtudioſi gaudent immunitate, incivile eſſet, ut Profeſſores eodem privilegio haud gauderent. Imo & æquè, ſi non magis intereſt Reipublicæ, etiam ejusmodi privilegiis allicere celeberrimum quemque etiam ab exteris, ad munus profeſſorium. Adde quod apud Proteſtantes ferè inopiâ laborent uti Miniſtri Eccleſiæ, ſic & Profeſſores, cum ſalaria antiquitus conſtituta ob caritatem annonæ hodiernam vix ſint ſufficientia ad ſuſtentationem, & adeo immunitas illa quaſi ſit pars ſalarii iſtius tenuioris &c.*

n. 42. *z*) ordinariam) *Variatio illa de extraordinariis & ordinariis præſtationibus in hoc & præcedente numero, illuſtrant ea, quæ ſuprà* ad n. 6. lit. m. *de obſcuritate hujus diviſionis annotavimus.*

Digitized by Google

ſi convenerit, ut cenſus de fundo in fundum transferatur *arg. d. ll.* Et hæc ita hodieque ſervantur. Denique, immunitas rebus data perpetua eſt *l. 3. §. 1 ff. de Cenſ.*

44. Qui cenſum non bene profeſſus eſt, crimine fraudati cenſus tenetur *l. 52. ff. de Jud.* Plures etiam poſſeſſores ſinguli in ſolidum tenentur, ſed unus qui ſolidum ſolvit, petere poteſt, ut actiones ſibi cedantur *l. 5. pr. de Cenſ.* Hæc juridica ſunt, plura hujus generis à Politicis petenda, ubi & diſcrimen cenſus perſonalis & realis, etſi omnis verè cenſus realis eſt. Sed perſonalem vocant, quo cujusque patrisfamilias patrimonium non particulatim, ſed univerſum æſtimatur. Realem, quando de ſingulis rebus portio deducitur.

45. De publicatione bonorum, quæritur, ſitne juſtum fiſci ditandi medium; ratione dubitandi, quod, ut *Cicero ad Brutum* fatetur, (defendens SCtum, quo bona Lepidi publicata fuerant) pœna quoque ad liberos pertineat; quare & Juſtinianus noviſſimè in gratiam propinquorum ſuſtulit confiſcationes *N. 134. c. ſ.* Sed non obeſſe hoc argumentum diximus pridem; adeoque nihil impedit, quominus redarguere liceat; *quos occidere, juſtum eſt, hos ſpoliare non poteſt eſſe inhoneſtum,* ex eodem Cicerone *offic.* 3.

46. Sed eſt & aliud; Publicatio bonorum tum maxime cœpit, cum pœna capitalium delictorum non eſſet, niſi exilium, quod veteres, ſcilicet, mortem civilem, id eſt, commentitiam vocabant; hoc autem vix erat ſupplicium, ſi damnati patrimoniis ſuis in exilio gauderent: cujus rei experientia Romanos quidem compulit, ut bonorum publicationem, relictis alimentis, in pleraque graviora crimina ſancirent, *teſte Suetonio in Julio.* Ubi vero priſtinâ ſanctitate civium Romanorum evileſcente, mors naturalis cœpit infligi reis criminum, jam hoc ſatis ſupplicii cœpit videri; proinde, publicatio bonorum rurſus abolenda videbatur. Hoc ſaltem exinde conſequi videtur, etſi confiſcatio in regulas juſtitiæ non impingat, laudabilibus tamen abſtinere fiſcum bonis damnatorum, ubi ſanguinem effuderit, etiam vel ideo, quod tum jactura opum reo nihil officiat, tantum premat poſteritatem, quo pertinet erudita Bodini diſſertatio de bonis reorum non publicandis, per *tot. cap. 3. lib. 5. a)*

47. De ſpoliis & contributionibus hoſtium & ſociorum, quibus ærarium Athenienſes olim & Romani præcipue conſtituebant & augebant, multa Bodinus *in d. cap. hujus argum.* Nos de ſpoliis & prædarum jure in ſectione de Jure Belli, agemus; De contributionibus ſociorum, ut hodie ſe res habent, non eſt, quod multum proferamus; Alia nunc Imperiorum conſtitutione, quam fuit olim. Nunc reges ipſique populi, quos armis devicerunt, non ſociorum ſed jure ſubjectorum habent; Ideoque eorum contributiones à cæteris Reipubl. tributis & vectigalibus non habent ſeparatam rationem.

48. De ſpoliis autem hodiernis, illorum nihil, aut vix in ærarium quicquam infertur; Contributiones jure quidem adhuc ei debentur, idque præ ſe ferunt, qui rerum ſummæ præſunt: Quid revera fiat, nec mihi con-

n. 46. a) cap. 3. lib. 5.) *Adde quod confiſcationes bonorum magnam occaſionem dent exercendæ tyrannidis, tam civilis quam Eccleſiaſticæ. Ita ſub Tiberiis, Caligulis, Neronibus, Heliogabalis ferè crimen erat, eſſe divitem, cum divitibus ſub quocunque prætextu intentaretur crimen majeſtatis, ut bona eorum confiſcari poſſent. Ita Clerus Pontificius ex divitibus quoscunque, qui vel limis oculis Clerum adſpiciebant, ſub prætextu hæreſeos per regulas irregulares Sanctæ Inquiſitionis, vita bonisque privabant, obturantes ſimul Politicis & Principibus ora, per indultam ipſis bonorum confiſcationem.*

hi conſtat, nec ad hujus artis inſtitutum pertinet, politica vero non tractamus. Id plane conſtat, procul abeſſe bellatores hodiernos à veterum ſtrenua diligentia, qui ex hoſtium ſpoliis & contributionibus ſociorumque auxiliis & devictarum nationum vectigalibus, ſuos cives omnino præſtabant immunes, ſicut Romani inde poſt bellum Macedonicum II. uſque ad triumvirale bellum civile, tributis omnino exempti fuerunt. Hodie quanto principes amplius fines victoriis extendunt, tanto populos ſuos magis onerant eoſque exhauriunt.

CAP. II.

DE JURE MONETÆ.

Tranſitus, n. 1. Origo pecuniæ, cum Etymologiâ & uſu ejus. n. 2. Materia nummorum, n. 3. An æs pro argento in majore quantitate ſit accipiendum. n. 4. 5. Valor nummorum internus aut externus. n. *6.* Internus quomodo æſtimetur à rei nummariæ peritis. n. 7. De additamento ſequioris metalli, & ejus proportione peccatiſque in ea publicis. n. 8. 9. 10. Hæc cum aliunde, tum è multitudine officinarum monetalium oriri. n. 11. 12. Externum valorem, quicquid de interno fiat, in commerciis ſpectandum. n. 13. Hujus autem legem, ita à ſumma poteſtate pendere, ut per populum edicta ſæpe vim amittant ſuam: n. 14. 15. Ideo nec ſecundum ejuſmodi edicta, uſu non recepta, judicari poſſe. n. 16. 17. Metu diminutionis faciendæ, non poſſe negari ſolutionem in nummis curſus præſentis. n. 18. Non videri tamen creditorem in tali caſu teneri, ad accipiendam ſolutionem, cujus dies non ceſſit, etſi debitor alioqui ante diem ſolvere poſſit. n. 19. 20. Commendatio Bodini & Molinæi. n. 21.

1. ÆRario ſervit rei nummariæ cura, quæ ſimul ad omnem commercii reique publicæ & privatæ diſpoſitionem, quæ ſine nummis difficulter; iiſque corruptis difficillime exercetur, pertinet. Olim quidem non erat ita nummus; neque aliud merx, aliud pretium vocabatur. Sed unuſquiſque ſecundum neceſſitatem temporum ac rerum, utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit, ut quod alteri ſupereſt, alteri deſit. Ita permutationibus commercia exercebantur, ut hodieque fit, in populis ſimplicioribus, *b*) à mari & fluminibus viaque mercaturæ promiſcuâ remotis.

2. Sed quia non ſemper, nec facile concurrit, ut cum tu habeas, quod ego deſiderem, ego invicem habeam quod tu accipere velis, electa materia eſt, cujus publica ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutatio-

n. 1. *b*) ſimplicioribus) *Cave, ne ſimplicitatem hic pro vitio accipias. Denotat enim potius virtutem, ut de Germanis Tacitus ſcribit, cum nondum pecunia uterentur, quod ibi plus valuerint boni mores, quàm alibi bonæ leges.*

tationum, æqualitate quantitatis ſubveniret, eaq; materia forma publica percuſſa, uſum dominiumq; non tam ex ſubſtantia præbet, quam ex quantitate, nec ultra merx utrumque, ſed alterum pretium vocatur, ut differit Paulus Adſeſſor *in l. 1. pr. ff. de Contrah. empt.* Dictum autem eſt illud pretium, pecunia, vel quia pecudum, in quibus antiquæ opes maxime conſiſtebant, loco venit; vel quod pecudis ſignum primis nummis inſculptum fuit, unde *βοῦς ἐπὶ γλώττης*; *Bos in lingua*, dictum fuit deſumptum. Hinc & Ariſtoteli; Nummus eſt *ὑπάλλαγμα τῆς χρείας*, *quaſi Vicarium indigentiæ inſtrumentum:* *Οἷον ἐγγυητὴς τῆς μελλούσης ἐνδείας*; *Sponſor*, quia ſecuros reddit, *futuræ indigentiæ. 5. Eth. 5.*

3. Materia nummorum fere triplex in uſu eſt, æris; ex quo primi à Romanis nummi ſunt cuſi, unde adhuc æs pro pecuniâ, & ærarii appellatio, imprimis autem argenti & auri. Stannei & plumbei nummi vix ſunt in uſu, & prohibentur *in l. 9. §. 2. ff. ad L. Cornel. de Falſ.* Unde & triumviri monetales, æris, argenti, auri flatores appellantur *in l. 2. §. 8. ff. de O. J.* Nam ferrei apud Spartam nummi ſingularis in illa gente fuerunt inſtituti ſpecimen, ut & oſſei & lapidei, & corearii aut chartacei, extra ordinem aliquando uſu temporario, vix aliter quam in urbibus obſeſſis, ut ſuperiori ſeculo apud Lugdunum Batavi factum, uſurpantur. Etſi non procul ab hoc uſu abeſſe videtur conſtitutum quorundam populorum, qui nomina Reipubl. ſive inſtrumenta publici æris alieni, pecuniæ loco in ſolutum danda, accipienda ſanciverunt, ut patriæ noſtræ proceres, aliquoties hoc tempore belli, non pœnitendo, ut repetitio indicat, ſucceſſu inſtituerunt.

4. Cum æs, grave nimis & oneroſum commerciis eſſet, argenti & aurei nummi cuſi ſunt, nec æreis ab illo tempore, qui nobilioris metalli copiam haberent, uſi ſunt aliter, quam ad minoris momenti uſus, ad comparandas res exigui valoris, aut frangendos aliquando majores nummos, vel ad ſupplendum quod excurreret; non ad commercia majoris momenti. Ideoque maximum rei nummariæ dehoneſtamentum & commercii impedimentum, è nimia nummorum æreorum aut minorum argenteorum copia naſcitur, in populis, inquam, auri argentique inopia non laborantibus. Quod ut politicæ obſervatio eſt; ita juris quæſtiones inde oriuntur; qualis hæc, an debitor non ſuo commodo ad ſolvendum compulſus, majorem pecuniæ ſummam in æreis, aut minutis argenteis nummis ſolvere poſſit, & creditor ejusmodi ſolutionem accipere cogatur.

5. Ventilatam fuiſſe hanc quæſtionem in magno Senatu Pariſienſi, & affirmative deciſam refert Molinæus *tract. de Uſur. n. 747.* Etſi Præfecti monetales conſulti ſecus reſponderant, duabus rationibus; prima, quod ærea moneta nonniſi uſus minuti ergo cuſa, contra naturam inſtituti ſui trahenda non eſſet; Altera, quod nimio pondere ſui, commerciis oneroſa, & ad uſum mercaturæ inepta ac inutilis eſſet. Has rationes à Senatu magno ſpretas fuiſſe, non etiam quare, teſtatur Molinæus. Primam ſane ordines fœderatarum Belgii nationum, in edicto nuper contra denarios immani numero percuſſos affirmarunt, alteram ipſa res & uſus approbat. In Judicato illo fuerit hæc ratio, quod ſumma erat modica, xxx. librarum Gallicarum, quæ non niſi Carolinos efficiunt quinque ſupra viginti ſive decem Imperiales. In majoribus ſummis quominus illæ rationes à Judice admittantur, idemque ne malitiis indulgeatur, provideat, cauſa videtur eſſe nulla.

6. Valor pecuniæ intrinſecus vel extrinſecus æſtimatur: ſed hi termini eodem modo non explicantur. Vulgo ait Molinæus, valor intrinſecus appellatur materiæ bonitas (Alloy,) extrinſecus æſtimatio publica. Sed ipſe contra, valorem internum eſſe vult æſtima-

æſtimationem publicam & impoſititiam, *quoniam hæc ejus eſt propria, ſpecifica ſubſtantialis & formalis bonitas ac eſſentia*; qua ſublata nummus neceſſario defineret eſſe pecunia, vel moneta. Quod ut ratione ſuâ non caret, ita, cur uſitatum loquendi modum, quo valor internus in materiâ, externus in æſtimatione forenſi conſtituitur, mutemus, ipſe cauſam non eſſe fatetur n. 696.

7. Interni valoris reſpectu, aurum ab argento duodecupla circiter proportione diſtinguitur; etſi non eadem omnium æſtimatio temporum ſit & fuerit. Bonitatis autem gradus in auro *caractis*, in argento *denariis* ita dictis, rei monetariæ magiſtri diſtinguunt. Ita ut aurum *obryzum*, ſive putiſſimum habeat 24 caractas, & argentum merum, quod *puſtulatum* & *puſillatum* latine dicitur, quas voces explicat Molinæus n. 715. conſtat XII. denariis. Caractæ & denarii, ſinguli in 24 grana dividuntur; & hiſce caractis, denariis & granis declinationem à puritate metiuntur: ita ut verbi gratia, cui duo denarii deſunt, hoc argentum ſit infimæ bonitatis, & quod infra illam ſubſidet, hoc Galli, *billon*, appellant. Etſi rurſus aliis temporibus & locis alia ſit æſtimatio declinantis auri & argenti, pretiumque puri; quod, ut in aliis mercibus, creſcit & decreſcit, etſi minus enormi diſcrepantia, quam in cæteris rebus, indies pro majore minore copiâ, pretio variantibus; qua de re non eſt hujus loci agere prolixius, quod agunt Bodinus *lib. 6. c. 3.* & Molinæus *n. 170. & ſeqq.*

8. Sed cum auro & argento puro artifices in nummis cudendis, ut & in vaſis fabrefaciendis uti commodè non poſſint, addere ſolent, tantum æris aut plumbi vel ſtanni (quorum hoc ad colorem, æs ad ſoliditatem magis conducit) quantum ad ſumptus & moderatum artificis lucrum ſufficit, quod in argento definitum fuiſſe lege regia Gallorum, duodecim granis, id eſt, dimidio denario, additis pro *remedio*, quia difficile eſt tam exactè modum ſervare, tribus granis; ut ſic à puro abſit quindecim granis, ſive beſſe denarii, ſcribit d. loco Molinæus. In noſtris ſtatutis, artificibus præſcribuntur undecim denarii, octo grana, cum remedio duorum granorum, ut ſic à puro abſit XVIII granis, idque in majoribus. In minutis operibus eſt præſcriptum decem denariorum & octo granorum, ſine remedio. Aurum definitur XXII caractis, & pro remedio quadrans indulgetur: Ita ut ſequioris metalli inſint duæ caractæ, quæ faciunt duodecimam ſubſtantiæ partem, cum quadrante caractæ *lib. 3. Stat. Friſ. tit. XI. n. 1. & 2.*

9. Conſtituto igitur, vel lege publica, vel quod prævalet, uſu mercaturæ, argenti puri in ſingulas marcas, pretio, non eſt difficile, quantitatem extenſam, ſive ponderis in ſingulis nummis & internæ bonitatis, habita ratione ſumptuum honeſtique lucri, præſcribere & obſervare, tam in aureis quam in argenteis & æreis nummis, juſtam proportionem. Quæ ut æquabiliter in omnibus nummis, à præfectis monetalibus cuſtodiatur, ſummopere mercaturæ & omnis reipubl. intereſt: ut, non immerito populus Romanus Mario Gratidiano Tribuno pl. qui primus legem fixerat de probandis denariis, cum primi artifices plebi multis modis illuſiſſent, vicatim ſtatuas dicaverit, teſte Plinio *lib. 33. cap 9.* Nec minore merito hanc curam Principes & Rectores Reipubl. ſibi vindicaverunt; à quibus ſi illa proportio quantitaris & valoris interni, cum æſtimatione publica & impoſititia, corrumpatur, faciunt rem ſine dubio peſſimam, non ſecus, ac ſi fontes publicos, quâ comparatione Molinæus utitur, veneno inficerent: etſi corrumpere & corrumpi nulla in re magis jam pridem *ſeculum* appelletur.

10. Si præfecti artificesque monetarii tam ſceleſti lucri impudentiam induerint, non eſt quod miremur, homin s argentarios, trapezitas, nummularios, Judæos, qui ſæpe monetis præficiuntur, jus & fas miſcere. Sed quod ipſi Principes & Rectores populorum, publicè

publicè talis latrocinii participes ſint, intolerandum videretur; niſi jam pridem obduratum eſſet genus humanum indignisſimis oppresſionibus & expilationibus ſuorum Imperantium ferendis, de ſanguine pauperum fœneratitii lucri ſocietatem inter Magiſtratus & Lombardos iniri, quod pagani veteres inter maxima ſcelera poſuiſſent, jam pridem mirari deſiimus, & alibi notavimus: ſed hæc monetarii lucri communio quemadmodum latius patet, ſic univerſæ Reipubl. peſtilentior eſt, & omnis commercii, quo ſtat res publica, nervos ſuccidit & fundamenta ſubruit.

11. Verum quidem eſt, harum fraudum initium ab hominibus flando feriundo præpoſitis oriri; quæ minus cohiberi poſſunt eo, quod numerus officinarum monetalium immaniter auctus eſt in Europa; cum in unico orbis terrarum Imperio florentis Romæ, nonniſi una talis officina ad ædem Junonis Monetæ fuerit, cum apud nos in unâ ſæpe eademque provinciola tres quatuorve reperiantur; quarum æmulatio prava ne in perniciem publicam, maximè ſi uni ſummæ poteſtati ſubjectæ non ſint, erumpat, nullo modo prohiberi poteſt. Sed enormitates lucri infamis & duratio impunitatis ambigere non patiuntur, quin ſolis flandi feriundique magiſtris emolumenti ratio non conſtet.

12. Præter quod, reges & principes abſolutæ poteſtatis (nam ubi temperamentum adeſt populare, non eſt idem periculi) id aperto velo agunt, ut corrumpendo internam monetæ ſuæ bonitatem, in quibusdam ſpeciebus; in aliis modo valorem externum augendo, rurſus eundem minuendo, ſuo quidem commodo temporario, civium autem & commerciorum detrimento exitiali ſine fine modoque velificentur. Nam mutatio valoris ipſius auri & argenti, per revolutionem temporum ſenſim facta (ut à tempore detectarum in Americâ fodinarum, & introitum inde nobilioris metalli in Europam, hiſce duobus ſeculis notabiliter factum) fluctuationi rerum humanarum potius, quam hominum, vel regnantium vitio imputandum eſt.

13. Quicquid autem fiat, de bonitate nummorum intrinſeca, quia tamen valor internus & impoſititius facit, ut pecunia ſit & faciat ſummam, in jure ſolutionis nihil aliud quam valor publicus, civitatis lege ſtabilitus, etſi tempore debiti contracti, bonitas interna pluris fuerit, obſervari poteſt. *Quod enim Doctores commenti ſunt, de exigenda bonitate intrinſeca, quæ erat tempore contractus, ex ſubjecta materiæ circumſtantiis, ab eis male perceptis ortum eſt*, ait Molinæus *n. 806. & ſeqq.* & faciunt, quæ in *pr. hujus cap.* de pecuniæ natura diximus. Hinc etiam, ſi manente eadem bonitate interna, valor externus & publicus, dum cauſa debiti penderet, fuerit mutatus, aliud quam ſolutionis tempus ſpectari non poteſt: quemadmodum nemo dubitat, quin cum nuper denarii ſex *ſtuferorum*, duodecima parte mulctarentur, qui acceperat undecim ante diminutionem, poſtea duodecim reddere debuerit. Quod & in ducatonibus aliisque majoribus nummis, ratio & obſervatio publica dictat. Niſi convenerit, ut certæ ſolidæque nummorum ſpecies in eâdem ſpecie redderentur; quo caſu, non obſtante qualibet mutatione valoris externi, totidem in ſpecie nummos eſſe reddendos, quot annumerati ſunt, non magis dubitari poteſt, quam ſi tot modii frumenti aut amphoræ vini mutuo dati dataeque ſint, eo quod pretium vini vel frumenti mutatum ſit, ambigi posſit, an ideo plus minusve reddendum ſit, quam creditum fuiſſe conſtat. c]

Rrrr 14. Porro,

n. 13. c) fuiſſe conſtat) *Quæſtionem hanc de mutatione monetæ, & utrum ea facta tempus ſolutionis an contractus in redditione pecuniæ mutuo datæ reſpici debeat*

14. Porrò, ſicut monetam cudere, ſine dubio ſummæ poteſtatis jus eſt, ita valorem ejus externum augere vel diminuere, ad eandem pertinet. Sed ut leges deſuetudine adumbrantur, imo penitus amittunt vim ſuam, ita nuſquam liquidius, quam in re nummaria, id ipſum animadvertitur: Ut non modo facti ſed juris ea res ſit. Adeo ut, ſi e-

intricatam reddiderunt non tam res ipſa & natura negotii, ſi ea fuiſſent à Doctoribus inſpecta, ſed obſcuritas terminorum quæ eſt partim in bonitate intrinſeca & extrinſeca (vid. Autorem n. 6.) *partim in tempore contractus & ſolutionis* vide *Franzkium* Exerc. 9. qu. 2. & 3. & 11. *Tempus contractus inſpiciendum eſſe putant Strauchius* Ex. 13. th. 10; *Struvius* Exerc. 16. th. 30. & 31. *Carpzovius* Part 2. Conſt. 28. def. 4. & 5. *Sed in applicatione non conveniunt. Quando enim quæritur, quomodo computatio fieri debeat, ſi bonitas extrinſeca fuerit mutata tempore ſolutionis (v. g ſi 100. thaleri mutuo dati, qui tempore contractus ſinguli valebant 24. groſſos, tempore ſolutionis 48.) uterque quidem & Struvius & Carpzovius dicunt, tempus contractus eſſe inſpiciendum. Sed Struvius* d. th. 31. *putat, hoc caſu debitorem tantum reſtituere debere 50. thaleros, Carpzovius autem* d. def. 5. *vult reſtituendos eſſe 100. thaleros. Quod itaque hunc diſſenſum attinet, puto Struvii computationem quidem eſſe accuratiorem, & in Carpzovii computatione reverâ non conſiderari tempus contractus ſed ſolutionis, per ea, quæ eruditè diſſerit Franzkius* d. Exerc. 9. qu. 11. n. 35 ſeq. *Sed interim tamen Carpzovii opinionem eſſe veriorem, h. e. ſi dati ſint mutuo 100. thaleri, quorum bonitas extrinſeca fuit mutata, in ſolutione adſpiciendam eſſe bonitatem, non quæ fuit tempore contractus, ſed quæ tempore ſolutionis eſt, per ea, quæ iterum accuratè diſputat Franzkius* d. q. 3. n. 6-36. *Et huc pertinet etiam Autoris noſtri deciſio* hoc n. 13. *Atque ut autoris doctrina eo clarior evadat, dabimus operam, ut abſque adhibitione terminorum illorum obſcurorum bonitatis intrinſecæ & extrinſecæ, item temporis contractus & ſolutionis quæſtionis propoſitæ ſolutionem oſtendamus. Initio ſupponendum eſt, monetam majorem & minorem ſeu currentem regulariter proportionem ad ſe invicem habere, ut v. g. thalerus æquiparetur 24. groſſis, ducatus 48. & vice verſa. Deinde tempore neceſſitatis dum mutatur moneta, ſolet deterior fieri moneta minuta, itaque tùm neceſſe eſt, ut moneta major ſecundum proportionem iſtius deteriorationis augeatur quoad valorem v. g. ut ſi argentei groſſi 48. tantam mixturam metalli deterioris acceperint, ut æquiparari ſaltem poſſint 24. groſſis monetæ priſtinæ, tùm neceſſe erit ut thalerus in moneta majore valeat 48. groſſos ſic deterioratos, ducatus 96. Tertiò in mutuo ſemper debet reddi tantundem, non plus, etſi plus ſit promiſſum. Igitur ſi in illo caſu mutationis factæ mutuo dati ſint centies 24. groſſi deteriorati, qui tum æquipollebant 50. thaleris in monetâ majore, non valebit pactum adjectum de reddendis thaleris 100. monetæ majoris, imo ne quidem de reddendis 60. quia tale pactum ſaperet uſurariam pravitatem. Jam in eo conſentiunt Doctores, ni fallor omnes, ſi mutuò dati ſint 100. thaleri monetæ majoris & pactum ſit adjectum de reddendo mutuo in monetâ majore, quod tum reddendi ſint tot numero thaleri, quot mutuo dati ſunt, quæcunque etiam monetæ minutæ mutatio poſteà facta fuerit, ſive in melius ſive in deterius. Et rectè, quia tum creditor accipit tantum, quantum dedit, non plus nec minus.* (*Conſ. Autorem* hîc in fine) *Quodſi pactum tale non ſit adjectum, eſt quidem liberum debitori utrum ſolutionem velit facere in monetâ currente, an in ſpeciebus, ſed non erit liberum, utrum minus reddere velit quam accepit, utrum tantundem, ſed debet reddere tantundem. Itaque ſi ſolutionem velit facere in ſpeciebus, neceſſe eſt, per modo dicta, ut reddat tot corpora, quot accepit. Ergo ſi velit ſolvere pecuniam debitam in monetâ currente, tot nummos debet ſolvere, quot tum æquipollent 100. ſpeciebus thalerorum, i. e. ſi*

ſi edicta principum aut optimatum de mutando valore nummorum externo, recepta non ſint à populo, nec uſu fori obtinuerint, cives etiam non obligent, *d*) neque ſecundum ejuſmodi leges & edicta jus dicendum videatur. Qua de re, quia frequentem habet uſum, verba Molinæi, prudentisſimi & callentisſimi harum rerum ſcriptoris apponam; è tract. ejus *de Commer. n. 797.*

15. Pendet autem valor iſte impoſititius, inquit, *non à privata cujuſquam ſed à publica duntaxat æſtimatione & impoſitione. Publica autem æſtimatio & valor currens, non à ſolo principis in monarchia vel optimatum in republ. Edicto pendet, ſed etiam à conſenſu & uſu populi & conſuetudine commerciorum. Quod ſi leges & ſtatuta, niſi communi utentium uſu comprobata non ligant, ut omnes utriuſque juris doctores probant, in L. de quibus ff. de Legib & cap. 2. de Treug. & pac. hoc maxime verum eſt, in commerciis nummorum & eorum indicatura, quæ non eſt juris, ſed facti.* Quod poſtremum quomodo intelligatur, indicat verbis ſequentibus; *Et quod ſenſus populi in his dominetur & jus faciat, multis exemplis probat,* inquit, *Budæus lib. 3. & 5. Aſſis,* ubi *refert; multa edicta præconialia, dira minantia, de uſu abrogando probi & recepti numiſmatis, e) etiam ab homine minaci & ira inpotentisſima manantia, cujus tunc ferocia recta & utilia cedebant conſilia, publicum tamen conſenſum pervincere non potuiſſe, & jure optimo neglecta eſſe. f)*

16. Ex hujus rei argumento, cum quidam accuſatus eſſet, invexiſſe nummos è vicina provincia, ante bienniũ prohibitos edicto, quod non obtinuerat, ſed, eo non obſtante, nummi iſti publicè recepti & uſu populi adſiduo triti & probati erant, reſpondi illum non incidiſſe videri in pœnam illius

 edicti,

moneta currens fuerit ad dimidium deteriorata ducenties 24. groſſos. Vice verſa ſi mutuo accepit centies 24. groſſos, qui tum valebant 50. thaleros monetæ majoris, ſolvet etiam vel 50. thaleros in ſpeciebus, vel ſi nulla mutatio novæ monetæ currentis fuerit facta, centum thaleros monetæ currentis. Si vero interea moneta currens depravata iterum priſtinæ bonitati fuerit reſtituta, ut 24. groſſi æquipolleant thalero in ſpecie, reſtituet ſaltem 50. thaleros etiam in monetâ currente.

n. 14. *d)* cives etiam non obligent] *Hæc ſententia vix perſuadebit iis, qui conſiderabunt, valorem legum & obligationem non dependere ab arbitrio ſubditorum. Adde quod natura negotii cogat quaſi ſubditos, ut talibus Edictis non contradicant, quæ in augendo valore monetæ majoris, ut diximus, præſupponunt deteriorationem monetæ currentis, ut adeò natura negotiorum dictitet valorem monetæ majoris ſecundum proportionem deteriorationis eſſe augendum. Alia quæſtio eſt an deterioratio monetæ currentis & augmentum valoris in monetâ majore reipublicæ proſit, quod facilè largior, negandum eſſe, quia neceſſe eſt eo modo etiam pretia rerum augeri. Sed iſta quæſtio ad jus non pertinet, ſed ad politicam, niſi quatenus id ſpectari ſolet, quod in ejuſmodi caſibus damnum, quod reſpublica patitur, plerumque afficiat pauperiores.*

n. 15. *e)* recepti numiſmatis) *Scilicet extranei, per ea quæ Autor ipſe habet* n. ſeq. *Sed ita mutatur ſtatus quæſtionis in* præced. numero *propoſita de Edictis mutationem valoris reſpicientibus. Hic enim Molinæus agit de prohibitione monetæ extraneæ bonæ, quæ ſanè ſunt diſtincta.*

f] neglecta eſſe) *Sed tamen & circa hanc quæſtionem repeto objectionem* lit. d. *jam propoſitam. Et ſuppono adeò ad ſententiam Molinæi, & reſponſum Autoris* in n. ſeq. *defendendum, quod Legiſlatores tacito conſenſu receſſerint ab edictis prioribus re melius intellectâ. Quo poſito ceſſat objectio iſta.*

Edicti, menſe Auguſto 1693.

17. Quid autem, ſi quis obtentu talis edicti, neget accipere ſolutionem debiti in ejusmodi nummis, quorum prohibitio non obtinuit, ſed uſu refutata eſt, poteritne debitor obſignare pecuniam, cum effectu ſolito juris, ut pro ſoluta habeatur? Dicendum id omnino, & ſupra dictis conſentaneum eſt. Etſi recenti prohibitione, priusquam conſtet, an uſu commerciorum perruptura ſit, parendum eſſe Edictis, & ſolutionem *g*] rectè negari, dubitandum non eſt.

18. Quid ſi periculum diminutionis monetæ, intrinſecus jam pridem corruptæ probabiliter immineat, ut vulgo eam recipere nolint, an hoc caſu ſolutionem oblatam negare licet? Ita ſtatuit Molinæus *n. 812.* eo quod *illa pecunia fide publica & communi jam deſtituta non retinet amplius plenam auctoritatem, nec vim, nec nomen pecuniæ publicæ & probæ.* Sed hæc ſententia uſu, & niſi fallor, ratione refellitur. Uſu, quod ante diminutionem publico edicto conſtitutam, invitis creditoribus, pecuniam, æſtimatione recepta, licet etiam certo conſtet de publicatione futura, etiam pridie, quam facienda ſit, offerri videmus: Ratione, quia pendet hæc res non à vulgi rumoribus & judicio privatorum, ſed ab arbitrio Rectorum civitatis, ſive eorum, qui habent ſummam poteſtatem. Adde, quod ſæpe fit, ut ejusmodi rumores & difficultates evaneſcant. Si tamen diutius & conſtanter uſu populari ac commerciorum, quidam nummi rejiciantur & improbentur, ejusmodi conſenſus publicus eandem vim, quam conſvetudo adverſus legem, habere videtur, ut juris effectum teneat, quaſi tacito Rectorum civitatis non prohibentium conſenſu.

19. Inde quæſitum, an imminente mutatione monetæ in deterius, adeo cogendi ſint creditores accipere debitum, æſtimatione præſente nummorum ſuſpectorum, ut etiam teneantur accipere debita, quorum dies necdum ceſſit, cujusmodi jus offerendi & ſolvendi alioquin habere debitores, ex legibus ſatis conſtat *l. 50. ff. de Obl. & Act.* Satis crebro ea de re diſceptatum, nihil tamen deciſum comperi. Plerumque teneri creditores ad hoc etiam, reſponſum eſt, quia ſic ſunt poſitiones juris. I. Debitor etiam ante diem ſolvere poteſt *d. l. 50.* II. Creditor nummos ante publicam derogationem æſtimatione currente accipere cogitur, ut antea diximus. Hæ poſitiones junctæ faciunt adfirmativam theſios propoſitæ.

20. Et fatendum eſt, illam ſatis habere juris; ſed in altera plus æquitatis ineſſe videtur, & forte rationis verè juridicæ. Nam quod debitores ante diem ſolvere poſſunt, id in favorem liberationis, ut quantocyus ære alieno defungi liceat; non ut incommodum & detrimentum creditoris, ſuo commodo & lucro captent, iis indultum eſt. Et ſententia, quæ Molinæum habet patronum, quâ diximus, eum negare, creditores omnino cogi poſſe, ad accipiendos nummos, quorum derogatio metuitur, & quos ideo communiter accipere detrectant homines, haud adeo procul abeſt à ratione juris, ut etiam amplianda ſit opinio contraria, tam notabili inæqualitate, quæ non procul abeſt à dolo.

21. Plura de jure monetæ & rei nummariæ, qui volet, adeat Bodinum & Molinæum *locis ſupra deſignatis*, & hunc in primis copioſe & enixe demonſtrantem, quanta ex inæquali harum rerum obſervatione tam Reipublicæ, quam privatis inferatur detrimenti; quam potius opera danda eſſet Rectoribus populorum, ut ad auferendum ſumptus faciendi prætextum ejusque incertitudinem, auro & argento nihil amplius miſceretur, quam ad ſoliditatem nummis conciliandam opus foret; impenſas autem monetæ

n. 17. *g*) ſolutionem) *Clarius forte ad mentem autoris*, ſolutionis acceptationem.

netæ cudendæ ferrent ipſi principes, ſine ulla adfectatione lucri pudendi & pernicioſi. Sed & heic repetere liceat, quod alias habuimus; *Quid triſtes querimoniæ!* &c. cum hac etiam parte dudum eo pervenerimus, ut nec vitia noſtra nec remedia ferre poſſimus, quorum hoc eſt unum è præcipuis quæ ſemper vetita, ſemper exercita videbimus.

CAP. III.

DE SECURITATE PUBLICA.

Præcipuus imperii ſcopus, ſecuritas publica. n. 1. 2. Ejus diviſio in univerſalem, quæ præcipue eſt hujus loci, & particularem. Quid illa; definitio & diviſio in externam ac internam. n. 3. Interna exponitur, ab officio legis, n. 4. Summæ poteſtatis n. 5. & magiſtratuum. n. 6. Externæ ſecuritatis ratio & procuratio. n. 7. 8. An exercitus habere perpetuos, ſit in poteſtate imperantium. n. 9-12. Tutelæ publicæ officium non poſſe adhiberi à privatis, nec ab exteris implorari; n. 13-16. Niſi quatenus rectores alicujus populi jus ſuum amiſerint. n. 17. Quid juris habeat civitas in fundis privatorum, muniendi aut ſecuritatis publicæ adſtruendæ causâ. n. 18 Quatenus hæc res ad eccleſiam pertineat, n. 19. Item ad Heterodoxos & excommunicatos. n. 20. 21. 22. In quibus rebus ſecuritatis publicæ procuratio conſiſtat, & quibus proſit. n. 23-26. Quinam ab illa excludantur, diſtinctè expoſitum. n. 27-30. Pœna violatorum ſecuritatis publicæ. n. 31. De fide ſecuritatis datâ privatis, hoc eſt, ſalvo conductu, qui dicitur. n. 32-38.

1. SI de omnibus in *libro primo* enumeratis juribus ſummæ poteſtatis, quatenus ad hoc caput adminiſtrationis denuo pertinent, agendum putaremus, veſtigia prioris editionis, quæ jam vix apparent, latè nimis egrederemur. Unum de *ſecuritate publica* articulum, quem antea non attigimus, addere placet, & de reformatione alterum.

2. Eſt hoc argumentum ejuſmodi, in quo rectoris officium reipubl. ordiri & definere debet, ut ſecuritas publica civibus præſtetur, cum hac gratia civitates conſtitutæ, & principes electi ac conſtituti ſint, ut omnibus ſecure cum rebus & familiis ſuis, agere, & *libertate tranquilla*, quomodo hanc ſecuritatem appellat Cicero in *Philipp.* 2. frui & gaudere liceat, nec eſt aliud boni regiminis indicium & argumentum melius ac infallibilius, & fructus reipubl. dulcior, aut ad beatitudinem civilem & religioſam plus afferens momenti & adjumenti.

3. Quid autem ſit *publica ſecuritas*, definitione ſcholaſticâ clarius exprimi non poteſt, quam hæc ipſa verba præ ſe ferunt. Sed diviſio negotii naturam magis explicabit: Eſt autem hæc, in univerſalem & particularem. Illa nomen generis ſibi magis vindicat; hæc uſu forenſi nomine *Salvi Conductus* indicari ſolet. Univerſalis ad hanc artem maximè pertinet, & præcipuam hujus capitis materiam

Digitized by Google

nihil ſ cauſæ, cur hæc etiam poteſtas imperantibus delata non ſit, apparet; Ad voluntarium enim Imperium hæc diſtinctio pertinet: Nam de violentis & jure belli quæſitis, nulla ratio dubitandi eſſe poteſt.

10. Imperio limitato, ſi hæc ipſa res ſub exceptionibus contineatur, nihil iterum eſt, quod dubitetur. Ut in hoc tandem quæſtio deſinat, ſi jus belli & armorum Principi competat, alia vero jura, condendi leges novas, imponendi tributa & vectigalia, & ſimilia, ſunt excepta, numquid ordines populorum jure ſe opponant principibus, id agentibus, ut exercitus alant perpetuos.

11. Ne hoc adjuvent tributis & vectigalibus inſtitutum inviti, rurſus indubitatum eſt, populos non teneri. Quod ſi abſque eo principes id agant evidenter, ultra quam ſecuritatis publicæ ratio poſtuler, directè quidem nihil contra quam ipſis delatum eſt, committitur: Attamen, quia tritiſſima hæc eſt via principum, redigendi populos ad abſolutæ ſubjectionis metam, & jura illorum opprimendi, dicendum videtur, jus illis eſſe petendi cautionem adverſus juſtiſſimum metum, quæ non poteſt eſſe alia, quam dimiſſio ſuperflui exercitus; cum qualibet aliæ cautiones, hoc conſiſtente, fiant inutiles, & in libidine ſint potentioris: Si nempe tanta ſit mercenariorum copia, quæ ſubigendæ libertati publicæ ſufficiat.

12. Nam ſi populus otii dulcedine, quod omnibus accidit hodie, ab armorum ſtudio alienus, ſuæ tutelæ non ſufficiat, munimentis opus eſſe limitaneis & perpetuis illorum præſidiis, res loquitur, & ipſorum mos liberorum populorum, qui mercatui aut agriculturæ dediti, niſi paupertate tuti, munitionibus & præſidiis contra vim externam, ſecuritati ſuæ conſulere coguntur. Unde, ſi paucis vel uni pareant, ab his nihil aliud exigere poſſunt, quam ipſi ſatagerent, modo non excedat res cautionem ſecuritatis externæ.

13. Ex eo, quod hujus rei procurationem ſummæ poteſtati, & magiſtratibus ab illa conſtitutis incumbere diximus, privatos non habere jus alios in tutelam publicam recipiendi, clarum eſt; quo pertinet *Tit. Cod. Ut nemo ad ſuum patrocinium ſuſcipiat ruſticanos, vel vicos eorum, in fraudem* ſcilicet, ac *circumſcriptionem publicæ functionis*, ut ajunt Leo & Anthemius Imperatores *in l. 1. eod.* Nec *quiſquam vicanis Patrocinium polliceatur, vel agricolas in clientelam* ſuſcipiat, *l. 2. eod.* Et his conſentaneum eſt: Ne cuiquam defenſionis cauſa, ſine permiſſu ſummæ poteſtatis, loca munita, vel arma, ullo prætextu, habere liceat: qua de re, juxta vetus Imperii Romani, & commune gentium inſtitutum, eſt conſtitutio Valentis & Valentiniani *in Tit. C. ut armorum uſus inſcio principe, interdictus ſit;* Nullum enim præſentius & peſtilentius civilium bellorum & ſeditionum incitamentum eſſe, notum eſt omnium exemplis & temporum & populorum.

14. Ex eadem ratione, quod hæc præcipua principis, in quolibet Imperio, & Rectorum in quavis Republ. officii pars ſit, ultro patet, ad externas poteſtates, non pertinere ſecuritatis publicæ procurationem in aliena Republica, nec civibus eſſe jus tutelam ſecuritatis ſuæ apud exteros quærere, vel ab illis implorare; ſed parum abeſſe, quin hujuſmodi imploratione crimen læſæ majeſtatis committerent cives, quia ſubjectio & protectio ſunt res correlatæ; nec ideo hanc, niſi apud eos, quibus ſubjecti ſunt, abſque violatione juris & dignitatis eorum, adfectare poſſunt.

15. Amplianda eſt ſententia; ne quidem ad Fœderatos Principes aut Poteſtates, licet arctiſſime fœderatos, ſi modo ſit æquum fœdus, ejuſmodi tutelæ publicæ implorationes extendere licere; quia ſunt æque externi, & periculum ab illis, opportunitate ſocietatis, aliquanto majus eſt, ne jura ſociorum uſurpare non gaudeant. Ac ideo in quadam Republ. arctiſſimo cum aliis fœdere juncta,

juncta, publico nuper edicto, læſæ Majeſtatis rei ſunt declarati, qui juris publici tutelam à ſociis imploraverant, exemplo *ſuperius* deſignato. *i)* Verum ſi fœdus inæquale ſit, cujuſmodi fuit Græciæ populorum, ſub Lacedemonienſibus ac Athenienſibus, alia non paulo juris ratio fuerit.

16. Quod ſi fœdus, in rebus communibus, à generali collegio, vel principe gubernetur, ad hunc nihilo magis tutela publici juris & ſecuritatis procuratio in ſingulis populis ſpectat; niſi aliter in fœdere ſit comprehenſum & expreſſum. Exemplum modo adductum è Belgica Fœderata regulam confirmat, *k)* nec infirmatur exceptione Status Imperii Romani Germanici, quod eſſe potius ſyſtema fœderatum, *l)* quam unam civitatem ſæpe diximus. At ibi pacis publicæ vindicta ad univerſum Imperii Senatum Juridicialem, vel ad Imperatorem pertinet, ut docet Gailius *in libro de Pace Publ.* ſic tamen, ut magis illud officium ad diverſa Imperii membra, quam ad ſingulorum principum ſubditos ſpectet, quorum ſecuritatis procuratio cum aliorum excluſione, non minus Germaniæ principibus, quàm aliis poteſtatibus liberis ad animum pertinere videmus. Adeo, ut nec Imperatorem, ſi vires adſint ad prohibendum, admittant, idque jure ſe facere putent & faciant.

17. Cum autem hæc ſententia jure ſummæ poteſtatis nitatur, extra hujus terminos, jus ſecuritatis publicæ produci non poteſt. Ideoque, ſi qui Principes aut Rectores Jus ſummæ poteſtatis amiſerint, eorum ſubjecti non prohibentur alibi quærere præſidium. Quando autem hoc committatur, ex iis quæ de tyrannide collocata ſunt, *in lib. 1. ſect. 9. inprimis cap. 2. n. 9.* colligendum. Quoties ſcilicet, principes terminos poteſtatis ſibi delatæ notoriè & præfractè egrediuntur; nec domi ſatis eſt præſidii contra vim dominationis effrenatam. Quod ubi de facto certum (in hoc fere præcipua difficultas eſt) de jure non admodum eſt, quod laboretur. Exemplis in veteri novaque hiſtoria non ignotis abſtinemus.

18. Incidit in hunc locum quæſtio, liceatne Principi, vel Rectori ſupremo civitatis, agros occupare privatorum & deſtruere domos, ſi ferat uſus, & extruendæ ſint illic arces & propugnacula, foſſæve dilatandæ, ſecuritatis publicæ gratia. Quod ut adfirmandum, ex conſenſu populorum in conſtituendis rebus publicis indubitato, ut probat Vaſquius *1. controv. ill. c. 5. n. 9.* ſic in eorum rigorem minime concedendum, qui jus dominii eminentis, ad cujus vim hæc res pertinet, uſque adeo intendunt, ut ne pretium quidem dominis fundorum & ædificiorum putent eſſe refundendum. Receſſus enim à jure dominii privato, gentium legibus ſtabilito, non niſi quam minima privatorum læſione conſtitui & intelligi poteſt; Ita recte Zaſius *conſil. 10. n. 6. & ſeqq.* Sub gemina tamen limitatione; prima, ut ſi domus ſtructa ſit, ubi talis muniendi neceſſitas probabiliter poterat prævideri, ſuperficiem dominus tollere debeat, & fundi ſolius pretium *m)* ſolvatur, ut ſit in locis ſubur-

---

n. 15. *i)* ſuperius deſignato) *Scilicet* lib. 3. ſect. 2. c. 5. n. 17. & 18. *Sed adde, quæ ibidem pro diverſa ſententiá adnotavimus.*

n. 16. *k)* regulam confirmat) *Potius dubiam reddit per modo dicta.*

l) Syſtema fœderatum) *At hac ratio parum adjuvabit ſententiam Autoris. Nam & Reſpublica Belgica conſœderata magis ſunt Syſtema fœderatum, quàm una reſpublica. Potius dicendum fuerat ex* n. præced. *imperium Germanicum eſſe ſyſtema fœderis inæqualis (ſi modo oſtenſum clarius fuiſſet, aliud dicendum eſſe in fœdere æquali) aut planè irregularis, per ea quæ Autor in fine hujus numeri adjicit.*

n. 18. *m)* fundi ſolius pretium) *Sed hac ſententia ſic limitata in effectu parum differt à*

ſuburbanis. Altera limitatio, ſi tempore belli Reſpubl. pretium incontinenti ſolvere non poſſit, ut dominum cautione futuræ ſolutionis contentum eſſe oporteat, quæ tamen jure pleno, haud ſecus, ac à privato, præſtanda manet.

19. Videmus ergo duplicem eſſe curam ſecuritatis publicæ. Externam, adverſus inſultus hoſtiles, & internam, quæ in præſidio Legum & Juſtitiæ conſiſtit,

> Ἥ τ' ἀνδρῶν ἀγορὰς ἣ μὲν λύει ἡ δὲ καθίζει,
>
> *Quæ populos reddit miſeros vel pace beatos.*

Hoc autem ſecuritatis officium non modo Reipubl. ſed etiam Eccleſiæ imprimis debet ſumma poteſtas, cujus rei gratia vel maxime civitates conſtitutas eſſe, diximus *in lib. 1. ſect. 4. c. 1.* Etſi arcano ejusdem divinæ providentiæ motu, adhuc quidem ita factum videmus, ut vera eccleſia ſæpius, extra ſecuritatis publicæ tutelam poſita fuerit, obnoxia perſecutionibus regnantium: Eo magis, quo purior & ſanctior illa fuit; uſu ita fere docente, per hanc ſecuritatis publicæ complexionem labi & corrumpi eccleſiam. Adeo ut nulla Deo ſit efficacior reformandi eccleſiam ratio, quam ſubducendo illi ſecuritatem publicam. Ut vaticinium, reges erunt nutricii tui *Eſaiæ 49.* & reges peregrini miniſtrabunt tibi *cap. 60.* forte non temere ex iis eſſe credatur, quorum adhuc exſpectatur implementum.

20. Juris eſt tamen indubitati, ut publica ſecuritas, eccleſiæ inprimis officium ſummæ poteſtatis & magiſtratuum conciliet: Nec id, ſi faveant eccleſiæ, vel ejus confesſionem probent, in controverſiam vocatur. An vero cœtus disſidentium in ſacris à ſumma poteſtate, ſint extra patrocinium ſecuritatis publicæ, magis ambigitur, uſu & opinione populorum atque regentium illos, qui ſic frequenter opinantur, unam in una civitate religionem eſſe oportere eamque principis, pro qua ſententia Lipſius etiam *lib. 4. Polit. c. 4. & ſeqq. & in libr. de una Religione politicè* diſſerit, etſi non omnino heterodoxos extra tutelam publicam poſitos velit.

21. Quid hac parte juris ſit, ex iis, quæ de Jure ſacrorum publico dicta ſunt *in lib. 1. ſect. 5.* colligi poteſt. Cum inde conſtet, rectores civitatis non accepiſſe poteſtatem in hominum mentes, nec in his quæ à Deo præſcripta ſunt, cujusmodi ſunt res fidei; palam eſt, nullas animi ſententias, maxime de rebus ſacris, homines privare beneficio ſecuritatis publicæ. Quia vero Deus etiam præcepit, ut credentes in ſeſe, agant cœtus, Dei colendi & laudandi gratia, & habeant Doctores, quod imperatores prohibendi jus non

priore. Quid enim eſt, quod repetere poterunt fundorum poſſeſſores? Nihil, quam pretium fundi, quod Reipublicæ dederunt pro illo fundo. Ut videlicet reſpublica non lucrum capiat cum ſingulorum damno. At quantillum hoc erit. Adhuc minus accipient poſſeſſores fundorum, ſi princeps ipſis offerat pretium fundi, quanti jam valet, hoc ſcilicet tempore, quo certum eſt, rempublicam indigere fundis ad extruenda propugnacula. Hoc enim intuitu fundi illi erunt nullius pretii. Quis enim emeret? Adeoque forte ſimplicius dicendum contra Zaſium, ſingulos poſſeſſores jure ſtricto nullum pretium poſſe repetere, ſed præſumi, emtores fundorum in ſuburbiis, ex naturâ ſitus fundorum tacite in ſe recepiſſe periculum amisſionis in caſu extruendorum propugnaculorum. Æquius tamen eſt, ſi reſpublica velit, ex regulis amoris, poſſeſſores indemnes præſtare. Sed regulæ amoris non ſunt confundendæ cum regulis juſtitiæ. Ex dictis patet, quid regerendum ſit ad autoris deciſionem ejusdem quæſtionis, quam ſupra etiam tractabit l. 1. ſect. 9. c. 9. n. 21. ſeq. p. 327.

non habent, *n*] ſequitur, hos etiam cœtus, eorumque Rectores, etſi à religione publica diſcrepantes, eodem patrocinio ſecuritatis publicæ comprehendi. Quando tamen, quibusve de cauſis, hoc ſecuritatis publicæ debitum ceſſet in religionibus heterodoxis; ex illo communi loco ſuppleri poteſt, inprimis ex *cap. 3. o*)

22. De cœtibus quorundam & univerſitatibus loquimur. Nam ſinguli & privati quominus tutela publica gaudeant, nihil eſt cauſæ, nec quidem judæos inde excludendos ſuadet antiquus honos gentis *p*) & eorum converſionis ſpes, *q*) & juris Romani auctoritas, *r*) qua tam perſonis quam ſynagogis eorum ſecuritas præſtatur *l. 14. C. de Judæ.* idemque cum ipſis, tum paganis, etſi horum cultu prohibito, tribuitur, ſub pœna dupli in violatores *l. 6. C. de Pagan.* ſub cautione videlicet coercendi flagitia & blaſphemias. Ne excommunicatos quidem à tutela ſecuritatis publicæ excludendos, ex his quæ de jure ſacrorum in loco dicta ſunt; *s*] cum ea res ſit merè ſpiritualis; omnino adfirmandum eſt, etſi aliter crebro Doctores, quos citat & ſequitur Joh. Georgius Bechtius *in Tract. de Securit. & ſalvo Conduct. c. 4. n. 110.*

23. Jam ſi roges, in quibus rebus ſecuritas univerſalis præſtanda ſit, in ſumma dicendum, illam conſiſtere, in quieta ſecuraque facultate faciendi quod velis, fruitione rerum poſſeſſarum, in libero tutoque viarum publicarum, maris, fluminum & commerciorum uſu; ad quam ſpeciem *Salvi conductus* appellatio ſpecialiter pertinet; denique in judiciorum copia. Primum continet libertatem perſonalem; quæ cum definiatur, naturalis facultas faciendi quod velis, niſi quid vi vel jure prohibeatur, ſecuritas publica primam exceptionem præſtat, ut vis à populo abſit, alteram ſupponit, imo inculcat, cum ſine illa prior in effectum deduci nequeat.

24. Proinde, qui facit, quod jure prohibitum eſt facere, an is ab hoc patrocinio excluditur? Non equidem ab immunitate vis privatæ: Sed à pœnis & coercitione publica non liberari, ipſa res loquitur: quo pertinet id quod dictum de fruitione rerum, non modo ad coercitionem furum & latronum, ſed etiam, ne quis juris obtentu melio-

n. 21. *n*) jus non habent) *Reſpicit hoc loco Autor ad ea, quæ docuit ſuprà* lib. 1. ſect. 5. cap. 3. n. 2. & 9. *Sed ibidem in notis* p. 185. ſeq. *oſtendimus, illam Autoris aſſertionem non validè eſſe probatam. Unde & concluſio, quam intuitu ſecuritatis publicæ ex illo fundamento deducit, fundamento vacillante nititur, ſed tum demum obtinet, ubi princeps exercitium religionis publicum indulſit diſſentientibus in religione. Alias de iis idem dicendum erit, quod autor notavit* n. 27. *de collegiis prohibitis.*

o) ex cap. 3. n. 15. ſeq.) *Sed & hic tamen multa adnotavimus* p. 188. ſeq. *quæ docent hinc inde errores ſententiæ propè communis, quam Autor ibi defendit.*

n. 22. *p*) antiquus honos gentis) *Sed ſi hæc eſſet ratio, etiam in honore eſſent habendi Judæi, nec ut ſervi quaſi publici deberent conſiderari. Verum autor utitur hac ratione ſaltem tanquam ſuaſoriâ tolerationis adverſus eos, qui Judæos tolerari nolunt.*

q] converſionis ſpes) *Hæc ratio valebit ſaltem apud Theologos, qui converſionem Judæorum credunt.*

r) autoritas) *Hæc ratio etiam non perſuadebit niſi JCtos glebæ Juris Romani adſcriptos.*

s) in loco dicta ſunt] d. ſect. 5. cap. 3. n. 3. ſeq. & cap. 5. n. 18. ſeq. *Sed poſtquam ibi oſtendimus, ſpuriam eſſe ſpiritualitatem illius pœnæ, & originem excommunicationis deberi arcanis Politicæ Papalis, longè facilius poſſumus refutare errorem ab Autore hic notatum Bechtii, aliorumque.*

melioris, in detentione rerum ſuarum turbetur. Et *ἰδιαιτέρως* hunc articulum, de rebus poſſeſſis, potius, quam unicuique propriis expreſſimus; quia dominii vindicatio ad Judicia pertinet, poſſeſſionis ſecuritas magis ad hoc caput tutelæ publicæ ſpectat: Quia, ſi hæc ſuo loco non relinquatur, ſed alius alium juris prætextu turbet in præſenti detentione, eumve expellat, aut res eripiat, nihil quam bellum omnium contra omnes privatum in Republ. foret. Unde nullum ſanctius in civitate præceptum extat, eo, quod & leges & canones dictant, *Spoliatos ante omnia reſtituendos:* Id eſt, cui poſſeſſio manu erepra eſt, eum ſine examine juris, quo rem detinuerit, incontinenti publicâ manu in integrum eſſe reſtituendum; tametſi fur aut prædo ſit, imo licet alter ab illo dejectus, ipſum prius ejecerit, modo non è veſtigio per modum defenſionis id egerit *l. 17. ff. Unde vi.*

25. Hæc omnia majoris tumultus evitandi & ſecuritatis publicæ conſervandæ gratia, quam ſi juris prætextu turbare liceat, tam juſti quam injuſti poſſeſſores periclitarentur. Quare, qui rem ſuam vel ſibi debitam ab adverſario aliter quam per Judicem repetit, Jus crediti vel dominii amittit, ex conſtitutione Divi Marci *in l. 13. ff. Quod met. c.* Denique, malefici, homicidæ, adulteri & quorumvis criminum rei, modo in flagranti delicto non reperiantur, ad hanc ſecuritatem, quæ facti recte appellatur, pertinent, ut à privatis lædi non poſſint; Aliter enim publicæ diſciplinæ vigor obſervari non poteſt: Cujus ratio vult, ut delinquentes non minus à privatis tuti ſint, quàm publicè comperentibus pœnis adficiantur.

26. Hæc omnia Rectorum civitatis officio ſic continentur, ut ea quidem ultro & gratis procurare debeant; Quod tamen non vetat, in viis, & in fluminibus, vectigalia pro ſumptibus in ſecuritate præſtanda faciendis imponi. Sed hæc res ad locum communem de vectigalibus ſpectat: Niſi quod ad exteros attinet, de quibus *in ſect. ſequ.* agendum. Sed peregrini & eorum res tam viventium quàm mortuorum, æquè ad hoc officium cujuſque Reipublicæ Rectorum pertinent, quam cives & horum bona; quo referuntur etiam naufragia, de quibus *in lib. 1. ſect. 3. cap. 7. n. 51. & ſeqq.* Arreſta tam peregrinorum quam civium, de quibus actum *in ſect. praced. cap. 1.* & jus redigendi in fiſcum hereditates peregrinorum, quod jus Albinagii vocant in Gallia; quod huic etiam officio Rectorum civitatis minus videtur conveniens, *t)* de quo Bodinus *in lib. 1. de Republ. c. 6. n. 62. & ſeqq.*

27. Vidimus, quid ſecuritas publica & quos complectatur. Videamus, quinam ab illa excludantur, quod non uno & ſimplici modo vel gradu ſit. Primus videtur, quo certi homines, aut hominum ordines excluduntur à judiciis, ita, ut non habeant perſonam ſtandi apud tribunal, neque per ſe, nec per ſuos curatores aut actores; ſed tamen reliqua ſecuritate gaudent, ut ſpoliari & violari nequeant. Idque magis in ordines & qualitates hominum, quam in ſingulos, niſi forte quibuſdam in cauſis, congruit. Sic collegia prohibita non audiuntur in judicio, neque sectores illorum, quatenus iſtam qualitatem præferunt, in univerſum. Receptatores aleatorum jure civili arcentur à Tribunali prætoris, etſi querantur de damnis & injuriis ſibi factis, *l. 1. ff. de Aleator.* Quod tamen non supponit

eos

n. 26. t] minus conveniens) *Sed rationem ſtringentem velim audire. Si peregrinis dura videtur iſta lex, plerorumque culpa eſt, quod Gallias non vitent. Oſtendit Bodinus, iſtud jus Albinagii fere juris Gentium eſſe ac fuiſſe. Et ſi Romani juris autoritas vim ſuadendi habet, ut Autor putat* n. 22. *ſane & eo id Albinagium receptum fuit, etſi ſub alio nomine. Vocabatur enim jus* applicationis. *Bodinus* d. l.

eos à quolibet impune lædi & obteri poſſe, quod plerique juris Romani conditoribus obiiciunt; Hoc enim non tam ad Prætorem, cujus edicto arcentur à judicio, quam ad præfectum urbis ſpectat, cujus officium ad quævis maleficia pertinet, ut demonſtravimus in *Eunom. Rom. ad l. 1. d. tit. ff. de Aleator.* Etſi verum eſt, magiſtratus raro ad ejuſmodi ſingularum perſonarum, à judiciorum tutela excluſiones procedere oportere.

28. Secundus gradus eſt, quando liber uſus fori, viarum publicarum & commercii ac habitationis uſus alicui præcluditur, ut non modo ſit omnibus, qui ob admiſſa trahuntur in carcerem, ſed etiam quibus urbe, foro, vel commerciis interdicitur, & qui hac gratia vel educuntur, vel, ni ſponte foras eant, in cuſtodiam publicam rapiuntur, aut mulctis vel pignorum capionibus vexantur: neque enim tales à quovis impune cædi aut ſpoliari poſſe dicendum eſt: Etſi magiſtratus uſi ſint hac formulâ; *ſe protectionem illis negare ſuam*, ut cujusdam urbis magiſtratuum denunciaſſe memini viro bono, cœtus extraordinarios religionis causâ exercenti. Quod ultrà ſanè quàm hoc articulo dictum eſt, extendi non poſſe putem: Etſi minus illa prudens interdicendi formula videtur. Si enim indefinite verba capiantur, ut ſonant, impunè cuivis illum hominem, verberare, ſpoliare, vexare, permiſſum foret: quod erat ultra negotii modum & interdicentium, credo, propoſitum.

29. Ad hunc ordinem pertinent etiam circumforanei milites, deſettores, validi mendicantes, quibus non permittitur *u*) fori & publicarum uſus viarum, & ſpecialiter *Zingari*, quos vocant, & chiromantæ vagabundi, quibus non immerito accenſentur, unguentorum nundinatores, vagi pugiles & cacaborum calceorum reparatores, denique variarum rerum minutarum venditores errantes; quibus merito non permittitur vagari per urbes & agros, ſine veniâ ſpeciali, ſub pœna operis publici, ut in *Tit. C. de mendicant. valid.* & Statut. Friſ. *lib. 2. tit. 8.* Denique malefici, id eſt, magicarum artium magiſtri & incantatores huc pertinent, quos cuilibet occupare deprehenſos, & in publicum pertrahere non modo permittitur, ſed etiam præcipitur *L. ult. C. de maleſic & Mathemat.* Sic & latrones, prædones, piratas, transfugas & omnes graviorum, inquam, criminum reos haberi notum & dictum eſt.

30. His omnibus tamen hactenus publicæ patrocinium ſecuritatis debetur, quod ſpoliari & occidi non poſſunt, verum comprehenſi publicæ tradendi cuſtodiæ meritiſque pœnis ordine judiciali causâque cognita ſunt coërcendi. Ut tamen ſi, dum comprehenduntur, armis ſe defendant, ſi contingat eos cadere, jure cæſi videantur, ut *alias* dictum. Nec tamen nulli ſunt, quos etiam ultro occidere liceat, non modo inſidiatores & obſeſſores viarum, latroneſque & omnes aliorum invaſores, dum in hoc ſunt, ut alios in periculum vitæ adducant, quos inter & raptores mulierum in ipſo actu deprehenſi *l. un. C. de Rapt. Virg.* ſed etiam promiſcue, ſi qui publico edicto hoſtes declarati & omnium ictibus expoſiti atque proſcripti ſunt; non per factionem & tyrannidem, ut olim proſcriptiones Sullanæ & triumvirales, ſed manifeſtis hominum meritis, & ſalute publica propter illorum furorem, extremam exigente ſeveritatem. Atque his etiam adnumerandi, quos induiſſe animum, quemlibet obvium interficiendi conſtat, quales apud Indos furore quodam religioſo percitos, non ſecus ac rabidos canes, quandoque vagantes & vociferantes conſpici, ſcribunt noſtrates illinc. Quin idem

n. 29. u) non permittitur] *Sed notandum exempla quæ hic afferuntur, non omnia pertinere ad jus Gentium, certè non ad præceptivum. Adeoque ratione illarum perſonarum, requiri præcedentem aliquam republica prohibitionem & interdictionem.*

Digitized by Google

idem in conductos ſicarios, vulgo *Aſſaſinos*, qui in certos homines armati incedunt, licere plerique ſtatuunt, per *cap. 1. in fin. de homicid. in 6.* Damhoud. *prax. crim. c. 83.* Clar. §. *Aſſaſinum* Menoch. Caſ. 360. *n. 42. ubi.* Et rectè, ſi aliter ſcelus eorum opprimi non poſſit. Privatis enim ferri licentiam nonniſi extrema neceſſitate permittendam eſſe, res & publicæ vigor diſciplinæ loquitur.

31. Cum enim nulla res humani generis omniumque imperiorum ſaluti magis adverſetur, quam ut pax & ſecuritas publica violetur, haud immerito, qui hoc audent, eodem malo, quod aliis parant, adfliguntur, ut extra pacem publicam conſtituti, ab omnibus impune tam in perſona quam in rebus offendi poſſint: quæ eſt ſententia *Banni*, quod pacis publicæ violatoribus irrogatur, de quo prolixè Gailius cum *toto de pace publica opere, tum in lib. 1. cap. 20. & paſſim*, quæ hic deſcribere nihil attinet. Cum autem hæc res inter ea ſit, quæ & exteri ſibi invicem debent, de his *ſequenti ſectione* agendum videtur.

32. Ita ſecuritas univerſalis totum hujus capitis ſpatium implevit. De particulari, ad quam generalia reduci poſſunt, pauca ſubjiciemus, & præſtatur hæc vel exteris, vel civibus. Ad illos quidem ſectio quæ ſequitur, pertinebit, quatenus ſunt exteri. Sed hic de illis, ut in noſtra civitate verſabuntur, agendum eſt. Impertimur autem literas *ſalvi conductus*, ita ſpecialiter reſpectu foris venientium dictas, iis qui apud nos locum non habent, aut qui jure communi ſatis erant tuti, de facto autem moleſtias timent.

33. Prioris generis ſunt hoſtes, qui rerum ſuarum privatarum cauſa noſtris in finibus, ad tempus, agere cupiunt, etiam legati hoſtium ad tertium, qui per fines noſtros iter facere debent, nam & hi nobis privatorum loco ſunt. Exſules etiam noſtri & delictorum, vel æris alieni apud nos rei ſunt ejusdem generis; ut ſecuritatem flagitare nequeant, rogare & à volentibus impetrare poſſint.

34. In poſteriore numero ſunt, omnes amici, ſeu fœderati, ſive nulla inimicitiæ cauſa nobis cogniti; quibus ex jure Gentium & conjunctione ſanctisſima generis humani, ubique debetur ſecuritas, w) illi enim apud nos & libertatem ſuam, & dominium rerum ſuarum æque ac apud ſe retinent, eademque nobis apud illos contingunt, ut docet Tryphoninus *in l. 7. pr. ff. de Captiv. & poſtlim.* Etſi verum eſt, apud antiquos populos id usquequaque non fuiſſe obſervatum; ſed exteros omnes fere hoſtium loco, x) ut alibi jam diximus & dicemus, eſſe habitos; quando & exteros omnes, hoſtium nomine, vetere latinismo deſignatos fuiſſe conſtat. Huc etiam referuntur, publici hoſtium nuntii, ſive legati, de quorum jure peculiaris occurret locus in *ſectione ſequenti*: Tales enim, etſi de jure nihil ſit illis metuendum, adverſus injurias tamen repentinas, cautione publica indigent; non modo, antequam in fines noſtros perveniant, à limitaneis militibus, ſed etiam ſæpe, dum in media civitate noſtra verſantur, à plebe, vel ab inimicis ſuis peculiaribus. Quo pertinent Edicta protectionis publicæ, in civitatibus optime gubernatis, non raro, in gratiam legatorum aut exterorum, conſenſu publico munitorum, ſolita promulgari.

n. 34. w) ſecuritas) *Si hoc verum eſt, uti eſt verum, falſum erit, inter gentes diverſas ſtatum naturalem eſſe ſtatum belli, quod tamen autor cum Hobbeſio ſupra* lib. 1. *aſſeruit, & hic n. 7. repetiit.*

n. 34. x) hoſtium loco) *Unde communis perſuaſio de licentia latrocinii gentis in gentem,* Vide notata ad ſect. 2. cap. 5. n. 49. lit. z.

35. Fit etiam, licet exteri & peregrini nihil de facto metuant, ideoque ſine venia publicè impetrata, freti juſtitia communi, in alienas terras ſe conferant, harum tamen Rectores, promiſcuos introitus, ſine venia publica non probent, nec omnimodam & incuſtoditam ſecuritatem peregrinis concedendam putent, non quod humanitatis legi quicquam derogatum velint; ſed ut propriæ ſecuritati, quod ſtatus peregrinorum, facto, quam jure magis æſtimatur, conſulendum cenſeant: Quo pertinet, quod in limitaneis locis, quilibet tranſeuntes eorumque hoſpitia notari ſolent: quod etiam ſæpe detinentur ad tempus, aut in fines intrare prohibentur, maximè illuſtres perſonæ. Quod ex juſta ſecuritatis procurandæ cauſa jure quoque fieri non dubitatur; Et extant edictorum hujus generis exempla.

36. Quod attinet ad cives cujusque Reipublicæ; Generalis, de qua dictum, ſecuritas definit ac uſum habet in ſingulis, & ſpecialis admodum raro illis applicatur. Fit tamen aliquando, ſi vel jure, vel de facto, ſibi metuant. Jure, cum propter æs alienum latentes, quo res ſuas melius conſtituant, vel cum creditoribus ſuis paciſcantur, veniam à ſumma poteſtate, vel ſupremo judice petunt, ut ſibi tuto liceat in medio verſari, duntaxat ad tempus, ut à carcere moleſtiisque perſonalibus & executoriis interea liberentur: Aliquando etiam inducias, reſpectu bonorum ſuorum, moratorias impetrant, vulgo *quinquennales*; unde nomen ejusmodi induciæ populare adeptæ ſunt. Sed perſonalis exemptio, *ſecuritas*, ut eſt revera, *corporis* appellatur. Reis etiam delictorum tale quid, etſi rarius, indulgetur; à carcere liberos fore, dum rei judicetur, *l. 1. ff. de Cuſtod. & exhib. reor.* aliquando & commeatus liber, & abitus illis condicitur. quod ſi fiat, data fides ſancte ſervanda, nec elidenda prætextu juſtitiæ: modo diſerte expreſſa ſit facultas liberi aditus & receſſus; Qualis non fuit in literis ſalvi conductus z) à Sigismundo Imp. datis Johanni Huſſo, ut illarum quidem præſidio non potuerit eſſe tutus ab accuſatione & executione criminali, ſicut eas exhibet Joh. Petitus *in Chronic. Holl. tom. 1. lib. 3. ſub fin.*

37. Denique & miniſtri publici, cum actiones illorum in odium publicum incurrunt; quandoque recipiuntur in ſpecialem protectionem: quomodo Rectores Hollandiæ *Johannem Oldenbarneveldium* Syndicum ſuum Edicto publico in protectionem receperunt, anno hujus ſeculi XVII. Judices etiam extraordinarii plerumque decretis ejusmodi vel edictis à ſumma poteſtate muniuntur, adverſus odia, quibus extraordinariæ poteſtates ſæpe, nec aliquando ſine ratione, ſubjiciuntur. Etſi hæc juris remedia turbamentis facti occupandis & amoliendis, ſæpe minus apta & efficacia reperiuntur. a) Sed hoc politicæ conſiderationis eſt.

38. Ad juris rationem poſtremò pertinet, cautio de non offendendo, quam petere poteſt is, qui offenſionem & læſionem violen-

n. 36. z) ſalvi conductus) *Etiamſi non fuiſſet in literis ſalvi conductus expreſſa mentio liberi aditus & reditus, tamen ſi fuiſſet datus ſalvus conductus Johanni Huſſo, fraus fuiſſet indubia, quia ſalvus conductus naturâ ſuâ hanc facultatem infert. Ergo hoc ſentientes Pontificii prætendunt literas Johanni Huſſo datas non fuiſſe literas ſalvi conductus, qui delinquentibus concedi ſolent, ſed ſaltem literas, qui nomine* paſſeport, Paß/ *veniunt.* Vid. Maimbourg. Hiſt. du grand ſchisme d' occident. lib 5. p. 216. ſeq. Autorem des Bilderſaals p. 65. ſeq. *Sed noſtrates tamen contrarium evincere ſtudent, citati Leydekkero* ad Horn. Hiſt. Eccleſ. p. m. 293. n. 73.

n. 37. a) reperiuntur) *ut vel exemplo Oldenbarneveldii conſtat.*

Digitized by Google

olentam ab alio timet, & cauſam timoris probabilem adſerre poteſt, quâ de re πραγ-ματικῶς agit Gailius *in lib. 1. l. de pace publ. cap. 2.*

CAP. IV.
DE JURE REFORMANDI CIVITATEM &c.

Reformationis civitatum quis & quando ſit uſus. n. 1. A quo inſtitui, à quibus peti poſſit. n. 2. Exempla Lycurgi & Solonis in hanc rem examinantur. n. 3-8. Reformatio Romana n. 9. Singulos cives non habere jus aliud, quam conquerendi & ſupplicandi; & hoc ipſum aliquando poſſe prohiberi. n. 10. 11. 12. Nefas eſſe, petitionem reformationis extra Rempubl. inſtitui. n. 13. Reformationum effectus rarò diuturni n. 14. 15. 16. Materia reformationis in genera diviſa; n. 17-24. & de eccleſia defunctorie, n. 25. ubi & de *Devotione*, obiter. n. 26. 27. 28.

1. HÆc fere ſunt, quæ in externa adminiſtratione civitatis, doctrinam juris participant; Politica, res multò plures continet, quæ inde petenda relinquemus: quæ autem Reipub. jura pertinent ad exteros, ad ſequentem ſectionem referemus. Supereſt adhuc locus de reformatione civitatis. Nam ita frequenter uſu venit, ut vel jura civitatis adminiſtrandæ ab initio malè & imperfecte collocata ſint, quod accidit Romanis, vel recte poſita deinde corrumpantur; *b*) atque ut ita reformatione Reipubl. opus ſit: niſi priorem ſpeciem malis emendationem vocare. Cum autem reformatio vix unquam, ſine perturbatione ſtatus præſentis eveniat, magnam hæc res ἀμφοτέρ-ων politicam ſimul & juridicam habet.

2. Juris quæſtio inprimis hæc eſt; Quis reformationem inſtituere, quis petere poſſit. Et quidem ſine hæſitatione dicendum eſt,

n. 1. *b*] deinde corrumpuntur] *De priori membro agit Autor* n. 2. ſeq. *de poſteriore* n. 23. *Sed diſtinctio hæc vereror, ne magis hanc doctrinam implicet, quàm explicet. Nulla enim ex omni hiſtoria poterat afferri respublica, quæ ab initio optimè & perfectè ordinata fuerit, exceptâ ſolâ republica Iſraelitica per Moſen. Unde non ſequitur, quod Autor tamen videtur voluiſſe inferre* d. n. 23. *Reſpublica habet leges fundamentales, ergo eſt perfectè ordinata. Ut vel exemplo imperii Germanici patet, quod capitulationes habet tanquam leges fundamentales, & tamen eſt reſpublica valde irregularis. Neſcio igitur, quâ ex ratione autor, qui tamen valde alias Romanam rempublicam & ejus leges veneratur, dum exemplum malè & imperfectè ordinatæ Reipublicæ afferre vult, ſolos Romanos adducat: niſi fortè in mente habuerit ordinationem Romuli, quam pro imperfecta habet intuitu ſequentium mutationum* n. 17. *Sed hic aliter ſentio, per ea quæ excerpſi ex Livio & Dionyſio Halicarnaſſeo* lib. 1. de nævis Jurispr. Antejuſtin. *Vide & diſcurſum ipſius Dionyſii ſuper inſtitutis Romuli. Id volo, Romuli inſtitutum non quidem conſtituiſſe optimam rempublicam, ſed tamen meliorem fuiſſe mutationibus ſubſequentibus, in primis illis, quæ poſt ejectos reges facta ſunt.*

Digitized by Google

eſt, eam non poſſe fieri ab aliis, quam qui jus habent Imperii ſummi; formare enim atque reformare eſt ejusdem facultatis. Proinde in populari Imperio, quod ad jubendi poteſtatem attinet, proficiſci debet ab ipſo populo; Suadendi auctoritas à viris ſapientibus oritur, *c*) ſed præcipua *ὁρμὴ* & impulſio naſcitur è malis, quibus civitas conflictatur, & quorum remedia nonniſi à reformatione civitatis ſperari posſint.

3. Talis erat Attici populi conditio, priusquam Solon ejus ſtatum reformaret, *παντάπασιν ἐπισφαλῶς ἡ πόλις διέκειτο*, *civitas periculoſiſſime laborabat*, ait Plutarchus. Ideoque cum alium exitum non viderent, *τὸν Σόλωνα τῆς πολιτείας διορθωτὴν καὶ νομοθέτην ἀπέδειξαν, πάνθ' ὁμαλῶς ἐπιτρέψαντες, ἀρχὰς, Ἐκκλησίας, δικαστήρια, Βουλὰς καὶ τιμήματα ἑκάστου, λύοντα καὶ φυλάττοντα τῶν ὑπαρχόντων καὶ καθεστώτων, ὅ, τι δοκοίη.* Id eſt, *Solonem conſtituerunt reformatorem & legum conditorem, omnia ſimul ei permittentes, magiſtratus, Conciones, Tribunalia, Senatus, atque judicia cenſumque ſingulorum, cum poteſtate ſolvendi retinendique ex iis quæ conſtituta erant, pro ſuo arbitratu.*

4. *Solon* igitur volenti populo, virtute decreti ipſius, reformationem impoſuit. Diverſum *Lycurgi* exemplum fuit, quem populus quidem magni faciebat ob probitatem atque prudentiam, reformandi tamen poteſtatem ab eo nullam accepit, ſed leges ſuas reformatorias per vim tulit. *Βίᾳ μᾶλλον ἢ πειθοῖ χρησάμενος*, *vi magis quam perſuaſionibus utens*, ait Plutarch. *in vitâ Sol.*

5. Modus procedendi, quo Lycurgus eſt uſus, ab eodem in *Lycurgo*, ſic memoratur; *Ἐπαρθεὶς δὲ τούτοις προσῆγε τοὺς ἀρίστους καὶ συνεφάπτεσθαι παρεκάλει, κρύφα διαλεγόμενος τοῖς φίλοις πρῶτον, εἶτα οὕτως κατὰ μικρὸν ἁπτόμενος πλειόνων καὶ συνιστὰς ἐπὶ τὴν πρᾶξιν. Ὡς δ' ὁ καιρὸς ἧκε, τριάκοντα τοὺς πρώτους ἐκέλευσε μετὰ τῶν ὅπλων ἕωθεν εἰς ἀγορὰν προελθεῖν, Ἐκπλήξεως ἕνεκα καὶ φόβου πρὸς τοὺς ἀντιπράττοντας.* Id eſt; *His rebus, in ſpem elatus, acceſſit ad optimos, utque rem ſecum aggrederentur, cohortatus eſt, primò clam cum amicis agens, dein ita paulatim plures inducens & ad rem peragendam confirmans. Ubi vero tempus adfuit, triginta primores mane cum armis in forum progredi juſſit, ad percellendos terrendosque eos qui reſiſtere vellent.* Plane, ſicut factiones quælibet actionesque violentæ inſtituuntur & præparantur, eadem viâ Lycurgus reformationem perpetravit, nec ſine pugnâ *ὥστε καὶ ὀφθαλμὸν αὐτῷ ἐκκοπῆναι*, *ut etiam oculus ipſi excuteretur* in conflictu.

6. Collocari debet hoc reformationis exemplum inter heroica facta, *d*) quæ potius admirationis quam imitationis uſum præbeant. Agis & Cleomenes, qui aliquot ſeculis poſtea, pari viâ, reformationem moliebantur, minus proſperos ſucceſſus habuerunt, ut idem Plutarchus in eorum vitâ commemorat. Adeò multum refert, quo tempore, quibusve

n. 2. *c*) oritur) *Sed probè tenendum quinam viri ſint ſapientes. Nulli, niſi qui genuinâ doctrina morali & Politica ſunt inſtructi. At hæc inter deſiderata Academiarum ferè referenda eſt. Commune vitium ſapientum eſt in omnibus facultatibus Academicis, quod putent, pravos mores emendari poſſe per leges ſcriptas, quod vitium à Solone ad nos ſine interruptione traductum & derivatum eſt. Vide infrà* n. 14.

n. 6. *d*) heroica facta) *Sed & doctrina de virtute heroicâ, prout ex Ariſtotele hodienum explicari ſolet, pertinet ad errores, magno conatu artibus Cleri Pontificii inſinuatos animis & docentium & diſcentium & poſt reformationem incautè retentos. Virtus enim heroica prædicatur de actionibus virorum magnorum, dictamini rectæ rationis adverſantibus, felice tamen eventu gaudentibus. At regula Prudentiæ inter primas referenda illa eſt, prudentiam & juſtitiam actionum non judicandam eſſe ex eventu.*

busve meritis circumſtantiarum aliquid aggrediaris.

7. Ceterum, ſecuta populi Laconici approbatio non modo juris vim, ſed incomparabilem quoque gloriam Lycurgo addidit, quam meretur hoc unico in rebus humanis exemplo, ab orbe condito, ut in tota aliquâ gente πλοῦτος eſſet ἄτιμος, ἄζηλος, & revera ἄπλουτος; *divitiæ inhonoratæ*, *contemptæ*, imò *non divitiæ* forent.

8. Quanto etiam præſtiterit ipſius reformatio, Solonis Atticæ, ab eventu patuit; nam Solon vivus civitatem à ſe legibus conditam vidit à cive per tyrannidem oppreſſam: Lycurgus id adſecutus eſt, ut per annos quingentos, *e*) ſuæ leges tam publici quam privati juris ſanctiſſimè cuſtoditæ ſint, libertate formaque reipubl. ab ipſo conſtituta, tam foris ab hoſtibus, quam domi à civibus inconcuſſa. Differentiæ ratio fuit, quod Solon bonas quidem leges excogitaſſet, ſed hominum mores privatamque diſciplinam non mutaverat. *f*) Lycurgus ab hac inceperat, morumque & rei familiaris diſciplinam, ut fundamentum, reformationi publicæ ſubſtraverat.

9. In Romana republ. reformatio non ſemel in perpetuum, ſed per intervalla nec ſemper in melius, Tribunitiis rogationibus introducta eſt, haud tamen aliter quam populo conſentiente, quod ex hiſtoria conſtat, heic compendio adumbrari non poteſt. Conſequenter in Ariſtocratiis atque Monarchiis, non niſi per eos, qui ſummum habent imperium ſtabiliri poteſt. Quia vero principes & proceres remedia malorum, quæ faciunt, ægrè ferunt, rarius accidit, ut ipſi de reformatione cogitent, niſi plebis ideo tumultuantis, demulcendæ cauſa. *g*) Proinde quæſitum eſt, an ſingulis civibus de vitiis publicis querelas inſtituere, atque reformationem, & quouſque urgere liceat.

10. Non poſſe privatos, imperantibus in hoc genere quicquam præſcribere, jam diximus; preces ſupplicationeſque in hunc finem illicitas reputare non licet; utique in univerſum, *h*) Si enim hoc prætextu fomenta ſeditionum quærantur, ut aliquando

Tttt accidit,

n. 8. *e*) annos quingentos) *Idem Autor repetit* n. 15. *deſumtum ex Plutarcho* in Lycurgo. *Sed cave, ne exinde inferas, prudentiorem fuiſſe ordinationem Reipublicæ Laconicæ, præ Moſaicâ, cum ex hiſtoriâ ſacrâ conſtet, ſanctiores utique legibus Lycurgi, leges Moſaicas non diu à populo Iſraelitico fuiſſe ſanctiſſime cuſtoditas. Nam* (1) *Lycurgum in formatione Reip. Laconicæ non prudenter egiſſe, non ſolum patet ex illis, quæ Autor modo adduxit* n. 6. *ſed & ex aliis pluribus rationibus, quas expoſui* in lectionibus privatis de prudentia Legislatoria. (2) *Qui novit, autores Græcos adſuetos eſſe plurimis fabulis, & jactatoriis laudibus propriæ felicitatis, & quod careamus hiſtoricis, ſtatum Lacedæmoniorum per illos quingentos annos diſtinctius exponentibus, non ſine ratione dubitare poterit de veritate hujus aſſerti.* (3) *Sed poſito eam veram eſſe, id tamen ex principiis politicis pariter & hiſtoricis non difficulter deduci poteſt, quietem rerum publicarum non ſemper deberi bonæ & prudenti ordinationi, ſed quod vel vicini imprudentiores ſint vel potentia careant. Conf. notata ſuperius* ad cap. 1. n. 4. lit. k.

f.] non mutaverat) *Quod vitium commune eſſe fere omnium tentatarum emendationum Reipublicæ, modo notavimus* lit. c.

n. 9. *g*) demulcendæ cauſa) *Atque tales fuiſſe emendationes Romanorum docuimus in* d. l. 1. de nævis Jurispr. Antejuſtin.

n. 10. *h*) in univerſum] *Ad hunc numerum & ſequentem* 11. 12. 13. *intelligendum repetenda ſunt ea quæ Autor diſſeruit ſupra* ſect. præced. c. 5. n. 17. & 18. *& quæ ibi notavimus* lit. z. a. b. c, *unde patebit ratio, cur & hic iterum vacillet, nec optimè connectat.*

Digitized by Google

accidit; maxime, ſi cœtus coitioneſque ea gratia inſtituantur, ipſæ quoque ſupplicationes hujus generis prohibendæ ſunt. Præſertim, quia ſæpe animadverſum eſt, ab iis, quibus reformatio bonique publici ſtudium in ore eſt, nihil quam mutationem ſtatus publici utilitatemque privatam affectari: denique, ubi facultas offerendi libellos querendique de ſtatu præſenti promiſcue datur, fieri vix poteſt, ne tumultus inde populares oriantur.

11. Nec tamen ea res aut quicquam aliud impedimento eſſe poteſt, quominus boni cives, modeſte, ſine inconditis clamoribus & conſcriptione metuenda ſodalium, querelas ſuo principi vel proceribus offerant, & reformationem publicisque vitiis remedia petant, verum ultra querelas precesque innoxias inſtare nequeunt. Non obſtante, quod dici queat, eum qui formavit imperium, idem reformare poſſe, populus autem dedit primam imperio formam; Ergo in omni republ. populus efficaciter urgere poteſt reformationem. Nos enim in *libro primo ſect. 2.* abunde probavimus, imperio ſimpliciter translato, populum ſemet ipſum privaſſe poteſtate reipublicæ curandæ; nec eſt dubium, quin hæc poſitio conceſſa, quælibet imperia redderet democratica & confuſionibus obnoxia turbulentis.

12. Hæc ita, ubi ſumma poteſtas ſimpliciter in unum vel paucos translata reperitur. Ubi vero penes ordinem certum, per leges reipubl. facultas eſt, curandi, ne leges violentur, ne ſalus populi negligatur, ibi perfecta juris ratio vult, ut ab illis reformatio flagitetur, & quibus malis reſpubl. laboret, quibus remediis ſit utendum, imperantes admoneantur; Ni hoc faciant, ipſi reos ſe neglectæ reipublicæ præbent.

13. Ex his porro ſequitur, reformationem nullo modo peti poſſe, ab iis faciendam, qui ſunt extra rempublicam; imo quotiens cives ejuſmodi querelas petitioneſque reformandi corrigendique regimen civitatis ſuæ, deferunt ad externas poteſtates, hi ſe manifeſto reos majeſtatis læſæ præbent. Juris enim eſt adſeverati, poteſtatem reformandi rempubl. ab eo, cujus eſt ſumma poteſtas, proficiſci debere: Subjecti imperio rogare atque ſupplicare, nec amplius poſſunt, ita quemadmodum modo expoſitum. Ordines regnorum, qui aliquid juris in ſumma republ. retinuerunt, plus vigoris addere poſſunt ſuis precibus. Ut ſi rex pecunias imperare non poſſit, invitis populi ordinibus, in promptu eſt his, & ſæpe nimis in promptu negare tributa ſubſidiaque, niſi placeat regi concedere eam reformationem, quam populus deſideret. *i*)

14. Quomodocunque facta reformatio, fere ita vitio ingenii humani accidit, ut brevi exoleſcat: Solonem Anacharſis irridebat, οἰόμενον γράμμασιν ἐφέξειν τὰς ἀδικίας *ſperantem ſe literis injuſtitiam avaritiamque hominum cohibiturum.* Solon putabat ita ſe leges ſuas adtemperaturum, ὥστε πᾶσι τοῦ παρανομεῖν βέλτιον ἐπιδεῖξαι τὸ δικαιοπραγεῖν, *ut omnibus perſuaderet, juſtitiam colere ſatius eſſe quam delinquere.* Ἀλλὰ ταῦτα μὲν, ὡς Ἀνάχαρσις

n. 13. *i*) populus deſideret) *Sed notus etiam eſt modus, quo principes utuntur in his artibus populi eludendi. Promittunt reformationem, ſed urgent neceſſitatem, ac ita populum perſuadent, ut ante omnia de tributis conveniant. Poſtea ſub variis prætextibus comitia diſſolvuntur. Didicerunt has artes Principes à Papis, qui ſimiliter in conciliis eluſerunt petitiones integrarum nationum de emendandis moribus cleri, perſuaſionibus, quod antè omnia ſint tractanda quæſtiones de coercendis hæreticis, id eſt illis, qui quocunque modo & levi ſaltem viâ in dubium vocare auſi ſunt autoritatem Papæ & Cleri Pontificii. Ut taceam alios modos eludendi deſideria emendationum, tam Papæ quam principibus uſurpatos potiſſimum ex doctrinâ* n. 16.

χαρσις εἴκαζεν, ἀπέβη, ἢ κατ' ἐλπίδα Σόλωνος. *At hæc non tam pro ſpe Solonis, quam pro conjectura Anacharſis evenerunt, k)* ait Plutarchus *in Sol.* ſiquidem ipſo adhuc vivente atque vidente, populus in graviſſimas ſeditiones, & mox in tyrannidem incidit, ut dicere occupavimus.

15. Unica ratio conſtabiliendi reformationem eſt, *l*] Executionem ejus obſervationemque legum diverſis in republ. Ordinibus committere, quorum utilitates atque reſpectus ſibi invicem ita adverſi ſint, ut conſpirare nequeant, ſed alii aliis invidere mediaque æmulatione ſe mutuo & impellere & impedire debeant. Quod Lycurgus ſapientisſime curavit, poteſtate diviſa inter reges & populum, ſenatuque in medio illarum collocato, quod eſſet Οἷον ἕρυμα ἐν μέσω θέμενον, veluti *ſeptum in medio poſitum*, ait Plutarch. *in Lycurg.* Quibus deinde collegium ephororum acceſſit, queis in ipſos reges erat poteſtas, legum ſervandarum cauſâ. Ita factum, ut Lycurgi reformatio per quingentos annos inconcuſſa manſerit, inquam; Unicum hujus generis in universa hiſtoria exemplum. *m*)

16. Optimus alioqui reformator eſt Deus, qui calamitatibus immiſſis, ipſos imperantes ſæpe cogit, ut ni ipſi cum republ. interire malint, inſtituta prava mutare, publicæque ſaluti cogantur velificari. *n*) Ceteræ omnes vix aliud efficiunt, quam ut palam fiat, *quibus flagitiis impares ſimus*, *o*] hujusque dicti veritas innoteſcat; Reformatione facta, magis alios homines quam alios mores naſci.

17. Materia reformationis ſpectat vel ad rempublicam, vel ad eccleſiam. Quæ ad rempublicam, referri poteſt vel ad ipſam, vel ad inferiores civitatis ordines. Reformatio reipublicæ conſiſtit aut in rebus novis, antea non conſtitutis, ſed uſu rerum & temporum ita poſtulante, propoſitis; aut in renovandis veteribus inſtitutis in uſumque reducendis. Exemplum prioris eſt in civitate Romana, quæ à Romulo primum ruditer inſtituta, mox à Numa, dein à Servio Tullio reformata eſt; Libertate poſtea tumultuario introducta, variis legibus & tribunitiis moribus paulatim, ad eam for-

 mam

n.14. *k*] evenerunt) *Scilicet Solon decipiebatur falſa doctrinâ, quâ omnes ſectas Philoſophorum Gentilium fuiſſe infectas, alibi oſtendimus, quaſi ſcilicet emendatio intellectus neceſſario ſecum trahat emendationem voluntatis. Quem errorem in Academias introduxit Politica Clericalis, maximè faventem ejus hæretificationibus & formulis credendi per concilia obtruſis. Et tamen retinuimus incautè iſtas reliquias Papatus & Gentilismi, atque iſtum errorem adhuc defendimus in Academiis tanquam articulum fidei, etſi repugnet ſenſui communi & quotidianæ experientiæ, quæ alias ſtultorum magiſtra audit.*

n.15. *l*) reformationem eſt] *Fallitur Autor, dum ex reformatione Lycurgi petit unicam rationem ſtabiliendi reformationem, poſtquam jam de hâc Lycurgi reformatione ſententiam noſtram diximus ſatis* ad n. 8. lit. e. *Unica ratio cum ſucceſſu reformandi eſt exemplum regentium & docentium, additis pœnis in delinquentes. Sine iſtis exemplis omnes leges fruſtraneæ ſunt.*

n.15. *m*) exemplum) *Hæc Autoris obſervatio novam ſuppeditat rationem dubitandi de veritate aſſertionis, quod felicitas Lacedæmoniorum tam diu duraverit.*

n.16. *n*) velificari) *Sed nec hic tamen modus longam durationem ſecum trahere ſolet, ut vel ex hiſtoria Moſaicâ, Joſuæ, Judicum & Regum populi Iſraelitici & Judaici patet.*

o) impares ſimus) *In promtu cauſa eſt. Deficiunt nempe bona exempla regentium & docentium.*

mam, *p*) qua prædita fuit uſque ad Cæſares, redacta fuit.

18. Quod ad priorem attinet ſpeciem, in popularibus imperiis, quale fuit Romanum, jus eſt populo non tantum petendi, ſed etiam exigendi à magiſtratibus, ejuſmodi reformationem, qualis ipſi commoda videtur: modo nullum jus alterius perſonæ vel ordini quæſitum auferat & tollat! Perfectè quæſitum, inquam, per leges antea ſtabilitas, per conventiones, aut, per præſcriptionem. Perfecte autem nihil acquiritur, niſi quod imperio ſuperioris exemptum eſt, ut ſunt libertas perſonalis & privata patrimonia; quibus ſalvis, imperium civitatis conſtitutum, intelleximus ex iis, quæ in *libro primo* ſæpe collocata ſunt.

19. Non poteſt igitur populus in democratia, nec conſequenter alii imperantes, figere novas tabulas, abolere jura crediti, aut introducere communionem omnium rerum & tollere dominia, ſine conſenſu omnium & ſingulorum. Quod tamen hanc patitur exceptionem ſatis late patentem; Niſi ſumma lex, ſalus reipubl. aliud poſtulet: quemadmodum Solon ex conſenſu populi (non tamen, ut credibile eſt, omnium & ſingulorum) Athenis Σεισαχθίαν, id eſt, novas tabulas publicavit. Et Lycurgus apud Spartanos communionem bonorum, invitis locupletibus; de quo tamen actu non poteſt dubitari, quin non modo violentus, ſed etiam externa ratione juris inſpecta, fuerit injuſtus, *q*) nec aliter quam per ratihabitionem populi, ut deinceps uſu venit, legitimari potuerit.

20. Quod etiam ordo aliquis civitatis per conventionem publicam, jus ita acquiſivit, ut in partem imperii receptus ſit, hoc ei per reformationem à populo adimi non poteſt; qualis fuit conventio inter populum & ſenatum, de auctoritate & poteſtate apud Livium *lib. 1. cap. 17. r*) Et conventioni hac parte comparari præſcriptionem, in loco de *præſcriptione jurium ſummæ poteſtatis lib. 1.* demonſtratum eſt. Quod tamen non habere locum in magiſtratibus & juribus & ſubjectis, qua talibus à ſumma poteſtate indulgentur, in *eodem capite* dictum eſt; *s*) quæ proinde ſemper reformationi ſubjecta ſunt. Unde, quantum in eo ſit momenti poſitum, ſintne jura præfecturæ alicujus ita delata, ut ſummi imperii partem faciant, an ſecus, quod in quadam reſpubl. diſputatum meminimus, intelligi poteſt.

21. In optimatum imperio non eſt in poteſtate populi nova comminiſci inſtituta reformationis, quæ jure ſuo exigat & ſtabiliat, nec in regno vel principatu ordines populi, aut procerum, poſt imperium ſemel certis legibus delatum, novas, invito principe, leges ad reformandum reipubl. ſtatum pertinentes ferre vel exigere poſſunt. Quia delatio imperii eſt alienatio, ſalvis exceptionibus ab initio in ſtipulationem deductis; præter quas acquiſitum & translatum jus in eum qui ſummam accepit poteſtatem, revocare vel mutare non poſſunt. Ne quidem in electivis imperiis ſummis, id ordi-

n. 17. *p*) ad eam formam) *Rectè dicit ad eam* formam, *ſed parum aptè ad rem præſentem. Dicere debuiſſet ad eam* felicitatem *vel* perfectionem. *Sed hoc dicere non poterat ob evidentiam contrarii ſtatus. Vide quæ modo notavimus ad initium capitis* lit. b.

n. 19. *q*) injuſtus) *Unde novum argumentum quod Lycurgi reformatio fuerit imprudenter inſtituta.*

n. 20. *r*] lib. 1. c. 17.) *de novo rege eligendo poſt extinctum Romulum.*

s) dictum eſt] *Scilicet* lib. 1. ſect. 3. cap. 8. n. 7. ſeq. *Adde notata* ad finem illius capitis lit. i. p. 111.

ordinibus licet; ſed throni vacantis opportunitatem, quo jus imperii ad illos revertetur, expectare debent, quod ut fiat, & quando, in loco & tempore dictum eſt.

22. Quicquid igitur novi ad emendationem reipubl. inſtituendum putant, qui jus imperii in alios tranſtulerunt, id aliter quam conſulendo, rogando, ſuadendo urgere non poſſunt, aliquando etiam efficacius, negando contributiones pecuniarias, inquam, ni deſideriis ipſorum juſtis, bono publico ſatisfiat, ſi quidem hoc jus ſibi lege fundamentali reſervarint: quo medio magnas in regnis etiam potentibus expreſſas fuiſſe reformationes, ex hiſtoria & noſtri quoque memoria temporis conſtat. *t*) Denique, jus directum nova inſtituta recipiendi, ſine voluntate eorum qui ſummæ reipubl. præſunt, nullo modo in effectum deduci poſſe, jam ſatis conſtat.

23. Altera pars reformationis *u*) civitatem ad inſtituta primæva, temporibus hominumque vitiis collapſa reducit, quæ ſi fundamentalia fuerint, jus populo proceribuſque petendi & exigendi reſtitutionem ejus, quod in condenda civitate, vel deinde pro fundamentali receptum fuit, tribuunt, ſecundum ea quæ de legibus reipubl. fundamentalibus & eorum executione dicta ſunt in *lib. 3. ſect. 3. c. 5.*

24. Hæc ita quidem generaliter. Etſi autem non ignoramus Ariſtotelicum illud, Οι καθόλυ λόγοι κενώτεροι. *Generalia minus efficacia ſunt*, ad ſpecialia tamen deſcendere non patitur inſtituti modus. Ideoque etſi materia reformationis in moribus ſingulorum, civium, in familiis, in omnibus hominum ordinibus ſe prodat infinita, nec nihil animo jam metiri eſſemus, & calamo delineata eſſent, quibus varium jus reformationis includi poſſet, abſterret tamen & prolixitas, in opere jam ſatis grandi, & inutilitas ejuſmodi conatuum, in tanta hominum varietate judiciorum. *x*)

25. Eadem ratio facit, ut de reformatione eccleſiæ ſatius eſſe putemus, tacere, quam pauca dicere; præſertim quia nonnihil ea de re pridem à nobis occupatum eſt, in ultimis capitibus ſingularum fere ſectionum hiſtoriæ *civilis* nominatim in *cap. ult.* ſectionis ab anno 1493. *ad* 1519. ubi ſub finem, non alieni fuimus ab illorum ſententia, qui videntes, multitudinem Proteſtantium per reformationem ſuperiore ſeculo perpetratam, nihilo vel paulo ſanctiorem eſſe factam, credunt, illam melioris ſecuturæ eſſe præparatoriam; qua defæcatis in anteceſſum veritatibus ſacris, vis major ſpiritus ſancti animos ſubeat ac impleat veræ devotionis, erga Deum & Chriſtum, cujus nomen & res adhuc in reformatiune ſeculi noſtri ita non elucet, ut inexpectata vis prædicati per orbem terrarum evangelii, in ſimplicitate, puritate, veritate ſua, poſtulare vi-

n. 22. *t*) conſtat) *Mallem ut Autor exempla, ad quæ hic provocat, paululum diſtinctius adduxiſſet. Fortè reformatio extorta fuit. An in melius, an diu durans, valde dubitamus ob dicta* ad n. 13. lit. i. *& ab autore ipſo notata* n. 16.

n. 23. *u*) Reformationis) *Sed repete notata* ad initium capitis lit. b.

n. 24. *x*) judiciorum] *Sed ſi inutiles ſunt ejusmodi conatus ob tantam varietatem judiciorum humanorum, inutilis etiam eſt tota diſquiſitio hujus capitis, tanquam omni applicatione & praxi carens. Ergo nollem, eam excuſationem fuiſſe ab autore allatam. Varietas judiciorum humanorum non eſt vera cauſa, quæ doctrinam de reformatione civitatis difficilem reddat, ſed præjudicia docentium de emendatione violenta per leges absque exemplis potentium & docentium, de emendatione neceſſaria voluntatis per emendationem intellectus & ſimilia, ut hactenus oſtendimus.*

re videbatur. *y*)

26. Placet addere vacuo loco, quid igitur per devotionem, ſuperſtitioni æſtimatione vulgi proximam, intelligamus. Quid eſt inquam devotio? Definiri poſſe negat Vir Rev. auctor libri *de devotione*, *z*] eamque rectius à piis animabus ſentiri, quam à doctis, finiri poſſe, bene obſervat. Videamus, an ex etymologia nonnihil exſurgat ad definitionem manu ducens.

27. Vocabulum devotionis in ſacris non reperitur, hoc quidem ſenſu, etſi res ibi extat, *πυκνῶς*. Nam חרם *ἀνάθεμα*, devotio, *diræ*, non eſt hujus loci. Neſcio, quid tamen inde oriatur ad hunc ſenſum. Devotio enim talis pro patria & amicis in uſu fuit, qualis Deciorum, cohortis ſacræ militum Thebis, & Solduriorum apud Cæſarem; Hinc devoti amicis, patriæ, Deo, paſſim. Denique, ſummi vis amoris eorum, qui pro aliis mori non recuſant, *Devotio* dicitur, à benevolentia & amicitia diſtincta, & qualis erga Deum ſolus amor uſum habet: Non benevolentia, nec amicitia, ne quidem illa ſpecies, *κατ' ὑπεροχὴν* per excellentiam quæ dicitur, quæ etſi *πολλῶν ἀφῃρημένων, ἔτι μένει, inter admodum diſpares etiam durat*, tamen *πολὺ χωρισθέντος, οἷον Θεοῦ, οὐκ ἔτι μένει; Si talis ſeparatio ſit, qualis Dei reſpectu homini, non manet. Ariſtot.* 8. *ad*

n.25. *y*) poſtulare videbatur) *Nec mirum. Nam id eſt, quod ſæpè hic diximus, falſum eſſe, quod neglectâ morum emendatione, de qua fuſius queritur Autor in Hiſtoriâ civili, ſequatur ſuâ ſponte eadem emendationem intellectus. Utrum autem hac emendatio mentium adhuc ſperanda ſit Deus novit. Si ex rationis dictamine res definienda foret, diceremus ex principiis Politicis & moralibus, parum ſpei ſupereſſe, quamdiu cupiditates capitales voluptatis, ambitionis, & avaritiæ omnes Reipublicæ ordines in mediâ reformatione doctrinæ, ſibi ſubjecerunt, & quamdiu æmulatio ac odium inter principes, nobiles, cives, & ruſticos quotidie majora incrementa, quam decrementa ſumit. An vero ſacræ literæ jubeant ſperare meliora tempora, noſtrum non eſt definire, quamdiu Theologi etiam Proteſtantis religionis eâ de re certant. Optandum eſſet tamen, ut partim illi, qui hanc ſpem oppugnant, non ſæpè ipſimet actionibus propriis fortiora argumenta abjiciendæ illius ſpei ſuppeditent, quam ſunt eorum rationes, partim vero ut illi, qui ſpem meliorum temporum defendunt, doctrinam hanc ſuam exemplis etiam vivis & indubitabilibus confirment.*

n. 26. *z*] de devotione) *Intelligit Jurieii tractatum Gallicum editum anno 1677. Aſſertum ipſum uti non negamus, cum certum ſit etiam, res quæ ſolo ſenſu interno percipiuntur, quales ſunt omnes affectus ſive ſancti & virtuoſi, ſive vitioſi, ſive indifferentes, vix accurate definiri poſſe, certè clarius & diſtinctius ſentiri; ita tamen etiam danda eſt opera, ne ſub ſpecie devotionis ſanctæ ſe inſinuet mentibus devotio imaginaria & phantaſtica. Unde repetenda ſunt ea hoc loco, quæ annotavimus ea de re ſuperius ad* lib. 1. Autoris ſect. 6. *Ut adeo dubium ſit, utrum citatus Autor de devotione ea in re ſtudioſis juris ſit commendandus. Multa equidem bona habet iſte liber. Sed notum etiam eſt ex aliis ejusdem Autoris ſcriptis, quod ſenſiones ejus, quas in aliis rebus & quæſtionibus theologicis pro certis & infallibilibus habuerit, ipſum deceperint, & ex poſt facto incerta ac fallaces deprehenſæ fuerint. Ergo ſi quis illum tractatum cum fructu legere velit, ei commendamus, ut ante omnia præmittat lectionem ex tractatu Lookii* de intellectu lib. 4. c. 19. *Quo præmiſſo & attente conſiderato, etiam judicare poterit, utrum Autor in meditationibus numerorum ſequentium doctrinam hanc de devotione magis explicaverit, an obſcuriorem reddiderit.*

8. ad Nicom. 7.

28. Hoc ſenſu devotio, ſit, amor Dei, quo mens ſe ſuaque & omnia bona mundi, poſt illum ponit, nec pro Dei gloria mori recuſat. Attamen uſus verbi popularis non ad amorem ſolum, ſed ad omnem Dei cultum refertur. Proinde latius ad hunc ſenſum devotio ſit; *Actus animi, totum ſe Deo tradentis, in Chriſto.* Hoc eſt *παραστῆσαι αὑτὸν τῷ Θεῷ εἰς θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν εὐάρεστον. Tradere ſe Deo in ſacrificium, vivum, ſanctum, acceptum,* ut Apoſtolus.

29. Dividi poteſt in primam & ſecundam. Prima eſt, actus fidei naſcentis, Chriſtum recipientis, ut dominum & Rectorem, eique ſe dedentis, ut factum ab his, qui converſi *ἔδωκαν ἑαυτοὺς τῷ κυρίῳ, ſe domino tradiderunt 2. Corinth. 8. 5.* Secundaria, ſive orta inde nihil eſt aliud, quam primæ deditionis continuatio & adſidua repetitio: quemadmodum lux è ſole orta preſſione continua radiorum, & fons adſidua ebullitione, ſicut & vita animalis à motu primo cordis cœpta, emiſſione ſanguinis ac ſpirituum continua ſuſtinetur, denique *τὸ ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, renovatio fidei adſidua,* unde *ὁ δίκαιος ζῇ, eſt vita ſpiritualis,* ut docet Apoſtolus *1. ad Rom.* Nec aliter devotio, pars fidei præcipua, conſiſtit. Eſt enim actus, *ἐνέργεια,* ut dictum, ſine quâ friget omnis religio, unde pro intentione animi ad omnem Dei cultum plerumque ſumitur, uniceque ita Vir Rever. *in d. tract.* quamvis intentio & attentio illa non tam ipſa, quam effectus eſt devotionis. Sed manum de tabula. Caput eſt hoc initiumque tractatus olim hac de re ſcripti, quem faxit Deus, ut animo impreſſum potius quam calamo expreſſum elaboremus & cuſtodiamus. Hic ſupplementi cauſa adjectum eſt, ut apparet.

SECTIO IV.
De Jure Civitatis adverſus exteros.

CAP. I.
DE HIS QVÆ EXTERI SIBI INVICEM DEBENT.

Citra omne factum & pactum, exteros ſibi invicem teneri n. 1. I. ad ea quæ neceſſitas poſtulat, modo alter iis carere poſſit. n. 2. II. Ad ea, quæ ſunt innoxiæ utilitatis. n. 3. 4. III. quæ ad propulſandum à nobis evidens periculum requiruntur, veluti, ut munimentum in ſolo pacato capere liceat, ſub cautione certâ. n. 5. An poſſit vicinus impedire locum in noſtro munire, n. 6. nobiſque vicinum adverſus alium tueri liceat. n. 7. 8. Quo ſenſu jure Romano capti à populo nobis nec pace nec bello cognito, in ſervitutem redigantur. n. 9. 10. Inter ea, quæ exteri ſibi invicem debent, eſſe quoque mutuam legum alienarum obſervantiam. n. 11. Hanc rem ex jure Romano non poſſe decidi; n. 12. eſſe juris Gentium. n. 13. Regulæ hac de re proponuntur, n. 14. eæque variis exemplorum ſpeciebus declarantur, ad conflictum Statutorum in diverſis Civitatibus conciliandum. n. 15-31.

Regulam

Digitized by Google

Regulam ultimam præcedentis capitis etiam applicari poſſe quæſtioni, an jurisdictio posſit habere aliquem effectum extra territorium jus dicentis; eaque diverſis factorum ſpeciebus applicatur. n. 32-47.

1 HAbemus civitatem legibus ordinatam, à Magiſtratibus adminiſtratam, Judiciis pacatam, & pecuniis inſtructam, ſecuritate publica munitam & ſi ferat uſus, reformatam. Non deerant, plura de interna adminiſtratione, ſed pleraque politica, & nobis compendio conſulendum. Sequitur, quid juris publici, cum ſecuritatis communis, tum aliarum ratione rerum, adverſus exteros, qui ſub eodem nobiscum imperio non degunt, cuique civitati ſit obſervandum. Quà in re primo videndum, quid juris ſit, ubi nullum fœdus, nullum factum aut pactum inter nos & alienigenas intercesſit, qua de re Grotius habet locum in *lib. 2. de J. B. & P. cap. 2.*

2. Et primo, quæ *necesſitas* poſtulat, ea ſibi invicem exteri debent: *a*) proinde, ſi qua civitas fame laboret, frumentum à vicinis petere poteſt, pretio tamen juſto, modo illa pari inopia non laboret. *b*) Ratio eſt, quoniam proprietas rerum, quæ initio humanæ ſocietati communes erant, conſenſu generali eſt introducta, nec ulterius, quam ille conſenſus ferat: Atqui non eſt dubium, quin ea voluntas omnium fuerit, ut ne inſtitutum, ſalutis communis ergo receptum, duraret in perniciem hominum, ipſamque necesſitatis legem ſubigeret. Quo etiam pertinet, quod inter omnes conſtat; ſi quis vitæ ſervandæ cauſſà rem alienam ſubactus necesſitare contrectet, eum furti non teneri. *d*) Et ex eadem cauſa, ſi quis *populus virorum* ſit, is matrimonii copiam, qua ex ſe frui nequit, jure petit à vicinis. An autem bellum negantibus inferre liceat, id vero à multis pendet ſingularibus. *e*)

3. Secundo, quæ ſunt innoxiæ utilitatis, ea ju-

n. 2. *a*) exteri debent) *Sed debet eſſe necesſitas extrema, quæ an intuitu rerum alienarum ultrà quæſtionem de furto in caſu necesſitatis, de quâ mox, posſit extendi, dubito.*

b) non laboret] *Nam quod hoc exemplum attinet, vereor ut ejus uſus practicus dari posſit, præprimis ob limitationem Autoris,* pretio tamen juſto. *Nam, ut latius oſtendi* in diſſert de æquitate cerebrina l. 2. C. de Reſc. Vend. *jure naturæ non eſt pretium juſtum, niſi in quod partes conſenſerunt. Ergo quemadmodum regulariter nemo poteſt ad venditionem cogi, ita nec cogi poterit ad determinationem pretii, ac ita illi, à quibus frumentum in dato caſu petitur, ſemper poterunt eludere deſiderium egenorum, poſtulando pretium, quod illi ſolvere nequeunt. Ut taceam, quod illa petitio frumenti eludi posſit etiam ſub prætextu propriæ indigentiæ. Quis enim inter diverſas gentes erit Judex?*

c) legem ſubigeret) *Sed hanc rationem à Grotio petitam deſtruxit jam Puſendorffius* lib. 2. de J. N. & G. c. 6. §. 6. *aliam ſubſtituens, quod videlicet obligatio officiorum humanitatis, quæ alias imperfecta eſt, in caſu necesſitatis fiat perfecta. Confer dicta* in inſtit Jurispr. div. lib. 2. n. 171. & c. 6. n. 20. ſeqq.

d) furti non teneri) *Sed ratio tamen aſſerti a variis varia affertur.* vid Jurispr. div. d. c. 2. n. 168. ſeq. Puf. d. §. 6. *Interim quæſtio hæc magis curioſa eſt, quam ut caſus ejus ſit frequens & viridis obſervantia.* vide fundam. J. N. & G. l. 2. c. 2. & 6.

e] à multis pendet ſingularibus) *Sed iſta non cohærent. Si enim populus jus verum & propriè dictum petendi habet, poterit enim hujus juris denegationem bello vindicare. Igitur in eo eſt vitium aſſertionis, quod Autor, fortè Grotium ſecutus, petitionem ma-*

ea jure à quovis populo petuntur. *f*) Quid ni enim, quando ſine detrimento ſuo poteſt, cum altero quiſque communicet ea, quæ ſunt accipienti utilia, danti non moleſta? Hinc non modo ignis & aquæ copia indigentibus danda, ſed & tranſitus per terras & aquas patere debet eis, qui hoc tranſitu opus habent ad cauſas juſtas; modo cautionem ſecuritatis ſufficientem patentibus præſtent. Nec quidem vectigal tranſeuntibus imponi poteſt, niſi quod reſpectum ad ſumptus, ob illum tranſitum faciendos, habeat; denique, niſi præſcriptione immemoriali jus illud acquiſitum ſit. Sed & commotatio ad tempus, & perpetua habitatio his qui ſedibus ſuis pulſi ſunt, negari non poſſe videtur, modo imperium agnoſcant & recipi posſint.

4. Imo & terræ à populo non occupatæ per fundos, ſed tantum imperio tenus, non videntur ejuſmodi exulibus negandæ, quod, ut etiam reliqua, de jure naturæ ſimplici & recto, non æquè de externâ facultate, quæ cuique populo competat, intelligendum videtur. *g*) Nam ut jure ſibi acquiſito quiſquam ſine incommodo ſuo cedat, humanitati quidem & æquitati enixè conveniens, ejuſmodi tamen non eſt, ut hoc præciſe teneri videatur: Præſertim, quia ſemper & haud dubie, id etiam ipſa æquitatis ratione dictante, exceptnm eſt, ut concesſiones illæ tuto fieri posſint. Quod ut res humanæ ſunt, vix unquam, ſi res inter populos & ingenti agatur multitudine, tam liquidum eſt, ut non juſti cauſa metus & gravioris incommodi appareat. Quod tamen non impedite jus ejus, qui talia petit, ſi vere non ſit illi in animo, concesſionibus abuti, verum eſt. *h*) Denique, plerumque ſic uſu venit, ut jure talia peti & petita recuſari posſint, adeoque bellum, ſi quando res illuc erumpat, utrimque juſtum eſſe queat. *i*)

trimonii in hoc caſu retulerit ad caſus necesſitatis, cum tamen eò minimè pertineat, vide inſt. Juriſpr. div. d. lib. 2. c. 6. n. 45. *Puſend.* l. 3. c. 3. §. 13. *Quod autem ſententia Autoris, etſi erronea, communis ſit, in cauſa eſt, quod Auguſtinus, ſcientia morali planè deſtitutus, (ut probavit erudite Barbeyracius* in præfat. ad verſ. Gallic. Pufendorffi) *incautè affirmaverit, raptum Sabinarum jure factum eſſe, quod tamen Romani ſcriptores ut Livius, aliique ſimpliciter affirmare erubuerunt. Hanc ſententiam Auguſtini poſtea exſcripſerunt Theologi, JCti & Philoſophi religionis tàm Pontificiæ, quam Proteſtantium. Sed meretur peculiarem diſſertationem hoc thema de raptu Sabinarum.*

n. 3. *f*] populo petuntur] *Si in illo ſenſu autor hanc poſitionem accipit, ut juri huic in altero nulla correſpondeat obligatio, tolerare poſſemus aſſertum. Sed profectò tale jus eſt jus maximè ludicrum & abuſivè dictum. Uti apud Germanos in proverbio eſt:* Er iſt ein Freyherr / er darff betteln / wo er will. *Ergo confundit hic Autor cum Grotio & ſchola Dd. communi officia & regulas humanitatis & amoris cum præceptis Juſtitiæ. Adeoque ad omnia exempla* hic & §. ſeq. *adducta reſpondendum eſt, contradictoriam aſſertionem eſſe veriorem, ut probavimus* in Inſt. Juriſpr. div. d. c. 6. n. 16-46.

n. 4. *g*) intelligendum videtur) *Hæc diſtinctio paululum obſcurior. Uti diximus, diſtinguendum eſt inter præcepta juſti & decori, ſeu inter leges juſtitiæ & amoris. Quod ſi & hæc obſcura videatur, adde ejus explicationem ſenſibilem* ex fundamentis Juris N. & G. lib. 1.

h) verum eſt] *Sed vellem ſcire, qualenam ſit hoc jus, ad quod præſtandum alter, ut Autor paulo ante loquitur, non præciſè teneatur, aut ut ſtatim dicit; ubi alter jure quid petit, alter jure id recuſat.*

i) juſtum eſſe queat) *Sed hæc eſt contradictio moralis. Poterit facile bellum ex utraque*

5. Scilicet, ut quiſque ſuum quod occupavit, in ſocietate humana ſecure teneat, non minus primæva hominum conventione ſtatutum videtur, quam ut res dividerentur: quod ad continuationem doctrinæ, quam habuimus in *cap. præced. k*) referendum. Hinc tempore belli jure ſuſcepti, licet occupare locum in ſolo pacato ſitum, quoties certum periculum eſt, ne hoſtis eum locum invadat, *l*] ac inde graviſſima damna nobis infligat, multo magis, ſi jam hoſtis eum teneat, & inde nobis noceat. Sub hac tamen cautione, ne plus quam cuſtodiam nobis arrogemus, relictis domino vero fructibus & juriſdictione, periculoque ceſſante uti locus reſtituatur. Neque ſumptuum nomine, qui in cuſtodiam ſint facti, locum retinere licet, niſi & cives ſeu domini veri, præſidio noſtro manifeſtè ab injuriis vindicati fuerint.

6. Videndum, ne non ex eodem fundamento rectè ſtatuatur, poſſe vicinum impediri, ne in ſuo ſolo ſine alia cauſa ſuaque evidenti utilitate, munimentum nobis propinquum extruat, aut aliud quid faciat, unde juſta formido periculi oriatur, *m*) idque non minus quam quilibet recte prohibetur aliquid in ſuo, re ſua non poſtulante, facere, quo damnum rebus noſtris inferatur. *n*) Quod tamen eò uſque non extendendum, ut bellum promiſcuè ad alterius minuendam potentiam, movere liceat, quomodo aliqui diſputant, eodem argumento; quod ſcil. ex tacito generis humani pacto idem ad ſecuritatem procurandam, quod ad damnum avertendum liceat; quia magis eſt, ut actum aliquem ſpecialem, quo animus lædendi probabiliter colligi poſſit, accedere debeat.

7. Eodem pertinet quæſtio, an regi aut populo præpotenti, cujus viciniam timeamus, impugnanti regionem, qua captâ, nobis & vicinus ſit futurus & nocendi validus, ob hanc cauſam impedimento eſſe liceat, ne quod intendit hoc obtineat, qua de re locus erit agendi, *inferius. o*)

8. Præterea, quamvis exteri in exterorum cauſis, nullo modo judices conſtituti ſint, tamen jus naturæ permittit; imo jubet, ut iis qui vim injuſtam ab aliis patiuntur, ſuppetias feramus; modo tam manifeſta ſit injuria, ut ſine longiori cauſæ diſceptatione calumnia judicari poſſit: atque ubi talis cauſa ſubeſt, ibi ſuaſoria, qualis ea quæ modo relata eſt, non male accedere poteſt.

9. Sed hic ſubit mirari, quod humaniſſimum jus Romanorum, non illud caſcum & ob-

---

parte injuſtum eſſe. Sed bellum ex utraque parte juſtum eſt ferreum lignum. Potius dicendum, officia humanitatis naturâ ſuâ reſpuere coactionem, adeoque bellum ex parte petentis eſſe injuſtum. Vide locum ex Inſt. Juriſpr. div. lit. f. citatum.

n. 5. *k*) in cap. præced.] *Hoc equidem non intelligo, quid* ex cap. præced. *ad hanc poſitionem referri debeat.*

l] eum locum invadat) *De hac caſu idem dicendum, quod de præcedentibus. Quomodo enim invadens probabit certum periculum? Imo potius hæc concluſio contradicit principio initio numeri hujus poſito. Si de excuſatione facti ageret autor, fortè indulgentior eſſem. Aliud vero eſt excuſare factum, aliud id, tanquam jure factum ſit, defendere.*

n. 6. *m*) periculi oriatur) *Eadem ergo hic ſunt monenda, quæ in nota præcedente addidimus. Non ſufficit metus periculi futuri vel ſuſpicio ad juſtum bellum alteri inferendum, per ea quæ ipſe Autor diſſerit* infrà cap. 4. n. 32.

n) rebus noſtris inferatur] *Unde hoc argumentum non probabit aſſertum præcedens. Hic caſus enim præſupponit certitudinem damni, prior ſaltem formidinem periculi.*

n. 7. *o*) inferius) ſcilicet d. cap. 4. n. 32. ſeqq.

Digitized by Google

& obſoletum, ſed optimi ævi, tradit; ſi cum gente aliqua neque hoſpitium neque fœdus, amicitiæ cauſa factum habemus, qui ex noſtro ad illos pervenerint, hos illorum fieri; & liberum hominem ab eis captum, fieri ſervum eorum, idemque eſſe, ſi ab illis ad nos aliquid perveniat *l. 5. §. 2. ff. de Captiv. & poſtlim.* certe niſi *Hobbes* contemneret jus Romanum omnemque auctoritatem, nihil aptius ad ſuum jus naturæ, quo ante pactiones nihil injuriæ poſſe committi, ſed omnibus omnia adverſus omnes licere diſputat, confirmandum, proferre poſſet.

10. Dicendum videtur, juriſconſultos loqui, *p*) non de jure interno, ſed de eo, quod inter populos diverſos pro ſtatu ſeparato, in quo ſunt, jure videlicet externo, vertitur; quatenus inter homines agi ſolet, & quidem cum effectu, qua partes non ſunt uni imperio judiciove ſubjectæ, quo læſus in integrum reſtitui poſſit. Sed interim hoc adeo nec juſte ſit; ut, ſi res repetantur neque reſtituantur, tum puro pioque duello, ex formula antiqui juris fecialis, recuperari poſſint.

11. Præterea, inter ea, quæ diverſi populi ſibi invicem debent, *q*) merito refertur, obſervantia legum aliarum civitatum, in aliis imperiis; ad quam etſi non teneantur ex pacto vel neceſſitate ſubordinationis, tamen promiſcui uſus ratio inter gentes, mutuam hac in parte flagitat indulgentiam. *r*) Si enim gens una leges alterius nullo modo agnoſcere vimque illis debitam tribuere vellet, infiniti actus & contractus omni die in irritum cederent, neque commercia mari terraque conſiſtere poſſent. *s*)

12. Romani juris-conſulti non ſunt idonei hujus doctrinæ auctores; nec enim uſquam illi de conflictu diverſarum legum vel ſtatutorum agunt. Quia enim populi Romani imperium per omnes mundi tum cogniti partes erat diffuſum, & commercia cum Barbaris raro exercebantur, diverſitas legum è diverſitate imperiorum ibi nullam moleſtiam creabat. Sed hodie ſciſſa in infinitas civitates ſibi mutuo non ſubjectas Europa, ſit omni die, ut negotium alibi inchoatum vel celebratum alibi effectum habeat vel judicetur; atque tunc eſt quæſtio, utrum jus ejus loci, in quo acta res fuit, an ubi

Uuuu 2 exitum

n. 10. *p*] JCtos loqui] *Potius dicendum, JCtum reſpicere ad hypotheſin erroneam de licentiâ latrociniorum gentis in gentem. Nam nec Romanos ab hoc errore fuiſſe immunes docebit* Tom. 7. Obſerv. Hallenſ. obſ. 6. & 7.

n. 11. *q*) invicem debent) Liquet, non tantum diverſarum civitatum leges atque conſuetudines inter ſe collidi, quod putavit D. Huberus *lib. 3. de J. P. univ. c. 10. §. 1. (edit. prior.)* ſed & ſæpenumero unius civitatis jura eodem negotio concurrere. *Ita illuſtris D Hertius* de colliſione legum ſect. 4. §. 2. [Tom. I. p. 169. ſeq.] *Reſpondeo. Nec id Autor dicit, aut dixit, quod tantum inter diverſas gentes locum habeat. Sed alteram conſiderationem, colliſionis legum unius reipublicæ putavit ab inſtituto ſuo, juriſprudentiæ publicæ univerſalis, eſſe alienum. Cæterum conjungi debet cum præſenti capite diſſertatio Autoris de eâdem materiâ* in prælect. ad pandect. tit. de Legibus peculiari ſectione, *ex quâ multa hic brevius poſita illuſtrationem accipient.*

r] indulgentiam) *Vides: res dependet ab utilitate communi populorum.*

s) conſiſtere poſſent) *Unde cum juri ſuo quilibet renunciare poſſit, & quilibet ſit rerum ſuarum, ac utilitatis moderator & arbiter, nemini faciet injuriam populus, ſi nolit alterius populi leges obſervare, [ſi modo non ægrè ferat, ſi alter populus nec ſuas obſervet,] aut ſi nolit cum altero populo commercia exercere. Commercia enim ſunt Juris Gentium non præceptivi, ſed ſuaſorii.*

Digitized by Google

exitum habet vel judicatur, ſequi oporteat.

13. Apparet, hoc quæſitum è ratione juris gentium eſſe decidendum, quia diverſi populi jure civili non utuntur, adeoque velim hoc exemplum, ut evidentisſimi argumenti obſervetur, ad probandum, quod jus gentium reverà diſtinctum ſit à jure naturæ, *t*) quod ad hanc quæſtionem nullo modo referre licet. Difficilem materiam eruditisſimi juris-conſulti diſſenſionibus ſuis involutiorem magiſque preplexam fecerunt. Nos quam poterimus facillime breviſſimeque hoc caput explicabimus, præmisſis, fundamenti loco, tribus poſitionibus indubitatis, *u*] ut arbitramur.

14. Prima ſit, *leges cujuſque reipubl. tenent obligantque cunctos eidem imperio ſubjectos, nec ultra.* Secunda; *Pro ſubjectis habentur, quicunque in territorio cujusque civitatis reperiuntur, quamdiu illic commorantur, quod ut* evidens ſua ſponte, ſic a Romanis adfirmatur in *l. 7. §. 10. ff. de Interdict. & releg.* Tertia, *ſumma poteſtates cujuſque reipubl. indulgent ſibi mutuo*, ut *jura legesque aliarum, in aliarum territoriis effectum habeant, quatenus ſine præjudicio indulgentium fieri poteſt.* Exempla, quibus utemur, ad juris privati ſpecies maxime quidem pertinebunt, ſed judicium de illis unicè juris publici rationibus conſtat, & exinde definiri debent.

15. Primum ponimus uſum, in actibus & contractibus inter vivos, vel mortis cauſa,

n.13. *t*) à Jure Naturæ) *De jure Gentium ſuaſorio, arbitrario, ac ita impropriè dicto nemo dubitavit. Sed quæſtio eſt de jure Gentium præceptivo. Ad quod præſens quæſtio, ob modo dicta, non pertinet.*

u) indubitatis) *Regerit D. Hertius* d. l. §. 3. p. 171. Verum enim vero nos valde dubitamus, num res hæc ex jure Gentium, ſive mutuâ earum indulgentiâ posſit definiri, præſertim, cum in unâ eâdemque civitate colliſio iſta ſæpisſimè fiat. Norunt etiam periti, ex ſolis exemplis jus Gentium adſtruere, quàm ſit fallax. Tum ſi ſola populorum conniventiâ id niti dicamus, quæ juris erit efficaciâ? *Sed reſponderet fortè Autor. I. ſe colliſiones, quæ in unâ civitate fiunt, hic non curare. Ut modo notavimus* lit. q. *Etſi enim pleraque exempla ipſe ſuppeditet de provinciis Belgicis, notum eſt tamen, provincias Belgarum magis conſtituere provincias confœderatas, quam ut faciant unam Rempublicam. II. Fortè etiam credidit Autor, regulas ſuas valituras, ubi quæſtio eſt de colliſione legum vel ſtatutorum diverſorum in unâ provinciâ vel Republica. Nam & intuitu talium ſtatutorum valebit regula Autoris prima, quod ſtatuta ſaltem obligent ſibi ſubjectos, non ultrà. Et ita de reliquis. III. dicet, ideò ſe regulas certas ac determinatas hic poſuiſſe, ut ipſi objici nequeat, quod ex ſolis exemplis velit probare jus Gentium. IV. In hac quæſtione non quærendum eſſe jus propriè dictum, præceptivum & immutabile, quod gentes ita obliget, ut aliter facere nequeant, ſine injuriâ alterius populi, ſed ſaltem ſuaſorium, quod ratione aliquâ probabili nitatur, ſuppoſita hypotheſi, quod gentes ſibi invicem aliquid velint indulgere. V. Suas regulas tamdiu ſtare, donec oſtendatur, regulas aliorum JCtorum qui hanc quæſtionem tractarunt, (quos latius recenſet ipſe vir doctus* d. l. §. 3. p. 170.) *melius rem expedire. Et hoc eſſe, quod modo conqueſtus fuerit, eruditisſimos JCtos diſſenſionibus ſuis rem involutiorem, magisque perplexam feciſſe: ſuas regulas eſſe breviores ac perſpicuas, nullis limitationibus obnoxias: aliorum eſſe plures, multâ explicatione, multis limitationibus opus habentes. Et tamen in deciſione caſuum ſæpisſimè obſervari diſſenſum ex illis regulis, ut adeo videatur opus eſſe nova diſſertatione & novis regulis de colliſione regularum & concluſionum in hâc quæſtione obſervandis. &c.*

sis, certo loco, ſecundum leges ejuſdem loci, rite celebratis. Talia inſtrumenta negotiorum, alibi prolata, ubi ſic compoſita non valerent, ibi ſua vi non poſſunt habere effectum judicialem; ſiquidem judices ejus loci, judicare debent, ſecundum leges ſuæ reipubl. quod eſt conveniens regulæ *primæ*. Sed mutua, quam diximus, utilitas gentium effecit, ut conſtanter receptum ſit, actus viventium morientiumque, factos ſecundum requiſita legalia locorum, in quibus celebrantur, ubique gentium valere effectuque judiciali potiri, *per regulam* II.

16. Hinc teſtamentum apud Batavos coram tabellione duobusque teſtibus factum, valet etiam in Friſia, tam quod attinet ad mobilia, quam ad immobilia, licet heic teſtamenta non aliter ſubſiſtant, quam adhibitis ſeptem teſtibus. Nec tantum id obtinet, reſpectu teſtatorum, qui ſedem fixam habent in Batavis, ſed etiam in Friſiis, qui obiter atque ad tempus apud Batavos agunt, per *regulam ſecundam*. w]

17. E contrario, ſi in vicinia factum ſit teſtamentum aliuſve actus contra leges iſtius loci, judices diverſarum provinciarum è tali inſtrumento jus non dicunt; quia fuit ab initio nullum, inde ab eo momento, quo contra leges loci, in quo celebratus eſt actus, fuit inſtitutus & compoſitus. Idque etiam obtinebit, etſi cives è noſtra republ. in alias regiones ſe conferant, eâ ſaltem gratia, ut ibi perficiant aliquem actum inter vivos aut mortis cauſa; Dum enim ibi morabantur, ſubjecti erant legibus iſtius loci. Ampliatur hoc dictum, etſi forma, quam cives noſtri in alia republ. ſervaverunt, ſecundum noſtras leges rituſque valeret; quia ſic inter populos receptum eſt, x] ut in forma actuum ac inſtrumentorum, jus loci, in quo compoſita ſunt, duntaxat inſpiciatur.

18. Neque tantum pertinet hæc ratio ad formam inſtrumentorum, quæ de negotiis inter vivos aut mortis cauſa conficiuntur; ſed ad ipſa quoque negotia hominumque actiones. Detur exemplum; In noſtra provincia certæ merces prohibitæ ſunt, civis noſter alibi emit tales merces, ubi non erant vetitæ; Convenitur apud nos; damnandus eſt, y) quia contractus fuit licitus & juſtus illic, ubi initus eſt. Quid ſi noſter civis emerit alibi tales merces, ut in hac provincia traderentur? Non habebit heic juris effectum, z) quoniam ea res turbat ordinem apud nos receptum, & ſic impingeret in *regulam tertiam*.

19. Hinc etiam ſequitur, ſi peregrinus heic vendiderit tradideritque merces prohibitas, ex eo contractu non dari actionem,

n.16. w) regulam ſecundam) *Sed cum ſimul regula tertia ſupponat indulgentiam gentium, Friſii non facient injuriam Batavis, ſi teſtamento Friſii, qui obiter atque ad tempus apud Batavos egit, & ſeptem teſtes non adhibuit, intuitu immobilium non adſiſtant. Inprimis, cum Batavi non præcipiant, duos ſaltem teſtes adhiberi, ſed ſaltem id permittant ſuis civibus. Eadem erit ratio, ſi non adſiſtant teſtamento Batavi coram duobus ſaltem teſtibus teſtamentum condenti intuitu bonorum immobilium, quæ ipſe in Friſia poſſidet. Adde quod teſtamentorum, non ſit tantus favor atque contractuum. Hi enim ſunt Juris Gentium. Atque adeò horum favor major eſt, quam teſtamentorum.*

n.17. x) receptum eſt] *Sed ut modo diximus, ex indulgentia, quæ magis facti & arbitrii eſt, quam ut jus propriè dictum conſtituat.*

n.18. y) damnandus eſt] *Scilicet non ad pœnam ſeu mulctam ſolvendam, ſed ad ſolvendum pretium, per rationem Autoris.*

z) juris effectum) *Scilicet, ut poſſit conveniri emtor ad ſolvendum pretium, per modo dicta. Habebit tamen juris effectum pœnam.*

Digitized by Google

ctionem, nec modo non hic, ſed nuſquam; eſt enim contractus illicitus inde ab initio. Sed pone; Civitas noſtra prohibet aliquod factum, cives abeunt in locum propinquum extra-territorium noſtrum, ibique factum illud exercent; An inde erit actio, in noſtra civitate? Non erit. Atqui actus erat licitus, ubi inſtitutus fuit: Reſpondeo, tendit in fraudem & turbamentum juris ordiniſque noſtri; Ideoque non tenentur judices noſtrates ad exequendum hactenus diverſi loci jus: Verum alibi è tali ſpecie facti dabitur exactio.

20. Huc etiam refertur matrimonium; ſi juſtæ ſunt nuptiæ, illic, ubi contractæ ſunt, valent ubique; ſi non valeant illic, nuſquam ſubſiſtunt. Hoc ita; niſi præjudicium noſtris juribus ordinique civitatis inde creetur. In Brabantia duxit aliquis filiam fratris cum diſpenſatione pontificis; Ille, ſi huc migret, non animadvertetur. Quod ſi Friſius hinc ſe in loca pontificia conferens, cum nepte e fratre vel ſorore, eamque ibi duxerit, vix eſt, ut heic tolerandus videatur, quia pertinet ejuſmodi conatus ad manifeſtum juris ordiniſque noſtri contemptum.

21. Alius uſus. Contractum eſt matrimonium in Batavis, ubi communio bonorum univerſalis viget, ni pactis dotalibus aliter ſit cautum: an etiam bona ſita in Friſia, ubi matrimonium non mutat, neque confundit dominia rerum, communicabuntur cum altero conjuge? Communicabuntur, quia ſpectatur locus initi matrimonii, & quia videtur hæc eſſe voluntas contrahentium, quæ ubique debet habere effectum. Alioqui, ſi non eſſet hic actus perſpicuæ voluntatis, *a*) ſola vis legis alieni territorii non poſſet afficere res immobiles in alio territorio ſitas: quia cum hæ faciant partem ſubjectivam cujuſque territorii, non poſſet fieri ſine confuſione, ut diverſæ reipubl. leges rebus ſoli, alibi ſitis effectum juris imprimerent.

22. Hinc judicatur illa celebris quæſtio; ſi quis moriatur inteſtatus, relictis bonis in diverſis civitatibus, quæ non iiſdem legibus ſuccedendi utuntur, utrum ſucceſſio deferatur ſecundum leges reipubl in qua vixit & mortuus eſt defunctus, an, ubi ſita ſunt bona. Reſponſio eſt, immobilia ſequi jus loci, in quo ſita ſunt; Mobilia, cum non faciant partem territorii, ſed affectionem ad perſonam ultimi poſſeſſoris habeant, ſequuntur jus loci, in quo ille domicilium habuit. Idem in obligationibus & juribus incorporeis ſtatuendum, quoniam hi ex interpretatione communi Statutorum, pro mobilibus habentur. *b*)

23. Quod ſi teſtatores vel contrahentes claris verbis expreſſerint, quid de rebus immobilibus fieri vellent, tum ratio juris gentium poſtulat, ut voluntas effectum ſuum habeat, ubicunque ſitæ ſint, mobiles immobileſve; cum nihil tam naturale ſit, quam ut voluntas domini, volentis rem ſuam in alium transferri, rata habeatur, ut ait Juſtinianus *in §. per traditionem 40. Inſt. de Acquir. R. D.*

24. Verum hæc expreſſa voluntas non poteſt operari adverſus leges, quæ in ſingulis civitatibus ſpecialiter rebus immobilibus ſunt impoſitæ. Exempli gratia, Friſius habet res ſoli in Omlandiâ nobis vicina, ubi non licet teſtari de rebus immobilibus. Vult ille tamen eas res extraneo relinquere jure noſtro. Quæritur an poſſit; non poteſt. Magiſtratus enim Omlandici non patientur ſuæ ditionis prædia ad extraneos

---

n.21. *a*) perſpicuæ voluntatis] *id eſt indulgentiæ. Et hoc eſt, quod modo notavimus* lit. *w. quæ nota adeo confirmatur per hanc autoris obſervationem.*

n.22. *b*] mobilibus habentur) *Adde Dn. Hertium* d. l. p. 174. §. 6. *ubi non quidem conſentit expreſſe Autori, ſed neque tamen ab eo diſſentit.*

neos teſtamento transferri, per diſpoſitionem exterorum, quod ſuis civibus non licet; neque tenentur ex jure Gentium permittere rem ſuo regimini ordinique recepto adverſam, vi regulæ tertiæ, quam habuimus *ſupra*, fundamentalem.

25. Similiter, ſi paterfamilias in imperio, ubi jure ſcripto utuntur, atque ubi dominia rerum ſola conventione ſecutâque traditione transferuntur, rem vendiderit, ſitam in provincia, ubi dominium non tranſit, niſi præcedente judiciali promulgatione ac adjudicatione, non poſſunt efficere contrahentes ſuis pactis, ut leges iſtæ alienationi præſcriptæ negligantur. Idem producitur ad res in ſe mobiles, verum immobilibus adnexas; ſicut apud nos, frumentum adhuc virens, vel dum adhuc in ariſtis nutritur, per averſionem venli nequit. Venditur in Hollandia tale Friſicum frumentum, ubi ſcilicet ejuſmodi venditio non eſt prohibita: Tamen heic non valebit contractus, ob rationem modo rebus ipſis immobilibus applicitam.

26. Ita juris eſt in rebus. In qualitatibus perſonarum ſpectatur ubique jus loci, in quo cuique perſonæ certa qualitas impreſſa fuit: Eum characterem perſona quæque per omnia diverſi quoque imperii loca circumfert, omneſque judices hactenus agnoſcunt jus loci originalis; quatenus etiam hac parte nihil præjudicii diverſo imperio creari videatur. Hinc, qui in patria major, vel minor annis, prodigus aut curæ alienæ obnoxius habetur, vel factus eſt, hic ubique talis cenſetur, eodemque jure gaudet in omni republ. quo ibi majores minoresve, prodigi curæve obnoxii gaudent, etſi juxta leges illius reipubl. pro talibus non haberentur. *c*) In provincia Trajectina pro majori habetur, qui unum, ni fallor, & viginti annos implevit, hic in Friſia res immobiles ſine decreto poteſt vendere, quia majoribus ætate competit hoc jus in Friſia, licet ille ſecundum leges noſtras pro majore non habeatur. Qui hic veniam ætatis impetravit, is alibi quoque pro majore habetur; ideoque ſi male contraxerit alibi, non reſtituetur in integrum, etſi hoc beneficium ejus ætatis hominibus illic tribuatur. Qui hic eſt prodigus, ille nuſquam habet liberam adminiſtrationem rerum ſuarum, nec uſquam e contractibus obligatur; niſi quatenus æquitatis intuitu probabilis ignorantia remedium extraordinarium parti læſæ ſuppeditare queat.

27. Verum, quod aliquis ob perſonalem qualitatem domi facere poteſt aut prohibetur, an hoc etiam alibi licitum illicitumve eſt, utcunque perſonæ talis qualitatis jure diverſo illic utantur? Ita nonnulli diſputant; ſed verius eſt, in definitione ſuperius poſita ſubſiſtendum eſſe; Quemlibet agnoſci in ea qualitate, quam in patria acquiſivit, ibique eodem jure gaudere, quo perſonæ ejuſdem qualitatis in eo loco, non in patria fruuntur; Id enim incommodum atque ἄτοπον foret, ut non modo peregrini qualitatem ſuam domi ipſis impreſſam ubique circumferrent, ſed etiam poteſtates externas obligarent, ut jus in patria illorum uſitatum, non ſuum domeſticum exercerent.

28. Ex-

n. 26. *c*) non haberentur) *Sed adde iterum limitationem ex verbis modo præcedentibus*, quatenus hac parte nihil præjudicii diverſo imperio creari videatur. *Quæ adeò repetenda etiam erit ſemper in exemplis hoc paragrapho datis. An ergo, cum res ita ſit meri arbitrii, regulæ & exempla autoris nullum habebunt uſum juris certi? Diſtinguo. Intuitu magiſtratuum inferiorum erunt obſervandæ: Horum enim non eſt examinare uſum peculiarem & præjudicium Reipublicæ ſuæ, & variare in judicando; niſi præjudicium Reipublicæ ſit evidens, ut in caſibus* in fine §. 19. & §. 20. & mox §. 28. *At qui ſummam habent poteſtatem, ad illas obſervationes non ſunt obſtricti, per dicta ſæpius.*

Digitized by Google

28. Exemplo res patebit; Filius familias utcunque dives & major annis non poteſt in Friſia legare de ſuis bonis; In Hollandia poteſt. Proficiſcatur igitur filius aut filiafam. noſtras in Batavos, faciat ibi teſtamentum; quæritur, an valeat. Videtur: Attamen non valebit hic in Friſia; quia licet actus in ſeſe initioque ſit validus, inſtitutus tamen eſt in fraudem juris Friſici, quod Friſii approbare non debent. Proinde, ſi filiusfamilias Batavus in patria ſua condat teſtamentum de rebus in Friſia ſitis, etiam immobilibus, heic valebit, *d*] quia voluntas domini ſecundum jus loci recte ordinata ubique rata haberi debet; duntaxat, ubi nulla fraus legibus noſtris facta videri poteſt, quod in hac ſpecie non apparet.

29. Hoc enim indubitatum eſt, inquam, non teneri poteſtates, ſequi jus alienum in fraudem ſui juris vel civium ſuorum. Sit hoc exemplum; Jure civili creditor hypothecarius res etiam mobiles debitoris ſui à tertio poſſeſſore poteſt avocare, quod apud nos obſervatur. In Hollandia ſecus. Creditor ex hypotheca in Friſia contracta vult agere contra poſſeſſorem rei mobilis ſibimet oppignoratæ in Hollandiâ. Nihil aget, ſi juſto titulo bonâque fide res ibi poſſideatur; quia tum jus ei poſſeſſori quæſitum eſt, quod ei per leges apud nos receptas, licet heic contractus ſit celebratus, auferri non poteſt.

30. Aliud; Creditor ex cauſa Cambii jus ſuum in tempore exercens præferatur alicubi ut puto, omnibus aliis creditoribus, in bona mobilia debitoris. Hic habet ejusmodi res in Friſia, ubi hoc jus non obtinet. An ibi creditor etiam præferetur aliis creditoribus? Nullo modo, quoniam hic creditoribus vi legum hic receptarum, potius jus pridem quæſitum eſt. *e*)

31. In ſumma igitur, quoties conflictus legum in diverſis civitatibus circa idem negotium, occurrit, poteſtas loci, ubi res judicanda eſt, ſi velit, poteſt, & quidem jure ſuo, per omnia ſequi leges proprias; ſed ob reciprocam utilitatem in diſciplinam juris Gentium abiit, ut jus loci, in quo res geſta fuit, prævaleat; niſi rurſus in contrarium utilitas alterius Reipubl. præponderet, ut jam expoſuimus.

32. Secundum hæc nota eſt regula, tam jure civili Romanorum, quam publico omnium gentium, recepta: *Nemini extra territorium ſuum juris dicendi eſſe facultatem l. ult. ff. de Jurisd.* Ideoque juriſdictio, quæ eſt civitatis unius, per ſe nullo modo effectum habere poteſt in alia civitate. Sed quam regulam ſupra poſuimus ultimam & penultimam, eæ quoque hic uſu veniunt; Poteſtates diverſorum Imperiorum juriſdictionem aliorum, etiam in ſuo territorio agnoſcere atque tueri debere, *f*) quatenus ſine præjudicio ſuo civiumque ſuorum fieri poſſit.

33. Uſum

n. 28. *d*] hic valebit] *Diſſentit Dn. Hertius* d. l. p. 188. §. 22. *quia ſtatutum ſit magis in rem conceptum quam in perſonam. Nos putamus, utramque ſententiam poſſe defendi, quia res dependet ab arbitrio & indulgentiâ Gentium, ut toties dictum. Fortè tamen paſſes diſſenſum etiam conciliare, diſtinctione modo allata, ut Autoris ſententia valeat quidem intuitu judicum inferiorum, ſed non ſtringat ſupremos. Et ſane Dn. Hertius* d. l. *ex Chriſtinæo refert, contrarium judicatum fuiſſe in* ſupremo *Senatu Mechlinenſi. Nam iſta ratio, quod in his caſibus ſtatuta ſint magis in rem concepta quàm in perſonam, & quod filiusfamilias hic non ſit poſitus in diſpoſitione, ſed in enuntiatione, nimis ſubtilis videtur, & multos ex celebribus etiam JCtis contradicentes habet, quos adducit ipſe Dn. Hertius* §. 5. p. 173.

n. 30. *e*] quæſitum eſt] *Conſentit D. Hertius* §. 64. p. 211.

n. 32. *f*) tueri debere] *Sed repete iterum ex* n. 31. ob reciprocam utilitatem *non, ut ten-*

33. Uſum hujus regulæ, ſecundum partes judicii, breviter examinabimus, initio ab in jus vocatione facto: licet de illa ſuperius locum habuerimus communem, in quo de his rebus nonnihil occupatum eſt. In jus vocatio non poteſt fieri, niſi in eos qui ſubjecti ſunt ejus, ad quem vocantur, juriſdictioni. Proinde licet partes expreſſa conventione ſe extraneo judici ſubmiſerint, ideo tamen in jus vocatio extra territorium inſtitui non poteſt, quia privati ſuis pactionibus juriſdictionem fundare nequeunt, nec efficere, ut actus imperii in alieno territorio inſtitui queat.

34. Sed quæritur; ſi Judex, cui ſe alienus civis ſubmiſit, roget ejus Magiſtratum, ut eum citare velit, quò in locum, cui ſe ſubmiſit, veniat, cauſamque ſuam agat, an alterius Magiſtratus id ex ratione juris gentium facere debeat; & negatur; quoniam hoc præjudicat ipſius poteſtati, neque cauſa liquet juſta ſatis, quamobrem patiatur evocari ſuum civem, propter commodum exterorum litigantium: Atqui nihil proclivius eſt, quam ut Actor reum quærat apud ſuum judicem, qui æque jus, ac alius, ut præſumitur, adminiſtrabit. Quod ſi is, qui ſe extero judici ſubmiſit, in hujus territorio deprehendatur, ibi proculdubio in jus vocari detinerique poteſt. Atque, ſi tum receſſerit denuoque in eadem cauſa citandus ſit, tum judex ejus ordinarius *g*) non debet negare citationem requiſitus; quia non expedit utilitati populorum communi, ut juriſdictio ſemel legitime fundata, litiſque diſceptatio inchoata intermoriatur.

35. Idem habebit locum, ſi contractus in certo loco celebratus ſit, debitorque alibi habitet; non poteſt ad locum contractus vocari, niſi citatus in eadem juriſdictione, nec judex ipſius aliter officium ſuæ poteſtatis exteris commodabit. Quod ſi res, de qua litigatur, ſub eadem juriſdictione ſita ſit, etſi dominus alibi degat, judex ejus ordinarius non gravabitur requiſitus, eum compellere ad ſiſtendum ſe illic, ubi res immobiles ſitæ ſunt; quia tum judex loci de re ipſa diſponere poteſt, & res immobiles, quæ partem ſubjectivam territorii faciunt, ab eo juribuſque ejus ſeparari non poſſunt. Unde apud omnes gentes, in judiciis, quæ in rem ipſam diriguntur, ſitus rei immobilis tribuit forum.

36. Eandem vim habet univerſali fere populorum inſtituto, *arreſtum*, quod dicitur, non modo, quo perſona detinetur, ſed etiam, quo res alterius, etſi mobiles, inhibentur alio transferri, vel domino creditorive tradi. Cujus res vel jura quælibet eo modo adſtringuntur, is illic ſe defendere debet, non ſecus ac ſi res immobiles ibi ſitas haberet. Adeoque magiſtratus ubique locorum, diverſarum civitatum juriſdictionem hac cauſa tuentur, eique vim ſuæ auctoritatis addunt. *b*)

37. Idem juris accidit ob connexionem cauſarum, quando negotium in uno loco vertitur, cujus participes in alia civitate degunt; quia res loquitur, non poſſe neque debere continentiam cauſæ dividi, quod mutuo populorum incommodo cederet perverſe. Rurſus ita juris eſt in caſu reconventionis: Civis Batavus convenit noſtratem apud hoc forum. Hic reciprocam actionem adverſus ipſum inſtituit in eodem foro; debet heic ſe defendere; nec enim recuſare poteſt judicem, quem ipſemet elegit: Igitur ſi ob cauſam in ea lite inciden-

ſeantur aliis gentibus facere injuriam, ſi tueri nolint. Quod declarant exempla mox ſequentia.

n.34. *g*] ordinarius) *Scilicet inferior, per dicta* lit. c.

n.36. *b*) auctoritatis addunt) *Neque id repugnat dictamini rectæ rationis, ut Autor ſuprà putavit* ſect. 2. cap. 1. §. 18. 19. vide ibi notata lit. m.

tem citetur in ſua civitate, non debet negare judex loci requiſitoriam citationem, ſi forte domicilium citandi in eo loco, ubi judicium vertitur, non conſtituerit.

38. Atque hæ rationes intelliguntur eſſe tam prægnantes, ut, ſi judex rei citati, rogatus nolit evocationem ſui civis permittere, magiſtratus loci, in quo res vel cauſa vertitur, per edictum in finibus ſuæ civitatis, reum talem citare poſſit, cum ſimplici denuntiatione vel ſignificatione quovis modo, etiam ſine publica auctoritate, factâ; Cujus vi judex loci procedere poteſt ad cognitionem, deciſionem, executionemque rei litigioſæ; atque ita fit omni die. Poteſt etiam inde ab initio, quando juriſdictio in externum, ita uti diximus, fundata eſt, citatio per edictum fieri; cujus inſinuatio tum petitur à judice rei citati, quam ſi ille neget, cauſæ tamen cognitio procedit.

39. Prudentis autem magiſtratus eſt, quando ejus officium imploratur, ut alienæ juriſdictioni vim addat, reum, qui evocatur, audire, atque animadvertere, ſitne juſta cauſa civem ſuum emittendi ad aliud tribunal, an ſecus. Nam qui promiſcua humanitate ejuſmodi citationes, ſine inquiſitione, concedunt, haud raro civibus ſuis propriiſque juriſdictionibus præjudicium creant. Sæpe enim accidit, ut ob ſimplicem partium ſubmiſſionem locumve contractus evocationes requirantur; ad quas, ut antea diximus, magiſtratus ex ratione juris communis non tenentur.

40. Ne locus quidem delicti admiſſi pro cauſa valida habetur ad evocationem jure petendam & urgendam: ſed quia generis humani intereſt, delicta puniri, maximeque in iis locis, ubi exempla ſunt edita, in quibus & probationes ſunt faciliores, non ſolet remiſſio petentibus negari. Alioqui, in delictis maxime obtinet axioma, *ubi te invenio, ibi te judico;* quæ tamen regula generalis eſt, etiam in cauſis civilibus, per regulam ſuperius poſitam; quod ſubjecti imperio ſint, quicunque in eodem territorio reperiuntur, licet ad tempus & *ὡς ἐν παρόδῳ*, in *tranſitu*.

41. Ergo, quod delicta ubivis terrarum admiſſa puniri poſſunt, ubicunque malefici reperiuntur, non eſt juris extraordinarii, ſed è natura juriſdictionis ſummæque poteſtatis immediate fluit; & ratio ſalutis communis humani generis, exercitium illius regulæ, in criminibus etiam, commendat. Verum in civilibus cauſis, ratio melior eſt juris Romani *in l. 19. ff. de Judic.* quæ non probat, ubi quis iter faciens aut hoſpitio utens forte deprehenditur, illic citatus ſe defendere cogatur. *i*) Longe ſatius erat, actorem ſequi forum rei, utique, niſi contraxerit in eo loco, vel iſti loco ſponte ſe ſubmiſerit; tunc enim vel momento ibi repertus jure meritoque judicium ibidem ſubire cogitur. Sed de his rebus ne latius agamus, facit, quod ſupra in *ſect.* 2. *cap. 1.* pleraque hujus generis occupata & abſoluta ſint.

42. Ita ſe habet hoc jus circa in jus vocationem citationesque, durante lite faciendas. Sequens conſideratio eſt de ſententiis, quas ab alio judice latas in alia civitate non habere vim effectumque, ſua vi clarum atque certum eſt. Sed utilitas, imo neceſſitas adigit poteſtates diverſorum Imperiorum, ut res uno loco judicatæ ab his, qui jus ibi judicandi habebant, ubique locorum obtineant: & requiſiti judices aliorum ſententias executioni mandent, tam in cauſis civilibus quam in criminalibus.

Ruſſus

n. 41. *i*) defendere cogatur] *Videlicet ob dicta* d. §. 18. & 19. *ad quæ ibidem jam reſpondimus. Facit pro ſententiâ noſtrâ contrà Autorem regula ſecunda* hoc capite §. 14. Pro ſubjectis habentur (*etiam in civilibus per exempla* §. 15. ſeq.) quicunque in territorio cujusque civitatis reperiuntur, quamdiu illic commorantur.

Rurſus eadem limitatione, quam toties inculcavimus, heic applicanda; niſi jurisdictionis noſtræ civiumque noſtrorum gravius interſit.

43. Exemplo ſit hæc ſpecies; Homicidium apud nos eſt admiſſum, reus evadit è noſtris finibus & in viciniam ſeſe confert; Illic ſe judicio ſiſtit & abſolvitur; Petitur in patria ipſius, ut ſententia executioni detur. Habent illi cauſam recuſandi; quia pertinet exemplum ad ſuam jurisdictionem eludendam. Alioqui non eſt judicum aliorum, inquirere in rationes modumque procedendi in aliis locis obſervatum; quoniam hoc prætextu ſemper executiones eludi poſſent; præter quod ea ſpecies imperii foret in non ſubjectos.

44. Proinde, ſi princeps diverſæ civitatis veniam dederit homicidii, aliusve delicti, in ſuo Imperio admiſſi; homicida, licet noſter civis, ſine metu apud nos verſabitur. Niſi enim talia pro certo jure *k*) teneantur, nulla poteſtas cum effectu aliquid agere in ſuo vel jus dicere poterit; ſi perſonæ, quibus inde jus quæſitum eſt, eo paſſim uti frui nequeant.

45. Neque tamen ita cæcum ſibi mutuo obſequium debent poteſtates, ut effectum rebus judicatis aliorum tribuant, in fraudem, ut toties dictum, ſuæ jurisdictionis ſuorumve civium. Rurſus exemplum; civis noſter edicto citatur in vicinam provinciam, ex ſola vi ſubmiſſionis per conventionem factæ, cumque non ſiſteret ſe, veluti contumax ibi damnatur, ſententia mittitur ad noſtros judices executioni danda. Quæritur, an debeant ei vim addere; non videtur, quia ſicut antea dictum eſt, ea res pertinet ad fraudem jurisdictionis noſtræ; ac ita ſit. Quando etiam petunt exteri ſuas ſententias executione firmari, mos & ratio exequendi, ſecundum inſtituta fori, in quo ſit executio, non ubi ſententia lata eſt, fieri debet ac ſolet; quia mutatio moris ſolennis in actu externo conſiſtentis, ſat difficilis & incommoda foret.

46. Quâ cauſa, juris etiam ac moris eſt, ut quicquid ad ordinem judicii naturamque actionum inſtituendarum pertinet, obſervetur, ſecnndum jus loci, ubi cauſa cognoſcitur & judicatur, non ubi res geſta fuit. Exemplo & hoc illuſtretur. Noſtras homo in Batavis agens, illic è mercibus minutim venditis obligatus eſt, quarum actioni biennio apud nos, ſecus in Hollandia, præſcribitur. Creditor actionem poſt biennium inſtituit in Friſia; quæſitum eſt, an pati debeat præſcriptionem biennnalem, quia nunc agit in Friſia; an ea ſit liberandus, quia contractus initus eſt in Hollandia. Reſpondetur, præſcriprioni eſſe locum. Quia jus ejus ad actionem non ad negotium geſtum pertinet. *l*)

47. Ex his omnibus palam eſt; neque leges, neque jurisdictiones alienas ullum effectum habere in aliis territoriis, niſi ex voluntate populorum. Sicut hodieque jus Romanum in Europâ viget aut languet, ut viſum cuique populo; cujus peculiaria ſcita Romanis legibus ubique prævalent, alibi rarius alibi crebrius. Quicquid denique jus naturale, divinum, uſusque gentium dictat,

n.44. *k*) certo jure) *Intuitu judicum inferiorum, admitto. Intuitu ſummarum poteſtatum nego, per dicta* lit.c. *Nec obſtat ratio allata. Sufficit enim, quod effectus juris certus ſit in ipſo territorio illius ſummæ poteſtatis. Et ſi ratio ab Autore hic poſita crude nimis accipiatur, obſtaret* l. ult. de jurisdict. *quam tamen autor fundamenti loco poſuit* n. 32.

n.46. *l*] geſtum pertinet) *Diſſentiunt alii. Vide Dn. Hertium* p. 212. §. 65. *Sed nihil muto. Uti enim quilibet contrahens debet gnarus eſſe conditionis ejus, cum quo contrahit, ita videtur etiam gnarus eſſe debere, intuitu actionis inſtituendæ, conditionis fori ſeu proceſſus judiciarii, ubi reus eſt conveniendus.*

ſtat, ad hoc populi principeſque diverſi | prohibetur, nefas eſt.
erga ſe invicem obligantur: Quicquid illis |

CAP. II.
DE LEGATIS.

Definitio Legatorum. n. 1. 2. Quatenus ſumma poteſtas in mittente requiratur, & quid juris, ubi de ſumma poteſtate dubitatur. n. 3-6. Differentia legatorum. n. 7. 8. 9. Quæſtiones de illis duæ ventilantur, prima, an, & quibus ex cauſis non admitti poſſint; n. 10. dein, an unquam ullave cauſa lædi vel puniri queant, ab iis, ad quos mittuntur, aut res eorum à creditoribus detineri. n. 11-26. De jure Legatorum, qui pariter ſubditi ſunt horum, ad quos mittuntur. n. 27. 28. 29. Item, an Legati jurisdictionem & jus aſyli habeant. n. 30-32.

1. DIctum de jure, quod inter populos nullo facto ſibi cognitos, ex ſola humani generis cognatione mutuaque utilitate intercedit. Sed quia ſummopere omnium intereſt populorum, commercia amicitiæque officia propagari, aut, ſi bellum ſit ortum, id quamprimum componi; quos ſines abſque internunciis adſequi non licet; ideo legati jure gentium eximio jure ſunt præditi, qua re nihil apud omnium temporum ſcriptores magis teſtatum & celebratius eſſe conſtat. m)

2. Eſt autem legatus, nihil aliud, quam Nuncius publicus, vel, ſi definito opus; Qui cum mandatis publicis, ab eo qui ſummam habet poteſtatem, n) mittitur ad exteros. Quatenus autem ſumma poteſtas in mittente requiritur, diximus in titulo de juribus majeſtatis.

3. Quibus noviſſime addidit Vicquefortius in tract *de legat. cap. 2.* ſupremam in mittente poteſtatem, ideo requiri, quia ſine hac mittentes ſanctitatem & defenſionem legatis præſtare non poſſunt: Rectè, ſi de juris facultate, non de potentia, id eſt, viribus loquatur. o) Harum enim defectus non mutat jus mittendi legatos, nec imbecillioris populi aut principis legati deſinunt eſſe ſancti potentioribus, eo quod ab illis adverſus hos defendi aut vindicari non poſſunt. Sed miſſi ab his ideo ſancti non habentur, quia cum exteris, de publicis rebus nulla poſſunt habere commercia: miſſos autem ad ſuperiores ſuos, horum jurisdictioni & animadverſioni, cui ſe ipſos fatentur eſſe ſubjectos, eximere nequeunt.

4. Secun-

n. 1. m) eſſe conſtat) *Adde huic capiti ea quæ diſſeruimus* in Inſtit. Jurispr. div. lib. 3. cap. 9. cum emendationibus in Fundam. J. N. & G. *& eruditiſſimum Juſtini Presbentæ tractatum* de jure Legationis Statuum imperii à §. 37. ad §. 134.

n. 2. n) poteſtatem) *Sed adde limitationem* ex §. 4. 5. 6. hic *& conf. Juſtin. Presbentam* §. 45. p. 68. ſeq.

n. 3. o) loquatur] *Connexio ſequentium poſtulat verba eſſe invertenda in hunc ſenſum.* Rectè, ſi non de juris facultate, ſed de potentia, id eſt, viribus loquatur.

4. Secundum hæc, reges exſules mittendi jus legatos, cum effectu ſanctitatis, retinent, niſi jure privati ſint regno, quemadmodum recte diſtinxerunt Angli juriſconſulti, reſpectu Mariæ Scotæ, *p*) quod exemplum retulimus *in Hiſtoria civili ab ann. 1558. rebus Anglicis.* In dubio admittendi videntur, niſi ab his, quibus id dubium non eſt, *q*) quemadmodum Elizabeth Angla jus Mariæ Scotæ agnovit, *r*) non æquè Belgæ Jacobi jus pronepotis ejus. Idem fere de uſurpatoribus habendum; Quibus indubitatum eſt, eſſe tales, hi recuſandi cauſam habent; plerumque factum & poſſeſſionem ſequimur. *s*) Eadem ratio eſt, ubi duo Principes de regno contendunt.

5. Diverſi populi arcte fœderati, ut inſtar unius Reipubl. efficiant, cum ſinguli ſummam poteſtatem retineant, jus legationum ſine dubio retinent, ut Germanici Principes Imperii, inter ſe gentesque liberæ Belgarum & Helvetiorum. Quin diverſi Ordines ejusdem Imperii inter ſe pares, ut eſt exemplum in vicinæ civitatis & agri circumjecti Republ. quo unius partis Legati in alterius Juriſdictione ſancti habendi ſint. Denique & hi, qui ex parte ſubditi ſunt, ex parte non ſunt, pro ea parte, qua ſubjecti non ſunt, eodem jure gaudent, ut Principes Germaniæ reſpectu Imperatoris, *t*) quo forſitan *u*) & de jure referri poſſit exemplum legatorum, qui à Belgarum Ordinibus ad Philippum Regem miſſi & male habiti ſunt, initio ſuperioris ſeculi turbarum.

6. In bellis etiam civilibus, cum utraque pars ſummam poteſtatem, ex parte ſaltem, de qua diſputatur, præferat, & cum utilitas per legatos tranſigendi nusquam flagrantior ſit, res & neceſſitas ſanctitatem legatorum obſervari jubet, quo pertinet, quod Tacitus Flavianos accuſat, quod ſacrum,

Xxxx 3 etiam

n. 4. *p*] Mariæ Scotæ) *Sed quis judicabit an ex jure privatus ſit regno, quia reges judices ſuprà ſe non agnoſcunt. Et in illa quæſtione de Epiſcopo Roſſenſi plures aliæ quæſtiones venerunt in controverſiam: maximè verò illa, annon legatus hoſtilia tentans excidat privilegiis legatorum.* Vid. Larrei hiſtoria regni Anglicani Tomo II. f. 217: *Adde iterum Presbeutam* §. 104. §. 223. ſeq. *ubi* p. 228. *oſtendit, JCtos Anglicos ad illam quæſtionem, an rex depoſitus poſſit legatum mittere parum commodè reſpondiſſe.*

q) dubium non eſt) *Senſus Autoris paululum obſcurus. Id videtur voluiſſe dicere.* In dubio admittendi videntur, niſi ab his, qui privationem regis pro dubia non habent, ſed pro juſtè facta. Quemadmodum Elizabeth Angla jus Mariæ Scotæ agnovit, & ita eam credidit injuſtè eſſe depoſitam, adeoque legatum ejus admittere debuit, non æquè Belgæ Jacobi pronepotis ejus (*feramus enim & hanc locutionem*) jus in Regnum Angliæ agnoverunt, adeoque nec ejus legatum admiſerunt.

r) agnovit] *Sed Autor in facto hic erravit. Nam Regina Eliſabetha potius agnovit jus Jacobi Mariæ filii, & privationem regni intuitu Mariæ ab Ordinibus regni Scotiæ jure eſſe factam credidit. Presbeuta* §. 104. p. 228

s] ſequimur) Quo pertinet quod ſuperiori ſeculo fœderati Belgii ordines Anno 1642. Legatum Parlamenti Anglicani, manifeſtæ perduellionis rei, audivere, Legato Regis Caroli in contrarium fruſtra nitente. *Verba ſunt Presbeutæ* §. 45. p. 69.

n. 5. *t*) reſpectu Imperatoris) *Quo pertinet præter tractatum ſæpius laudatum Juſtini Presbeutæ etiam eruditus libellus Culpiſii* de Legationibus Statuum Imperii *de quo vide judicium* in præfatione ad dictum Presbeutæ tractatum & in §. 1. ipſius tractatus.

u) forſitan) *dubitanter loquitur propter ea, quæ ſequuntur* in numero ſequente, *verſic.* Etſi fatendum eſt *&c.*

etiam inter exteras gentes, legatorum jus civili rabie remeaſſent, miſſis à Vitellio Legatis. Etſi fatendum eſt, hanc rem, ut ſunt res hominum, à virium æſtimatione, juris quoque ſpeciem induere diverſam. w) Ut ſi pars altera multo ſit inferior, rebelles potius quam adverſa pars habeantur. Quomodo Albanus dux à Principe Arauſionenſi miſſum ſuſpendit: Tametſi Hiſpani deinceps æquo jure bellum gerere didicerunt.

7. Hæc de jure mittendi legatos, cum effectu juris gentium. Diviſio legatorum vix à veteribus ulla traditur; niſi quod feciales & caduceatores hodieque tibicines & tympaniſtæ aliique nuncii à legatis utique diſcernuntur, qui tamen jure legatorum perinde gaudent: non tam quod repræſentent eos, à quibus mittuntur, quam quod intereſt pacis ſervandæ, vel reſtituendæ, illos admitti. Sed moribus hodiernis, varii characteres, nomina varia uſurpantur, quæ tamen nihil quam dignitatem, jus haud magnopere variant, quia omnes ſancti & inviolabiles ſunt.

8. Præcipua diviſio eſt in *Ordinarios*, qui ſedem uno loco moramque longiorem faciunt, ut de omnibus negotiis quotidie occurrentibus agant, & in *Extraordinarios*, qui de certis rebus ſpecialiter ſunt miſſi. Illos Grotius antiquis ignotos non ita pridem à Ferdinando Arragonio, cujus ſumma conſiliorum in explorandis aliorum conſiliis erat, introductos, x) ideoque non neceſſarios, forte nec utiles videri, meritoque recuſari poſſe ſcribit y) *in l. 2. c. 18. n. 3. in f. &c.*

9. Hodie tamen ita uſurpantur, ut ſine illis amicitia vix ſtabilis inter populos diverſos coli videatur, etſi nec minus uſum habeant exploratorum. Ideoque licet admiſſi ſine dubio ſancti ſint, tamen ſi quis populus aut princeps ejuſmodi legatos reſidentes admittere nolit, contra verum jus gentium nihil peccaturus videtur: quomodo in magna Belgarum panegyri anno 1650. ea de re ſerio deliberatum eſt. Placuit ſequi morem receptum, politicis tamen potius quam juridicis rationibus.

10. Quæſita de legatis hic inprimis duo ſunt, prius, an ſemper admittendi, ſecundum, an uſque in infinitum inviolabiles. Admiſſio legatorum ſine gravi cauſa non poteſt recuſari, z) ſunt autem rationes hæ ferè; I. Si is qui mittit legationem, amicitiæ cauſam obtendens vere interim arma intentet. II. Si ſceleribus infamis ſit, quæ ratio valet quoque in eo, qui mittitur, quo jure legati rebellium *Hibernorum anno* CIƆ IƆCXLIII. repulſi ſunt ab ordinibus Belgarum, ſicut etiam III. ſi legatus ei, ad quem mittitur, certis de cauſis admodum ingratus ſit. Denique, IV. ſi cauſa mittendi ſuſpecta, velut ſeditionis ergò, aut tempus minime opportunum, vel cauſa mittendi, dignitatis reputationi minus conveniens ſit. Inter quas tamen cauſas non videtur eſſe, revelatio ſecretorum, quia hæc ab inſtituto legatos habendi maxime reſidentes, inſeparabilis

n. 6. w) diverſam) *Conf. iterum Presbeutam* §. 45. p. 68.

n. 8. x) introductos) *A Nunciis Paparum originem deducit Presbeuta* §. 64. p. 105. ſeq.

y) ſcribit] *Diſſenti Kulpiſius* de Legationibus Statuum Imperii p. 31. ſeq. *cui reſpondi* in Inſtit. Jurispr. div. lib. 3. c. 9. §. 25. ſeq. *Conf. Presbeutam* d. §. 64. *& dicenda ſtatim* ad n. 10.

n. 10 z) non poteſt recuſari) *Diſtingue inter regulas decori & juſti. Revera enim in arbitrio ejus, ad quem legatus mittitur eſt, ejusque conſcientiæ relinquendum, an & quem legatum velit admittere.* Vide d. cap. 9. Inſt. Jurispr. divinæ n. 20. ſeq. *Adde Presbeutam, qui fuſius mentem noſtram declarabit* §. 75. 76. 77. p. 129 - 136.

Digitized by Google

rabilis eſt. *a*) Extra has ſimilesque graves cauſas, legatos ſeu belli tempore ſeu pacis admittere nolle, id vero nihil eſt aliud quam tollere jus gentium, ut apud *Livium Hanno* Carthaginienſis cenſebat.

11. Alterum ſingulare in legatis eſt, quod ſancti ſint, hoc eſt, ut vocis fert proprietas, inviolabiles: cujus rei ratio deſcendit à jure poſitivo Gentium, ut nihil in hiſtoriis occurrat frequentius, quam ſacra legationis, fas gentium, qua de re videndus Grotius *b*) in *lib. 2. cap. 18.* Sed an hoc jus ſanctitatis aliquos, & quos habeat limites, ſummopere dubitatum & diſputatum eſt. Sententia pro legatis adfirmans & liberalior hæc eſt;

12. Quod non modo ab injuriis, licet ab hoſtibus veniant, ſed & ab iis moleſtiis, quæ alioqui jure illis creari poſſent, liberi eſſe debeant. Idque ea ratione, quod uti promptè & ſecure mittantur legati, populorum interſit, ut planè & plenè conſtet, nullam rem obſtituram, quominus certo tutoque legati ſint ituri & redituri: ita, ut in ſubditorum numero, quales alioqui omnes, qui in alterius ſunt territorio cenſentur, non habeantur.

13. Unde ſequitur, quod non modo in merè civilibus, ut aliqui volunt, ſed ne quidem in his, quæ ſunt juris naturæ ac Gentium delictis, pœnæ ſint ſubjecti. *c*) Quæ ſententia & hac ratione juvatur, quod ſi liceret ex cauſis crediti vel criminis vulgaris, aut machinationis fraudulentæ, vel hoſtilis detinere & plectere legatos, vix unquam prætextus perſequendi vexandique illos defuturi eſſent.

14. Quâ ratione, noviſſimo congreſſu orbis Chriſtiani, qui fuit Noviomagi, inſtante, fœderati Belgii Proceres edictum publicarunt, re antea diu multumque controverſâ, ne liceret crediti aliave cauſa legatis ullam creare moleſtiam, in jus vocationis aut arreſti, quod dicitur, vel alterius incommodi ex juriſdictione proficiſcentis. Denique, & hæc ratio eſt, quod legati principem populumve, à quo ſunt miſſi, repreſentent, eorumque faciem & auctoritatem præferant; cujus ea vis ſit, ut, quod jam antea dictum, quaſi extra territorium conſtituti exiſtimentur.

15. Unde, ſi teſtamentum fecerint, ſi contractum iniverint, non ex forma ſtatuti illius loci, in quo legationis cauſa commorantur, actus iſti nihilominus valebunt. *d*) Denique, in caſu gravioris delicti, nihil ultra in legatum decerni poſſe videtur, quam ut finibus egredi jubeatur, ac ab eo, qui miſerit, puniri poſtuletur.

16. Quæritur, ſi is qui miſit, antea noſtros malè habuerit legatos, an nobis idem in ipſius legatos ſit permiſſum. Diſtinguendum reor, utrum male per injuriã ſint habiti, an ex merito Si prius, tum ſcelus hoſtiũ nullo modo fas imitari; ſi poſterius, tum nihil eſſe videtur impedimento, quominus viciſſim jus dicere liceat *e*) tam propter regulam, quod quiſque juris in alium ſtatuerit, ut ipſe eodem jure utatur,

a) inſeparabilis eſt) *Sed hac exceptio, etiamſi regulam Autoris admitteremus, cum praecedentibus tamen non cohaeret. Nam ipſe Autor, & recte, definiverat* §. 8. in fine *tales Reſidentes ob hanc cauſam merito recuſari.*

n. 11. *b*) videndus Grotius] *Sed videnda tamen etiam ſunt, quæ contra Grotium, & iſtud jus Gentium poſitivum à Grotio allegatum erudite diſputat Presbeuta* §. 102. 103. p. 203-223.

n. 13. *c*) ſint ſubjecti] *Et contra hanc aſſertionem, tam quoad cauſas civiles quam quoad criminales eruditè diſputat Presbeuta* §. 94. ſeq. p. 182. ſeq.

n. 15. *d*) valebunt) *Adde Dn. Hertium* de colliſione legum Tom. I. p. 195. §. 31.

n. 16. *e*) jus dicere liceat) *i. e. erga legatum, qui deliquit apud me. Sed diſtinctionem Au-*

tatur, quam ob tacitum quaſi alterius conſenſum.

17. Porro, non modo perſonæ legatorum, ſed quicquid ad eos pertinet eâ ſanctione continetur, quatenus ex jure tralatitio, acceſſoria ſequuntur jus & naturam ſui principalis. Proinde, invito legato, comites *f*) abduci non poſſunt, ſed ad deditionem, propter grave delictum, ab illo poſtulari poſſunt; quo recuſante, idem ab rege populove, qui legavit, petendum.

18. Utroque caſu, ſi palam ſit, mittentes nolle quod à legatis perpetratum eſt, vindicare, adeoque ſatis id eos approbare, tum, ſi cauſa tam ſit atrox, nihil aliud quam ultio belli ſupereſt. Denique ne vaſa quidem resque legatorum à creditoribus detineri poſſunt, eadem ratione; non obſtante, quod ita legati difficulter creditores inventuri videantur: ipſi utrimque viderint; aliud enim eſt juris, aliud cautionis & prudentiæ.

19. At hæc omnia non aliter habent locum, quam ſi abſque periculo noſtro legatis parci queat: denique per modum defenſionis, etiam jure offendi & male mulctari poſſunt. Quapropter, ſi noxia moliantur conſilia, cuſtodiri utique & interrogari, & publico certorumve hominum colloquiis interdici poſſunt. Quin etiam, ſi ipſo facto vim inferant, vi illis reſiſtitur, & ſi cadant, jure cæſi intelliguntur. Poſtremo, ſi ob cauſas ante memoratas denunciatum ſit, ne legati mittantur, alioqui pro hoſtibus fore, tum juris rationes minime violantur, ſi legati violentur.

20. Obligatio autem de non violando, duntaxat inter mittentes, & eos, ad quos mittuntur legati, intercedit, ad tertium non pertinet. *g*) Qui proinde contra jus gentium non peccat, ſi hoſtilia meritos tanquam hoſtes accipiat, iiſque damnum aut exitium inferat, cujus rei exempla hiſtoriæ multa ſuppeditant. Idem eſt, ſi legati characterem ſuum celent, ac ut privatos ſe gerant; qua, ut & præcedenti ratione, vel prætextu Carolus V. duos Franciſci regis legatos per Italiam ad Turcos euntes interfici curavit. Plura exempla, ſunt enim infinita, cumulari non poſſunt, neque fert hic ſcribendi modus. Satisfecit avido lectori, ad ſatietatem uſque, Vicquefortius hac parte in *nupero de legatis tractatu*, qui fere nihil eſt, quam perpetua exemplorum textura, *h*) non omnium æquabili, ut in factis innumeris amat fieri, circumſtantiarum fide.

21. Ex

toris iterum non eſſe aptam ad ſolvendam hanc quæſtionem de jure talionis, eruditè oſtendit Presbeuta §. 88. p. 161. ſeq.

n. 17. *f*) comites) *Sed adde hic iterum Presbeutam* §. 124. ſeq. p. 262. ſeq.

n. 20. *g*) non pertinet) *Legati intuitu eorum, per quorum territoria tranſeunt, non impetrato commeatu, jure Gentium quidem non fruuntur, ſed tamen non indiſtinctè poſſunt violari. Aliud dicendum de talibus legatis miſſis ab hoſtibus ad hoſtes, & de illis qui tales non ſunt, prout nempe vel tranſeunt per territoria nec amicorum, nec inimicorum, vel per territoria amicorum. Semper tamen ſecurius eſt, impetrare commeatum & afferre literas fiduciarias. Imò ſine literis credentialibus nemo prætendere poteſt, ut pro legato habeatur. Singula hæc latius deducit Presbeuta* §. 47 - 50. p. 69 - 78. *ubi etiam de exemplo Caroli V. hic ab autore adducto* §. 47. p. 71. ſeq. *plures circumſtantias refert.*

h) exemplorum textura) *Varia ſunt de Vicquefortii hoc libro judicia. Presbeuta* §. 1. p. 1. Quod noſtros mores, *inquit*, & jura attinet, legatis debita, tum honoris, tum ſecuritatis publicæ cauſa, in eo tractationis genere non eſt dubium, quin Viquefortius ante alios excellat. Tam plena enim manu omnia executus eſt, tum rerum ordine, tum vi judicii, experientia, & infinitis præjudiciis ſubnixi, ut alii

21 Ex iis autem, quæ dicta ſunt, *i*) legatorum ſanctitas non modo præſtat libertatem à vi & injuriis, ſed etiam à pœnis delictorum & exactione debitorum civilium ab invitis, pro qua ſententia Grotius eſt valide in cap. XVIII. libri ſecundi. Etſi ut exempla non deſunt in contrarium ita rationes, quibus id jus evincitur, vim minime demonſtrativam habent: Et diſputationes acerrimæ ſcriptorum in utramque partem, conſenſum adeo liquidum non efficiunt, ut qui ſecus inſtituerint, & legatos eorumve comites, ob delicta manifeſta, vel debita liquida conveniunt & juris executione complectuntur, juri Gentium opponere ſeſe, & hoc violare videantur. Denique, an in comitibus & rebus legatorum idem juris ſit, quod in perſonis ipſorum, non eſt etiam nihil quod dubitetur.

22. Cum enim duplex ratio ſit, pro illa generali ſanctitate legatorum; una de utilitate & eo quod intereſt humani generis, ne rimâ violandi legatos apertâ, ſecuritas eorum plane periclitetur; altera, quod mittentes repræſentent: prior ratio ad Comites & res eorum non neceſſario pertinere videtur, eique opponi poteſt alia non minus valida ratio, quod nec æquum, nec voluntati populorum conveniens ſit, ut legati in maleficiis & contractibus impune graſſentur, & cives eorum, ad quos ſunt miſſi, damnis & injuriis mulctent. Nam quod de animadverſione principum, à quibus miſſi ſunt, in illos, & de bello cauſa movendo profertur, ſatis longe petitum & eluſorium eſſe conſtat. Nec videntur de jure gentium violato, habere cauſam querendi, qui flagitium æris alieni & damni dati pudorem fateri coguntur, maxime ſi ordinarii ſint legati, & quaſi cives noſtri.

23. Quod ad repræſentationem attinet, verum eſt, legatos *adferre ſecum faciem mittentis*, ut Cicero loquitur *in Philipp. VII.* Sed quid ſi mittentes ipſi in aliena Republ. hoſtiliter agerent, ſi cædes committerent, æs alienum immane contraherent, an detineri, cuſtodiri, judicari non poſſent? De jure quidem non dubitandum; quia in alienis territoriis nihil quam privati ſunt. De *Curialitate*, ut Accurſius loquitur, aliter obſervari poteſt & ſolet; nec tamen fieri non poteſt, ut *Curialitas* juris rigori cedere debeat. Quod in principibus ipſis domi ſupremis alibi inſtitui poteſt, an hoc in legatis, qui plus juris mittentibus habere non poſſunt, nullo modo eſſe admittendum, cedo qua ratione conſtat? *k*)

24. Fictio, dicet Grotius, qua legatos

Tyyy extra

is vix ad ſpicilegium aliquid reliqui feciſſe videatur. *Sed Autor præfationis ad Presbeutam aliter ſentit.* In Vicquefortio, *ait*, laudanda eſt diligentia collectorum exemplorum, ſed cordatiores paſſim ſolidius deſiderant judicium. *Cui & Autori hic etiam nos adſtipulemur, per ea, quæ diximus in* diſput. Lipſienſi de jure Aſyli in Legatorum ædibus. *& latius in* T. II. Obſ. Hallenſ. 17. *Et Presbeuta iſtud encomium Vicquefortii magis videtur ex modeſtia, quam ex vera animi ſententia ſcripſiſſe, quod patet exinde, dum ſæpius Vicquefortium refutat, & alibi diſertè docet, hunc ferè perpetuo miſcere quæſtiones juſtitiæ, cum quæſtionibus prudentiæ* vid. §. 104. 105. 106. 140. 143.

n. 21. *i*) quæ dicta ſunt) *Quæ hactenus Autor diſſeruit, ea repetita ſunt ex priore editione. Quæ jam ſequuntur uſque ad finem capitis, ſunt de novo addita. Et hic quidem uſque ad* n. 27. *Autor deſtruit iterum ea quæ hactenus* à §. 10. *ex & cum* Grotio *aſſeruerat, adeoque confirmat ea, quæ ſubinde contra illa aſſerta adnotavimus. Etſi nondum ſit conſtans, ſed iterum vacillet valdè* n. 25. 26. *item* n. 30.

n. 23. *k*) qua ratione conſtat) *Adde qui pluribus hic ab Autore dicta confirmat, Presbeutam* §. 97. ſeq. p. 195. ſeq.

extra territorium ejus, ad quem miſſi ſunt, poſitos imaginamur; quia principes ſcilicet, quorum faciem præferunt, tum quidem ſunt extra territorium. Sed ejusmodi fictiones melius ſubtilitati juris civilis, quam ſimplicitati juris gentium conveniunt. Præter quod ipſi juris civilis Doctores monent; duo ſingularia, vel duas fictiones in una re concurrere non poſſe, quales hic forent; Repræſentatio alterius, & imaginatio ſitus diverſi perſonalis. *l)*

25. Satis apparet, quid in utramque partem diſputari poſſit. Dialecticæ rationes, imo æqui & boni rationes non liberant legatos, multo minus eorum comites, ab omni jurisdictione locorum, in quibus agunt. Sed utilitatis reputatio & metus conſequentium ex ulla in legatos animadverſione, tacitum inter gentes pactum *m)* de univerſa illorum exemptione, produxiſſe videtur: quæ eſt illa fides publica, de qua Salluſtius *in Jugurth. Fit reus*, inquit, *magis ex æquo bonoque, quam ex jure Gentium, Bomilcar comes ejus, qui Romam fide publica venerat. n)*

26. Sicut tamen in univerſo jure regnant exceptiones, ita ne in hoc quidem negotio dixerim, nullos exiſtere poſſe caſus, quibus ſingularis legatorum aut ejus comitum improbitas dare poſſit cauſam, ut æquum & bonum juri gentium poſitivo & tacito prævaleat; ſive in ære alieno perſequendo, ut curia ſuprema Batavorum ſæpe decrevit adverſus res legatorum, idque defendit apud Ordines ad jus Gentium inclinantes; ſive in delictis, ut Angli ſub *Cromwellio*, fratrem legati regis Portugalliæ, ob cædem in foro, ſive Burſa, quam vocant Londinenſi inſolenter admiſſo, capitis ſupplicio adfecerunt, *o*] cujusmodi animadverſiones quandoque tàm valida æqui & boni ratio tueri poteſt, ut jus gentium ſileat, nec violari videatur.

27. Non eſt etiam ratione vel uſu expeditum, ſi populus aut princeps exteri, noſtro civi mandatum res ſuas in noſtra civitate agendi dederint, an hic incontinenti noſtræ jurisdictioni penitus eximatur, idque virtute fictionis illius, quâ legatus, ut extra territorium conſideratur. Ita vehementer Vicquefortius *in d. tract. cap. xi.* male habitus in Hollandia, tamquam ſubditus, cum res ageret Ducis Luneburgenſis contendit. *p)*

28. Diſtinguendum videtur. Quatenus in officio agit, ſine dubio mandantem repræſentat, & ſanctus eſt. Extra mandati ſui partes non videtur mutare conditionem; quia tum accederet tertia in eandem rem fictio, quâ civis noſter, qui de facto talis eſſe non deſiit, deſinere fingeretur eſſe talis: cujusmodi accumulatio fictionum, non modo non juris gentium, ſed & incivilis foret. Ideo Princeps eligens legatum, qui ſub-

n. 24. *l)* diverſi perſonalis) *h. e. ut ab initio numeri dixit, quod fingantur legati extra territorium ejus, ad quem miſſi ſunt, eſſe poſiti.*

n. 25. *m*] tacitum inter gentes pactum) *Scilicet ex imitatione & continuatione actuum à paucis initio incboatorum vel ſuſceptorum ortum. Sed uti talis imitatio univerſalis & continuata negatur, ita ex ſola imitatione non poteſt oriri pactum tacitum.*

n) publica venerat) *Ad hunc locum Salluſtii ſolide reſpondit Presbeuta* §. 102. p. 105. 207. ſeq.

n. 26. *o*] adjecerunt) *Alia exempla huc pertinentia vide apud Presbeutam* §. 108. p. 235. ſeq.

n. 27. *p*] contendit) *Atque hoc factum occaſionem dedit Vicquefortio, ut tractatum de Legatis ſcriberet. Hiſtoriam ejus rei ſummatim narravi in* d. Obſ. ſel. Hallenſ. 17.

ſubditus eſt & manet ejus ad quem mittitur, non videtur hoc agere, ut hominem, ſed ut officium ejus eximat.

29. Si princeps legatum ſuum patiatur eſſe miniſtrum pariter ejus, ad quem mittitur, in hoc ſine dubio conſentit, ut tanquam ſuus miniſter ſit ſanctus, ut miniſter ejus ad quem mittitur, pro ſubjecto habeatur: ſi vellet totum eſſe ſanctum, totum quoque ſuum faceret & retineret. Quemadmodum Rex Galliæ *Deſtradium* in Belgis habuit tribunum ſtipendio Belgarum, & ſimul legatum ſuum, relationibus ita, ut dictum, actu diſtinctis. Hoc modo Vicquefortius nihli injuriæ ſit paſſus, eo quod judicatus eſt, de factis à legationis officio alieniſſimis.

30. Cæterum, ex eo quod legati principem extra territorium agentem repræſentant, ſi quis etiam contendere velit, illos habere juriſdictionem in ſuos & omnes domo ſua comprehenſos, fictionem adhuc longius & enormius proveheret, atque impingeret in id, quod modo arguimus; Repræſentantes ita habituros, quod ipſe repræſentatus, ſi apud nos ageret, non haberet, in alieno territorio juriſdictionem. Si tamen verum eſt, quod uſu gentium prævaluit, ut comites legatorum exempti ſint eorum ad quos mittuntur, poteſtati, parum abeſt, quin juriſdictio legatis in comites ſuos tribui poſſit: Niſi potius illa ſit quædam patrisfamilias poteſtas, quam ſi quid excedat, mittendi ſint ad legati dominum, τιμωρηθησόμενοι, pro imperio & juriſdictione tractandi.

31. Hoc ſatis conſtat, conſenſu populorum in familias domoſque legatorum non eſſe jurisdictionem his, ad quos ſunt miſſi; ut tamen neminem horum illius jurisdictioni ſubducant. Ideoque jus Aſyli in domibus ſuis non habent legati jure ſuo, niſi ex horum, ad quos mittuntur, indulgentia, quæ aliquando in vicos urbium integros extenditur.

32. Sed an hæc indulgentia longiſſimo tempore exercita, jus perfectum legatis tribuat, ut à ſumma poteſtate loci, deinceps adimi & revocari non poſſit? Poſſe jus aliquod in alieno territorio præſcriptione temporis acquiri; etiam quod ad imperium attineat, ipſamque jurisdictionem hoc modo fieri poſſe propriam & patrimonialem, *ſuperius* in loco dictum. Sed non videntur eſſe termini habiles præſcriptionis in perſonas identidem jurisdictioni ejus, in cujus territorio ſunt legati, ipſo actu ſubjectas, quæ proinde vindicari atque identidem in jus vocari poſſunt: multo minus illa præſcriptio in vicos, in quibus habitant legati, poteſt fundari, quia perſonæ agentes manent cives & ſubjecti poteſtati ejus ad quam legati ſunt miſſi. Quæſtio hæc illuſtri loco intonuit ſuperioribus annis. q)

n. 31. q) ſuperioribus annis) *Scilicet Romæ inter Papam & Regem potiſſimum Galliæ. Dictum eſt de controverſia pluribus in diſſertatione peculiari Lipſienſi modo citata. Adde Presbeutam* §. 109. p. 238. ſeq. & §. 111. p. 244. ſeq. *Alibi* §. 55. p. 156. *ratiocinatur de ſimili decreto in Regno Sveciæ de jure aſyli, Legatorum ædibus non amplius concedendo.*

CAP. III.

DE FOEDERIBUS.

Fœdus quid n. 1. & quotuplex. n. 2-5. 9. Non eſſe juſta fœdera, quibus ſocii ad omnia bella promiſcue obligantur: ſed nec obligationem inde ad bellum injuſtum oriri. n. 7. 8. An cum infidelibus licita ſint fœdera inita, diſputatur: n. 10. 11. Effectus fœderis n. 12. 13. Quomodo finiatur obligatio fœderis n. 14. 15. an etiam morte contrahentium n. 16. De ſponſionibus earumque effectu, n. 17. 18. 19. De interpretatione fœderum, n. 20-23. & cautione certitudinis illorum ac obſervantia. n. 24-27.

LEgati primo omnium ad exteros dimittuntur, ut amicitiam cum illis aut ſocietatem, hoc eſt, *Fœdus* contrahant, quod nihil eſt aliud, quam *conſentio inter diverſas civitates non tranſitoria*; ut ab aliis contractibus, in quibus nihil poſt conventionem remanet, diſtinguatur.

2. Ratione materiæ dividitur fœdus, quod vel de iis ſit, quæ populi per ſe, ex conjunctione humani generis, ſibi invicem debent; aut quæ aliquid juri naturæ adjiciant. Priora ſunt, de non nocendo, de liberis commerciis, ſimilibusque rebus, eaque vel cum iis, quibus cum ante bellum habuimus, vel cum quibuslibet vicinis, maxime cum feris nationibus, quæ promiſcue prædas agunt, ineuntur. Nam cum bene moratis populis, ſi nihil quam libertatem innoxiam petamus, non eſt magnopere quod hæc fœdera deſiderentur.

3. Reliqua fœdera ſunt vel æqualia vel inæqualia. Utraque vel pacis ſunt vel ſocietatis. Pax bellum ſequitur & in noſtra quoque methodo ſequetur. Societates maxime de commerciis aut de bellis ineuntur, & ſi quæ res aliæ ſint. De commerciis, veluti, ne vectigalia aut omnino aut ultra modum certum exigantur, aliaque ex uſu ſingulorum populorum.

4. Societas bellica, vel eſt de bello pariter communi nomine gerendo, vel de auxiliis alteri præſtandis. Prius eſt, vel offenſivum, ut vulgo loquuntur, vel defenſivum. Et rurſus utrumque vel ad certa vel ad omnia bella.

5. Offenſivum ad omnia, eſt id quod Græci ξυμμαχίαν vocant, quo Athenienſes & Spartani ſuos ſinguli ſocios habebant conjunctos, ſub ipſorum ducatu; explicatius Thucydides τοὺς αὐτοὺς ἐχθροὺς καὶ φίλους νομίζειν, *eosdem hoſtes & amicos habere lib. 1.* Ad certa, bellum offenſivum quid ſit, hoc per ſe patet, ut & defenſivum, tam ad omnia, quod Græcis ἐπιμαχία dicitur, quam ad certa etiam bella, denique cuncta, ſub exceptione tamen quorundam.

6. Eandem diverſitatem tuitionis aut offenſionis recipiunt fœdera, quibus altera pars ad auxilium alterius obligatur, quæ ſimiliter de cunctis aut de certis ineuntur. Ea, quibus ſe populus aut princeps ad cuncta promiſcue bella adjuvanda obſtringunt, tam nocendi quam tuendi cauſa, vix humano juri conſentanea videntur; quia præ ſe ferunt animum, ad quoslibet homines, à quibus nullo modo ſis læſus aut offenſus, ſeu jure ſive injuria affligendos, paratum.

7. Quare non immerito *Ulricus Zuinglius* Tigurinis ſuis auctor fuit, ut *Sleidanus* in ea re teſtis eſt *lib. 3.* ne in ejusmodi fœdus cum Rege Francorum ineundum, quo ſanguinem

guinem ſuum ei ad quævis bella commodato vel locato addicerent, conſentirent. Etſi quoque ſancito tali fœdere, dicendum eſt, omnino ad injuſta bella nullam eſſe obligationem, nec proinde contra fœdus factum videri, quod ſuppetiæ illo caſu negentur: At cum odioſa & lubrica ſit hujus rei diſceptatio, fere ita uſu venit, ut noxia nec non periculoſa libertati ſint id genus pacta, vel fœdera.

8. Idem de illo fœdere ſit judicium, quo ſe quidam ad perpetuam συμμαχίαν, nec unquam ab armis alterum ſine altero deſtiturum, obligarunt. *r*] Nam ſi utrique pax honeſta & tuta, plenaque ſatisfactio ab hoſte offeratur, pactum prius obſtare non videtur, quominus alter, ſi nolit alter, *s*) ſolus bellum claudat. Exemplum videbis in Hiſtoria Civili ab anno 1647. ad 1648. *in rebus Gallicis cap.* 5. *& de Belgicis c.* 7. Quin

n. 8. *r*) obligarunt) *Laudandus quidem Autor, quod intenderit patriam in hujus quæſtionis definitione defendere. Notum enim eſt ex hiſtoriis præcedentis ſeculi confœderatos Reges & Principes cum potentibus Belgii confœderati Ordinibus aliquoties conqueſtos eſſe quod hi, etſi antea pactum fuerit, confœderatos ſeorſim cum hoſte pacis pacta haud inituros eſſe, ſeorſim tamen pacti fuerint. Et non diffitemur, poſitis certis circumſtantiis poſſe ejusmodi confœderatos absque violatione ejusmodi conventionis ſeorſim pacta inire, ſi evidenter conſtet, quod pars altera poſtulet evidenter injuſta, aut technis haud laudabilibus tentet eludere æquas pacis conditiones, quorſum pertinet exemplum ad quod hic autor provocat pacis ſeorſim initæ à Belgis cum Hiſpanis Monaſterii 1648. fruſtrà Gallis contrà proteſtantibus & provocantibus ad conventionem, quod una pars absque ſatisfactione alterius non deberet inire pacem cum Hiſpanis. Ibi enim artes & technæ Mazarinianæ erant ſatis craſſæ & palpabiles. Sed tamen propterea Autor hoc loco ea quæ pertinent ad exceptionem à regula, non debebat ponere fundamenti loco in definitione regulæ. Nam ſi & illa legas, quæ Autor* h. l. *ex Hiſtoria Civili citavit, Belgici Ordines tum temporis non negarunt obligationem ex ejusmodi conventione oriundam, ut Autor hic tentat, ſed potius omnia ita diſpoſuerunt, ut oſtenderent, ſe fruſtrà à Gallis accuſari, quod obligationi illi non ſatisfecerint. Unde ſtatim ſe reddit ſuſpectum Autor, quod ſtatum controverſiæ non formet rite. Nec enim quæritur:* An valeat fœdus ad perpetuam συμμαχίαν, & ut nunquam alter ſine altero à bello deſiſtat. *Hæc enim conventio ita ſimpliciter poſita durius ſonat. Sed:* an valeat conventio inter fœderatos: ut neutri parti ſeorſim liceat paciſci cum hoſte, niſi utrisque honeſtis conditionibus ſatisfactum ſit. *Hæc vero conventio, cum nihil iniqui contineat, haud dubie obligationem producet intuitu ſingulorum confœderatorum.*

s) ſi nolit alter) *Nec hanc quæſtionis ita poſitæ deciſionem negamus, ſi modo illud addatur, debere evidens eſſe, & ex recenſione circumſtantiarum facilè demonſtrabile, quod pars altera nolit acceptare conditiones pacis honeſtas & tutas. Nam ſi dubium ſit an conditiones pacis tales ſint, & tamen velimus aſſerere, quod hoc non obſtante, parti alteri liceat ſoli bellum claudere, ſanè feneſtra tùm aperiretur aperte cavillandi pacta fœderum. Sanè enim, quod tibi videtur mihi tutum & juſtum eſſe, ſæpè tale non eſt. Et cum diverſæ ſint hominum utilitates, quod tibi tutum & juſtum eſt, mihi tale eſſe non poteſt, unde cum quilibet ſit rerum ſuarum moderator & arbiter, etiam judex erit de eo, quod ſibi conducat, & an ſibi ab hoſte plenè ſatisfactum fuerit. Certè nullum proferri poteſt argumentum, quod demonſtret, ejus judicium hic ſubjici debere judicio alterius. Interim ſententia Autoris, illam obſervationem Politicam ſuppeditat, non magnam fiduciam eſſe*

&, ſi alterutri juſtæ conditiones proponantur, vix eſt, ut prioris vi pacti ad bellum continuandum teneatur. *t*) Quia promiſſio, quæ aliud bonum morale majus impedit, non eſt obligatoria. *u*) Sed ad auxilium ſocio, qui jus ſuum ab hoſte communi obtinere non poteſt, ferendum, alter nihilo minus vi pacti obligatus videtur.

9. Fœdera inæqualia ſunt, quibus alter plus, alter minus promittit: Nam priora, cum unus auxilium, alter mercedem ſtipulatur, æqualia cenſentur. Eaque ſunt ex parte vel inferiore vel ſuperiore. Hæc, ſi quis alterum in tutelam recipiat, ſine ulla repromiſſione, niſi reverentiæ & gratitudinis, (ſub qua tamen non paulo plus latere ſolet.) Quæ ex indigniore, ea vel Imperii inferunt diminutionem, vel ſalva libertate, contrahuntur, cujus rei judicium è *ſect. 3. cap. 3.* libri prioris colligendum.

10. De perſonis fœderatorum quæritur, an licitum ſit, inire fœdus cum impiis & à vera religione alienis, quæ eſt quæſtio juris divini. Nam jus naturæ cunctis hominibus commune eſt, ſufficitque nihil eo conveniſſe, quod morali honeſtati adverſatur. Jure veteri divino exempla fœderum extant non pauca cum idololatris inita, *Jacobi* cum *Labane*, *Davidis* & *Salomonis* cum *Hiromo*, ne de hujus affinitate Ægyptiaca dicamus.

11. In Evangelio & rationibus Chriſtianæ ſynceritatis nihil eſt, quod hiſce fœderibus in univerſum obſtet; non utique illis, quæ ad benefaciendum infidelibus, nec iis quæ ad mutuam utilitatem pertinent, aut ad opem ab illis implorandam. Sed merita circumſtantiarum hic conſideranda; ne commixtio nimis arcta cum impiis contagium animis adferat; ne potentia infidelium nimis promoveatur; multò minus, ne auxiliis

ponendam in his conventionibus fœderum, cum facilè pars altera, ab obligatione conventionis recedere volens, poterit invenire prætextus, accuſandi partem alteram, quod nolit acceptare pacis conditiones tutas & honeſtas. Exempla ſunt odioſa. Sed qui recordatur eorum, quæ geſta ſunt in tractatibus pacis Neomagienſis, non difficulter ſentiet, hanc obſervationem haud eſſe de nihilo.

t) teneatur) *Sed hic latet anguis in herba. Et cur non teneretur, quia conventio directè & expreſſè facta eſt, ne ſeorſim liceret paciſci, niſi utrique juſta conditiones fuerint propoſitæ? Ergo caſus propoſitus eſt expreſſè contra pacta quæ ſunt in quæſtione, & quæ jam oſtendimus obligationem producere. Nam ſi alterutri ſaltem juſtæ conditiones proponuntur, ſupponitur utrique tales non fuiſſe propoſitas. Nec aliter intelligi poteſt autor, cum caſus, quem in his verbis format, ſit à caſu præcedente diſtinctus. At in præcedente quæſierat quid ſit juris, ſi utrique pax juſta & honeſta ſit oblata. Ergo hæc conditio, in caſu præſente, per particulam* quin etſi *priori oppoſito, hoc loco intelligi nequit. Et hæc fuit fortè ratio cur Autor ab initio quæſtionem ipſam obſcurè propoſuerit, ut Lector non poſſit ita facilè ſentire, hunc caſum apertè contradicere verbis expreſſis conventionis. Nos ergo dicimus meliore jure, in hoc caſu teneri eum, cui ſoli juſta & honeſta conditiones offeruntur, vi pacti bellum continuare.*

u] non eſt obligatoria] *Regulam ritè explicatam concedo, nego ejus applicationem. Quodnam enim eſt illud majus bonum morale, quod in iſtâ conventione impeditur? Hoc debuiſſet Autor exponere diſtinctius. Alias vitio verti nequit diſſentientibus, ſi excipiat, iſtud majus bonum morale, quod prætenditur impediri continuatione belli non eſſe aliud, quam intereſſe privatum illius, qui vult à pacto recedere. At quis diceret, intereſſe privatum unius confœderatorum eſſe majus bonum morale, quam fidem publicam ejusque obſervationem?*

liis illorum ad nocendum Chriſtianis, quod toties, cum opprobrio Chriſtianæ religionis ſit, utamur. w)

12. Effectus fœderis eſt, ut ſine captione fiat, quod inter partes convenit, qua de re mox accuratius. At dubium eſſe poteſt, ſi cum duobus ſit fœdus ejusdem ſententiæ, velut auxilii ferendi, his inter ſe collidentibus, utri opitulandum ſit. Nam ſi cum tertio pugnent, nihil difficultatis eſt, cum utrique ut plurimum ſatisfieri poſſit.

13. Et quidem cognitio ipſi haud dubie ſuſcipienda, non ex jurisdictione, quæ nulla eſt, ſed jure & ex ratione naturali, ab utro ſtet ratio & juſtitia cauſæ, ut qui jure potior eſt, auxilio quoque prior habeatur. Si non liqueat, utrique, vel potius neutri x) mittendum; modo ne captioſe agatur & hoc prætextu fœderis obligatio eludatur, quod magis facti, quam juris eſt.

14. Finitur obligatio fœderis, ſi pars altera pactis non ſtet, κἂν ὁτιοῦν, ut Thucydides, & vel *tantillum* tranſgrediatur, niſi convenerit, ne ob quaslibet offenſiones, fœdus rumpere liceat: certa tranſactionis via per modum conditionis præſcripta & prius ineunda. Neque tamen ſtatim atque à ſœdere licet diſcedere, bellum etiam movere licet; hoc enim atrocius eſt, & propriis regulis conſtat, de quibus *inferius*.

15. Tempore etiam præfinito finitur, neque enim fœdus ſilentio utriusque partis renovatum videtur, niſi actus ipſi partium hoc neceſſario præ ſe ferant: alioqui novatio non præſumitur, ſed ex ipſo facto probari debet.

16. Quæritur, an & morte contrahentium fœdera finiantur; qua parte inter perſonalia & realia diſtinguendum, ut illa morte intereant, hæc ad poſteros tranſmittantur.

---

n. 11. w) utamur] *Vide latius de hac quæſtione Grotium* l. 2. c. 15. §. 8. - 12. ibique commentatores. *Nos initio ſupponimus (1) jus divinum univerſale non poſſe opponi juri naturali, quia præter jus naturale non datur aliud jus divinum univerſale. Et lex Moſaica quà talis Chriſtianos non obligat. In novo vero teſtamento Chriſtus novas leges non tulit. (2) Non confundendas eſſe quæſtiones juris, cum quæſtionibus de utilitate. Poterit fœdus cum infidelibus juſtum eſſe, quod tamen nobis & aliis non conducit. (3) Supponimus bellum juſtum eſſe, cujus gratiâ fœdus cum infidelibus initur. His ſuppoſitis affirmamus non ſolum licere jure univerſali fœdera inire cum infidelibus, ſed & ampliamus aſſertionem, ut liceat etiam contra alios Chriſtianos injuſtè nobiscum agentes. Vide latius Illuſtris Viri Dn. Henningis notas ad* d. l. *Grotii, ubi latius reſpondet diſſentienti Reinkingio. Ampliamus ſecundo, ut liceat etiam in fœdere offenſivo & defenſivo excipere infideles, quod eleganti exemplo Venetorum declarat idem in notis* ad §. 10. Grotii in fine. *Imo, quod addit Grotius* §. 12. *debere principes Chriſtianos commune fœdus inire contra Turcam tanquam communem hoſtem nominis Chriſtiani, nonniſi ſub debitis limitationibus verum eſt, ſi videlicet juſta ſubſit cauſa. Alias ita crude poſitum aſſertum ſapit principia falſæ Jurisprudentiæ papalis, omnia bella ac fœdera contra infideles & hæreticos juſta eſſe dictantia, etiamſi alia cauſa movens juſtifica non ſubſit.*

n. 13. x] vel potius neutri] *Sed hæc contradictionem involvunt. Nam ſi utrique mittendum auxilium, ergo non neutri. Si neutri, ergo non utrique. Dic ergo potius utrique. Uti enim in controverſiis privatorum debitum liquidum multa privilegia habet, præ illiquido, ita & in conventionibus publicis idem dicendum. Liquida & certa eſt obligatio ad fidem ſervandam, niſi conſtet fœderatum agere injuſtè. Ubi vero non liquet, quis eorum agat injuſtè, ſane dici nequit; quod ab obligatione nos poſſimus liberare ſub prætextu injuſtitiæ. Confer Grotium* d. l. 2. c. 15. §. 13. & *Autorem* infra cap. 4. n. 44.

tur. Realia ſunt omnia, quæ cum plurium imperiis optimatium, vel cum liberis populis ineuntur, quia in illis non eſt mutatio ſummæ poteſtatis, quod ad perſonas attinet. Etiam quæ cum regibus, ſi mentio regni, ut plerumque fit, adjiciatur. Quin & ex materia, ſi favorabilis ſit, idem colligitur, ut ſunt fœdera de commerciis, de non nocendo, de mutua defenſione. Quod ſi odioſa ſint negotia, neque in verbis ſit quicquam, unde obligatio cum reſpectu ad populum accipiatur, magis eſt ut perſonalia cenſeantur. *y*)

17. Quid differant ſponſiones à fœderibus, dictum eſt in *lib.* 1. *ſect.* 3. *c.* 6. *n.* 27. ſunt enim pacta ducum belli, inita de ejuſmodi rebus, quæ ad ſummam poteſtatem ſpectant, & de quibus mandatum illi nullum habebant. Ac ideo nomina ducum illis inſerebantur, cum in fœderibus ſoli feciales, ut miniſtri publici, nominarentur.

18. Effectus ſponſionum eſt, ut ſponſores ſive illi fuerint duces ſoli, ſive etiam ordinum ductores, ſeu milites univerſi, teneantur ad implendum id quod promiſerunt. Sed poteſtas ſumma, cujus, ſcil. hac parte nullus, ne tacitus quidem intervenit conſenſus, nullo modo tenetur, niſi, non ſilentio tantum nudo, ſed & facto aliquo ſponſionem comprobaverit.

19. Qui ſpoſponderunt, hi, non ſervatis pactionibus, tenentur vel ad rem in eundem ſtatum, qui fuit ante ſponſionem, reſtituendam, ſi hoc præſtare queant, vel in id quod intereſt, aut denique ad ſua corpora dedenda ſtipulatoribus; in quod Romana exempla ſponſionis Caudinæ, Numantinæ aliaque deſierunt. *z*)

20. Cæterum, interpretatio fœderum & ſponſionum ſine calliditate, ut modo dictum, facienda eſt, *a*) ex ſimplici & populari intellectu verborum, procul habito ſenſu diverſo, quem quis tacite in animum inducere vel dictis adfingere poſſit, cujusmodi & in veteri novaque hiſtoria hominum plurima extant ludibria, ſed in ambiguis accedendum ei, quod eſt obſcurius. *b*)

21. Alia eſt regula, quam & juriſconſulti inculcant; in dubiis capiendam interpretationem, quæ vitio caret, aliisque certis rationibus non adverſatur. Item, adverſus eum faciendam explicationem, in cujus poteſta-

---

n. 16. *y*] perſonalia cenſeantur] *Potius dicendum eſt, regulariter fœdera etiam cum regibus inita eſſe realia, niſi alter ex verbis aut natura negotii probet eſſe perſonalia. Vid. Inſt. Juriſpr. div.* l. 3. c. 8. §. 22. ſeq. *Nam quod Grotius dicit* lib. 2. c. 16. §. 16. *& ex eo Autor hic repetit, in dubio videndum eſſe, an materia favorabilis ſit, an odioſa, non agnoſco, cum hanc diſtinctionem inter favorabilia & odioſa rejecerim* in Inſtit. Jurisprud. divinæ l. 2. c. 12. §. 159. & in appendice *diſputationis de hâc quaſtione contra Placcium* ad d. l. 2.

n. 19. *z*) deſierunt) *Supponit igitur Autor Romanos in illis ſponſionibus ſatisfeciſſe obligationi ſuæ. Verum contrarium oſtendimus* peculiaribus duabus diſſertationibus Lipſienſibus, altera de Sponſione Caudinâ, alterâ de Numanrinâ.

n. 20. *a*) facienda eſt) *Fœdera non habent peculiares regulas interpretationum, ſed eædem regulæ interpretationum, quas adhibemus in aliis pactis, & hic obſervanda ſunt. Hæ vero ſunt pauciſſimæ, expoſita à nobis* in Inſtit. Juriſpr. divinæ d. l. 2. c. 12. addita emendatione ex cap. 3. Praxeos Logicæ.

n. 21. *b*] quod eſt obſcurius) *Senſus haud dubiè ab Autoris mente alienus eſt. Unde hic locus corrigendus eſt, & emendandus ex priore editione, ubi ita legitur:* In ambiguis accedendum eſt ei, quod minus eſt ambiguum, præ eo, quod eſt obſcurius.

Digitized by Google

poteſtate fuit, legem clarius dicere. *c*) Denique, odioſa reſtringenda, favorabilia interpretatione adjuvanda eſſe & extendenda. *d*)

22. Inter odioſa videtur eſſe renuntiatio libertatis, faciendi quodlibet, ex jure naturæ. Unde pendet quæſtio, an ſociis in fœdere nominatis generaliter, cum pacto, ne liceat illis nocere, contineantur & hi, quos aliter fœderatorum poſtmodum adſciverit; quod negandum: Quanquam & novos adſciſcere ſocios, non eſt prohibitum. Proinde, quod ad hos attinet, dicendum, utrimque ceſſare fœderis obligationem; adeoque in illis impugnandis vel defendendis, ſine perfidia, quod & ſæpius uſu venit, confligere poſſe fœderatos. *e*)

23. Dantur omnino plures regulæ ſatis preſſæ & ſubtiles, ſecundum quas regendæ interpretationes, ſed quæ hujus compendiariæ ſcriptionis modum penitus excedunt; præſertim poſt Grotium in *lib. 2. c. 15. quod eſt de fœderibus*, & *cap. 16. quod eſt de interpretatione.* Et hæc etiam cauſa nobis erit, quod de Bello acturi, fere nos intra veteris editionis limites continebimus.

24. Sed de cautione, qua fœderis obſervantia & perpetuitas ſancitur, addenda pauca. Fidei datæ vinculum, & jurisjurandi religionem, quæ in nullis omittuntur fœderibus, etſi validisſimas juris cautiones, parum addere ſecuritatis, omnium docuit uſus temporum & populorum. Nec æquitas conditionum, quæ prima Bodino eſt Cautio in *lib. 5. c. 6.* potentiores à ſervando fœdere continere poteſt; Adverſus inferiores, bona eſt, ut Privernatium legatus apud Livium, rogatus, an pacem, ſi daretur, fideliter ſervaturi eſſent. *Si bonam, inquit, dederitis, & fidam & perpetuam habebitis, ſi malam, haud diuturnam.*

25. Melior cautio fuit Obſidum, veteribus uſitata, quæ tamen quam non fuerit omni exceptione major, innumera docent exempla; Quibus, & quod inhumanum ſit, obſides facere victimas perfidiæ ſuorum, pridem eo res deducta eſt, ut pro cautione fœderum perpetuorum amplius non habeantur; ſed pactis ſolummodo tranſitoriis & fere pecuniariis adhibeantur.

26. Frequentioris uſus eſt ſponſio ſociorum, vel exterorum principum & populorum, qui fœdus ratum fore ſpondent, eoque nomine ſe obligant: Cujus rei juris effectus hic eſt, ut ſponſores eum qui fœdus rumpere velit, ad ſervandum cogant. Verum & hoc inutile plerumque repertum eſt; ſi ratio ejus quod intereſt, ſponſores ita non teneat obſtrictos, ut ſine, ſuo gravi detrimento vindicias ſecundum fœdus omittere non posſint. Sine tali vinculo propriæ utilitatis, parum aut nihil in ejuſmodi cautionibus eſſe fiduciæ, non magis vetera, quam noſtræ exempla memoriæ commonefaciunt.

27. Denique, tanta eſt hominum perverſitas & potentiorum ambitio, ut nihil fœdera, vel pacis fiduciam, efficacius, quam nocendi impotentia, ſtabiliat, tam reſpectu imbecilliorum, quos ſuæ conditionis pœniteat,

n. 21. *c*) clarius dicere] *Hanc regulam oſtendimus* in d. c. 3. Praxeos Logices *potius eſſe juris civilis quàm juris naturalis. Nam abſtrahendo à lege civili, quod determinat, utrum v. g. venditor utrum emtor clarius loqui debuiſſet, quis determinabit inter principes paciſcentes, uter clarius loqui debuiſſet, cum utrique paciſcentium id incumbat.*

d] extendenda] *Sed hic repete modo dicta* ad n. 16. lit. y. in fine.

n. 22. *e*] fœderatos) *Deciſionem quaſtionis tolero. Rationem vero rejicio. Non enim ideo fœdus haud eſt extendendum ad ſocios futuros (niſi & de his expreſſe fuerit mentio facta in fœdere) quod renuntiatio libertatis ſit odioſa, ſed, quia de quibus non eſt cogitatum, de iis etiam non eſt actum.*

niteat, quam æqualium, quos τὸ ἀντίπαλον δέος, mutuus metus ad pacem cuſtodiendam adigit; Nec aliud contra potentiores remedium, quam conjunctio plurium, quos ejuſdem utilitatis ratio devinctos tenet, quærendum & applicandum: quod ad politicam ſpectans, heic latius non proſequemur.

CAP. IV.

DE BELLO.

Definitio belli, n. 1. 2. & diſputatio, an licitum ſit, jure naturæ & utroque Divino, quod Affirm. & probatur, remotis objectionibus. n. 3-11. Diviſio belli, in publicum, privatum & mixtum. n. 12. Illud, ſolenne, aut minus ſolenne. Solenne fieri, ſi & ſumma poteſtas utrimque ſit & præcedat indictio; minus ſolenne contra intelligi. n. 13. Quatenus magiſtratui bellum ſit permiſſum. n. 14. 15. 16. Mixtum vel ratione perſonarum aut indictionis, quæ in altera parte ſecus ſe habeant. n. 17. 18. 19. Privata duella, quando licita. n. 20-23. De repreſſaliis. n. 24. 25. 26. de indictione belli. n. 27-30. Cauſæ belli ſuaſoriæ vel juſtificæ. n. 31. hæ rurſus triplices 1. defenſio perſonarum & rerũ 2. Recuperatio ejus, quod noſtrum aut nobis debetur 3. punitio delictorum. n. 32. An ſufficiat metus an præciſe requiratur injuria jam illata? n. 33-35. De omnibus tenendum, levia transmittenda. n. 36. 37. 38. ad punitionem pertinere auxilium, quod pro innocentibus ſuſcipitur. n. 39. Amorem libertatis, ſtudium propagandæ religionis non eſſe juſtas belli gerendi cauſas. n. 40. 41. Dubiæ cauſarum magis pro injuſtis habendæ. n. 42. Subditos in bellis injuſtis non debere principi operam, ſecus tamen in dubiis. n. 43. 44. 45.

1. STatus naturalis, in quo ſunt diverſæ civitates, propter humani ingenii pravitatem, non minus rixis & contentionibus, quam diſcrepantibus pacis inſtitutis exagitatur. Rixæ autem ſummarum poteſtatum facile in bellum, quia ceſſant inter illas judicia, erumpunt.

2. Eſt autem bellum *Certatio per vim*, ut Cicero definit *lib. 1. off. 16.* vel, ut Grotius, ſtatus per vim certantium, qua tales ſunt *l. 1. cap. 1. §. 1. d. jur. Bell.* Quanquam nec Cicero dixit certationem pro actu certandi, ſed pro univerſo tractu atque ductu armorum, inter partes certantes, ut alibi Cicero *contentionem* belli & *obſervationem* pro longo obſervandi inſtituto: Matrimonium juriſconſulti vocant conjunctionem, non pro actu tranſitorio conjungendi, ſed pro ſtatu conjunctionis perpetuo; denique, verbalia in io frequenter ita ſumi, pridem obſervatum eſt.

3 De bello prima eſt quæſtio, an bellare unquam ſit juſtum, quod jure quidem gentium nullam recipit dubitationem, quia de uſu & effectu, quem populi omnes bello tribuunt, plenæ ſunt omnes hiſtoriæ, idemque

Digitized by Google

demque gravis humano generi docet experientia.

4. De jure naturæ & divino *f*) imprimis videndum. Et quidem non prorſus juri naturæ bellum adverſari, ſatis id oſtendit, quod nihil præ defenſione corporis ſui, magis aut æque ſit juris naturalis. Denique, ut rebus, quas natura in medio poſuit, utamur, easque abſumamus, id jus primum naturale dictat, & qui hoc prohibet, is injuriam infert, quam vi repellendam eſſe, res & ratio dictat. Poſt receſſum à communione, licuit idem pro dominio, quod antea pro rebus, quæ nullius adhuc erant factæ.

5. Præterea, delinquentes pœnam mereri, eamque à quolibet non reo paris maleficii, maximeque ab eo qui læſus eſt, exigi poſſe, aliquoties dictum & probatum eſt. Quod cum inter diverſas civitates ſine vi non poſſit fieri, bellum etiam puniendi cauſa recte ſuſcipi vel exinde apparet. *g*) Adeo ut originem habere bellum ex jure naturæ manifeſto conſtet. Proinde, quod & JCti & ſcriptores alii bellum jure gentium poſitivo eſſe docent introductum, hoc de certa & ſolenni bellorum forma, unde peculiares pendeant effectus, intelligendum. *h*)

6. Sed nec de jure veteri divino *i*) magna eſt dubitatio, quin non omne bellum ſit illicitum. Abrahamus ſine ſpeciali Dei mandato, reges quatuor devicit, laudante Melciſedeco. Et bella Davidis, quorum pleraque non liquet à Deo nominatim imperata fuiſſe, *Dei prælia*, id eſt, pia ac juſta dicuntur. Imo quod magis eſt, perpetuæ ac generales de modo belli gerendi, à Deo regulæ præſcribuntur, *Deuteron. cap. 20.* quo quid fortioris argumenti ſit, bella pie geri potuiſſe, tametſi nullum Dei ſpeciale mandatum interveniſſet? Ex quibus apparet, legem Dei de ſanguine non fundendo, bellis nihilo magis officere, quam lex de non occidendo judiciis capitalibus obſtat.

7. In nova teſtatione, à primo initio habemus Johannis Præcurſoris dictum, quo milites officii ſui non deſerendi, ſed pie exercendi admonentur. Paulus vero, non tantum docet, gratum eſſe Deo, ut oremus pro poteſtatibus, quo tranquillam ſub earum tutela vitam degamus, quod ſine armis fieri nequit: ſed & miniſtros affirmat eſſe, qui haud fruſtra gerant gladium, quin vindices ſint ad pœnam his, qui malum fecerunt; quod ratio non patitur, ut minus de exteris delinquentibus, ad tutelam

n.4. *f*] & divino] *Sæpius jam inculcatum eſt, præter jus naturale nullum aliud dari jus divinum univerſale. Ergo ſi jure Naturali bellum eſt licitum, non opus eſt, argumenta probantia ex jure divino peculiariter accerſere. Uti vero Scriptura Sacra nunquam contradicit dictamini rectæ rationis, inprimis in negotiis quæ ad ſphæram jurisprudentiæ naturalis pertinent; ita illuſtrationis loco adjici poſſunt in tractatione hujus quæſtionis ex Scripturâ Sacrâ argumenta tum affirmativa, tum & reſponſiones ad textus Scripturæ, qui, ſi non ſecundum regulas interpretationis rationalis exponantur, videntur deciſioni quæſtionis obſtare.*

n.5. *g*) exinde apparet) *Sed jam* ſupra ad lib. 2. ſect. 6. cap. 1. *hanc hypotheſin, quam Auctor ex Grotio hauſit, de bello punitivo, negavimus. Et confunditur ut jam commentatores Grotii notarunt vindicta ac pœna.*

h) intelligendum) *Quod JCtos Romanos attinet, illi, ut ex inſtitutionibus notum, jus naturæ ſumebant in ſenſu abuſivo pro jure quod natura omnia animalia docuit, jus gentium vero dicebant, quod homini proprium ſed toti tamen humano generi commune eſt.*

n.6. *i*) divino) *Id eſt neque in Codice veteris teſtamenti, neque in novo fœdere, de quo agit* n. ſequens, *aliquid extat, quod repugnet juri naturali per modo dicta* lit. f.

ſuorum, quam de ſubjectis poteſtatum intelligamus, *k*) *Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 11. v. 1. 2. 3.* Idemque ſuo exemplo docuit Paulus, quando militare præſidium, ubi ſe inſidiis Judæorum, ope Tribuni militū eripuiſſet, minime rejecit.

8. His accedit, quod, ut ſupra diximus, lex Moſaica de rebus moralibus & quæ aliis gentibus æque conveniat, obligationem ſuam in perpetuum ad omnes, adeoque ad Chriſtianos quoque extendit. *l*) Jam quid magis honeſtati, imo neceſſitati morali adverſum eſſe poteſt, quam ut gladii jus, ſummis poteſtatibus eripiatur; quo ſublato manifeſtum eſt, maximam ſcelerum licentiam malorumque diluvium, nihil ut tutum nihil ſanctum aut inviolatum foret, ſecuturum?

9. Ad ea, quæ ex dictis Chriſti, contra bellum moventur, tenendum hoc primo; Si fuiſſet Chriſto propoſitum omne jus gladii tollere, & ejusmodi ſtatum introducere, qualis nunquam viſus, auditus eſſet, eum id verbis quam maxime ſpecialibus & expreſſis facturum fuiſſe. Qualia tamen non proferuntur, ſed ejuſmodi, quæ de cohibendo vindictæ privatæ ſtudio, exercendaque in rebus minoris momenti patientia injuriarum, agunt.

10. Jam in veteri eccleſiæ hiſtoriâ celebrantur legiones Thebæa & Fulminatrix, quique ſub Juliano defectore militabant, qui teſte Ambroſio 7. *de offic.* dicenti imperatori, *producite aciem pro defenſione reipubl.* obediebant, cum autem diceret eis, *producite aciem in Chriſtianos*, tunc agnoſcebant imperatorem cœli. Ne de martyribus dicam, quorum etiam milites complures antiqua martyrologia commemorant & agnoſcunt.

11. Quod autem ſententiæ patrum quorundam, minus de bello honorificæ extant, illæ hanc cauſam habent, *m*) quod tum temporis difficulter caſtris ineſſe, ſine periculo idololatriæ, ſaltem ſacra religionis exercitia minus commode aut prorſus habere non liceret. Etiam vero, quod, cum ſemper in caſtris omne genus impietatis regnet, viris eximio ſanctitatis propoſito aſſlatis nihil potius, quam procul à profanis abeſſe videretur.

12. Sequitur diviſio belli, quæ, in duas abit ſpecies: eſt enim privatum vel publicum, niſi tertium addere velis, quod mixtum appelletur. Publicum eſt, quod geritur auctoritate ejus, qui habet juriſdictionem. Privatum, quod eſt inter eos, qui auctoritate publica carent, quæ hujus ſunt generis, vulgo *duella* dicuntur. Mixtum, quod ab una parte publicum, ab altera privatum eſt. *n*)

13. Par-

n. 7. *k*) intelligamus] *ſcilicet ex hypotheſi de jure pœna exigenda competente cuilibet, qui non reus eſt paris maleficii, quam modo rejecimus* lit. g. *Et adeo ſimul rejecta eſt hæc extenſio contorta dicti allegati.*

n. 8. *l*) extendit) *Et ab hoc argumento rectius abſtinemus, quia lex Moſaica moralis intelligi debet de lege præcipiente aut vetante, non de permittente. Quæ enim permittuntur, ſunt actiones indifferentes, Lex vero Moſaica quatenus bella quædam adverſus populos exterminandos præcipit, ſolum ad populum Iſraeliticum pertinet, non ad legem univerſalem.*

n. 11. *m*) cauſam habent) *Etiam alias: v. g. quod patres etiam primorum ſeculorum, vitio temporis ignoraverint principia juris naturalis, ut per inductionem probavit Barbeiracius* in præfatione ad verſionem Gallicam Puſendorfii. *Item quod ſæpius ſententias priores mutaverint. Ita intuitu quæſtionis de bellorum licentia, defenderunt patres licentiam belli etiam offenſivi, poſt quam Imperatores Chriſtiani facti eſſent, cum anteà defenderint belli ſaltem defenſivi licentiam* V. de Biblioth. Univerſ. Tom. 20. p. 18. & 19.

n. 12. *n*) ab altera privatum eſt) *Autor hujus diſtinctionis Grotius,* l. 1. c. 3. §. 1. *quæ qui-*

13. Publicum rurſus aut ſolenne eſt, quod & juſtum ſuo ſenſu, aut minus ſolenne. Solenne, quod utrimque ab illis, qui ſummam habent poteſtatem, ritu jure gentium neceſſario geritur. Minus ſoleune erit, quod vel auctores habet, perſonas publicas quidem illas, at ſuperiorem habentes, ut magiſtratus, vel, quod aliis juris gentium requiſitis deſtituitur.

14. At vero magiſtratus in exteros belli jus gerendi nullo modo habent, quia per hoc tota civitas venit in periculum, ideoque ejus qui præeſt civitati hac de re judicium, ſolius ſit oportet: qua parte peccarunt Cn. Maulius, qui Gallogræcos, & forte Cæſar Julius, qui Germanos injuſſu populi Romani infeſtarunt. Excepto caſu inopinatæ nec eſitatis; quo caſu præſumptio de voluntate ſummæ poteſtatis dubitare non patitur, ne non arma permiſſa ſint.

15. Verum, qui magiſtratus imperio ſunt præditi, hactenus habent jus armorum in ſubjectos, ut partes ſibi commiſſas, cum vigore publicæ diſciplinæ & coërcitione contumacium, ſeu per apparitores, ſive per milites, in hunc finem ſibi attributos exercere valeant. *o*) At extraordinaria manu, vel cum exercitu abſque ſpeciali mandato nequaquam experiri poſſunt, ne civile bellum oriatur.

16 Sub magiſtratibus & ſuperiorem habentibus, hic non complectimur eos, qui partem ſummæ poteſtatis obtinent; (nam hi quatenus ſummi ſunt, recte hoc nomine bellum ſolenne ſuſcipiunt) minus inæqualiter fœderatos: ſed hæc res ex iis quæ *præcedente libro* dicta ſunt, intelligi debet.

17. Jam mixtum quodnam ſit bellum, ex ſimplicibus facile colligitur, ejusque variæ ſunt ſpecies; miſcetur enim aut ex ſolenni & privato, vel ex minus ſolenni privatoque bello. Ex ſolenni *p*) & privato, cum is qui ſummam habet poteſtatem contra exteros latrones aut prædones vel ſuos rebelles expedit arma. An autem ſubjecti jure adverſus Imperantes bello congredi poſſint, ex iis quæ de Tyrannide ſuperius dicta ſunt, judicari debet. Ex minus ſolenni & privato mixtura conflatur, quoties magiſtratus officii ſui executione vim parat in contumaces aut in prædones.

18. Sed publicum utrimque, minus ſolenne, dari non poteſt inter partes magiſtratus quia par in parem non habet imperium, nec in eadem civitate cogendi facultatem. Verum inter ſuperiores & inferiores, pari

modo,

dem tolerari poteſt, ſi rectè explicetur. vide Teſmarum & Obrechtum ad d. l. *Grotii. Sed in quæſtione de jure non magnum habet uſum illud bellum mixtum, cum in hac diviſione bellum conſideretur in ſenſu latiſſimè, quatenus abſtrahit à juſtitia & injuſtitia. Unde ſine cauſa Autor ſpeculationibus parum utilibus indulget, dum ultra Grotii ſententiam procedens* n. 17. ſeq. *novas belli mixti ſpecies excogitavit.*

n. 15. *o*) exercere valeant) *Confundit hic iterum autor ex hypotheſi rejectâ de bello puniti-vo jus pœnæ & jus belli. Et cum adeo magiſtratui in verbis ſtatim ſequentibus & in n. 14. rectè negat jus belli propriè dicti, ſimul cadit etiam illa ſpecies belli minus ſolennis quam poſuerat* n. 13. *intuitu magiſtratuum. Ut adeo ſola ſpecies illa belli publici minus ſolennis remaneat, quod geritur inter perſonas vel ſocietates quæ ſumma poteſtate gaudent abſque indictione.*

n. 17. *p*) ex ſolenni) *Nec hæc cohærent, ſi enim ſolenne eſt,* quod *utrimque* ab illis qui ſummam habent poteſtatem cum indictione geritur *per* n. 13. *quomodo dari poteſt bellum mixtum ex ſolenni & privato. Eadem tenenda ſunt de mixto bello ex ſolenni publico. & non ſolenni, de quâ agit* n. 19. *Ut adeò quorſum te vertas bellum mixtum magis implicet, quam ut utilitatem habeat in juriſprudentia univerſali.*

modo, vis locum habere poteſt, quo inter magiſtratus & privatos antea dictum eſt.

19. Mixtura ex publico ſolenni & non ſolenni, dupliciter poteſt ſupponi; aut cum magiſtratus in ſuam poteſtatem ſupremam inſurgit, vel cum adverſus exteros armis contendit. Priorem non poſſe aliter eſſe juſtam, quam eo caſu, quo privatus quilibet ſummo imperio ſe jus habeat opponendi, *alias* explicatum eſt. Poſterior ex modo dictis reſolvitur; ſcil; ejus uſum exiſtere poſſe, cum repentina neceſſitas flagitat, ut magiſtratus ſalutem publicam armis tueatur, aut cum id genus habet mandatum, ex quo ejuſmodi poteſtas colligi poſſit, quemadmodum Romæ conſules ex SCto; *viderent ne quid reſpubl. detrimenti caperet.*

20. Hæc de publico mixtoque ſatis; bellum mere privatum regulariter illicitum, nec quicquam adeo inimicum eſt conſtitutioni civitatis & judiciorum. Unde liquet, non aliter hoc juſtum fieri, quam ubi ordo civitatis & judicia ceſſent, quod vel fit extra terminos civitatis, aut etiam intra illos.

21. Extra, ſi qui verſentur in locis à nullo populo, vel à tali, qui nullum imperandi parendique ordinem ſervet, occupatis, ut in ſolitudine, inſulis vacuis, aut Cannibalum regionibus. In civitate ceſſant judicia momentaneè vel continue. Momentaneè, quoties ſine certo diſcrimine res non fert moram, ut expectetur judex, veluti in invaſione fugave debitoris.

22. Continue judicia ceſſant, culpâ vel ſubditorum vel imperantium. Illorum, cum per ſeditiones & bella civilia nullus ordo reipubl. ſervatur, ſed omnia confuſa ſunt. Imperantium, quando princeps aperte rejecit cauſæ cognitionem. *q*)

23. Princeps, inquam, non judex; ſi enim hic læſos & conquerentes audire nolit, neque ſubditis neque exteris cauſa belli naſcitur; ſed uterque ad principem ſummum recurrere debet. Quo adhuc negante juſtitiam, civis quod ultra moliatur, non habet. Etenim nullo modo ſtatuendum eſt, eum à principe ſuo rejectum ſubimet ipſi jus dicere & ferrum ſtringere poſſe: hoc enim fœdere civitatis omnino prohibitum, & ferenda ejuſmodi ſine dubio injuria, ut ex principiis *libro priore* collocatis plus quam manifeſtum eſt. *r*)

24. Exteri à ſumma poteſtate adverſarii ſui palam ſpreti, ad ſuos imperantes ſe convertunt, quibus, ſi oppreſſionem negatamque juris copiam approbaverint, ab illis veniam repræſdandi, ſive literas *repreſſaliarum* impetrare poſſunt. De quibus jam liquet, ut jure dentur & exerceantur, quid requiratur; ſcil: ut juſtitia à ſumma poteſtate partis ejus quæ læſit, negata ſit; nec aliter quam poſteaquam ſæpius & inſtanter petita fuerit. Dein, à ſumma poteſtate eorum, qui læſi ſunt, facultatem prædas agendi eſſe peti tam ac impetratam.

25. His præſuppoſitis, nemo dixerit, repreſſalias juri gentium eſſe contrarias. Nam quod vis armata non primis tantum injuriæ auctoribus, ſed cunctis, qui ſub eodem imperio ſunt, infertur, hoc eodem fundamento, quo ipſum nititur bellum.

26. Notum enim eſt è doctrina, quam de ſumma poteſtate *libro primo* habuimus, id quod agit ſumma poteſtas, hoc omnes & ſingulos cives agere videri, nec quenquam de eo non teneri. Proinde cum princeps id quod jus & fas tulit, facere noluit, univerſa civitas, nec minus ſinguli hoc luere debent.

27. Supereſt ad explicationem belli ſolennis, ut

n.22. *q*) cauſæ cognitionem) *Sed hoc nego. Ubi enim judicia ceſſant, ibi licet privatis jus ſuum bello perſequi. At per* n. 20. *At hoc caſu id non licet per* n. ſeq.

n.23. *r*) manifeſtum eſt) *Vide dicta ſuperius* lib. 3. ſect. 2. c. 1. n. 4. *& quæ ibi notavimus* lit. *s*.

nis ut ritum, qui jure gentinm in eo requiritur, paucis explicemus. Eſt autem ille ritus, indictio, ſive denunciatio, quam propterea placuit recipi, ut conſtaret, non privato auſu, ſed voluntate utriuſque populi aut imperantium geri bellum. Denique, ut ſi populus ejus vel imperantes non ſint immediate in culpa, deliberent, utrum velint ſuam facere litem, an ſatisfacere læſis. *s)*

28. Hinc alia indictio *pura* eſt, alia *conditionalis.* Pura fit, cnm vel alter jam intulit bellum, aut ea deliquit ipſe, quæ pœnam jure gentium non dubie merentur. *t)*

Condi-

n. 27. *s)* Satisfacere læſis) *Verum quidem eſt multam apud Græcos & Latinos Scriptores belli ſolennis & juſti eſſe mentionem; & ſub hâc mentione plerumque primariò reſpici ad indictionem, quæ ſolenniter per certas feciales fiebat, unde & Jus feciale nomen accepit. Verum etiam eſt Grotium in loco* n. 30. *citato multa diſſeruiſſe de hac indictione ejusque diviſione, atque ſic autori præiviſſe. Sed ſalva autoritate Grotii, & Autoris, & qui hos ſequuntur quærere liceat: cui uſui? Verum eſt jus naturæ latè dictum, quatenus etiam continet præcepta amoris, decori, officia humanitatis, dictare, inhumanum eſſe, ſi injuria accepta quis ſtatim bello anteà non indicto ſatisfactionem armata manu ipſe ſumat. Æquius eſt & laudabilius prius tentare media pacis, & indictione conditionata ſpatium alteri concedere deliberandi. Sed in jurisprudentia ſolliciti ſumus de jure naturæ strictè dicto & de effectis juſtitiæ. Uti vero ad officia humanitatis nemo cogi poteſt à pari, ita quæritur quid juris vel bellum indictum peculiariter obtineat præ bello non indicto, aut quid remedii adſit, reparandi defectum indictionis omiſſæ. Si enim neutrum horum in bello ſolenni reperiatur, diſtinctio iſta inter bellum ſolenne & minus ſolenne erit ſpeculatio inanis. At nusquam lego, quod omiſſio denunciationis pro injuria ſit habita, quæ juſtam belli cauſam vel præberet, vel ab una parte in alteram transferret. Deinde ſæpius quidem Grotius de peculiaribus effectibus belli ſolennis mentionem injicit, ſed nusquam clarè & perſpicuè, & ut non plurima, cum majore veroſimilitudine contrà afferri poſſint, hos effectus docet.* Vide Grotium d. l. 3. cap. 3. §. 10. 11. 12. cap. 4. §. 1. & 3. *Ergo cum indictio non ſit Juris Naturalis, videndum jam, an ſit juris Gentium poſitivi & à jure Naturali diſtincti. Ita quidem & Grotius & Autor. Nos contrà uti nullum tale jus Gentium agnoſcimus ita opponimus diſſentientibus ipſum locum Dionis Chryſoſtomi Grotio* d. l. 3. c. 3. §. 6. *adductum.* Pleraque bella ſine denuntiatione ſuſcipiuntur. *Ergo denuntiatio hoc Jure Gentium eſt res merè arbitraria, vel tantum quibusdam Gentibus propria. Imo hic iterum urgebimus effectum Juris hujus Gentium, ut declaretur, quisnam ſit peculiaris, ſi indictio omittatur. Jus enim ſine effectu eſt mirum jus. Videtur quidem Grotius in eâ ſententia fuiſſe, ac ſi impunitates illæ, quas exponit* d. l. 3. c. 4. ſeq. *fluant ex indictione; ſed ea opinio apertè falſa eſt, repugnans videlicet experientiæ quotidianæ & exemplis omnium ſeculorum, quæ docent bella non indicta aliis gentibus, eâdem impunitate fuiſſe prædita. At inquis, bella non indicta habentur pro latrociniis, ſed & ad hanc objectionem reſponſionem vide apud Puſendorffium* l. 8. c. 6. §. 9. *Digna eſt quæſtio, ut peculiari diſſertatione latius explicetur.*

n. 28. *t)* non dubiè merentur) *Si doctrina de indictione in genere non habet magnum uſum, neque utile erit etiam, ut valde ſimus ſolliciti de diviſione indictionis. Et ſanè Autor ipſam diviſionem multò obſcurius exponit quam Grotius, unde expoſitio indictionis puræ & conditionatæ magis à Grotio petenda. Ita quod definitionem Puræ indictionis attinet, ab autore hic traditam, illi graviter obſtant quæ habet Grotius* §. 6. ab initio, *&*

Conditionalis inſtituitur, *u*) ſcum ſubditi alterius deliquerunt; tunc enim ab imperantibus poſtulanda ſatisfactio, ad quam ſuos cives compellant; aut ſi tergiverſentur, ipſi cauſam ſuſcipiant.

29. Et hæc eſt indictio, quæ cum repetitione rerum conjuncta dici ſolebat *Clarigatio*, qua non modo rei vindicatio aut debiti pecuniarii, ſed & criminalis perſecutio comprehenditur: unde verba fecialium antiqua *reddi*, *ſatisfieri*, *dedi*, videlicet ſontes delictorum.

30. Et quidem pura indictio, cum ipſa vi parata, fieri poteſt; conditionalis deliberandi tempus largiri debet. Superflua eſt indictio, in bellis, ut loquimur, defenſivis, aut in executione pœnæ, propter delictum manifeſtum. Ritus indicendi cujusque populi & ſeculi ſunt peculiares; ideoque ad hunc locum referri non poſſunt. Hæc ſummatim indicata ſufficiant; ne poſt Grotium hic de jure belli univerſo agamus. Quod & in ſequentibus obſervandum. De his vide τὸν μέγαν lib. 3. cap. 3.

31. Belli cauſæ non male vulgo in *ſuaſorias* & in *juſtificas* dividuntur. Suaſoriæ ſunt, quæ partes impellunt ad bellum ſuſcipiendum. Juſtificæ, quæ juris fundamentum armis tribuunt. Et hæ aliquando cum ſuaſoriis coincidunt ſemperque publicè præferuntur. Illæ autem, quando à juſtificis differunt, tacite habentur & diſſimulantur. Juſtificæ tum ſunt *προφάσεις*, *prætextus*, ſuaſoriæ magis *αἰτίαι* rationes dicuntur. Ac ita plerumque in omnibus olim hodieque bellis agitur; ſuaſoriæ ſunt fere cupiditates variæ, quibus principes populique agitantur. Prætextus à juſtitiæ imitamentis petuntur.

32. Nos de cauſis vere juſtificis, hoc eſt, juſtis agimus, quæ non male ad tria referuntur capita, ad *defenſionem*, *recuperationem* & *punitionem*. *w*) Defenſio eſt juris naturæ, qua vim vi non modo ſingulis, ſed etiam populis repellere, licet, idque ita, ut nec indictione ſit opus. Sed debet eſſe defenſio contra vim talem, *quæ metū præſentem inferat*, *non ſuſpicionem inferendi ejus*, ut in ſimili Ulpianus ait in *l. 9. pr. quod met. c.* Cum enim bellum ſit omnium malorum maximum, ex obſcura mali alicujus futuri ſuſpicione ad arma non feſtinari, ſummopere generis humani intereſt. *x*)

33. Si tamen juſta ſit præſumptio, ex iis quæ

---

quæ etiam ex natura negotiorum humanorum facilè intelliguntur: Naturali jure, ubi aut vis illata arcetur, aut ab eo ipſo qui deliquit, pœna depoſcitur, nulla requiritur denunciatio. *Ergo ut Grotius ipſe docet* d. l. §. 7. n. 2. *Pura denunciatio conditionatam aliquando ſequitur, ſed raro, nec eſt neceſſe. Et imo ipſa pura rariſſimè fieri debet. Quæ porro de pœna à Grotio & Autore hic & in ſequentibus immiſcentur, ſemper ſupponunt hypotheſin de bello punitivo, jam ſæpius rejectam.*

u) inſtituitur) *Clarius: Conditionata ſecundum mores Romanorum & aliorum populorum, qui ad bellum ſolenne requirebant indictionem, regulariter fieri debebat ab eo, qui bellum volebat inchoare. Ex hactenus notatis facile emendari etiam poterunt, quæ* n. 29. & 30. *dubia videntur.*

n. 32. w) Punitionem) *Nos per ſæpius dicta Punitione exploſâ ſaltem duo capita retinemus, defenſionem, & recuperationem, quæ fundamentum præbent diviſioni belli juſti in defenſivum & offenſivum, omiſſa quod miror, ab Autore, & Grotio, & à Puſendorffio ſaltem obiter tractata* l. 8. c. 6. §. 3. *An fortè ideò, quia difficilis eſt applicatio hujus diviſionis; & in imperio Romano Germanico aliquot ſecula jam eâ de re diſputatum fuit. Sed & hæc doctrina peculiares requirit meditationes. Confer interim* Obſerv. Hallenſ. Tom. 3. Obſerv. 8. & Tom. 8. obſ. ult. Inſt. Juriſpr. divinæ lib. 2. c. 2. §. 95. ſeq.

x] humani intereſt) *Repete dicta ſuperius* ad ſect. 4. c. 1. n. 6. & 7. lit. m. n. o.

quæ fiunt, etſi nondum contra nos, id agi vel maxime, ut nobis noceri poſſit, quibus forte Polyphemi gratia, ut ultimi devoremur, ſervetur, dicendum eſt, exigi poſſe cautionem in noſtram ſecuritatem: Quæ ſi non præſtetur, armorum non injuſtam præberi cauſam.

34. Ita ſi quis rex potens & *conqueſtor* in hoc ſit, ut quoſcunque poteſt, invadat & ſubigat, populumque vicinum oppugnet, quo victo, nobis proxima vis immineat, non eſt dubium, quin ei per vim impedimento eſſe liceat. Talis erat *Philippus Macedo*, contra quem Athenienſes ſuos ita monet Demoſthenes *Philipp. 3.* ὁ γὰρ οἷς ἂν ἐγὼ ληφθείην ταῦτα πράττων, καὶ κατασκευαζόμενος, οὗτος ἐμοὶ πολεμεῖ, κἂν μὴ πω βάλλῃ μηδὲ τοξεύῃ. *Qui facit & parat talia, quibus ego capi queam, hic adverſus me bellum gerit, etſi nondum feriat aut jaculetur.* Qua ratione ab alio noſtri temporis *Conquæſtore*, vicini aliquoties cautionem *Arcifinii* exegerunt & acceperunt. Etſi res hominumque gravitas vix ullum, niſi in vi parata belli, præſidium contra vim prævalentem recipiat, in quo acquieſcat.

35. Alioqui non eſt indulgendum ambitioſis populorum æmulationibus, ad bella hoc prætextu temere feſtinantibus, atque ideo in univerſum Grotio adſentiendum, qui metum alienæ potentiæ negat eſſe juſtam belli cauſam; niſi & de animo potentioris erga nos eâ certitudine, quæ in morali materia ſufficiat, conſtiterit *lib. 3. de Jure B. & P. c. 22. n. 51.* Quid enim ſi laceſſitus princeps, cujus potentiam metuimus, arma moveat? ſi optimo jure ſuam petat ditionem, an nobis, ob metum incommodi noſtri bello & ſuo jure utentem licebit aggredi? Hoc ſane jus naturæ permittere, imo jubere, ut iis, qui vim injuſtam ab aliis patiuntur, ſuppetias feramus, injuria modo ſit manifeſta, jam diximus, idemque multo magis, vi fœderis antea, cui vis ſit, initi, licere non eſt dubium.

36. Cæterum, juſta defenſio non modo publici, ſed etiam privati belli cauſam præbet. Enimvero de tuitione corporis, ad vitæ vel pudicitiæ cuſtodiam nihil dubitatur. Sed de minoribus injuriis aut damnis avertendis quæritur, an licitum ſit, hominem occidere. Nam ſi juſtitiæ expletricis rationem ſimpliciter conſideremus, nemo vel tantillum injuriæ pati cogitur. Sed lex charitatis Evangelicæ dictat, potius ad leviora connivendum, quam ultionem quærendam, nedum ſanguinem humanum effundendum, ut de alapa & de tunica Chriſtus reſpondit. Sane inter privatos & maxime in civitate, ubi judiciis locus, illud ipſum præciſe obſervandum, ne ob res ereptas vel eripiendas cædes committatur; niſi forte tales ſint res, à quibus noſtra vel noſtrorum vita dependeat, qua de re latius agentem *y*) vide Grotium in *lib. 2. c. 1. n. 10. & ſeqq.* & quæ à nobis ſcripta ſunt in *Synom. Rom. ad l. 4. §. 1. Ad l. Aquil.*

37. Forte autem inter populos circa res majoris momenti, ratio non parum diverſa conſiſtit. Nam ſi poteſtatibus ſupremis non liceret raptores ſuarum rerum quantivis pretii occidere, ſi reſiſterent armis, palam eſt, actum fore de ſalute populorum. Idem judicium de rebus eſto recuperandis (ſemper tamen intellecto, levia damna ſilentio tranſmittenda) ſub quibus & repetitionem ejus quod nobis debetur, comprehendimus. Plane & ab injuſtis detentoribus

n 36. *y*) latius agentem] *Adde quæ dixi* in Inſtit. Juriſpr. div. d. l. §. 110. ſeq. *Nec opus erat in medio hujus paragraphi provocare ad legem charitatis Evangelicæ, cum Chriſtus non ſit novus legiſlator, & eadem quæ ibi ponitur, aſſertio fluat ex lege charitatis communis etiam Ethnicis cognita, i. e. ex officiis humanitatis.*

bus ſua per vim avocare licet, cui ſi per vim illi reſiſtant, jam cauſa puniendi *z*) illos non injuſta naſcitur.

38. Quippe ſummis quoque poteſtatibus competit jus ulciſcendi puniendique *a*) delicta, quorum ſpecies pridem complures habuimus. Et plane hoc de juſtis belli cauſis quæſitum tam late patet, quam tota boni & æqui diſciplina; ideoque hic nihil quam ſumma capita delibare licet, reliqua jam dicta pridem aut aliunde petenda, è Grotio inprimis. Hoc obiter tenendum, *b*), veras cauſas è juſtitia expletrice petendas, attributrix uti non parit actiones forenſes, ita vix eſt, ut belli cauſas ſuppeditare queat.

39. Videtur & ad punitionem referri poſſe cauſa belli, niſi potius hoc ſit quartum cauſæ genus *c*) quod pro auxilio innocentium ſuſcipitur, qui ab aliis, quibus ſubjecti non ſunt, injuria afficiuntur. Imo & pro ſubjectis alienis licere bellum ſuſcipere, ſi manifeſta ſit imperantis injuria, ſuperius approbatum eſt. De metu quoque alienæ potentiæ diximus aliquoties.

40. Libertatis amor è ſuaſoriis cauſa acerrima, ſed juſtifica per ſe eſſe non poteſt: Niſi concedere velimus in eorum ſententiam: qui libertatem publicam de jure nunquam populis adimi, ſed imperantium poteſtatem ſemper ab iis dependere ſtatuant; quod volunt mandatarii doctores, de quibus actum in *lib. 1. ſect. X. & alibi.*

41. Denique, nec ſtudium propagandæ religionis; cujus longe aliam Deus in literis ſuis rationem præſcripſit, juſta belli cauſa eſſe poteſt: Multo minus auctoritas pontificis Romani, aut presbyterorum jus in alienis rebus alteri donandis ſibi arrogantium.

42. Oportet autem ejuſmodi eſſe cauſam, de cujus æquitate manifeſto conſtet, ea certitudine, quæ in moralibus haberi poſſit: Ideoque ſi dubium ſit, an cauſa belli ſit juſta, non modo tutius, ſed & rectius, & neceſſarium eſt, armis abſtinere. Præſtat, primo rem colloquiis tentari, dein arbitrio finiri; denique vel ſorte vel certamine ſingulari, quod hoc caſu pro licito habendum, quia fundamentum habet idem, quod bellum, & minus eſt malum.

43. Etiam hi, qui bellis alienis ſe miniſtros & inſtrumenta præbent, cauſæ, hoc eſt, conſcientiæ ſuæ rationem habere debent. Nec quidem cives Principi ſuo cauſam habenti injuſtam, licet imperetur ipſis, opitulari poſſunt, quia magis hac parte Deo parendum: etſi tributa imperantibus hac cauſa nullo modo reſiſtere licet.

44. Quod ſi de meritis cauſæ dubitent ſubditi, videntur poſſe & debere ſuos rectores ſequi; non obſtante, quod tutius ſit, in dubio, abſtinere eo quod periculoſius eſt. Videtur enim vinci hæc ratio, per aliam, quod civibus de actionibus principum ſuorum optime ſit præſumendum, & quam minimum publicis conſiliis intercedendum.

n.37. *z*) puniendi) *dic*, vindicandi & hanc injuriam, *& res carebit dubio.*

n.38. *a*) ulciſcendi puniendique) *Rectè ſed* ulciſcendi *i. e. vindicandi* (ultio *enim &* vindicta *ferè ſynonyma ſunt*) *erga pares*, puniendi *erga inferiores.*

b) obiter tenendum) *Clarius: veræ cauſæ petendæ ſunt ex præceptis juſti, non ex regulis decori.* Conf. notata ad ſect. 2. c. 5. n. 1. lit. p.

n.39. *c*] quartum cauſarum genus) *Nos nec ad punitionem, nec ad quartum genus referendum arbitramur. Perſonæ bellum gerentes ſunt vel principales vel acceſſoriæ. Cauſæ belli juſti intuitu perſonarum principalium ſunt duæ defenſio contrà vim injuſtam, & recuperatio quietis injuſtè turbatæ. Perſonæ acceſſoriæ ſequuntur cauſas perſonarum principalium. Ita in lite advocatus non indiget cauſâ novâ ad aſſiſtendum alteri, ſed ſufficit, ſi clientis cauſa ſit juſta.*

Digitized by Google

dum. Denique, certum inobedientiæ peccatum pluris facere par eſt, quam incertam de iniquitate cauſæ formidinem.

45. Intelligendum hoc autem de juſtificis duntaxat cauſis: ſuaſoriæ, quatenus ab illis diſtinguuntur, vix alia quam utilitatis conſideratione cenſentur, cujus interpretatio nihil ad ſubjectos. Etiam vero cum ſubditi cauſam belli improbant, nihilominus ſe ſuaque adverſus vim hoſtium tueri poſſunt: quia cum ipſi non deliquerint, peccatum imperantis Naturalem defenſionis facultatem illis auferre non poteſt.

CAP. V.

DE JURE BELLI, ET DE FINE CIVITATIS.

Jus Belli eſſe duplex, verum & internum, quod rationibus Juſtitiæ per ſe conſentit, & externum, quod uſu & conſenſu gentium vim juris accipit: n. 1. 2. Inductione ſpecierum id approbatum. n. 3. 4. 5. Quo jure res hoſtium capiantur. n. 5-9. De jure poſtliminii, tam perſonarum n. 10. 11. quam rerum. n. 12. Traduntur aliquot regulæ juris belli explicatoriæ. n. 13-17. Fidem hoſtibus quoque ſervandam, imo & latronibus & tyrannis: non tamen ab eo, qui injuſta vi coactus eſt, niſi juraverit. n. 18-21. De induciis, & quibus rebus illæ violentur. n. 22. De pactis captivorum. n. 23. & ducum n. 24. De pace, quomodo explicetur, quomodo rumpatur. n. 25-32. Modi finiendæ civitatis ad duos reducuntur, primus, cum ipſa multitudo extinguitur, alter, cum unico civitatis tollitur, prius inundatione, terræ motu, bellis fieri. Alterum diſſipatione hominum, vel omni ordine ſummæ & inferiorum poteſtatum ſublata: non tamen mutatione loci, n. 33. 34. nec formæ reipubl. n. 35. denique nec improbitate & injuſtitia. n. 36.

1. Jura belli ſummatim expoſituri, unam in univerſum præmittemus remiſſionem, ad Grotium de *jure* B. & P. in *lib. III.* potiſſimum. Dicemus igitur, jura Belli vel ejusmodi eſſe, ut ſine labe interna juſtitiæ, vel ut tantum impune & cum effectu externo, exerceri poſſint.

2. Poſteriore modo juris, licet omnibus, qui bellum ſolenne gerunt, *d*) hoſti nocere quovis modo, jure an injuria nihil refert. Quod non ex jure naturæ, ſed gentium *e*) oritur; idque ideo, quia plerumque pars utraque juſtam ſe habere cauſam contendit, à cujus rei deciſione belli effectus ſuſpendi nequit.

3. Primo igitur, licet hoſti occidere ho-

 ſtem,

n. 2. d) ſolenne gerunt) *Imò qui & minus ſolenne per notata ad cap. præced. n. 27. lit. f. in fine.*

e) ſed gentium) *& quidem ſtilo Grotii, (qui & in ſummariis hic adhibetur) jure Gentium non interno ſed externo. Cæterum cum Jus Gentium à jure naturæ diſtinctum non*

ſtem, omneſque inter hoſtium fines verſantes, quia ab omnibus illis damnum poteſt metui. Imo etiam fœminas, infantes, ſupplices, deditit̃ios, nempe, ut dictum, *impune*, non tali jure quod vitio careat. Veneno hoſtem interficere naturaliter licet, jure gentium non æque. *f*] Percuſſorem immittere, ſi fides expreſſe vel tacite non violetur, utroque jure (vix tamen dignitate ſalva *g*) licet, alioqui non licet. Stupra in feminas, vel pueros neutro jure licita videri poſſunt, quia nullum in bello fructum præbent; etſi plerumque impunita relinquuntur; ſed non jure, nequidem externo, quod jus vocari queat. *h*]

4. Poſt corpora, res quoque hoſtium auferte, abigere, rapere, perdere licet; etiam res ſacras & religioſas. Et quas res quiſque capit, eas facit ſuas, *i*) nempe, ſi nomine proprio illas capiat. Unde quæ actu belli publico capiuntur, fiunt ejus, cujus nomine actus ille inſtituitur. Sed in actibus privatis, uti ſunt excurſiones, quilibet rem primum arripiens, dominio ejus potitur, idemque in direptionibus ab Imperatore conceſſis, *k*] ut ad Tit. de Rer. diviſ. §. 27. *dictum* eſt *in prælect.*

5. *Occupatæ* autem res dicuntur, mobiles quidem, ubi illuc perlatæ fuerint, unde ab hoſte difficulter recipi poſſint. Res immobiles captæ non videntur, niſi munitionibus capientium incluſæ ſint, aut capiens plane victor evaſerit. Res tamen eorum qui hoſtes non ſunt, licet intra fines eorum repertæ, non fiunt capientium, etſi dominos ibi repertos occidere licet: quia non, ut ab hominibus, damnum ab illis metuitur, *l*) idemque de rebus in hoſtium navibus deprehenſis.

6. Sed quæ ab hoſtibus erepta ſunt aliis, ea prio-

---

agnoſcamus, & illa diſtinctio inter jus externum & internum multis ambiguitatibus ſit obnoxia, fortè clarius dicetur; ea de quibus Autor hic loquitur & de quibus Grotius in multis capitibus libri tertii agit, eſſe juſta in ſenſu juridico, non vero in ſenſu morali. Aut his actionibus non violari præcepta juſtitiæ, ut tales exceſſus ſuppeditent novam belli cauſam, etſi violentur præcepta humanitatis & amoris. Regula juris naturalis eſt: Hoſti in hoſtem in infinitum omnia licere. Unde non eſt fingendum novum jus Gentium, unde talia deducantur.

n.3. *f*] non æquè) *Sed cur non? Neutro jure qui id facit violat leges juſtitiæ, ſed agit, inhumaniter, indecore, imprudenter.*

g) dignitate ſalva] *Atque ſic præſens exemplum cum præcedente optimè cohæret, cum tamen Autor hoc præcedenti opponat. Aliquid jure facere ſed dignitate non ſalva, idem eſt ac facere indecore.*

h] vocari queat] *Eſt iterum luſus in voce. Jus dicitur quod non eſt injuſtum, i. e. quod alterum non afficit injuria, ut inde actionem vel inter pares belli cauſam habeat.*

n.4. *i*) facit ſuas) *Intuitu tertii, ut ille mihi eas auferre nequeat. Non intuitu hoſtis, niſi poſt pacta pacis.*

k) conceſſis) *Dic potius: occupationem bellicam intuitu privatorum non eſſe modum acquirendi juris Gentium, etſi eo referatur in inſtitutionibus, ſed juris civilis. Quomodo enim jure belli acquirere poſſent, qui jus belli non habent.*

n.5. *l*) metuitur] *Nollem differentiam hic facere inter dominos & res. In primo impetu licet dominos ibi repertos occidere, licebit etiam res perdere. Hic enim excuſat utrobique, quod non adſit ſpatium deliberandi. Dominos in primò furore non occiſos, ex poſt facto non licebit occidere; ergo nec res eorum non perditas, poſteà perdere aut jus in eas acquirere.*

ea priores domini repetere non poſſunt, quia hoſtium facta jam erant. Si enim *m*) propriæ res hoſtium non fuerunt, neque ſolenni bello aliis ereptæ, tunc non fiunt propriæ capientium, ut tamen ſumptus in rem facti ſine dubio repeti poſſint.

7. Nec tantum res, ſed etiam perſonæ dominio capientium cedunt; quos enim licet occidere, hos multo magis ſervare licet ad ſerviendum. Unde jus vitæ & necis in ſervos, & facultas quidlibet imperandi jure gentium recte exercetur.

8. Servus tamen bello injuſto, licet ſolenni captus, fugere ſalva conſcientia non prohibetur. *n*) Reſiſtere autem domino inique licet imperanti haud perinde poteſt, qua de re dictum *ſuperius*.

9. Quod jus in ſingulos idem in univerſos competit, ut victor eam civitati formam det, quam voluerit, eſtque hoc imperium in victoris patrimonio. *o*] Imo & deleri forma civitatis & membrum alterius fieri poteſt, ſeu mutatione politica tantum, quam Franco Galli in uſu habent, *unionem* quam vocant; ſeu migratione in diverſas terras, ut vetus hiſtoria frequenter factum commemorat paſſim.

10. Porro, ad perſonas & res privatas ab hoſtibus captas, jure gentium pertinet *poſtliminium*, quod definitur: *Jus ex reditu in fines publicos.* Eſtque duplex, perſonale & reale. Perſonale poſtliminium eſt, jus, quo is, qui captus ab hoſtibus & eodem bello reverſus eſt, perinde omnia recuperat ſua jura, ac ſi captus non fuiſſet. Singula verba expendamus.

11. *Captus*: nam transfugæ non habent poſtliminium, nec qui victi armis, hoſtibus ex pactione ſe dediderunt. *Ab hoſte*; juſtum enim, id eſt, ſolenne bellum eſſe oportet: hinc latrociniis & civilibus bellis non opus eſt poſtliminio. *Eodem bello*, nam qui pace facta revertitur, non habet poſtliminium, niſi expreſſum hoc ſit. *Reverſus*: nec intereſt; clam vel palam, vi an dolo reverſus, idque in præſidia noſtra, vel ad populos partium noſtrarum. *Omnia ſua jura*, tam quæ ſtatum perſonæ ejus ſpectabant, quam quæ in dominio & in credito erant. *Ac ſi captus non fuiſſet*; ideoque & ea recuperat, quæ ſi manſiſſet apud ſuos, habiturus fuiſſet.

12. *Reale* poſtliminium efficit, ut res ab hoſtibus captæ, iisque iterum ereptæ prioribus dominis reſtitui debeant, ſcil. immobiles. Mobilia enim ſunt in præda, nec poſtliminio recuperantur, niſi quæ res uſum in bello habeant, ut tamen ab his arma & veſtimenta excipiantur, quia hæc ſine dedecore non amittuntur. Plura ſunt hujus generis ad jus publicum directe pertinentia, plena manu expoſita in *prælect.* ad *Tit. ff. de Captiv. & poſtlim. reverſ.* quæ huc transſcribere non libet. *p*]

 13. Por-

n. 6. *m*) Si enim) *Vacillat, ut vides autor. Unde diſtingue. Præcedens aſſertio procedit in rebus privatorum. In publicis non procedit. Unde ſi tertius princeps qui me non adjuva:, hoſtem communem ejiciat ex caſtello, quod hoſtis illum in bello, ejectis militibus meis occupaverat, id mihi reſtituere tenetur, ob rationem modo dictam* lit. i.

n. 8. *n*) non prohibetur] *niſi expreſſe cum domino victore pactus fuerit. Vide Autorem ſupra* lib. 2. ſect. 1. c. 6. n. 18. 19. p. 395.

n. 9. *o*) victoris patrimonio) *Theſin ipſam concedimus, rationem de* patrimonio *negamus, quia patrimonium tanquam prædicatum dominii, quatenus hoc ab imperio differt, de imperio non poteſt prædicari, ut jam centies diximus.*

n. 12. *p*] non libet) *Præprimis cum præjudicialis quæſtio ſit: an poſtliminium ſit juris gentium an juris civilis Romani. Grotius equidem* lib. 3. cap. 9. *valde ſollicitus eſt, ut ea, quæ in poſtliminio ſunt Juris Gentium, quæ juris Romani accurate ſecernat. Sed ve-*

13. Porro, ut ſciamus, quid juris amplius belligeranti competat, teneantur hæ regulæ q) *prima*, qui juſtam belli cauſam habet, huic omnia licent, quæ ad executionem cauſæ neceſſaria ſunt.

14. *Secunda*, ei non diſſimilis; Cui finis conceditur, huic omnia ad finem neceſſaria conceduntur. Hinc, qui invaditur & in vitæ periculum adductus eſt, poteſt id propulſare quovis modo, neque tenetur primum expectare ictum aut paribus uti armis. Regulam autem iſtam non metimur ex belli principio tantum, ſed etiam ex poſt facto. Hinc in eum qui ſe hoſti meo adjungit, idem licet, quod in ipſum hoſtem.

15. *Tertia* regula; ſi finis obtineri nequeat niſi plus faciendo, quam per ſe finis requireret, hoc perinde licere dicendum. Hinc plus capere ex hoſte fas eſt, quam ille nobis debeat, ut tamen quod abundat, reſtituatur, deductis impenſis, ſi bellum ſtatim componatur. Ex eadem regula ſequitur, poſſe etiam prohiberi alios, ne ad hoſtem ea deferant, ex quibus ad bellum inſtructior eſſe poſſit, idque facientes licere deprædari, modo publicè præmoneantur.

16. Eadem regula dictat, ſi per vim adſequi finem noſtrum nequeamus, fas eſſe fraudibus uti; ſalva tamen fide & dignitate. Doli, qui in actu negativo conſiſtunt, ſine dubio licent; qui in actu poſitivo, hi aut in rebus aut in ſermone committuntur. Qui rebus fiunt, cum non habeant certam & infallibilem ſignificationem, ſunt liciti: de his qui in ſermone committuntur, ut mendacia, quibus fides non rumpitur, egimus r) copioſe in *lib. 2. ſect. 6. cap. 2.*

17. Cæterum, quæ ſupra dicta ſunt, de jure occidendi, vaſtandi, capiendi & imperio ſubjiciendi tam juſto quam injuſto bello, multam capiunt limitationem ex regulis internæ juſtitiæ, & monitis prudentiæ, de quibus videndi, qui hæc ex profeſſo tractarunt, *Grotius potiſſimum in lib. 2. & 3. de jur. bell. & pac.* ſunt autem iſta politicæ magis, quam juris; Ideoque noſtro minus idonea propoſito. s)

18. Porro, naturalis obligatio, quæ ex fide data oritur, etiam viget inter hoſtes, quia promiſſio jus tribuit ei; à quo acceptatur, nec aliud ad hoc requiritur quam ut rationis ſit capax. Quod adeo verum eſt, ut nec latronibus nec tyrannis, qua talibus, fides data infringi poſſit, niſi remedio juris civi-

---

vеor, ne tota doctrina de jure poſtliminii ſit peculiaris juri Romano. Nam poſtliminium eſt jus amiſſa jura recipiendi. l. 19. pr. ff. h. t. *Amiſſio fiebat per legem Corneliam ejusque fictionem* l. 22. eod. *Jure Gentium nulla fictio legis Corneliæ, E. nec ullum poſtliminium. Captivorum bona in patria jure Gentium manent in eorum dominio, & ſuſpenditur interim ejus exercitium. Ita & de jure civitatis intuitu perſonæ dicendum. Qui contra fidem datam ab hoſtibus redeunt à patria adigendi ut redeant, quia fidem datam fefellerunt. Qui ſine fide data pendente bello aufugiunt in patriam, exercitium juris civitatis hactenus ſuſpenſi recipiunt, non tamen poſtliminium de iis prædicatur, quia extra jus Romanum jura civitatis non amiſerant. &c.* Conf. ſupra l. 1. ſect. 9. c. 6. n. 32. p. 334. & ibi notata.

n.13. q) hæ regulæ] *Sc. ſi in bello hoſti in hoſtem in infinitum licent omnia; quid opus pluribus regulis. Unde hæ tres regulæ quæ jam ſequuntur in unicâ hâc concentrari poſſunt. Nam qui bellum gerit;* arbiter *eſt mediorum. Unde regula tertia* n. 15. *huc reſpiciens, fere deſtruit iterum ea, quæ in regulis duabus prioribus de* neceſſitate mediorum *poſita erant.*

n.16. r] egimus) *Cum ibidem fuerit oſtenſum falſiloquia, quibus fides non violatur æquè eſſe illicita ac ſimulationem in factis: Hinc carere poſſumus toto hoc verſiculo à verbis:* doli qui in actu negativo &c.

n.17. s) propoſito] *repete dicta* lit. e. f. g. h.

civilis, quod illos loco pœnæ, juris effectu privet. *t*)

19. Si quis hæreat, quomodo quem vita boniſque ſpoliare licet, hunc nefas ſit eo iure privare, quod è promiſſione noſtra illi acquiſitum eſt, ita cogitabit; Promittentem hoſti aut latroni, qua tali, *u*) hoc ipſo, renuntiare juri ſuo, quod habet, eum ſpoliandi iſto jure, præſenti promiſſione illi tributo, quam fore perfidiam ipſi actui immanentem, ſtatuendum eſt.

20. Si quis tamen præſenti metu ſit coactus ad fidem dandam, hic non tenetur, *niſi* juraverit, quoniam Deo non obſtat exceptio quod metus cauſâ: *w*) Et hæc de obligatione interna; Nam jus externum *x*) latrones, quique ſocietati hominum noxii ſunt, nullum habere poſſunt.

21. Pacta quoque ſummarum poteſtatum cum ſubditis eandem habent rationem, ut interno jure obligent, externo effectu vix poſſunt; ſed hac de re alibi dictum. *y*) Imo & perfidis ſervanda fides, ſc. in diverſis cauſis: rupto enim fœdere ab uno, alter manifeſto liberatur. Etenim nulla delictorum compenſatio datur; ſed quod ex contractu debetur, ratione compenſationis recte eliditur.

22. Ad fidem, durante bello, pertinent induciæ, per quas intelligitur conventio, ut partes ad tempus bellicis actibus abſtineant. Sub quibus non comprehenditur refectio mœnium, conſcriptio militum: ſed corruptis hoſtium præſidiis, ſine vi munitiones eorum occupare, pugnat cum induciis; derelicta ab iiſdem nihil obſtat quin occupare liceat. Privatis factis induciæ non rumpuntur, niſi publice approbatis.

23. Pacta captivorum cum hoſtibus omnino valent, licet poſtea ignoratæ captivi divitiæ emergant, licet eas quoque penes ſe habuerit, quia non facit ſuum capiens, niſi quod apprehendit. Dimiſſus ſub conditione redeundi captivus, ni faciat quod convenit, redire debet, etſi per ipſum non ſteterit, quominus faceret quod ſe facturum receperat.

24. Pacta ducum non obligant eos, qui ſummam habent poteſtatem, niſi de his rebus, quæ ducibus commiſſæ intelliguntur, quas inter ſunt induciæ breviores, aut niſi ratum habuerint, ut *jam antea* dictum. Si dux aut legatus mandatum exceſſerit, quod arcanum fuit, nihilominus ſumma poteſtas obligatur: ſi manifeſtus ſit exceſſus, dux ipſe duntaxat obligatur. Denique, & is qui colloquium facit cum hoſte, tacito pacto eatenus de non offendendo obligari intelligitur.

25. Conventio, qua bellum finitur *pax* eſt, quam inire poteſt is, qui ſummam habet poteſtatem; Quippe ducum pacta ſunt, ſponſiones, ut diximus in *cap. de fœder. ſupra* Per conditiones pacis etiam bona ſubditorum poſſe alienari ex dominio eminente ſequitur, at ſub conditione damnum ſarciendi è publico.

26. De damnis bello datis, ſi nihil convenerit, compenſatio ab utraque parte intelli-

---

n.18. *t*) juris effectu privet) *Hac limitatio non poteſt intelligi de tyrannis, qui ſunt ſupra jus civile. In latronibus ea non eſt opus, quia ſuprà jam aliquoties monuimus, fidem latronibus quà talibus datam ipſo jure non obligare.*

n.19. *u*] qua tali) *Falſum, quod promittens latroni qua tali, hoc ipſo renuntiet juri ſuo. Faciunt hic verba ipſa autoris initialia* in n. ſeq.

n.20. *w*) quod metus cauſa] *Sed hoc intuitu Dei non opus. Quia Deo nihil promiſſum, quod ſufficit, & quod juramentum ſit ſermo merè acceſſorius, ut jam ſupra monitum eſt.*

x] externum] *Unde nos non habemus opus ut confugiamus ad hanc diſtinctionem. Nam aſſertiones noſtra ab Autore diſſentientes etiam de jure interno intellectas volumus, ſeu præceptis moralibus.*

n.21. *y*) alibi dictum) *Ibidem tamen etiam dictum pacta in legibus fundamentalibus inita ſi violentur à principe, producere bellum civile tanquam effectum externum.*

Digitized by Google

telligitur: ſed quæ privati ante bellum invicem debebant, ſuo loco manere intelliguntur. Imo & hereditates, quæ, flagrante bello, jure inteſtati obvenerunt hoſtibus, jure gentium hodierno, ubi bellum fuerit finitum, peti poſſunt: quanquam de ſimplici rigore juris ſecus videri poterat.

27. Delicta, quibus populi unius cives erant obſtricti civibus populi, cum quo bellum fuit, remiſſa intelliguntur, ne qua belli cauſa poſt pacem relinquatur.

28. Si dubitetur de interpretatione pacis, pronunciandum eſt adverſus eum, qui legem clarius dicere potuit; quam juris privati regulam æquitas etiam in publicis enixe ſervari jubet. *z*)

29. Rumpitur pax, cum quid adverſus pacta conventa committitur, quanquam nova belli cauſa, pace etiamnum integra, hoc eſt, non violata, præberi poteſt, idque ſæpius uſu venire, docet abunde vetus & recentior hiſtoria.

30. Facto ſubditorum rumpitur pax, ſi ſumma poteſtas id ſciverit, attamen noluerit. Ejuſmodi factum eſt, cum ſubditi illius quo cum pacem habemus, hoſtibus militant noſtris. *a*)

31. Viceverſa non modo, ſi reſpublica, ſed etiam, ſi cives noſtri lædantur, idque non vindicetur publice, ab altera parte, rupta pax intelligitur; niſi vindicari nequeat, ut, ſi piratæ aut latrones ſint. Rupta autem dicitur in favorem ejus, qui eſt læſus; quo acquieſcente, pax ſuſtinetur.

32. Has poſitiones è priore librorum de jure civitatis editione transſcriptas potuiſſe latius deduci, quis neget? Sed moles operis, quod jam duplo ſe ipſum ſuperat, & quod plena expoſitio in immenſum iret, nos ad Grotianam lectionem, atque ad auditionem vivæque vocis inſtitutionem Studioſos remittere, cogit.

33. Nec eſt quod addamus magnopere. Nam quæ poſt hæc de conſervanda augendaque civitate dici poterant, magis ad politicam ſpectant. Sed ut omnia orta intereunt, ita quoque civitates & reſpublicæ finiuntur: Nam quod liberæ civitates vulgo immortales dicuntur, non niſi comparate intelligendum, quatenus ſingulorum mortibus plurium Imperia non intereunt.

34. Sed extinguitur civitas, vel ipſa multitudine extincta, vel ejus unione ſublata. Multitudo perire poteſt inundatione, terræ motu, bellis. Unio tollitur, ſublato omni imperio & communitate juris. Quod fit diſſipatione hominum, Peſte, Seditione, Bellis, Servitute publica, ſi tollantur omnes magiſtratus & ſenatus, ut olim Capuæ factum à Romanis, imò integri populi in provinciæ formam ab iiſdem redacti. Sed mutatio loci non extinguit civitatem, ſi maneat ordo aliquis imperii, ut cum Athenienſes, bello Medico, urbe deſerta, naves conſcenderunt.

35. Forma quoq; imperii mutatâ, neq; civitas neq; reſpublica periiſſe cenſetur; quemadmodum populus Romanus ſemper idem manſit, ſub Regno, Conſulatu & Cæſaribus. Unde negari nec poteſt; intelligendum eſſe populum Romanum eundem hodie eſſe, qui fuit olim. Et proinde ad eundem populum pertinere jura veterum Romanorum, niſi quatenus præſcriptione aliiſq; juris gentium modis amiſſi fuerint, ut expoſitum eſt à nobis *in lib. 1. ſect. 9. c. 7.*

36. Deniq; nec juſtitia deficiente, civitas nomen ſuum & jus communitatis perdit, quamdiu juncta manet ſocietas, juris, licet minus perfecte fruendi cauſa; etſi quandoq; ſcriptores aliter de civitate per excellentiam dicta loquantur. *b*) Ut ne barbari quidem Algerienſes & Tunetani civitates eſſe negari poſſint. His adde ſis, quæ de modis, quibus finitur ſumma poteſtas, dicta ſunt *in lib. 1. ſect. 9. cap. 6.*

n. 28. *z*] ſervari jubet) *Sed vide notata* ad cap. 3. n. 21. lit. c.

n. 30. *a*) militant noſtris) *Sed his caſibus non nova belli cauſa præbetur adverſus ſummam poteſtatem, niſi nolit rumpentes dedere, aut militantes hoſtibus revocare. &c.*

n. 36. *b*] loquantur) *In priore editione ita ſcripſerat:* quanquã ſecus olim Cicero arbitrat9 videtur.

F I N I S.

INDEX

Prior numerus paginam, poſteriores numeros, literæ Notas indicant.

Abdicatio S. Poteſtatis ne quidem ex pacto poteſt eſſe cum independentia. 333. n. 17.
Abigeatus. p. 56. n. 50.
Abſoluta poteſtas oppugnata & defenſa 46.
Academiæ unde jurisdictionem habeant. 426. 7.
 primaria inter Academias & Gymnaſia differentia. 426. lit. u.
Academiarum imperium quale. 429. 34.
Academicorum ſtudiorum origo & progreſſus remisſive 427. lit. w.
Acceſſionis doctrina. 471. 12. 13.
Acceſſio artificialis 473. 21-25.
Accuſator. 634. 27. judiciū de accuſatorib. lit. b.
Adminiſtrationis publicæ partitio. 551
Adoptati ad familiam pertinent. 390. 15-21.
Advenarum à civibus diſcrimen. 399. 29.
Adulterium. 654. 35. 36.
Advocatorum ſcientia qualis eſſe debeat. 609. a
Æquitas 563. 49-51.
Ærarii neceſſitas in civitate 667. 1. reditus & jus tot. cap.
Ætatis veniam largiendi jus. 98. 28.
Ætatis majoris & minoris differentia. 374. 27
Aggeris rupti crimen 652. 27.
Aggratiandi jus 643. t.
Agrariæ LL. 669. 7-10.
Agricolæ antiquisſimum civium genus. 415. 1-5.
Agriculturam non officere nobilitati. 413
Alluvio 467. 25. 67.
Alvei jus 465. 13-17.
Ambitus crimen 651. 24. 25.
Amiſſarum rerum jus recuperandi 458.
Amnis jus 464. 4-12.
Angarias & parangarias conſtituendi jus. 100 62.
Annonæ crimen 651. 26
Annuos imperantes habere S. P. 72. 48
Appellatio 662. 20-27
Arbiter 610. 41. ſeq.
Arbitrii & compromiſſi jus cum imperio comparatum 301
Ariſtocratia optima forma reipublicæ & quare. 253. 9. 29. ibi Optimates poſſunt id quod pars major in Democratia 46. poteſtatem ibi ſolere abſolutiorem eſſe quā in regno. 61. 6.
Ariſtocratia quid 291. 2. numerus incertus imperantium in illa 291. 4-10.
Ariſtocratiam continuandi modus, vel ſucceſſivus vel electivus. 291. 11-13.
Ariſtocratia patrimonialis 298. tot. cap. eſt reſpublica irregularis. 304. d
Armandia jus Majeſt. 101. 65
de Arreſtis judicium. 615. m.
de Arreſtis remisſive. 626. 41
Artifices mechanici 417. 32. ſeq.
Aſſecuratio 527. 21
Aſyla ad jus vet. & nov. referuntur. 92. 15
Auth. Habita de jure acad. expoſita. 426. 10
Avulſio 467. 26, 27.

B.

Balia Florentina quid? 355. 28.
Beatitudo civilis 36. 8.
Belgium non videtur eſſe Democratia 302. 16

Belgarum fœderata reſpubl. non una ſed multiplex 75. 14.
Belgæ quo jure Principi ſuo imperium abrogaverint 366. 31
Belli jus. 93. 17. Belli jus quatenus transferri ſoleat aut non 104. 37. majeſtatis proprium 93. 17. totum exponitur 730. t. cap. belli jus internum & externum 739. 12. de belli indictione judicium 735. 5. de belli jure regulæ 742. 13. 17.
Blaſphemiæ crimen 652. 28. de Blaſphemiis judicium 199. lit. z.
Bonorum immobilium reditus 669. 7-10.

C

Calumnia 656. 47.
Cambium 529. 29.
Canonicus 442. 24.
Capitulum 441. 15.
Captivorum pacta 743 23.
Carcer, judicium de carceribus 634. lit. e.
Carcerum origo & an abrogari debeant 645 lit. w.
Caroli M. religio judicium de illa 197. q.
Carteſianorum aliorumque de principio fidei ſententia 222. 11. 226. 7
Cenſiticum jus 485. x.
Cenſus 676. 42. 44.
Cenſuale regimen vid. Timocratia.
Cenſura morum quid proſit? 305. e
Charta magna apud Anglos ſanctio ſingularis 87. 55
Cicero adverſus Grotium defenſus 104. 42.
Civis quid 39. 1 ſeq. qui eo referantur. ibid. tot. cap.
Cives an & quatenus liberam diſcedendi poteſtatem habeant 399. 28.
Civitas an etiā in deſpoticis imperiis 36. 10-13
Civitas quatenus obligetur ex conventione rectorum 329. 51. 52.
Civitas quid? 36. ſeq.
Civitatis origo ex conſenſu & vi 32. ſeq.
Civitates fere omnes quoad originem aliquid violentiæ habent 40. k.
Civitates à quibus conditæ hominibus 115. 17.
Civitatis cauſa etiam malitia hominum, contra quam boni ſe tueri non poterant, niſi conjunctione multorum 32. 1-13.
Civitatis diviſiò noxia 280. 7
Civitatis jus in fundis privatorum 688. 18
Civitatis origo violenta 115. 19
Civitatum ortus ex Hermogeniano illuſtratur 34. 36-39. an recte x ſeq.
Civitatum reformatio & totum jus ejus 695. tot. cap.
Civitatem finiendi modus 744. 33. ſeq.
Civium diverſi ordines 415. t. c.
Clavium jus cui competat 186. 3. adde lit. c.
Clericatus vitia prohibitoria 442. 23.
Clericorum immunitas 443. 34.
Clericorum ordines in Eccleſia Rom. 439. ſq.
Clericorum peculium 443. 33
Cœnæ S. verba ſola per rationem ſolam nemo rectè interpretabitur. 243. 20. vid. tamen ibid. lit. k
Cœnobia an inter Proteſtantes eſſe poſſunt? 433. 28
Comites creandi jus 97. 5
Comites Palatinos creandi jus 98 11
Comitiorum jus 96. 39
Commiſſorium jus 468 43.
Communio rerum quaſi contractus 530. 2.
Communio bonorum inter conjuges 380. 20-24
Compromiſſi arbitrarii cum jure imperii comparatio 83. 73
Concubina editi quando familiæ aggregentur 389. 6. 7
Concubinatus. 381. 25
Concuſſio quid? 652. 27
Condominatus an a regno diſtinctus 255. 2-22
Condominatus ſpecies 257. 13 22 ubi ſint ibid. 23. 27
Conductus ſalvus 693. 32-38
Confeſſio fidei an ad intrinſecum conſcientiæ jus pertineat? 185. 1
Confiſcandi jus bona damnatorum 99. 40
Confiſcatio vid. publicatio bon.
Confiſcationis jus 499. 10. 11
Confuſionis jus 473. 26. 27
Conjuges qualem actionem inter ſe habeant? 386. 13. 18

Digitized by Google

Connubium quid perficiat? 380. 13
Conſcientia an errare poſſit? 566. 1-4. quid ſit? & partes ejus 567. 5 8
Conſcientiæ obligatio ad quem ſe referat ib. 9. 10. ad jus conſcientiæ internum quid pertineat? 185. t. c. ad c onſcientiam provocatio inepta eſt ad docendas quæſtiones de jure Principis circa ſacra 184. lit. u an ad conſcientiæ intrinſecum jus confeſſio fidei pertineat? 185. 1.
Conſenſus Parentum ad matrimon. 282. 30
Conſenſus reciprocus in matrimonio 381. 28
Conſtantini M. Chriſtianiſmus qualis 174. w
Conſtantini M. de jure S. P. circa ſacra ſententia eligitur 173. 20. ſed quo jure; lit. t ſeq
Conſuetudo vim legis habens 564. 53-56
Conſuetudinis doctrina erroribus plena. ibid. u
Contractuum jus 521. tot. cap.
quaſi Contractus ſpecies 530
Contractus Summarum Poteſtatum 326. t. c.
Contributiones extraordinariæ 676. 41
Copulatio ſacerdot. remisſive 380. w
Conventus fidelium exercendi facultas cui competat? 185. 2. lit. z. an invito Principe exerceri poſſit. affirm. ib. 2. negat. lit. b.
Converſiones primæ plerumque methodo ratiocinandi caruerunt 237. 15. 16. differentia inter converſiones factas ad fidem veram in prima evangelii prædicatione repentinas, & eas quæ poſt receptam in orbe fidem per traditiones rationales committuntur 240. 1-5
Corruptionem hominis ſubitam fuiſſe, non ex uſu & habitu 6. 8
Creditoris definitio 148. 49
Crellii ſententia de redemptione refellitur 155. 13
in Criminalibus ordo procedendi 633. 26-57
Criminum exceptorum doctrina cui debeatur 663. f.
Cujacii ſententia de Principe & Populo poteſtatem in ſe ipſum habente refellitur 66. 28.
Culparum uſus in Contractib9 remisſive 528. k
Cultus Dei & quid circa illum Princeps poſſit? 190. 24
Cura regia an detur? 289. 12-16.

D.

Danici imperii e legitimo in abſolutum mutatio quomodo facta 359. 35
Debitoribus inducias dandi jus 99-32
Delicti definitio & proprietates. 503. 15-19 de quaſi Delictis remisſive 532. 8
Democratiæ vis & comparatio imperii cum arbitris 301. 1-7. definitio 302. 8. 9. diviſio ibid. 10-15. notæ variæ ibid. 17-20.
nulla Democratia in Belgio eſſe videtur 302. 16
Democratias eſſe ubi jus ſuffragii eſt penes Peregrinos, Fœminas, Infantes, Furioſos 203. 27-48.
Devolutionis jus obiter 290. 17-21
Devotio quid. commendatur Jurieus ſimpliciter 702. 26. cum cautelis lit. z.
Deus utrum ut creditor, an ut Judex, an ut Rector ſupremus reſpectu peccatoris ſit conſiderandus 147. 38
Διαθήκη ſignificare diſpoſitionem tam inter vivos quam teſtamentariam 132. 11
Diſpenſatio quid & an locum habeat in doctrina ſatisfactionis Chriſti 151. 81
Divites ad ſalutem non ſunt inepti 114. o
Divortiorum jus 386. 19
Doctores creandi jus 97. 10.
Doctor & Rex diverſæ perſonæ 113. 8. m.
Doctores ſtatuendi jus an Eccleſiæ invito magiſtratu competat 187. 9
Dominatus & Regni differentia 260. 15
Dominatum non eſſe per ſe tyrannidem 263. 34
Dominicarum rerum jus 468. 38
Dominii acquirendi cauſæ originariæ 47. 6-8
Dominium eminens 94. 38. ut differat à ratione ſtatus 95. 52
Donationis jus 527. 22 ſeq.
Dubitationis principium Hobbeſio exercitum, quo ſucceſſu 210. 46. ſeq.
Duces exercituum 591. 44
Ducum pacta 743. 23
Duella privata quando licita 734. 20-33
de Duellis litem dirimentibus 603. 4. 9

Digitized by Google

E.

Eccleſia 112. ſeq. an ſit univerſitas 431 1. 19 Eccleſia eſt in republica 117.36. u. Eccleſia quomodo corrupta 116. 24.
Eccleſiæ bona an poſſint alienari ab imperantibus? 192. 44.
Eccleſia viſibilis externa 159. t. c. de Eccleſiæ viſibilis & inviſibilis diſtinctione judicium 159. a.
Eccleſiæ Moſaicæ & Chriſtianæ differentiæ 100 b. diſtinctio inter regimen Eccleſiæ internum & externum fulcrum aſtutiæ papalis 197. lit. i.
Eccleſiæ an Doctores ſibi præficere poſſint inviro magiſtratu 187 9. Summæ in Eccleſiam Poteſtatis variæ opiniones 165 1.
Eccleſiarum caput quo ſenſu princeps dicatur? 193. 51.
Eccleſiarum gubernatio externa cui ſubjecta. 191. 31
Eccleſiaſtica cenſura in rectores civitat. 204 18
Eccleſiaſticæ res. vid. Res.
Eccleſiaſtici an inter Conſiliarios adhibendi? 580. 47
Eccleſiaſticorum perſonæ & res imperio ſubjacent. 192. 41
Electio & ſucceſſio modi ordinarii deferendi regnum 265. 1. 6
Electionis modus & effectus. 271. 19. 20.
Electionis & poſtulationis Canonicæ diſcrimen 440. 7
Eligendi jus quibus originaliter competat? 269. 1 ſeqq.
Emendatio mentium an ſperari poſſit? 702. y
Emphyteuſeos natura 485. 48. 51
Emtionis venditionis jus 523. 9
in Emtionibus venditionibus an naturaliter ſe circumſcribere liceat? 416. 13-16
Emtor rei alienæ quando ad reſtitutionem rei teneatur 336. 21
Enthuſiaſta quis? 121. h
Enthuſiaſtici motus quomodo ſecernendi à verè ſanctis? 242. 2
Epiſcopatus Conſtantini M. vera expoſitio 147. 22. quæ tamen ſubinde notatur. ibid. w. ſeqq.
Epiſcopalis dignitatis origo, progreſſus remiſſive 418. q
Epiſcoporum officia 439. 5. 6
- - electio 440. 7-9
- - poſtulatio ibid. 10
- - confirmatio ibid. 11
- - conſecratio ibid. 12
- - translatio 441. 13
Epiſcoporum ordo triplex 439. 5. 6.
Eraſti vita 166. 9. Ejusdem adverſarii, doctrina, ſcripta. ibid. Eraſtiani quid de jure S P. circa ſacra ſtatuant? 166. 12. Eraſtiani male ut hæretici traducuntur 172. quod autor Eraſtum non viderit, probatur 207. lit. d.
Eruditorum ordo in civitate 418. 37
Exceptiones dilatoriæ 627. 2
Exercitus perpetuos an imperans habere poſſit? 686. 9-12.
Excommunicatio fulcrum imperii pontificii 204. 19. lit. p.
Excommunicandi poteſtas cur non practicabilis. 161. f.
Excommunicatio arcanum Papiſmi obiter. 160. c
Executio ſententiarum qui fiat 660. 11. ſeq.
Exercitoria obligatio 531. 4
Exheredationis jus 541. 26. 547. 19.
Expoſitio infantum licet inceſtuoſorum nefaria 389. 10
Expromiſſionem eſſe ſponſionem qua debitor vetus perfecte liberatur 139. 10
Exteri quæ ſibi invicem debeant? 704. c.

F.

Falſi crimen 605. 46
Famam reſtituendi jus 98. 26.
Familiæ jus 370.
Familiæ vox quot modis accipiatur 375. 5. definitio 6. ſeq. numerus 376. 20. familia imperfecta 377. 25-29.
Famis pœna 645. u
Famuli hodierni. 396. 29-32
Feloniæ ſpecies 498. 9. 10

Ferias

Ferias concedendi jus 98. 20
Feudalis juris propinquiora principia unde petenda? 486 2. in feudalibus quis judex? 498. 13 judicii hujus ſpecialia ibid. 14-18.
Feudi definitio 486. 1. etymologia 2. origo 3. feudum novum & antiquum 7. nobile & ignobile 8 Eccleſiaſticum & ſeculare 9. corporale aut incorporale 10-12. cum aliis diviſionibus.
Feudi differentia ab uſufructu? 486. a.
Feudum à quibus conſtituatur 489. i. à quibus acquiri poſſit ibid. 2. 3. quæ in feudum dari queant ib. 4 6. quid illis cohæreat. ib. 7. 8. cauſæ conſtituendi 491. 9. modus acquirendi feuda. ib. 10. 11.
Feudum finiendi modi idemque amittendi. 496. t. c.
Fidei Chriſtianæ cognoſcendæ principium. 220 ſeq. de fidei principio 221. t. c. Carteſii ſententia 222 11-14. de Fidei capitibus ſi non conveniat quid faciendum? 189. 17. adde lit. p.
Fideicommiſſi onus bonis auferendi 99. 34.
Fideicommiſſi origo, definitio, diviſio & uſus 482 28. 37.
Fidejuſſionis materia 526. 19. ſeq.
Fides an habeat cauſam vel notam in animis credentium ſupernaturalem 221. 3 ſeq.
Fides quomodo in vere fidelibus obſignari ſoleat 241. 6-8.
Fides rationalis & Spiritus S. teſtimonium differunt 241. 9. 18.
Fides recepta quo teſtimonio obſignetur? 240 t. c.
Fides hoſtibus, latronibus, tyrannis ſervanda 742. 18-21.
Filius fam. Civis. 398. 15.
Fiſcalium rerum jus 468. 41.
Fiſci jus majeſtatis 99. 40.
Fluminum Jus 464. 3 ſeq. de legibus circa Flumina 467. 30-34.
Fœdera quatenus mutent ſummam poteſtatem? 74 ſeq.
Fœdera pangendi jus 93. 25.
Fœderis & teſtamenti jus revera non diſcrepare preſſius demonſtratur 137. ſeq.
Fœderum differentia à Sponſionibus 93. 27.
Fœdus dari inter imperantes & ſubjectos ex natura Status Democratici contra Hobbeſ. demonſtratur. 43. ſeq.
Fœdus Dei cum Eccleſia non niſi unicum 127. ſeq.
rationes quædam adverſus unitatem teſtamenti & fœderi refelluntur 131. ſeq.
Fœdus quid. 724. 1. & quotuplex. 2-9. Non eſſe juſta fœdera quibus ſocii ad omnia bella promiſcue obligantur: ſed nec obligationem inde ad bellum injuſtum oriri. 7. 8. An cum infidelibus licita ſint fœdera inita, diſputatur. 10. 11. item an morte Contrahentium finiantur. 16. de Sponſionibus earumque effectu 17-19. de interpretatione fœderum. 20. 23. & cautione certitudinis illorum ac obſervantia 24. 25.
Fœminarum & marium differentia juridica 372. 22-26.
Fœminæ an ſummis imperiis recte admoveantur? 258. 32. 33.
Fœnus an jure naturæ & divino licitum? 416. 20 ſeq.
Fœtus animati & inanimati diſtinctio unde capienda? 370. c.
Fœtura animalium 472. 14-16.
Fori judicialis doctrina 619. t. c.
Fraus & violentia an prima origo Civitatum? 33. r.
Friſiæ ſtatus regiminis 295. ſeq.
Friſii ut ſeculo 15. egerunt, in exemplum ſtatus naturalis & belli omnium contra omnes propoſiti 12. 7.
Fructuum perceptio 472. 17. 19.
Fundamentalium LL. obligatio & ſanctio. 364.
Fundamentalium LL. imperii doctrina 85. 11.

G.

Gabellas conſtituendi Jus 100. 60.
Galliæ regum ſucceſſio quo jure aliquoties mutata? 335. 38.
Gentium moratarum & barbararum diſtinctio quid proſit? 263.
Germaniæ imperium non eſſe unum 40. 20.
Bbbbb 3 non

Digitized by Google

non eſſe unam rempubl. 75. 17.
Germaniæ principes vere ſummam poteſtatem habere 103. 20. ſeq.
Germanici Imperii Status 308. 19. 337.
Gladii Jus? 91. 4.
Ejus diviſio in jus vitæ & necis & belli ibid. 5.
Graswinckelius imperium à populo ne quidem per modum cauſæ ſecundæ derivari ſtatuens refellitur. 34. 27-35.
Grotii doctrina Hobbeſianæ oppoſita. 19. 54.
Grotii ſententia de ſatisfactione detegitur & refellitur. 144. 18.
Gualteri [Rudolphi] ad Theodorum Bezam Epiſtola 213. ſeq.
Gymnaſiorum & Academiarum primaria differentia 426. u.

H.

HÆreſeos crimen 652. 29-32. 195. 63.
Hæreticorum & heterodoxorum pœnæ 194. 62. 652. 29.
Hebræorum vetus imperium ante reges fuiſſe Theocraticum 34. 31.
Hereditas quid 537. 2. 3.
- - quibus modis deferatur 538. 4.
- - quomodo ab inteſtato deferatur. 543. c.
Hereditatis aditio J.G. non requiritur ad Dominium acquirendum 476. 49-58.
Herile jus in ſervos. 394.
Hermaphrodita 372. 22.
Hierarchiæ Romanæ artificium 439. 1. 2.
Hobbeſii de jure S. P. circa ſacra ſententia 173. 15. refellitur 208. 6.
Hobbeſii ſententia quod ſumma P. minui non poſſit, refellitur 87.
Hobbeſii jus Naturæ exponitur & refellitur 12. 8.
Homicidium 653. 33.
de jure aggratiandi in homicidio 643. t.
Hominum ſanorum vel inſanorum differentia. 374. 31.
Honores quid? Diviſiones 583. 8.
Hoſpitiorum militarium uſus & abuſus 670. 14.
Hoſtium ſpolia. 677. 47. 740. 5-9.
Humanum genus in duas Univerſates diſtributum. 114. 10.
Humilitas falſa character Papiſmi. 115. 10.
Huſſus (Joh.) quo jure deſtitutus à Sigism. Imperat. 694. 36.

I.

IMago Dei qualis. 6. 5.
Imperans neminem indicta cauſa necare poteſt. 92. 9. limitatur ibid.
Imperantes an injuriam perfidiamque adverſus ſubjectos committere poſſint? 43. 1-5. Hobbes negat. 6. ſed refellitur 10-13.
Imperantibus jus circa ſacra competit. 111. 1.
Imperantium inauguratio. 551. t. c.
Imperator quid juris in urbe Romana habeat? 270. 8-10. ad Imperatorem creandum an Pontificis voluntas requiratur? 270. 11. 12.
Imperatrix quot modis maritum habere poſſit? 258. 28. 31.
Imperii jus non mutari ex forma Reip. nec quidem herili aut civili modo imperandi; nec patrimonialis aut uſufructuarii, ſucceſſorii aut Electivi juris diſcrimine. 68. ſeqq.
Imperii origo, jus, variis Capp. 347. ſqq.
Imperia dura utut ad patientiam obligent, non tamen deſinunt eſſe injuſta, 62. 16. & infirma. 18.
Imperii Romani finis & duratio. 337. t. c.
Imperii herilis & patrimonialis differentia 274. 60. 64. de ea judicium ibid. d.
Imperii patrimonialis & quaſi fructuarii effectus jus ſummum non variant. 69. 16.
Imperii jus non mutari ex forma Reipubl. nec quidem herili aut civili modo imperandi, nec patrimonialis aut uſufructuarii, ſucceſſorii aut electivi juris diſcrimine 76. ſeq.
Imperii ſummitas per ſe non tollitur lege de approbandis in Senatu Regum decretis. 73. 57.
Imperii fundamentum & efficacia. 38. ſeq.
Imperii jus cum arbitrio compromiſſario com-

Digitized by Google

comparatum 83 73.
Imperii jus non mutari ex eo, quod invitis aut volentibus impoſitum. 71. 32.
Imperii ſummi jus in regnis Succesſivis aut Electivis non variare. 71. 35.
Imperii ſummi jus difficile 40. 16.
Imperii violenti obligatio 39. 12. 15.
Imperiis ſummis an fœminæ recte admoveantur? 258. 32. 33.
Imperia voluntaria imperantibus quantum jus tribuant? 40. 17. 20. Hobbeſii de ea re judicium 40. 21-23. Althuſii ſententia 40. 24.
Imperia coacta remisſive eſſe juſta vel injuſta 309. t. c.
Imperium populare 351. ſeq.
- - optimatium 354. ſeq.
Imperiorum diviſio in voluntaria & involuntaria 34. 24-26.
Imperium plurium quotuplex 291. 1. 3. quid circa Imperium in optimates transferendum ſuadeatur. 61. 5.
Imperium non derivari à populo qui ſtatuerint ne quidem per modum cauſæ ſecundæ 34. 27-35. n.
Inauguratio Principum 552. nihil eam novi juris inferre 9. 17.
Inceſtus 655. 39.
Inceſtuoſi an fame necandi 389. 8. ſeq.
Incolarum à Civibus diſcrimen 398. 18.
Indebiti ſolutio quaſi Contractus 530. 2.
Indelebilitas characteris ſacri, & de ea judicium 192 y.
Independentes qui. 166. 9.
Induciæ 743. 22.
Infames an jure ſuffragii popularis gaudeant 300. 38.
Infamia notatos reſtituendi jus majeſtatis 98. 26.
Inhoneſti dari gradus 10. 28.
Injuria an inferri queat ſubditis ab Imperantibus. 43. 1. 5.
Inſtrumenta & eorum differentiæ 631. 18.
Inſula 466. 18 22.
Inventor rei alienæ ad quid obligatus 533. 10-12.
Inveſtitura 491. 10. 11.
Inveſtituræ renovatio 495. 11.
Invitum quotuplex? 382. 31.
Involuntarii jus imperii 309.
Judex quid? 604 11. an recte vir bonus dicatur? ibid. an imperitus juris eſſe posſit. 605. 20.
Judicis officium & jus 605. 20.
Judicium quid 603 6. Ordo in Judicio procedendi. 627. t. c.
Judiciorum conſtitutio jus majeſt. 96-74. diviſio in civilia & criminalia 612. 1. petitoria & poſſeſſoria judicii partes & totum jus eorum 612. t. c.
Indicæ ſocietates 424. 14. 21.
Juramento Deo nihil promittitur 313. n.
Juramentum fidelitatis. 492. 15.
Juriſdictio quid, quotuplex 594. t. c.
Juris & Imperii mentio an recte fiat in finienda civitate 36. 14-16.
Juris Civilis ſtudium in occidente inſtauratum 428. 18.
Juris municipalis diſcrepantia a jure civili 105. 46. 557. 14-17.
Juris vitæ & necis diſcrepantia à mero Imperio. 91. 6.
Jus pro regula actionum moralium. An origo ab injuſto dependeat? Cauſa juris ſuperior poteſtas, etiam par; quod probatur; jus etiam ſumi pro facultate agendi vel habendi. Juris in priori ſenſu diviſio in naturale & voluntarium. Hoc rurſus divinum & humanum &c. De jure Gentium publico, de jure Civili publico, Differentia juris publici univerſalis à politica &c. 1. ſeq.
Jus in perſonam 499. tot. Sect.
Jus belli vid. Belli jus.
Jus circa ſacra vid. Sacra.
Jus Gentium an & quatenus obliget conſcientiam 568. 18-20. an à jure Naturæ diſtinctum 23. ſeq.
Jus in re & ad rem 470. 1-3.
Jus pro facultate habendi & agendi quotuplex 30. 20. ſeq.

Jus

Digitized by Google

Juſjurandum Legibus adjectum quid valeat 562. 40.
Juſjurandum quid? an licitum 518. 22. valete ſolam invocationem numinis 630. 16. per ſe non producit obligationem. 519. 25.
Jus Naturæ definitur 6. 10. Exegeſis definitionis 6. 12. 13.
Jus ſibi ipſi dicere quando liceat? 602. 3.
Jus res judicandi quatenus transferri ſoleat, aut non? 105. 52.
in Jus vocatio 613. t. c. paſſim.
Jus ultimarum voluntatum 539. t. c.
Jus Naturale Hobbeſianum examinatur 11. ſeq.
JusNat. an reſpectu Dei ſit immutabile? 21. 17.
Jus naturæ definitur 6. 10.
Jus aliquod Nat. fuiſſe in ſtatu primævo etſi diverſum ab eo quod nunc eſt 6. 8.
Jus divinum quid & quotuplex & eius obligatio 27. 24. ſeq.
Juſtitia & ejus diviſio vetus ac nova 39. 9. ſq.

K.

Κύρωσις & προκύρωσις 127. 8. 12.

L.

Labadiæ inſtitutum in reformanda Eccleſia 433. 28.
Legatos mittendi jus 93. 28.
Legati Pontificis eorumque differentiæ. 441. 16. 17.
Legatorum definitio 716. 1. 2. quatenus ſumma poteſtas in mittente requiratur & quid juris, ubi de ſumma poteſtate dubitatur. 16. 3. 6. legatorum differentia 718. 7-9. de legatorum jure? 722. 27. an jurisdictionem & jus Aſyli habeant 723. 30-32. & totum jus eorum t. c.
Legibus eſſe ſolutum principem 57. 8.
Leges circa portus 467. 30-34.
Leges adoptivæ 565. 57. 58.
Leges fundamentales 84. ſeq.
Legum jus quatenus transferri ſoleat aut non, 105. 46.
Legislator quis? 454. 23.
Legislatoriæ artis difficultas 554. 20, 22.
Legitimandi liberos Jus 98. 21.
Legum condendarum jus 98. 45.
Legum ſolennia remittendi jus 98. 29.
Lex definitur. 555. 2. quo ſenſu dicatur commune præceptum 3. 4. Sponſio Reipublicæ & fœdus Civium 556. 5-10.
Legis virtutes 559. 27.
Legis pœna 569. 31.
Legis perfectæ & imperfectæ differentia 561. 35.
Lex Civilis cur obliget conſcientiam? 570. 26.
Lex futura reſpicit 562. 44.
Lex quando incipiat obligare? 563. 46.
Legem quis tollat ibid. 47.
L. 5. ff. de Juſt. & Jur. de jure Gentium expoſita 34. 36.
Liberæ reipubl. bene ſtabilitæ potentiam longe majorem eſſe quam regni 253. 15.
Liberi. 388.
Libetis germaniæ populis Imperator dominos imponere nequit. 272. 38.
Liberi naturales à ſucceſsione excluduntur cur & ubi 280. lit. l.
Liberorum expoſitio improbatur 389. 8 ſeq.
Libertatem auream eſſe 61. 4
Litis conteſtatio 627. 31.
Locationis Cond. jus 523. 11. ſeq.
Lokii meditationes de Enthuſiaſmo commendantur 221. lit. g.
Lycurgi respublica & de illa judiciũ 697. lit. e.

M.

Magia 656. 48.
Magiſtratuum creandorum jus 96. 69.
Magiſtratus inferiores creandi jus 97. 4 cur ad majora regalia non pertineat? ibid.
Magiſtratus creandi jus quatenus transferri ſoleat, aut non? 105. 47
Magiſtratus nunquam præſcribere poſſe contra ſummam poteſtatem 108. 9
Magiſtratus quid? 583. 10
Magiſtratuum officium 585. 15 diviſio 586. 21 differentia 22. & omne jus eorum t. cap.
Magiſtratui quatenus bellum permiſſum? 733. 14. 16.
Majeſtas quid proprie 64. 4. non bene dividitur in perſonalem & realem 64. 11. nec in delegantem & delegatam 17.

Majeſtatis diviſio in realem & perſonalem refellitur. 64. 11
Majeſtatis jurium diviſio in majora & minora 91. 1. nullum habet uſum ibid. x.
Majeſtatis jura majora 91. ſeq. minora 97. ſeq. Eorum diviſio ab utilitate vel dignitate ibid. i. Hæc ſubdividuntur quod vel in publicis collationibus vel in privatis diſpoſitionibus conſiſtant 97. 3
Majeſtatis jurium alienatio & exercitium 101. ſeq.
Majeſtatis jura majora non poſſunt transferri irrevocabiliter 101 i.
Majeſtatis jura minora facilius tota transferuntur 105. 55. diff. lit. b.
Majeſtatis jurium præſcriptio 107. ſeq.
Majeſtatis cauſa immediata an Deus ſit 265. 16.
Majeſtas quid poſſit circa fidei confeſſionem 188. 15. add. k. ſeq.
Majeſtatis L. crimen 645. 13-20.
Mandati jus 525. 15. ſeq.
Mares in ſucceſſione regnorum præferendi fœminis 281. 10.
Marium & fœminarum differentia juris 372. 22. ſeq.
Maris imperium 452. lit. x.
Maris littus 464. 28. 29
Maris jus 451. 27. 52
Maritalis poteſtas quid & unde 384. 1-3. an ei renuntiari poſſit 385. 4-6
Maſtrupationis pœna 655. 40. ſeq.
Matrimonii definitio Grotiana 378. 1. 2. JCtorum 3.
Matrimonii eſſentia an deductio in domum ſit 380. 18. 19
Matrimonium ad morganaticam 381. 27
Matrimonium per vim, errorem, metum, ſub conditione, ſub modo contractum 383 41-49.
Matrimonium quot modis ſolvatur 386. 19-34.
Medicorum dignitas in republica antiqua & hodierna 419. 42
Mendacium prohibitum 507. 4
Mennonitarum adſeveratio an pro juramento ſufficiat 630. 15. 16
Mente capti quotuplices 406. 26
Mercatorum dignitas antiqua & hodierna. 415. 6-7
Mercatorum dignitas major in una quam alia republ. 416 19
Meum & tuum fuiſſe ante civitates 16. 17
Milites ordinem proprium in civitate non habent 418. 34. ſeq.
Milites excipiendi onus, ejus origo & exceſſus 670. 12-15
Militia perpetua opprimi libertatem populorum 62. 14
Militiam alere perpetuo mercenariam an fas ſit imperantibus 686. 8
Minorum res ſine decreto alienandi jus 99. 36
Molinæus (Ludovici) in paræneſi ad ædificatores imperii in imperio excerptus 211. ſq.
Monarchicum & Deſpoticum eſſe hoc ſeculum 61. 1
Monarchia an ſit optima reipubl forma 254. x
Monarchia ſpecies prima reipubl. 255. 1
Monarchiæ ſpecies 259. t. c.
Monarchica electio 261. t. c.
Monachalis ſordities character Papiſmi 115. 6
Monachi 442. 24
Monaſteria eſſe univerſitates 433. 27
Monetæ cudendæ jus 99. 38. 678. t. c.
Monetæ mutatio 681. c.
Monopolia 425. 27
Monopoliorum licentia 416. 17. 18
Morganaticæ matrimonium 381. 27
Motus Enthuſiaſtici quomodo à vere ſanctis ſecernendi 242. lit. i.
Mulctandi jus 99. 41
Mulieres ſunt cives 398. 14
Munera publica levamentum ærarii 670. 12
Municipis à cive diſcrimen 402. 22. & totum jus ejus tot. cap.
Mutui jus 528. 27.

N.

Naturæ jus an & quatenus obliget conſcientiam 570. 28.
Naturam hominum eſſe, ut ſe mutuo lædere

velint & ſoleant 11. 6. ſeq. & potentior imbecilliorem opprimat 14. 15
Naufragorum bona fiſco non jure cedunt. 100. 51. contrar. lit. p.
Nautarum dignitas 417. 32
Negotiorum geſtio 530. 2
Nepotiſmus 441. 18
Neroniſmus 312. 7
Nobiles creandi jus 97. 5
Nobilitas quid? & jus ejus ejusque effectus 407. t. c.
Notarios creandi jus 98 14
Notarii 631. 19
Nullitatis querela 661. 17. ſeq.
Nummorum valor 679. 6. ſeq.
Nundinas concedendi jus 98. 16
Nuptiæ ſecundæ an licitæ? 379. 11. 12

O

Obedientia paſſiva qualis? 352. 18. 360. 50.
Obligatio ſummæ pot. e contractu 326
Obligatio naturalis quotuplex? 81
Obligationis realis & perſonalis diſtinctio in doctrina ſatisfactionis improbata 146. 31
Obligationis genus e LL. fundamentalibus quale? 89. 69
Obligatio ſui ad mortem vel cruciatum 526. 20
Obſequii promiſſio ſub clauſula: in omnibus quæ verbo Dei non repugnant, arcanum Papiſmi 184. w
Occupatio cauſa Dominii acquirendi originaria 470. 6
Officium publicum quid? 582. 1. quotuplex? 2. & totum jus ejus.
Optimates an imperium alienare vel formam reipublicæ mutare poſſint? 292. 41. 45
Optimatum annuorum qualis poteſtas 293. 39
Optimatum Contractus 319. 50.
Ordinum conventus in regnis an Senatus recte appellentur 578. 34
Originalis hominum integritas ex ſententia Gentilium, Grotii & aliorum, qui non niſi in affectibus & uſu habituque illam conſtituunt, qualis e ſacris literis intelligenda ſit? 5. 6
Originem non tribuere forum e domicilio ſeparatum, ex ratione juris Gentium 610. 13.

P.

Pacis ineundæ jus 93. 23
Pacis jus quatenus ſoleat transferri aut non? 105. 45
Pacta Ducum 743. 23
Pacta Captivorum ibid.
Pactiones Magiſtratuum de officiis reipubl. quatenus illicita? 105. 49
Pædantiſmus quid? 406. 36
Pactorum gentilitiorum natura & effectus 372. 35-39
Pactorum jus 513. t. cap.
Pajoni Galli de operatione immediata Spir. S. ſententia 221. 6
Papæ in externis nil eſſe juris perfecti 202. 6
Papocæſarias & Cæſaropapias examen 113. 1.
Parentum & liberorum jus 388. t. cap.
Parlamentorum Anglicorum & Gallicorum differentia remiſſive. 579. k
Parricidium 653. 34
Partus legitimitas, & de illa judicium ubi? 371. lit. t.
Partus in cujus poteſtate jure N. 391. 28-31
Partus abacti crimen 371. 11. d.
Paſtores Eccleſiarum quatenus à poteſtate civili interdici poſſint? 192. 41
Paſtorum electio cui competat 191. 34
Paſtorum paupertas ſublevanda 161. g. obiter
Patria pot. jure G. qualis 390. 22-27
Patria pot. in nuptiis liberorum 392. 35. ſeq. in publicis cauſis & in bonis liberorum ibid. 38. ſeq. quomodo ſolvatur. ibid. 42. 56
Patrimoniale regnum vid. regnum.
Patris certitudo 372. 20. 21
Patrisfam. imperium quotuplex 377. 21 judicium de hoc lit. o.
Patris unde cuique certitudo 371. 20
Patrocinium ab exteris implorare civibus nefas 687. 13
Patrum obligatio ex contractu filiorumfam. 532. 6
Patrumfam. regimen ante diluvium non videri obtinuiſſe 115. 17 ſeq.
Pax quomodo explicetur, quomodo rumpatur 743. 25. 32

Digitized by Google

Peculatus crimen 650. 21
Pecuniæ origo, etymologia & uſus 678. 2
Perduellionis pœna & de illa judicium 646. 7
Permisſionem eſſe virtutem legis ſecus ac Puf- fend. 559. 29
Perſonarum diviſiones 370. 5. ſeq.
Perſonarum jus univerſum 370
Perſonarum in ingenuos & ruſticos diviſio. 414. d
Phalariſmus 312. 7
Philoſophorum exiguum momentum in re- publ. 419. 41
Pignoris natura 485. ▼
Piſiſtratiſmus 312. 7
Plagium 657. 49
Pluralitas ſuffragiorum arguit dependentiam politicam 199. 30
Pœna quid. Ejus fines & differentia & tot. ſus pœnarum 641. pœnæ an licitæ tantum an & neceſſariæ 501. 9. 10. pœnæ finis quinam 502. 11. 14. pœnam quis infligere poſſit 500. 7. 8
Pœnarum doctrina cur difficilis 500. 1. ad pœnam an & quatenus obligatio ſpectet 504. 20. 31
Polygamia 654. 38
Polygamia juri nat. repugnat 379. 7-10 contra lit. s.
Pontifex principibus imperii auferens 439. e
Pontificiorum ſententia de jure ſummæ pot. circa ſacra 165. 3. refellitur 202. 6
Pontificis creationi an Imperatoris conſenſus neceſſarius 270. 11. 12
Pontificis imperium monarchicum 432. 19. 24
Pontificis poteſtas & electio 439. 3. 4
Populi conventus agi diverſis locis, ſophiſma politicum eſſe 79. 27
Populi jus contra principes duplici inprimis modo cuſtodiri 82. 66
Populi voluntatem non poſſe non eſſe cauſam imperii voluntarii 34 27. 265. 7. ſeq.
Populos rectoribus ſuis ſemper eſſe ſuperiores, prava ſententia & refellitur 50. t. c.
Populum conſtituto imperio juris aliquid retinere poſſe probatur 79. 18
Poſſesſionis jus explicitum 479. ſeq.
Poſtliminii jus 741. 10. ſeq.
Poſtulationis & electionis canonicæ diſcrimen 440. 7
Portuaria conſtituendi jus 100. 60
Potentes non ſunt ad ſalutem inepti 114. ●
Potentioris imbecilliorem ad obſequium cogentis facultas improprie jus dicitur 33. 20-33.
Poteſtas ſumma vid. Summa poteſtas.
Poteſtatis internæ & externæ diſtinctio non quadrat ad doctrinam de jure P. circa ſacra 177. c.
Præfecturæ quid à magiſtratibus differant 590. 41.
Prærogativa quid & unde dicta? 91. 2.
Præſcriptio an & quatenus locum habeat in juribus S. P. 107. ſeq. ejus fundamentum. 7. & 109. 28. quo tempore committatur. 48. 110.
Præſcriptio 474. 31 ſeq.
Præſcriptio juris Gentium 111. lit. i.
Præſcriptio regalium adverſus principem nulla eſt ibid.
Præſcriptio modus acquirendi feudum 491. 10. 11.
Præſumtio quid & ejus effectus 632. 29 ſeq.
Presbyterianorum ſententia de jure S P. circa ſacra 165. 4. examinatur 203. 12.
Primogeniti in Succesſione regnorum præferuntur ſecundogenitis 281. 11.
Princeps an LL. ſolutus? 57. 8.
Princeps prudens ſibi ipſi legem dicit 62. 19.
Princeps caput Eccleſiæ quo ſenſu dicatur 193. 15.
Principatum non ſignificare latine ſummam poteſtatem 73. 55.
Principis poteſtas circa ſacra vid. Sacra.
Principum Eccleſiaſticorum origo in Germania 270. 13. 14.
Principum bona 468. 35. 50.
Privilegia Civibus indulta non eſſe LL. fundamentales 88. 61.
Probatio quid & quotuplex? 628. 7. 8.
Promisſio alii facta an valeat 516. 16. ubi

cum Grotio diſputatur.
Proceſſus in ſcriptis origo 609. z.
Proceſſus inquiſitorius abuſui obnoxius 634. b
Procurator an poſt L. C. dominus litis 607. x
Prorogatam juriſdictionem non eſſe, niſi de perſona ad perſonam 600. 34.
Provinciæ an omnes Univerſitates? 435. 18.
Pſalmi 51. verſ. 6. intellectus 55. 53.
Publicatum & communium rerum adſerta differentia 447. 30.
Publicanorum jus & officium 671. 18.
Publicæ res quoruplices? 464. 2.
Publicatio bonorum. 677. 45.
Puffendorffii ſententia de juris N. dictatis. 22. 19.
Punire ſitne licitum tantum an neceſſarium 501. 9.

Q.

Quæſtio per tormenta, modus & meritum ejus 635. 32.
Quakerorum adſeveratio an pro juramento ſufficiat 630. 16.

R.

Raptus 656. 45.
Ratiocinando ſæpe amitti perſuaſionem Evangelii à puero indutam 238. 20. 239. 31.
Rationem non eſſe principium auctoritatis legum 558. 23.
Rationis lumen hodie non omnino extinctum 6. 9.
Ratio ſtatus & dominium eminens uti differant 95 52.
Ratio cur non poſſit eſſe unicum principium cognoſcendi divinitatem ſcripturæ 229. t. c.
examinantur tamen rationes autoris in notis paſſim ad h. c.
Ratio in ſpiritualibus non abjicienda 228. r.
Rationis ſuppreſſio ſapit papiſmum 114. n. damnum inde propullulans ibid. de rationis & revelationis concurſu doctrina in articulis fidei quomodo concipienda 222. m.
Res nullius, quid juris circa eas? 450. 12. 16.
Redemptio à Chriſto facta generis humani ex Natura emptionis vendit. cum ſacris literis collata exponitur 153. cap. 7.
Reformati in Gallia quo jure ſe habuerint 89. 76. ſeqq.
Reformationis Civitatum quis & quando ſit uſus? à quo inſtitui, à quibus peti poſſit. Exempla Lycurgi & Solonis in hanc rem examinantur. Singulos Cives non habere jus aliud, quam conquerendi & ſupplicandi; & hoc ipſum aliquando poſſe prohiberi, nefas eſſe petitionem Reformationis extra Rempubl. inſtitui. Materia Reformationis in genera diviſa; & de Eccleſia defunctorie 695. t. c.
Regalia quid? 91. 2
Regalia nullâ adverſus principem poſſunt præſcribi 111. lit. i.
Regiæ legis ſententia 56
Regiminis interni doctrina ubi 177. bremisſive.
Regiminis interni & externi diſtinctio rejicitur 178. lit. f. g. & paſſim.
Reginarum mariti an & quando reges 257. 23
Regis & Doctoris officium non poſſunt combinari 113. 8. lit. m.
Regium jus Samuelis 5. 11 ſeqq. aliud jure divino præſcriptum 59. 29
Regna barbarica unde nomen acceperint 259. p
Regna deſpotica quid 70. 30
Regni diviſio in patrimoniale & uſufruct. inanis 69. k.
Regni ſimpliciter delati jus 353. ſeq.
Regnum Heroicum 259. l. 2. Æſymnericum 3. 4. Laconicum 5. 7. non eſſe diſtinctas regni ſpecies quod ad juris rationem attinet. Nonniſi duas eſſe tales, regnum παμβασιλικὸν & dominatum βαρβαρικὸν 8. Definitio utriusque & differentia 9. 22. poſſe & juſtum eſſe dominatum 23. 24. quo jure ſubditi bello victi ad obſequium obligentur 26. 40. Nulla in re deſpotas videri populis obligatos, niſi, ne totam perdant civitatem 41. 46
Regnum in dubio electivum an ſucceſſorium videatur 266. 19. 267. 32

Regnum

Digitized by Google

Regnum ſpecies prima reipubl. 255. 1
Regnum deferendi modi ordinarii 265. 1-6
Reipublicæ definitio. 37. 17-18
Reipublicæ novas formas an in artem introducere liceat 256. f.
Reipublicæ optima forma an detur 253. x
Reipublicæ forma an à populo rege mortuo mutari queat 271. 22. 23
Reipublicæ formæ 292. t. ſect. 7. quotuplices ſint 292. 1-5. quæ earum præſtantiſsima 253. 6-8.
Relationes 665. 30
Religionis negotium univerſum ad imperantes ſpectare, quis dixerit. 6.
Repetundarum crimen 650. 22. 23.
Repreſſaliarum jus 101. 67. 734. 24-26.
Rerumpublicarum in rectas & corruptas diſtinctio cerebrina 311. m.
Rerum ſignificatio & differentiæ 444. t. c.
Rerum corporalium jus 449. t. c.
Rerum diviſio in publicas & privatas 464. 1.
Rerum alienatio 477. 59. 71.
Res Eccleſiaſticæ, ſpirituales, temporales earumque differentiæ & prohibita alienatio 442. 27. 32. inter res mobiles & immobiles differentia juris publici 449. 1-9.
Reſiduorum crimen 651 27.
Reſpublica quomodo differat à Civitate 37. 18.
Reſpublica mixta quo ſenſu detur 307. t. c.
Reſtitutio in integrum 665. 29.
Revelatio interna Sp. S. principium cognoſcendi divinitatem S. ſcripturæ 226. probatur è primis Reformationis auctoribus 1-5. è patribus 6. è Carteſio. 7. ex ſacris literis 8. ſeqq.
Reviſio 665 28.
Ripa 466. 23 24.
Ripatica conſtituendi Jus 100. 60.
Romæ urbis prærogativa quamdiu continuaverit 435. 11 16.
Ruſticus civis 398. 17.
Ruſticorum diverſus ſignificatus apud Rom. & Germ. 413. c.

S.

Sabinarum raptus & de eo judicium 705. e.
Sacerdotes 441.
Sacerdores & Doctores differunt 113. l.
Sacræ ſcripturæ auctoritas quo principio nitatur 221.
Sacrorum juris quæ ſint capita, difficilis quæſtio 113. 9. illa difficultas unde ibid. n. quid circa quæſtiones de jure Principis circa Sacra obſervandum 196. o. Hobbeſii ſententia de jure S. P. circa Sacra. 173. 15. Princeps à rebus Sacris civium diſſentiens quid poſsit. 193. 52. Jus ſacrorum ad Imperantes pertinet 112. 1. quid quantumve id controverſum ibid. 9.
Sacri characteris indelebilitas & de illa judicium 192. y.
Salvi conductus literæ vid. Conductus.
Sanctarum rerum jus 463. 56.
Satisfactio quot modis accipiatur & quomodo in ea luſerit Grotius 143. t. c.
Satisfactio Chriſti 143. t. c.
Scholarum trivialium, Gymnaſiorum & Univerſitatum differentia 426. 1-8.
Scripturam S. cognoſcendi principium 220.
Securitatis publicæ ratio & jus 685. t. c.
Securitatis publicæ tutelam non negandam excommunicatis, nec hæreticis ſingulis, nec quidem omnino maleficis, aut injuſtis poſſeſſoribus 690. 22. Quinam ab illa excludantur & diverſi gradus excluſionis ejus 691. 27.
Seldenus de Synedriis Ebræorum excerptus 217.
Senatus definitio 574. 2.
- - qualitas ibid. 3.
Senatorum numerus ibid. 4
Senatuum uſus in Democratia. 575. 6. 7. ibidem periculoſus. r.
Senatuum auctoritas in approbandis Principum actis, per ſe non derogare juri S. P. 73. 59.
Senatus diviſiones & totum jus ejus. ibid. t. c.

Sententia quid. 658. 1.
quomodo formetur. ibid.
cujus nomine feratur 659. 7.
Sententia lata an corrigi poſſit 660. 8.
Sententiarum diverſarum conjunctio in rebus judicandis qui fiat 659. 4.
Separationem externam ab indignis Chriſtus non præcepit 126. h. ſeq.
Sepulcrorum jus 463. 57.
Sermonis commercium 507. t. c.
Servi 394. t. c.
Servitia feudalia 492. 16-18.
Servitus an recte hodie ſublata 396. 15-28.
Servitutis natura 483. 38-45.
Servitutis definitio Grotiana 394. 3. 4.
Sexus differentia juris 373. 24.
Societates Indicæ 424. 14. 21.
Societatis jus 524. 14.
Societatum & Univerſitatum differentia 423. 1-7.
Socini ſententia de ſatisfactione refellitur 146. 26. & paſſim.
Solon & de illo judicium 699. k.
Spanhemius de orbe Romano commendatur 337. t.
Specificatio 471. 9. 11.
Spinoſæ jus naturæ expoſitum 19.
Spiritus S. teſtimonium à fide rationali diſtinctum 141. 9-18. provocatio ad internum Spiritus S. teſtimonium cujus uſus. 184. 5.
Spiritus S. fidem obſignans in vere fidelibus 241. 6-8.
Spiritus S. operationes in fidelibus 245. 26-35.
Spiritus operationes non ſunt à motu ſanguinis 249. 8-12.
Sponſionum & fœderum differentia. 93. 27.
Sponſionum jus 527. 21.
Sponſiones de rebus fortuitis 529. 30.
Spuriorum & naturalium liberorum diſcrimen 404 9.
Statuta municipalia 95. 59.
Status naturalis quis 11. ſeqq.
Status belli 12. 8.
Stellionatus 657. 51.
Stipulationum uſus hodiernus 525. 18.
Studioſi an renuntiare poſſint fori ſui privilegio 429. 27.
Stuprum 654. 37.
Subinfeudatio 14. 15.
Subſtitutionis jus 541. 22.
Succeſſio quotuplex 42. 49.
Succeſſio in patrimonialibus obtinet 266. 17. 18.
Succeſſio hereditaria eſt in patrimonialibus 213. 4. 6.
contrarium ibid. c.
Succeſſio inſtitutiva quid ſit & quotuplex. 279. 1-5.
Succeſſio in quibus regnis valeat 271. 31-34.
Succeſſio inſtitutiva, 279 t. c.
Succeſſiones indignis conferendi jus 99. 41.
Succeſſiones ab inteſtato 343. t. c.
Succeſſio regnorum hereditaria & inſtitutiva 273. 1-3.
Succeſſionis hereditariæ jus 273. t. c.
Succeſſorum declaratio vivis regnantibus 287. 55.
Suffragia ineundi & cenſendi modus. 304. 49-60.
Suffragiorum numeratio 658. 5-6.
Summa poteſtas conf. Imperium it. Majeſtas.
Summa poteſtas non obligat eum, qui eam habet 65. 24.
Summa poteſtas principis demonſtratur ex jure Rom. 56. 2.
conferuntur dicta veterum. ibid. 6.
ex ſacris. 10.
Summæ P. jus circa ſacra quotuplex ?165. t. c.
Summa poteſtas quatenus per fœdera finiatur. 74. ſeq.
Summa poteſtas uti finiatur. 332. c. in ſumma poteſtate non ad rem reſpicitur. 73. 54
Summæ poteſtates an in jus vocari poſſint. 326. 14-17.
Summæ poteſtatis definitio 64. ſeq.
ejus unitas 65. 21.
- corruptio & interitus 311. tot. Sect.
Summæ poteſtates cunctis promiſſionibus

ſtantes. 326. 3. ſeq.
Summæ poteſtati quid liceat circa cultum divinum 190. 24.
Summæ poteſtatis definitioni male inſeritur ut perpetua ſit. 72. 46.
Summæ poteſtatis imminuendæ fundamentum 79. ſeq. quid juris habeat is, cui generaliter ſummæ poteſtatis vices delegatæ 106. 59.
Summæ pot. jus in Eccleſia, variæ de eo opiniones 165. 1. Pontificiorum ſententia de jure ſummæ poteſtatis circa ſacra 165. 3.
Summæ poteſtatis jura vindicare JCtorum eſt 173. ſ.
Summarum poteſtatum fides eſt perfidia. 326.
Summi imperii diverſitas ex magnitudine & parvitate civitatis non reſultat 73. 51.
Superioritas territorialis revera à S. P. Reipubl. non diverſa 75. 19.
Supplicatio 665. 28.
Syllæ jus faciendi quod vellet, lege delatum à populo Rom 79. 23.
Synodos & claſſes qua tales habere dependentiam Politicam 200. 34.

T.

Tempus quo præſcriptio committatur. 110. 48.
Teſtamenti præter LL. condendi jus, majeſtatis 100.
Teſtamenti & fœderis jus revera non diſcrepare preſſius demonſtratur 137. ſq.
Teſtamenti voce quid deſignetur in ſacris. Διαθήκην ſignificare diſpoſitionem tam inter vivos quam ultimam voluntatem. Teſtamentum ſine mortis reſpectu nullum intelligi. Diſpoſitionem Patris Dei, qua filio dedit Electos in hereditatem, non eſſe Teſtamentum. Removentur objectiones. Refelluntur alia Teſtamentorum Dei ſpecimina. Deum Abrahamo non feciſſe Teſtamentum. Nec in deſerto Sinaitico Teſtamentum eſſe factum remotis objectionibus. Non eſſe niſi unicum in Verbo Dei Teſtamentum, Chriſti morituri. Teſtamentum vetus & novum ſpecie non differre: Sed vetus eſſe clauſum & myſticum; Novum eſſe idem apertum & clarum. E Teſtamento Chriſti hereditatem credentibus ſine ulla conditione & absque fœdere deferri 118. ſeq. Removentur objectiones aliæ contra unitatem Teſtamenti 131. ſeq. Hiſtoria controverſiæ, quæ in his poſitionibus tractatur. ibid. lit. x.
Teſtamentorum materia copioſe 539. ſeq.
Teſtatum ſimul & inteſtatum mori, non eſſe contra jus naturæ 477. 57.
Teſtes 628. 8. ſeq.
Teſtimonium obſignans fidem receptam 240. t. c.
Teſtimonii Spiritus S. doctrina quam varie ſe pro temporibus habuerit. 248. 1-7.
Theologorum Jus in republ. 418. 40.
Theophili Imp. ſeveritas 483. 42.
Theſauri jus 459. 19.
Timocratia quid? jus ejus, differentia ab Ariſtocratia & Democratia 305. t. c.
Tolerantiæ & permiſſionis diſcrimen. 559. 27.
Tormenta in criminum inquiſitione rectene adhibeantur 635. 32. 33.
Tortura & de illa judicium 635. e.
Traditionis jus 473. 28.
Trajectinum fœdus Belgarum populos non conjunxit in unam rempubl. 75. 14.
Transactionis jus 528. 25 ſeq.
Tributa exigendi jus 93. 30. an inter minora jura maj. recte referatur. ibid.
Tutela 393. 44. ſeq.
Tutela regia quotuplex 287. 3 ſeq.
Tutelam regiam quis ſtatuere poſſit. ibid.
Tutela regia quando finiatur 289. 12.
Tutela quaſi contractus 530. 3.
Tutelæ publicæ officium 687. 13. 16.
Tutores regii an habeant ſummam poteſtatem 287. 1. 2.
Tyrannis quid & quotuplex 311. t. c.
Tyrannis reſiſtendi Jus 317. t. c.
Tyrannos puniendi jus 321. t. c.

Tyrannus exercitio quis. 314. 1. 2. 367. 26-37.
ejus definitiones. 314. 3 ſeq.
de his judicium. 316. p.

V.

VAcantia bona occupandi jus 99. 41.
Vaſallos ſummam Poteſtatem in ſuos habere poſſe. 77. 41.
Vectigalia exigendi jus 93. 30.
Vectigalia & tot. jus eorum 671. 16 ſeq.
Venationis Jus 450. 12.
Veneficæ pacta cum Diabolo facientes & de illis judicium 657. y.
Veniam ætatis dandi jus majeſtatis 98. 28.
Venus infanda 655. 40.
Veriloquium & jus ejus 507.
Vicarium univerſalem Chriſti in mundo eſſe nullum 116. 29.
Vicarius ſummæ poteſtatis ſimpliciter conſtitutus quid juris habeat 106. 59.
Vicquefortius & judicium de illo 721. h.
Virtus Heroica & de illa judicium 696. c.
Violentia & fraus prima origo civitatum 33. r.
Vis 656. 44.
Vitæ & necis jus à mero imperio diverſum 91. 5.
Vitæ & necis jus aſyla quoque comprehendit 92. 15.
Unio populorum quotuplex? 56 ſeq.
Univerſitas quid & jus ejus 419. t. c.
Univerſitatis factum quatenus ſingulos obliget 436. t. c.
Univerſitates ſine Conſenſu S. P. non tolerandæ 420. 10-13.
Univerſitates artificum mechanicorum & mercatorum 423. t. c.
Univerſitates Sacrorum 430. t. c.
Univerſitates Studiorum 426. t. c.
Univerſitates Dei 112. ſeq.
Univerſitatum poteſtas res judicandi & ſtatuta concedendi 425. 24 ſeq.
Vocationis jus & ejus ſpecies 612. 8. 617. 23. effectus 26.
Urbium diſtinctio in metropoles & inferiores 434. 7. 8.
Uſucapio 474. 31. 32.
Uſum non habere uſum 484. 47.
Uſuraria pactio 518. 27.
Uſurpatio Imperii & quid in eam liceat 312.
Uſusfructus 484. 46. 47.

VV.

WOlzogii de lumine Rationis ſententia 228. 28.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

.71.—gc.

Digitized by Google